Bm.12-8
211
W 688

DE

RELIGIONE REVELATA

LIBRI QUINQUE.



AUCTORE

GUILELMO WILMERS S. J.

CUM APPROBATIONE REV. EPISCOPI RATISBON. ET SUPER. ORDINIS.

10.676

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.
MDCCCXCVII.

1954

Cum opus, cui titulus est de religione revelata a

P. Guilelmo Wilmers

nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Exaeten, 3. Dec. 1896.

L. S. Henricus Haan, S. J.,
Praep. Prov.

Imprimatur.

Ratisbonae, die 9. Martii 1897.

Dr. Fr. X. Leitner,
Vic. in Spirit. Gen.

Lectori S.

Non exigua occurrit difficultas in determinandis materiis, quas tractatus de religione, theologiae speciali praemitti solitus, complecti debeat. Unde mirum non est, scriptores non parum variare, dum alii minorem, majorem alii materiarum tractandarum complexionem exhibent. Difficultas illa oritur partim ex eo, quod per se non exiguus est numerus quaestionum, quae theologiae quasi vestibulum efformant, quarum tamen aliae propius, aliae remotius tantum cum theologia nectuntur; partim ex eo, quod diversa est conditio eorum, in quorum gratiam scribitur; unde etiam pro varia legentium, qui scribentis menti obversantur, classe merito varius constituitur quaestionum tractandarum ambitus.

Hujus tractatus auctor scribere sibi proposuit in gratiam illorum, qui, philosophiae curriculo absoluto, studiis theologicis operam impendunt aut impenderunt. Abstinendum igitur erat a quaestionibus ex instituto expendendis illis, quae in philosophia solvi consueverunt, nominatim de Dei existentia demonstranda, de animae immortalitate, de legis naturalis existentia. Si quaestiones hujusmodi quandoque attinguntur, id fit, ut ad materiam, quae hujus tractatus est propria, applicentur.

Quum de revelatione demonstranda agitur, omitti non potest quaestio de ejusdem fontibus, quorum praecipui sunt libri sacri. Unde etiam, qui antea de revelatione agebant, hos libros genuinos et veraces esse atque integros ad nos pervenisse, data opera demonstrare et materiam hanc ut propriam tractare solebant.

Ex quo autem *Introductio* in Scripturam sacram disciplina theologica specialis evasit, haec materiam illam ut sibi propriam assumpsit lateque expendere solet. Quum neque necesse sit neque expediat, ut eadem materia in duabus disciplinis tractetur, recente tempore plerique quaestiones de Scripturae authentia cum quaestionibus annexis ad Introductionem in Scripturam sacram amandarunt; nonulli quidem ita, ut quaestiones Testamentum Novum spectantes sibi retinerent, alii ita, ut quaestiones illas utrumque Testamentum spectantes Introductioni committerent integras, alii demum ita, ut eorum, quae in Introductione tractantur, nonnisi summam et suprema capita exhiberent et quasi, utpote alibi demonstrata, legentibus repraesentarent et in memoriam revocarent. Neque enim illicitum aut insuetum est, quae aliarum disciplinarum sunt propria, ex eisdem assumere et demonstrata supponere. Via, quam a multis initam esse loco ultimo dictum est, etiam auctor pergendum sibi duxit, praesertim quum materia, quae tractatus de religione est propria, jam sit amplissima.

Idem fit in quaestionibus quibusdam historicis, quae in historia ecclesiastica fusius exhiberi solent, ut est quaestio de religionis christianae per prima saecula diffusione, de Christianorum insectationibus, de martyrum numero.

Si quandoque expendendae assumuntur quaestiones, quae alias omitti consueverunt, ut sunt quaestiones nonnullae de V. T., de auctoritate divina, quam libris sacris etiam citra inspirationem competere constet, aut de religione christiana in Catholicorum coetu conservata et motivis credibilitatis demonstrata, suis in locis, quibus materiae illae expenduntur, ratio redditur.

Brevi tempore sequetur volumen alterum, de Christi Ecclesia, ad quod suo tempore — vita comite — accedet volumen tertium de fide fideique regulis.

Exaeten prope Ruraemondam d. 10. Octob. 1896.

Liber I.

De religione et revelatione generatim spectata.

Prolegomena.

§. I. De religionis notione et divisione.

Assertum 1. *Religio generatim proprio tamen sensu intellecta hominis ordinem ad Deum sive hominis cum Deo vinculum significat.*

1. **Probatur 1.** *ex usu vocis communi.* Hoc enim sensu vox accipitur non solum apud christianos, sed etiam apud gentiles scriptores. Inter hos *Cicero* ita definit: „Religio est, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, curam ceremoniamque affert.“ De invent. II, 53. Quae de cura ceremoniaque sive de cultu addit, indicant, quomodo ordinem hunc efficere et vinculum constituere homo debeat. S. Augustinus postquam dixit, unum Deum esse colendum, ita concludit: „Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo.“ De vera rel. c. 55.

2. *e vocis derivatione.* Ipsa vocis derivatione, licet non eadem sit apud omnes, id tamen innuitur, religionem esse hominis ad Deum ordinem, hominis cum Deo nexum. Sive enim a religando derivetur, sive a relegendo i. e. frequenter perpendendo, sive ab eligendo vel a religendo i. e. novo accessu ad Deum, semper innuitur ille ordo et nexus, quem homo diligenti cura sive Deum colendo constituit et, si peccato destructus et solutus est, denuo efficit.

2. A religando derivat *Lactantius* scribens: „Hac conditione gignimur, ut generati nos Deo justa et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati simus; unde et ipsa religio nomen accepit.“ Instit. IV, 28. Consentit s. *Augustinus,* qui cultum verum falso cultui opponens ait: „Ad unum Deum tendentes et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus.“ De vera relig. c. 55, n. 111. A relegendo derivat *Cicero,* ita reddens sensum: „Qui omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi a relegendo.“ De nat. deor. II, 28. S. *Hieronymus* religionem a religando ideo dictam esse existimat, quia homines inter se mutuo liget et „in fascem Domini“ vinciat. In Amos IX, 6. Verum quidem est, vinculo, quo homines Deo adstringuntur,

conjungi eosdem etiam in societatem Deo sacratam; Deo tamen jungendi principale ejus munus est. S. *Augustinus* etiam ab eligendo vel religendo Deo vocem deducit: „Ipse (Deus) fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiseramus enim negligentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus.“ De civit. X, c. 3, n. 2. Omnium sententias s. *Thomas* ita colligit: „Sive religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione ejus, quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus.“ Sum. 2, 2, q. 81, a. 1.

§. II. Religio ut virtus sive prout est voluntatis.

Assertum 2. *Ordo ille et nexus ex hominis quidem parte potissimum Dei cultu sive honore ei exhibito constituitur.*

3. **Probatur 1.** *e gentilium et Christianorum sententia.* Communi hominum sententia religionis vox, quum de Deo sermo est, Dei cultum et observantiam importat. Quaerendo quae sit gentis cujusdam religio, quaeritur quod numen et quomodo ipsum colat.

Ciceronem modo audivimus dicentem, „religionem superioris cujusdam naturae curam ceremoniamque afferre.“ Cura et ceremonia cultum geminum, internum et externum, exprimit. Idem testatur s. *Augustinus*, etsi fatetur, vocem latinam minus definitam esse quam quae ei respondet vox graeca *θρησκεία*, quae etiam apud N. T. scriptores occurrit (Act. 26, 5. Jac. 1, 27). „Ipsa Religio, inquit, quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur, unde isto nomine interpretati sunt nostri eam, quae graece *θρησκεία* dicitur; tamen quia latina loquendi consuetudine, non imperitorum, verum etiam doctissimorum, et cognationibus humanis atque affinitatibus et quibuscunque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu Deitatis vertitur quaestio, ut fidenter dicere valeamus, religionem non esse nisi Dei cultum; quoniam videtur hoc verbum a significanda observantia propinquitatis insolenter auferri.“ De civ. X, c. 1, n. 3. Ex his s. doctoris verbis saltem id colligitur, quamvis hac voce singillatim sumpta non designetur cultus Deo soli debitus, significari tamen cultum; idque interim sufficit. Aliquando idem s. doctor pietatis vocabulo utitur. „Pietas, inquit, est verax veri Dei cultus.“ De civ. IV, c. 23, n. 7. Idem sentiunt Apologetae, dum religionis christianae summam in divino cultu, quem Christus docuerit, reponunt. Ita *Arnobius*: „Nihil, inquit, sumus aliud Christiani, nisi magistro Christo summi regis ac principis veneratores; nihil, si consideres, aliud invenies in ista religione versari. Haec totius summa est actionis, hic praepositus terminus divinorum officiorum“ etc. Adv. nat. I, 27. Dei cultum et reverentiam denotat vox *θεοσέβεια*, quae frequens est apud Graecos: *τὴν θεοσέβειαν τῶν χριστιανῶν*. Ep. ad Diogn. n. 1. S. Justin. Cohort. ad graec. n. 34. Vocem graecam, cui latina maxime respondet, *Suidas* ita exponit: *θρησκεία = ἡ λατρεία*; quae vox cultum denotat et quidem Deo soli proprium.

2. *ex ordinis conceptu.* Ex ipso religionis conceptu maxime communi, prout dicit ordinem hominis ad Deum, consequitur, eandem ex parte hominis potissimum Dei cultu constitui. Homo enim, utpote ratione et libertate praeditus, imprimis agnoscere et

velle et in se exprimere sive fateri debet ordinem illum, qui rebus inest; atqui vi ordinis, qui rebus inest, Deus est primum rerum omnium principium, e quo et homo pendet. Ergo hunc ordinem imprimis agnoscere, velle, exprimere homo debet. Id autem nihil aliud est nisi Deum honorare et colere; quum honor nihil aliud sit nisi excellentiae, quae alteri competit, significatio. Universe enim, ut s. *Thomas* notat, „honor exhibetur alicui propter aliquam ejus excellentiam, et ita est signum et testimonium quoddam illius excellentiae, quae est in honorato." Sum. 1, 2, q. 2, a. 2.

Assertum 3. *Excellentia divina, ut cultus ratio, ipsa Dei infinitate, et quidem prout primi principii munus exercet, constituitur.*

4. **Probatur 1.** *e conceptu cultus debiti.* Religione Deo cultus exhibetur non qualiscunque, sed talis, qui ipsi est debitus seu quem rectus ordo requirit. Debitus autem cultus et quem rectus ordo requirit non exhibetur, nisi Deus colatur ob suam infinitatem, qua simul nostrum principium constituitur nosterque finis. Hac enim infinitate, qua simul omnia excedit omniumque rerum principium et finis est, propria ejus excellentia constituitur; excellentia autem honorem deferendi et colendi ratio est.

2. *e conceptu excellentiae ut involvente respectum ad nos.* Et vero, infinitatem esse colendi rationem, facile intelligitur, quum cultus involvat honorem, honor autem respiciat excellentiam personae honorandae propriam. Non autem nude consideranda est. Si enim Dei infinitatem nude sive abstracte spectaremus et sine ullo ad nos respectu, non integram excellentiae rationem attingeremus. Excellentia enim dicit excessum sive eminentiam prae alio; unde ut Dei excellentiam attingamus, necesse est, ut praeter ejus infinitatem simul etiam nostram infirmitatem et indigentiam, qua ex ipso pendemus, tamquam alterum terminum implicite spectemus. Hanc autem spectamus, si Deum non tantum ut infinitum, sed etiam ut nostrum principium cogitamus. S. Thom. 2, 2, q. 81, a. 2 et 3.

5. ***Scholion I.*** *Actus Deum colendi actum reverentiae et submissionis simul includit.* Colendo enim respicimus Dei excellentiam ut unum terminum eique reverentiam exhibemus, sed quia excellentia est excessus, non possumus non attendere ad nos tamquam alterum terminum, prae quo Deus excellit. Dum autem hunc excessum etiam libere agnoscimus et fatemur, submissionis sive servitutis actum elicimus; atque sic in colendi actu actum reverentiae et submissionis completimur. Sine submissione attestatio excellentiae esset honor, non cultus: Deus sanctos honorat, non colit. cf. s. *Thom.* l. c. a. 3, ad 2. Raph. de la *Torre,* sum. theol. tom. I, q. 81. a. 3. *Lessius* de jure et just. l. II, c. 36.

Submissio haec differt ab humilitate. Demissio est actus humilitatis, si fit, huia nostrae vilitati congruit, ut intra nostrae conditionis limites nos contineamus,

nec per elationem eos excedamus: est actus religionis, si Dei excellentiam simul intuemur, quae nostram vilitatem adeo excedit. Idem enim actus pro diverso motivo ad diversas spectat virtutes.

Submissionis et servitutis actus, quem religio includit, differt ab obedientiae actu. Aliud generatim est colere, aliud obedire. Colimus sive honoramus aliquem propter excellentiam ejus personae propriam: personam proprie colimus; hinc et personae nos submittimus. Implemus praecepta propter honestatem, quae est in conformitate voluntatis subditi cum superioris voluntate: implemus proprie praecepta. Unde submissio, quae pars est religionis, personae excellentiam respicit, non honestatem in conformitate voluntatis nostrae cum voluntate divina praecipiente. Submissio hujusmodi locum habere potest sine ullo ad praeceptum qualecunque respectu: est enim indigentiae, qua ex Deo modo omni pendemus, professio. Obedientia esse non potest nisi praecepto, quod respiciatur, supposito. *Suarez* de Rel. tr. I. l. III, c. 6.

6. ***Scholion II.*** *Duplicis generis actibus Deus coli sive ejus excellentia significari potest.* Alii hunc finem immediate attingunt, mediate alii. Illi sunt actus religionis *proprii* sive ab ipsa virtute religionis *eliciuntur;* alii sunt *aliarum* virtutum actus proprii, sive ab aliis virtutibus eliciuntur, sed a virtute religionis *imperantur* et ad Deum honorandum diriguntur.

Ad actus religionis proprios sive ab ipsa religione elicitos pertinent omnes illi, qui secundum suam speciem ad religionis finem i. e. ad Dei cultum referuntur, nec alterius virtutis adminiculo indigent. Hi actus proprii distingui possunt in actus secundum affectum et actus secundum effectum. Religionis actus proprius secundum affectum est ipsa voluntatis motio, qua appetit honorem Dei; actus secundum effectum est opus sive actus ex illo affectu promanans. Hujusmodi actus promanantes sunt adorandi, sacrificandi, beneficia petendi, gratias agendi, vovendi votumque implendi actus; in omnibus enim hisce actibus Dei excellentia aliquo modo menti obversatur, neque alterius virtutis motivum requiritur, ut fiant. S. Thom. 2, 2, q. 81, a. 1, ad 1. Suarez de rel. ib. l. 2, c. 1, n. 4.

Actus, qui ab aliis virtutibus eliciuntur, fiunt actus religionis, si a religione imperantur sive ad Deum honorandum diriguntur. Huc spectant omnes virtutes morales; qui ad Deum honorandum pauperi eleemosynam largitur, opus quod in se est misericordiae actus, simul religionis actum efficit.

7. ***Scholion III.*** *Actus prosequentes, evitantes.* Sicuti ad religionem pertinent actus, quibus homo Dei honorem prosequitur, ita ad eandem pertinent actus, quibus fugit aut vitat, quidquid illum honorem laedere potest; eadem enim virtus duplice munere fungitur. Religione motus homo non tantum Deum adorat et invocat, sed etiam omnem blasphemiam omneque perjurium et quidquid summae ejus excellentiae displicere potest, horret et fugit. Suarez de rel. l. 1, c. 1, n. 11.

Assertum 4. *Hinc religio sensu strictiore intellecta sive prout debitum Deo cultum reddit, virtus est specialis et quidem moralis ac voluntatis.*

8. **Probatur 1.** *Est virtus;* dicit enim quandam hominis dispositionem vel inclinationem ad bene operandum sive ad bonum faciendum. Bonum sane est honorem reddere illi, cui honor debetur.

2. *Est virtus specialis.* Virtutes enim distinguuntur secundum actus, ad quos inclinant, sive secundum bonum, circa quod actus versantur. Honor Deo debitus est bonum omnino speciale et sin-

gulare; superat enim honorem omnem alium creaturis debitum, sicuti Deus superat creaturas.

3. *Est virtus moralis.* Nam virtus moralis illa est, quae voluntatem inclinat ad constantem boni honesti prosequutionem. Bonum hoc est cultus Deo deferendus. Ad voluntatem proxime pertinet in eaque ut subjecto residet, non in intellectu. Nam ut pecuniam debitam alteri reddere voluntatis est, ita etiam cultum ut debitum reddere Deo. Sicuti qui scit, quantum alteri debeat, nondum est justus, ita etiam qui scit, cui cultus et qualis sit deferendus, nondum religiosus dicitur. Si autem intellectus existimatio sive judicium, Dei excellentiae deberi honorem infinitum, voluntarium est, ad cultum pertinet et actus est virtutis moralis.

9. *Annexa justitiae.* Religio ut virtus specialis annexa est justitiae; habet enim aliquid commune cum justitia veramque justitiae rationem continet, non tamen perfectam. Ratio justitiae in hoc consistit, ut reddat alteri quod ei debetur et quidem secundum aequalitatem. Religio in Deum, pietas in parentes reddunt quod est debitum, et eatenus continent veram justitiae rationem. Sed religio et pietas, quamvis veram justitiae rationem contineant, eam tamen non participant perfectam, quia debitum non possunt reddere secundum aequalitatem. S. Thom. 2, 2, q. 80, a. un.

Non theologica. Quamvis, cur Deo honor deferatur, sit Dei excellentia, hinc Deus ipse (s. Thom. 2, 2, q. 81, a. 5), religio tamen non est virtus theologica. Et vero: „si ad rationem virtutis theologicae sufficeret, ut respiciat Deum ipsum ut objectum formale sub aliqua ratione increata, nihil deesset religioni, quominus virtus theologica sit. Addendum ergo est, quamvis hujusmodi formale objectum sit necessarium ad virtutem theologicam, non tamen esse sufficiens, sed oportere, ut etiam proxime et immediate attingat Deum ut objectum *quod*. Quia ut perfecte et simpliciter sit virtus divina, necesse est ut utroque modo Deum attingat i. e. ut in illo nitatur tamquam in objecto formali, et quod nos immediate conjungat Deo ut ultimo fini et primo principio.“ *Suarez* de rel. l. 3, c. 3, n. 3. 4. Jam Deus non est objectum immediatum *quod* religionis ac proin religio nos non conjungit immediate Deo tamquam ultimo fini. Nam quum religio sit virtus voluntatis, proximus ejus actus est velle, et proximum ejus objectum illud, in quod ille voluntatis actus dirigitur. In quid dirigitur, sive quid vult? Vult honorare Deum, vult Dei honorem sive illud, quo Dei honor significetur. Proximum ejus objectum *quod* est proin honor, qui deferendus est Deo ut objecto *cui*. Honoramus quidem Deum, sed per actum orandi, sacrificandi etc. Actus ille, quo Deus honoratur, est objectum proximum, in quod Deum colendo tendimus: Deus est objectum *cui*. Aliquid simile locum habet, quum Deo obedimus, Deo servimus. Proxime volumus illud opus, quod a Deo est injunctum, sed volumus illud cum respectu ad Deum, cui obedimus vel servimus. Et vero, si illo voluntatis actu homo proxime vellet Deum ipsum, sequeretur, eundem aut sperandi aut amandi Deum esse actum. Quia honor deferendus est Deo, Deus recte vocatur *finis* religionis, sed finis *cui*, et quidem proximus, non remotus sivo ultimus tantum, ut omnium virtutum moralium finis ultimus est Deus. Nam alio modo religio, alio modo temperantia respicit Deum Suarez de rel. l. 1, c. 4.

10. ***Corollarium.*** Si in religione non attenditur, utrum sit (constans) habitus an (singularis) actus, religio universe definiri

potest Dei cultus propter infinitam ejus excellentiam. Ratio intelligitur e praecedentibus. Priore definitionis parte exprimitur, quid huic cultui cum aliis colendi sive honorandi modis sit commune, altera denotatur, quomodo differat.

Assertum 5. *Religio sensu latiore intellecta significat omne virtutis officium, quo ad Deum ordinamur.*

11. Duplicis generis sunt officia: alia Deum respiciunt, alia proximum; illis recte disponimur erga Deum, istis immediate quidem erga proximum, mediate erga Deum, qui omnis obligationis causa est, recte disponimur.

Probatur 1. *e loquendi usu.* Imprimis attendendus est loquendi usus, qui habet, ut quicunque sua in Deum officia fideliter implet, homo religiosus, qui negligit aut contemnit, irreligiosus vocetur. „Viri religiosi“ (*ἄνδρες εὐλαβεῖς*) vocabantur qui legem mosaicam studiose observabant. Act. 2, 5. Cornelius centurio praedicatur „religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi et deprecans Deum semper.“ Act. 10, 2. Hinc etiam qui Dei praecepta proximum spectantia violat, aliquo modo contra religionem agit, qui implet, religioni conformis est. „Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.“ Jac. 1, 26. 27.

2. *ex usus fundamento.* Loquendi usus suo nititur fundamento. Nam a. si religio universe accepta hominem recte ordinat ad Deum, haec recte ordinandi vis etiam aliarum virtutum actibus inest, nec solum illarum virtutum, quae Deum respiciunt, sed etiam illarum, quae proximum, praesertim quum a Deo praecipiuntur. Propterea secundum s. Thomam religio significat ipsam fidem tum in se spectatam tum prout latriae sive adorationis fundamentum est: „Prima ligatio qua homo Deo ligatur est per fidem; hujus fidei protestatio latria est, quae cultum Deo exhibet.“ Opusc. XVI. contra impugnantes relig. c. 1. Ratio ultima omnium obligationum nostrarum est infinita Dei excellentia, cui nos submittimus alio quidem et alio respectu, si de proximo sive proprio virtutum motivo agitur. Et vero, quum per fidem nos submittimus, proxime quidem infinitae Dei veracitati, quae est objectum formale, sed ultimo nos submittimus infinitae Dei excellentiae, quae per veracitatis attributum in nos agit. Infinita Dei excellentia est quasi radix ultima omnium attributorum, hinc ratio ultima omnium nostrarum obligationum. Aliis verbis: excellentia divina, quae est

proprium religionis motivum, in aliis virtutibus aliqua ratione includitur et eatenus attingitur. S. *Bonav.* Sent. 3, d. 9, a. 2, q. 2. *Suarez* de rel. l. 3, c. 2, n. 11. *Becan.* Theol. schol. de rel. q. 3.

12. ***Scholion.*** Secundum s. Bonaventuram religio sive „cultus Dei potest accipi tripliciter: generaliter, proprie et magis proprie. Uno (primo) modo dicitur cultus actus directus in Deum sub ratione finis, et sic est omnis virtutis. Alio (secundo) modo dicitur cultus Dei actus in Deum directus non solum ratione finis sed etiam objecti, et sic est virtutum theologicarum. Tertio modo cultus Dei dicitur magis proprie actus directus in Deum non solum sub ratione finis et objecti, sed etiam sub ratione honorabilis, et talis actus est actus adorationis, et sic est virtutis specialis." (L. c.) De religione secundo sensu accepta intelligit celebrem locum s. Augustini: „Si respondero, fide, spe et charitate colendum Deum, profecto dicturus es, brevius hoc dictum esse quam velles." Enchirid. c. I, n. 3. Alii quidem existimant, s. Augustini mentem esse, tribus illis virtutibus coli Deum, quia causa sint, cur in nobis generetur religio; alii, quia religio theologicarum virtutem actus imperet et ad Deum colendum dirigat. Verum quum s. Augustinus neutrum indicet, quum potius ad ipsas has virtutes theologicas totam vitam christianam referat iisque concludat, merito cum s. Bonaventura infertur, religionem illo quo dictum est sensu acceptam in harum virtutum exercitio reponi.

§. III. Religio prout ad intellectum pertinet.

Assertum 6. *Religio quamvis in se sive formaliter spectata habitus voluntatis sit, spectato fundamento ad intellectum pertinet, et cognitionem, imprimis speculativam, involvit; unde et ipsum religionis nomen, quo virtus voluntatis principaliter designatur, etiam intellectus cognitioni attribuitur.*

13. Cognitio speculativa est illa, quae circa verum ut sic versatur; cognitio practica, quae ei opponitur, illa est, quae versatur circa agenda. Deus est objectum cognitionis speculativae, officium praestandum est objectum cognitionis practicae.

Probatur 1. *e cultus objecto cognoscendo.* Religionis utpote virtutis est hominem inclinare, ut Deo cultum debitum reddat; ergo imprimis Deum, qui est finis sive objectum, cui reverentia exhibetur, homo cognoscat oportet. Multa quidem velle et agere potest homo Deo non cognito; religionem autem exercere non potest nisi cognoscat Deum et quidem ut illum, cui honor omnino specialis debeatur. Religio igitur quum cognitionem adeo sublimem supponat et exigat, speciali modo ad intellectum pertinet.

Eleganter id effert *Lactantius:* „Non potest nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni: quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiae, et honorari, quod est religionis. Sed sapientia praecedit, religio sequitur; quia prius est Deum scire, consequens colere." Instit. IV, 4.

2. *e cultus motivo proprio cognoscendo.* Praeter cultus objectum, cui reverentia exhibeatur, simul etiam cultus motivum proprium cognoscendum est; e motivo enim tota actus natura pendet. Cognoscenda proinde est singularis illa excellentia, qua Deus res

omnes excedit simulque hominis et rerum omnium principium et finis est. Id autem idem est atque in Deo, ente excellentissimo, illud ipsum cognoscere, quo est ens excellentissimum suamque excellentiam in nos exerit. Unde religio, cujus fundamentum est adeo excellens, novo iterum modo intellectus cognitionem exigit.

3. *e positiva cultus determinatione.* Fieri potest, ut Deus speciali omnino modo se suamque excellentiam hominibus revelet, speciali omnino modo se hominis finem constituat, et modis novis naturaeque ordinem excedentibus hominem sibi devinciat. Ex nova hac radice novus exoritur colendi modus. Homo autem cultum hunc specialem et singalari modo debitum exercere non potest, nisi norit radices illas multiplices, e quibus enascitur.

4. *e verae aut falsae religionis appellatione.* Distinguitur inter religionem veram et falsam. Falsa enim est, quae errorem involvit aut in illo, quod colitur, aut in modo, quo colitur. Sed verum et falsum pertinent ad intellectum; unde quum religio aut vera aut falsa esse sive veritatem aut falsitatem proponere possit, ipsa aliqua ratione ad intellectum pertineat oportet. cf. *Suarez* de rel. l. 1, c. 2.

Assertum 7. *Religio praeter cognitionem speculativam etiam practicam involvit.*

14. **Probatur 1.** *e necessitate quosdam actus ponendi.* Religionem nemo exercere potest, nisi norit, quibus actibus Deus aut generatim aut in quibusdam occasionibus honorandus, adorandus, placandus sit; unde est, quod homines omni tempore modos et ritus multiplices ad numen verum aut falsum honorandum et placandum adhibuerunt. Cognitio igitur practica saltem aliqua tam est necessaria, ut sine ea non possit esse religio.

2. *e necessitate quosdam actus vitandi.* Major etiam est haec necessitas, quum de illis agitur, quae utpote Dei cultui adversa vitanda sunt. Huc spectant omnia, quae lege naturali prohibentur; quae enim huic adversantur, semper ejusdem auctori sive legislatoris honori aliquo modo adversantur.

3. *e positivae religionis possibilitate.* Cognitio practica modo speciali necessaria est, si Deus (quod fieri posse suo loco demonstrabitur) novum rerum ordinem revelat et ipse determinat, quibus modis ab homine coli velit. Nova Dei manifestatio per se officia nova homini imponit, quae augentur, si Deus sacrificia aliaque ad ipsius cultum pertinentia ipse praescribit.

Huc spectant illa Salviani: „Religio scientia est Dei; ac per hoc omnis religiosus hoc ipso, quod religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur." Adv. avarit. c. 9. Accipit quidem hoc loco vocem sensu arctiore, prout statum illorum

significat, qui peculiari modo cultui Dei se mancipant. Attamen si hac arctiore significatione accepta scientiam et quidem practicam imprimis includit, sequitur, hanc et in vulgari vocis sensu latere.

§. IV. Religio objective spectata.

Assertum 8. *Religio objective spectata est complexus veritatum, quibus hominis ad Deum ordo constituitur, et officiorum, quae ex illo ordine consequuntur.*

15. Religio hic spectatur non prout ab homine exercetur, i. e. non spectatur subjective, prout homo se actu ad Deum ordinat, sed objective, sive ut norma, ut regula, cui homo conformare se debet, ut recte ad Deum ordinatus et religionem exercere vere dici possit. Hoc sensu objectivo nomen religionis a religando derivat *Lactantius* scribens: „Diximus, nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quo hominem sibi Deus religaverit et pietate constrinxerit, quia servire nos ei ut domino, et obsequi ut patri necesse est.“ Instit. IV, 28. Vinculum hic intelligitur illud, quod non ab homine nectitur, sed a Deo constituitur. Hoc sensu objectivo a *Tertulliano* religio christiana disciplinae nomine designari solet. „Census [i. e. professio] istius disciplinae a Tiberio est; cum odio sui coepit veritas.“ Apol. c. 7. „Adversus fidem disciplinamque communem.“ De idol. c. 13. S. *Augustino* religio christiana est via, via regia, via salutis: „Haec est religio, quae universalem continet viam animae liberandae, quoniam nulla nisi haec liberare potest. Haec est enim quodammodo regalis via, quae una ducit ad regnum . . . Haec est animae liberandae universalis via i. e. universis gentibus divina miseratione concessa.“ De civ. X, c. 32, n. 1 et 2. *Vincentio* Lirinensi teste Stephanus papa „intelligebat, nos religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi debere.“ Comm. c. 6. (De usu non rebaptizandi haereticos sermo est.) Huc etiam spectant, quae de religionis profectu dicit. c. 29. In dubium igitur vocari non potest, vocem usurpari etiam sensu objectivo; quamquam id etiam e rei natura consequitur.

Probatur 1. *e necessitate normae.* Religio subjective spectata consistit in illis actibus a voluntate aut elicitis aut imperatis, qui exercendi sunt, ut homo Deum colere dicendus sit. Illi autem actus non sunt arbitrarii; non enim quibuscunque actibus pro libitu exercitis homo Deum recte colit. Ergo regulae sive normae objectivae conformandi sunt. Haec autem regula est ille veritatum et officiorum complexus, qui ante omnem hominis operationem subsistit.

2. *e discrimine inter religionem veram et falsam.* Omnibus necessario fatentibus distinguitur inter religionem veram et falsam: religio vera est illa, quae vero Deo cultum verum sive legitimum i. e. talem qualis est debitus, defert; religio falsa illa est, quae aut Deo non vero defert cultum, aut Deum quidem verum colit, sed non cultu illo, qui exigitur. Ergo imprimis est ordo sive complexus veritatum, speculativarum et practicarum, qui religionem objective constituit et a quo in superstitionem incidendo deviari potest. Praeterea cultus falsus includit errorem aut de illo, quod

colitur, aut de illo, quo colitur. Sed error, qui est assensus ad falsum, supponit verum, a quo deviatur. Ergo duplex iterum innuitur complexus, veritatum et officiorum, quo religio in se constituitur.

§ V. Religionis nomen Deum colentium statui et societati attributum.

16. Religionis nomen attribuitur tum statui tum societati illorum, qui religionem profitentur. Nam quod homines profitentur, praesertim si constans sit professio, non raro praedicatur de illis, qui id profitentur. Propterea Philosophi, qui Academiae vel Stoae philosophiam profitebantur, ipsi Academia vel Stoa vocari solebant. Nova etiam nominis transferendi ratio oritur, si ad statum sive constantem professionem accedit societatis vinculum, quod virium conjunctione et imprimis auctoritate externa constituitur. Hoc sensu dicimus religionem christianam i. e. hominum, qui eam profiterentur, multitudinem et societatem brevi tempore occupasse plerasque provincias imperii Romani, religionem judaicam restrictam fuisse ad solam Palaestinam.

Religionis nomen speciali ratione tribuitur statui illorum, qui intra societatem christianam modo singulari Deo se adstringunt. Si enim religio universe loquendo vinculo, quod Deo nos connectit, constituitur, e vinculo hujusmodi speciali religio sensu speciali accepta merito appellatur. Unde s. *Thomas:* „Duplex, inquit, est religionis acceptio. Una, secundum sui nominis primam institutionem, secundum quod aliquis Deo se ligat per fidem ad debitum cultum; et sic quilibet christianae religionis fit particeps in baptismo, abrenuncians Satanae et omnibus pompis ejus; secunda, prout aliquis ad aliqua charitatis opera se obligat, quibus specialiter Deo servitur, abrenuncians saecularibus". Opusc. XVI. cont. impugn. Dei cult. et rel. c. 1.

§ VI. Religionis acceptiones praeposterae.

17. 1. Ex dictis patet, religionem, ut a Gnosticis, Pantheistis sive veteribus sive recentioribus et quibusdam Mysticis fieri solet, male reponi in sola cognitione, praesertim speculativa. Religio proprie dicta non potest reponi in eo solo, quod actum religionis proprie dictum praecedit. Cognitio speculativa, ut vidimus, necessario praecedit, non constituit religionem, quae etiam voluntatem spectat. Praetermittimus nunc errores, qui errori illi a nonullis sociantur, ut quum Rationalistae religionem in sola cognitione naturali reponunt, et sic cum Philosophia confundunt, dum Pantheistae cognitionem exigunt, qua homo se cum Deo unum percipiat.

2. Errant pariter qui cum plerisque Deismi asseclis praesertim post Emmanuelem *Kant* religionem in sola moralitate constituunt, exclusis veritatibus quae

sunt tenendae, et quidem, supposita revelatione, fide credendae. Homo enim actus religionis maxime proprios, ut sunt adorandi et reverendi actus, exercere non potest, nisi constat, cujusmodi sit ille, qui est adorandus et reverendus. Neque actus suos ad finem debitum potest dirigere, nisi finem, ad quem dirigendi sunt, norit. Sine dubio etiam bonis moribus colitur Deus, si eorum actus ad Dei cultum diriguntur. Sed dirigi non possunt, imo esse non possunt, quales esse oportet, nisi praecesserint actus alii et veritates plures assensu firmo teneantur. Verum pariter est, Deum coli obedientiam eidem praestando. Sed praestari non potest obedientia plena, nisi adoretur et nisi exerceantur actus, qui cultum proprie constituunt. Ipsa credendi promptitudo ad obedientiam pertinet.

3. Neque satisfaciunt, qui religionem in quodam vago et indeterminato pietatis sensu reponunt. Pietatis sensus sive voluntatis affectus, e Dei vel divinorum beneficiorum consideratione ortus, bonus sane est. At vero pietatis ille sensus quum considerationis effectus sit, veritates supponit, quae considerentur; si autem vagus tantum est, vagos tantum de Deo totoque religionis fundamento conceptus supponit. Religionis vero fundamenta veritatibus constituuntur quam maxime determinatis. Praeterea sensa hujusmodi pia et vaga foveri etiam possunt ab illis, qui illam et intellectus et voluntatis submissionem, quam divinus cultus includit, omnino recusant, quia nimirum recusant de Deo ejusque operibus id tenere, quod Deus exigit, et illa exequi, quae ipse praescripsit. Vagus hic *pietismus* in veri cultus locum subrogari coepit, postquam de vera religione invenienda desperatum est apud sectas; unde et amice junctus est rationalismo.

4. Religionis illa definitio parum corrigitur a nonnullis, qui in infiniti sive sensu sive cogitatione religionem reponere volunt. Nec solus sensus nec sola cogitatio sufficit ad Deum debito modo colendum. Praeterea sola infiniti appellatione non innotescit, cujusmodi sit infinitum, quod sensu aut cogitatione percipi dicitur, sitne Deus pollens intelligentia et voluntate, an infinitum qualecunque. Demum etiamsi Deus verus cogitaretur, non sola ejus infinitas sive natura infinita illud est, cujus ratione cultus ei debetur. n. 4.

Qui sensum illum religiosum reponunt in facultate aliqua spirituali et propria, quae videlicet ab intellectu et voluntate sit distincta, statuunt insuper, quod Philosophiae principiis repugnat. Male enim fingitur potentia spiritualis illa tertia, ab intellecta et voluntate distincta.

5. Neque constituenda est cum Friederico *Schleiermacher* aliisque in illa animae affectione, qua homo e Deo se pendere vel Deo se obstrictum sentit. (Cf. *Hagenbach*. Dogmengeschichte, 6. Aufl., § 291.) Sensus iste in homine religionem sive Deum colendi studium progignere potest, ipsam constituere non potest. E Deo se pendere Deoque se obstrictos sentiunt omnes, qui Deum rerum omnium auctorem agnoscunt; non tamen illi omnes religionem exercent. Sensus ille conjungi etiam potest cum manifesto Dei contemptu, cum quo certe sociari non potest religio.

Non potest provocari, ut fit, aut ad vocis derivationem a religando, ut dependendi sensus, aut ad ejusdem derivationem a relegendo, ut sola cogitatio religionem constituere dicatur. Hujusmodi enim primae nuncupationes saepissime aliquam rei partem aut aliquid ad eandem quomodocunque pertinens, non ipsam rei naturam designant.

6. Religio non est reponenda in solo desiderio et studio avertendi mala, obtinendi bona per precationes oblatas numini qualicunque. (*Bender*, Das Wesen der Religion. Bonn 1886, p. 191.) Nonnulli eorum, qui eam ita definiunt, numen illud cum viribus naturae sive adversae sive propitiae et benignae confundere solent, ut Dav. *Strauss* (Der alte und der neue Glaube, Bonn 1873, p. 98). Sed desiderium

illud et studium etiam aliunde non sufficit ad religionis indolem explicandam. Etenim solum illud desiderium, si reverentia excluditur, non est cultus delatus Deo propter ejus excellentiam infinitam ideoque caret religionis nota prima et praecipua. n. 4. Affinis est definitio illorum, qui religionem constituunt in hominis respectu et refugio ad Deum tamquam summe potentem, sive proxima confugiendi causa sit timor cujuscunque rei noxiae, sive desiderium rem quamcunque impetrandi. (Al. Em. *Biedermann*, Christl. Dogm., I. Bd., 2. Aufl., Berlin 1884, § 72. *Lipsius*, Dogmat. Leipz. 1879, § 20.) Hi omnes religionem deprimunt, pro Dei cultu statuentes commodum humanum. n. 3. Ulterius progressus est *Feuerbach*, cui religio est quaedam illusio naturalis, dum homo infirmitatis suae sibi conscius beatitudinem quandam sibi fingit in Deo et in caelo aliquando obtinendam. Ita errori error addi consuevit.

7. Neque definienda est religio via consequendi aeternam felicitatem. *Socinianis* „religio christiana est via patefacta divinitus vitam aeternam consequendi.“ Cat. Racov. q. 1. Definitio haec a Socinianis usurpata viam paravit definitionibus modo relatis, quae novis insuper erroribus abundant. Per religionis exercitium vita aeterna sane obtinetur; at hic religionis effectus vel etiam haec religionis proprietas, qua salutis viam constituit, non est ipsa religio nec primarium in religione. Religionis notio subsisteret, etsi ejus exercitium hominem ad aeternam felicitatem non perduceret.

De religionis notione multis modis perversa et corrupta vide *Denzinger*, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis I, p. 12. seqq.

§. VII. Religionis divisio.

18. I. Religio sensu latissimo accepta dividitur in *veram* et *falsam*. Verum et falsum formaliter spectata ad intellectum pertinent; unde religio proxime dicitur vera aut falsa, prout est in intellectu. Hoc sensu religio vera est veri Dei cultusque ei debiti cognitio. Ita loquuntur Apologetae, dum fidem christianam vocant solam religionem veram.

Sed quia verum et falsum rebus quoque tribuuntur, religio dicitur etiam vera aut falsa, imprimis prout ipsum cultum denotat. Unde vera religio est illa, qua verus Deus colitur et quidem modo, qui ei congruit vel debetur.

Pari modo verum et falsum dicuntur de illo doctrinarum et officiorum complexu, quo religionem objective spectatam constitui diximus. n. 15. Vera igitur est religio, quae Deum verum cultu ipsi debito colendum docet.

Ex adverso falsa formaliter est religio, quae nititur errore, dum pro Deo habetur et colitur, quod Deus non est, aut modo colitur, qui non est congruus. Priore ratione idololatria est falsa religio; altera ratione jam falsus est judaismus et, revelatione supposita, religio mere naturalis. Cf. Suarez de rel. tract. I, l. I, c. 2.

Frequens est apud Apologetas et Patres haec religionis in veram et falsam divisio. S. *Augustinus* librum „de vera religione“ inscribendo, ipso titulo insinuat, praeter religionem veram esse et falsas. *Lactantius* distinctis libris agit „de falsa

religione“ (Inst. l. 1), „de origine erroris“ (l. II), „de falsa sapientia“ (l. III), „de vera sapientia“ (l. IV), „de vero cultu“ (l. VI). Secundum *Justinum* fieri nequit, ut veram religionem (*τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν*) a Philosophis discamus. Cohort. ad Graec. n. 34.

Sunt qui rejiciant hanc religionis divisionem in veram et falsam; Max. *Müller* eam similem dicit illi, qua quis linguas divideret in propriam ipsius linguam et alienas vel qua Graecus linguas divideret in graecam et barbaras. (Introduction to the science of Religion. London 1871. p. 123. Einleitung in die vergleichende Religionswissenschaft. Strassburg 1876; p. 112). At similis nequaquam est. Linguae quum sint instrumenta, quibus homo cogitationes suas alteri aperiat, dividi sane possunt in instrumenta hoc vel illo modo, aptius aut minus apte finem attingentia; in veras et falsas dividi non possunt. At religio necessario involvit cognitionem Dei colendi et modi, quo coli velit aut debeat; omnis autem cognitio aut vera aut falsa est. Hominum voluntati commissum est, hac vel illa ratione cogitationes patefacere; hominum voluntati non est commissum, Deum constituere eumque modo quocunque colere.

Nequaquam synonyma sunt religio vera et propria, religio aliena et falsa. Etiamsi unusquisque religionem propriam censeret veram, religionem alienam falsam, inde non sequeretur, etiam in ordine objectivo religionem cujusque propriam esse veram, religionem alienam falsam.

19. II. Religio spectato ejus fundamento sive vinculo, quo homo Deo nectitur, dividitur in *naturalem* et *positivam*.

Naturalis est religio, quae constituitur illo solo vinculo, quod e creatione sequitur sive qua colitur Deus solum ut auctor naturae. Si Deus homini illa tantum bona contulisset, quae in ipsa creatione continentur, nec alia officia injunxisset, nisi quae lege naturali promulgantur, religio, quae e tali rerum ordine consequeretur, naturalis dicenda foret. Itaque religio naturalis non est, ut nonnulli volunt, illa quae complectitur solum id, quod omnibus religionibus etiam falsis et commune; neque illa, quam homo pro arbitrio sibi fingat vel constituat; neque demum illa, qua homo naturam pro Deo habeat et colat.

Positiva est religio, quae constituitur vinculo, quod saltem e parte inductum est libera Dei ordinatione sive actione, quae a creandi actu distinguitur. Religio positiva naturali religioni aliquid addit, saltem spectato obligandi modo, ut lex positiva aliquid addit legi naturali.

20. III. Religio naturalis aut tum substantia tum modo naturalis est, aut sola substantia naturalis, modo quo patefit, supernaturalis.

Religio quoad rem sive substantiam naturalis illa est, qua colitur Deus tantum ut auctor naturae et quidem illis tantum actibus et operibus, quae ipsa lege naturali praescribuntur. Quoad modum naturalis religio tunc dicitur, si Deus ut auctor naturae et insuper officiorum erga eum complexus naturali sive rationis tantum lumine innotescit.

Quoad modum supernaturalis est religio, si Deus et officiorum complexus non solo lumine naturali i. e. non tantum per creaturas, quae tamquam effectus ultimam earum causam demonstrant, homini innotescit, sed manifestatione speciali, quae libera Dei ordinatione ad manifestationem naturalem accedit.

21. IV. Religio potest esse positiva aut tantum propter cultum i. e. officiorum complexum positive determinatum, qui Deo ut *naturae auctori* debeatur, aut propter cultum, qui Deo debeatur tamquam *auctori gratiae*, i. e. bonorum gratis collatorum supra id, quod ordo creationis continet vel exigit.

Si Deus positive determinat modum, quo tamquam creator et hominis finis naturalis colendus sit, positiva constituitur religio, et positivo aliquo vinculo homo Deo connectitur. Attamen spectatis bonis, quorum largitor Deus exhibetur, naturalis in se ipsa dicenda esset religio.

Supernaturalis in se ipsa est religio, si non tantum novus constituitur officiorum complexus, sed Deus se exhibet largitorem novorum bonorum, quae videlicet nec creatione homini collata sunt nec spectata ejus natura ei debentur.

22. V. Religio spectatis bonis, quorum auctor exhibetur Deus, potest esse *supernaturalis* aut sensu tantum *lato*, aut sensu *stricto*.

Sensu lato supernaturalis esset religio, si complecteretur bona, quae quidem humanae, attamen non omnis creatae naturae exigentiam excedunt. Corporis immortalitas non competit homini. Si Deus ut corporalis quoque immortalitatis aliquando impertiendae auctor coleretur, supernaturalis sensu lato foret religio.

Sensu stricto supernaturalis est religio, qua colitur Deus ut largitor bonorum, quae omnis naturae creatae exigentiam excedunt. Hujusmodi bonum est visio Dei intuitiva; nulli enim creaturae debetur beatitudo, quae in Dei ipsius visione, nullo medio interjecto, consistat.

Bona largienda, quae tantum hominis, non omnis naturae creatae facultatem et exigentiam excedunt, vocari solent praeternaturalia, dum bona quae omnis creatae naturae facultatem et exigentiam excedunt, ut est visio Dei intuitiva, vocari solent absolute supernaturalia.

23. ***Scholion.*** „Religiones omnes positivas et revelatas esse aeque veras et aeque falsas“ ratiocinio hoc evincere nititur *Lessing*. Quilibet homo pro viribus suis profiteri tenetur religionem naturalem, qua videlicet Dei conceptum dignissimum efformamus et in omni actione prae oculis habemus. Quum autem homines viribus intelligentiae differant, quam primum religio communis exercenda est, requiritur ut de doctrinis et

officiis quibusdam conveniatur i. e. ut religio naturalis convertatur in positivam, quemadmodum et lex naturalis in societate convertitur in legem positivam. Haec religio positiva sancitur per ejusdem auctorem asserentem, partes positivas aeque certo originem debere Deo, videlicet revelanti easdem sibi, religionis auctori, ac partes naturales. Positivae religionis necessitas vocatur ejusdem veritas: unde quum omnis religio positiva hanc necessitatem affirmet, omnis religio positiva est aeque vera. Sed est etiam aeque falsa, tum quia omnis positivae religionis auctor falso affirmat a Deo se esse missum, tum quia quidquid religioni naturali additur, eandem laedit. Lessing's Werke, 14. Th. p. 219. Ueber die Entstehung der geoffenbarten Religion.

At quod in hac re est gravissimum, omnem religionis positivae auctorem gratuito sibi vendicare missionem divinam, id non supponendum, sed demonstrandum erat. Praeterea si hominum voluntate de religionis naturalis exercitio quaedam statuerentur, religio non esset dicenda positiva eo sensu, quo antea religionem diximus positivam e Dei quaedam statuentis vel determinantis voluntate, neque necessario esset falsa.

Caput I.

De religionis necessitate.

24. Tria demonstranda suscipimus: religionem aliquam esse absolute necessariam; religionis quae in se absolute necessaria est, formam non esse absolute necessariam; illam tamen formam, quae religio naturalis dicitur, in omni religione positiva necessario includi.

Ut inter legem ejusque promulgationem, ita etiam inter religionem ejusque manifestationem distinguendum est. Certus veritatum et officiorum complexus, quo homo ad Deum ordinatur, constituit religionem. De hujusmodi complexu, qualis sit aut esse possit, solo interim agendum. Naturalis religionis complexus manifestatur ipsa creatione. De positivae vel supernaturalis religionis manifestatione sive de revelatione postea agendum.

Articulus I.

De religionis alicujus necessitate absoluta.

25. Absolute necessarium intelligimus illud, quod e Dei natura et hominis sequitur. Huic autem naturali necessitati satisfieri potest religione sive naturali sive supernaturali. Aliud quippe est dicere, naturali necessitate requiri religionem aliquam; aliud, requiri religionem quae non sit nisi naturalis. Attamen si demonstratur, a natura ipsa requiri religionem aliquam, illud saltem sequitur, si Deus non instituerit religionem positivam vel supernaturalem, opus saltem esse religione naturali.

Religionis alicujus genuino sensu acceptae necessitatem proprie negant, spectatis saltem principiis, quotquot aut Dei veri et a mundo distincti existentiam aut saltem ejus providentiam negant, hinc non solum Athei, sed etiam Pantheistae omnesque, qui hunc mundum non libera creatione, sed necessaria evolutione e Deo prodiisse sentiunt. Non est hujus loci, contra illos Dei existentiam, contra istos ejusdem a mundi distinctionem primum demonstrare; utrumque enim in Philosophia demonstratum supponimus. Supposita autem existentia Dei entis supremi intelligentia et voluntate pollentis, continuo infertur, ens hoc, utpote summe perfectum, esse providum resque humanas curare; unde merito abstinemus a divina providentia demonstranda contra fatalismi et quosdam Deismi asseclas.

Adversarii contra quos religionis necessitatem e rationis humanae principiis tuemur, rationis vires exaggerare solent; ex eo autem minime sequitur, licere nobis ejusdem limites non attendere. Admittimus et ratiocinando ostendemus, verum esse quod s. *Thomas* docet: „De dictamine rationis naturalis est, quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam.“ S. 2, 2, q. 81, a. 2, ad 3. Qua autem vel facilitate vel difficultate quum de singulis rebus huc pertinentibus agitur, ratio humana quid sit verum quid falsum, deprehendat, id alio loco disputandum est. Affinis est quaestio, an quod ratio naturalis faciendum judicat, voluntas sine speciali Dei auxilio possit velle

et exequi ita, ut in nullo deficiat, sive an ad actum religionis naturalem requiratur gratia. Sufficit hoc loco demonstrare, hominem ad aliquod religionis exercitium obligari; quatenus per naturales suas vires officio huic satisfacere possit, quatenus speciali indigeat auxilio, suo loco expendendum est. Quum homo libero gaudeat arbitrio, certum est, eum non omni honeste agendi Deumque colendi potestate carere.

Religionis necessitas demonstrari ex omnibus illis fontibus potest, e quibus demonstratur obligatio Deum colendi. Exhibemus praecipuos.

Propositio I. *Deo, spectata ejus excellentia, debetur cultus sive honor specialis; unde religio sensu maxime proprio intellecta est necessaria.*

26. Ut demonstretur, religionem sensu maxime proprio acceptam necessariam esse, sufficit demonstrare, requiri actus, quibus Dei cultus intendatur; necesse non est demonstrare, actus illos debere esse actus religionis proprios; sufficit, si a religione sint imperati. n. 6.

Probatur 1. *e Dei excellentia in se spectata.* Necessarium est illud, sine quo rectus ordo non subsisteret. Is non subsisteret, si homo infinitam Dei excellentiam sive omnium perfectionum cumulum non agnosceret, non praedicaret, se eidem non submitteret, i. e. Deum non coleret. Rectus enim ordo exigit, ut omnia suo loco subsistant, hinc ut res imperfectiores perfectioribus, inanimatae animatis, creaturae irrationales rationalibus submittantur atque ita harum praestantiam agnoscant et fateantur. Quod autem creaturae irrationales necessario praestant, id ab homine libere praestandum est, quum omne ens pro natura sua agere debeat. Ergo rectus ordo exigit, ut homo Dei excellentiae, quae omnino singularis est, singularem exhibeat submissionem, honorem et cultum.

E numinis excellentia ita argumentatur *Cicero:* „At est eorum (deorum) eximia quaedam praestansque natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem.“ De nat. deor. I, 41.

2. *e Dei excellentia ut principii rationem includente.* Etsi divina excellentia in se sola spectata cultum a nobis exigat, apertius tamen haec Deum colendi necessitas exurgit ex eo, quod ipse est hominis principium. Si enim pater eminet prae filio, longe magis creator eminet prae creatura, quam non solum e nihilo produxit, sed continuo conservat. Porro quum infinita excellentia ob se solam agnoscenda sit et colenda, amplior etiam colendi ratio e nova hac et hominem respeciente excellentia accedit. Et vero, si naturale praeceptum est honorare parentes, multo magis naturale praeceptum est honorare Deum et quidem cultu omnino speciali, qui ei ut ultimo rerum omnium principio deferatur.

De hoc ad primum principium respectu agens s. *Thomas* ita concludit: „Hinc est etiam, quod religio nomen accepit pietatis. Nam pietas est, per quam honorem debitum parentibus impendimus; unde convenienter quod Deo parenti omnium honor exhibetur, pietatis esse videtur; propter quod qui his, quae ad divinum cultum pertinent, adversantur, impii dicuntur.“ Contra gent. l. III. c. 119.

3. *e Dei excellentia ut supremi domini rationem includente.* Deus non solum hominis auctor est, sed etiam supremus dominus. Nova est haec ratio et a prioribus distincta; dominium enim concipitur etiam in illo, qui non est rei auctor, et auctor esse potest qui futurus non est dominus. Dominium porro novus est reverentiae, quam potissimum submissio attestatur, titulus; omne enim dominium excellentiam involvit et excessum. Atque ipse etiam Deus his rationibus ad sui cultum et reverentiam provocare legitur. „Filius honorat patrem, et servus dominum suum; si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus?“ Mal. 1, 6. Cf. *Suarez* de rel. tr. I, l. I, c. 4.

De hoc cultus divini titulo ita s. *Thomas:* „Quia Deus non solum est nostri esse causa et principium, sed totum nostrum esse in potestate ipsius est; et totum quod in nobis est, ipsi debemus, ac per hoc, quod vere Dominus noster est, id quod in Dei honorem exhibemus, servitium dicitur. Est autem Deus Dominus non per accidens, sicut omnis homo, sed per naturam; ideo aliter debetur servitium Deo, et aliter homini, cui per accidens subditur, et qui habet aliquod particulare in rebus dominium, et id a Deo derivatur. Unde servitium quod debetur Deo, specialiter apud Graecos latria vocatur.“ Cont. gent. l. III, c. 119.

27. *Objectio solvitur.* Inane esset dicere, e cultu quem impendit homo, nullum commodum accedere Deo ac proinde non exigi cultum. Non enim ob commodum quodcunque suum, sed ideo exigit cultum Deus, quia rectus ordo eum postulat; quod autem rectus ordo exigit, id etiam sapientia et sanctitas divina exigit, quae est ipse infinitus ordinis amor. Commodum si spectetur, non Deo, sed homini Dei cultus utilis est. Omni enim naturae utile est, ut suo constituatur loco. Valet hic, quod proxime de sacrificiis agens scribit s. *Augustinus:* „Non solum pecore, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, sed ne ipsa quidem justitia hominis Deus egere credendus est, totumque quod recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit.“ De civit. X, 5.

Propositio 2. *Religionis ut vinculi cum Deo nectendi necessitas sequitur ex ultimi finis, qui Deus est, ratione.*

28. Cultu, de quo egimus, exhibito homo certe cum Deo, quem respicit, conjungitur ratione aliqua; sensu tamen magis proprio magisque explicite cum Deo tunc conjungitur, si eum ut finem suum ultimum spectat, appetit et quaerit. Finis enim ut omne bonum conjunctione possidetur; unde quot modis ad finem illum possidendum homo enititur, tot modis vinculum nectit; pariter quot rationibus ad finem suum ultimum, qui Deus est, prosequendum tenetur, tot rationibus ad religionem exercendam sive vinculum illud nectendum obligatur.

Probatur 1. *e necessitate Deum finem ultimum respiciendi.* Homo ut finem suum ultimum, qui est beatitudo, assequatur, necesse imprimis est, ut ad eam se ordinet atque disponat. Beati-

tudo enim est ultima naturae humanae perfectio; haec autem saltem non ita ei debita est, ut absque suo labore eam attingat; nec frustra collatae ei sunt operandi facultates, sed collatae ideo sunt, ut earum usu ad ultimam perfectionem finemque suum se disponat. Homo autem ad beatitudinem tunc solum sese potest disponere, si, in quo consistat, novit; a natura enim perfectionis obtinendae determinatur dispositionis modus, sicuti juxta naturam formae inducendae alia est materiae praeparatio. Unde imprimis requiritur, ut homo norit, in Dei possessione constitutam esse ultimam suam perfectionem, i. e. beatitudinem, finemque ultimum. Neque sufficit id nosse; requiritur etiam, ut ita se disponere velit, prout ultimi finis et beatitudinis natura exigit. Unde ultimi finis natura norma est, juxta quam homo voluntatem suam dirigat. Sed eo ipso, quod hanc normam respicit eique se conformare intendit, homo Deo fini suo ultimo se alligat religionisque aliquod vinculum nectit. Ille enim ad Deum ut finem respectus illaque cum Deo ut ultima norma conformatio est quaedam excellentiae infinitae agnitio et reverentia cum sui ipsius submissione conjuncta, et quamdiu homo in Deo non respicit rationem hanc specialem excellentiae infinitae et dominii supremi, non se ordinat ad ipsum eo quo tenetur modo. Cf. s. *Thom.* 1, 2, q. 4, a. 4. Id. 2, 2, q. 81, a. 1, ad 3.

2. *e necessitate postulandi auxilia et gratias agendi.* Homo obligatur ad orandum i. e. ad petenda, quibus ad finem ultimum promovetur et contra salutis pericula munitur. Nam tenetur ad desiderium efficax obtinendi finem ultimum. Desiderium autem efficax non tantum ad vires suas proprias intendendas, sed potissimum etiam ad auxilium divinum implorandum impellit, quum ab hoc auxilio non minus, imo etiam magis dependeat finis assecutio, quam a conatu et labore proprio. Divina enim providentia res ita ordinavit, ut aliis auxiliis ultro oblatis hominem praeveniat, alia conferenda decreverit ea conditione, ut homo suae infirmitatis conscius, eorum desiderium oratione quasi interprete exprimat. Hinc illae hominis in periculis constituti supplicationes natura duce et magistra erumpentes. Nulla autem re apertius et quasi visibilius homo Deo se conjungit religionisque vinculum nectit, quam illo ad Deum ut finem suum recursu et auxiliorum petitione; haec est enim divinae excellentiae et propriae infirmitatis attestatio opere ipso exhibita. S. *Thom.* 2, 2, q. 83, a. 2.

Ut beneficia petenda, ita pro acceptis gratiae agendae. Quod enim officii genus, ipsa natura docente, reddendum est parentibus

aliisque, qui beneficiis nos affecerunt, multo magis id praestandum est summo omnium parenti Deo. Ipsa etiam natura populos visa est docere, gratias Deo esse reddendas pro beneficiis acceptis: passim enim oblationibus frugum aliarumque rerum praesertim primitiarum Deum bonorum omnium auctorem agnoverunt et gratum suum animum eidem testati sunt. Ut beneficiorum petitio, ita etiam haec pro acceptis gratiarum actio divinae excellentiae professio est.

Quandoque hujusmodi oblationes in sacrificium abibant, quo idem gratus animus declararetur simulque, quod sacrificii proprium est, supremum Dei in res omnes dominium significaretur. Dominium hoc supremum tunc significabatur, quum res oblata speciali ritu mactabatur vel destruebatur. *Suarez* de Rel. tr. II, l. I, c. 3, n. 5.

Beneficia petendi et pro acceptis gratias agendi obligationem negarunt illi soli, qui omnia tribuunt fato sive qui Deum bonorum auctorem negant. Inter hos sunt Buddhismi asseclae, negantes de rerum origine quidquam sciri posse. Unde merito concluditur, Buddhismo religionis sive systematis religiosi nomen minime competere. cf. infra l. II, c. III. art. I.

3. *e necessitate poenitendi.* Quandoque homo ad poenitentiae actum obligatur, tunc videlicet quum a Deo fine suo sese peccando avertit. Si enim injuria, quae illata est homini, compensanda est; si delicti venia, ut ira deponatur et pristina amicitia restituatur, roganda est: multo magis Dei jus per peccata laesum reparandum, ira justa placanda, venia roganda. (*Suarez* de rel. tract. II, l. I, c. 2.) Hac autem poenitentia religionis vinculum pristinum, quod si non penitus, magna tamen ex parte abruptum erat, redintegratur, atque ita fit illud, unde s. Augustinus religionis nomen derivat dicens: „Ipse fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendamus, ut perveniendo quiescamus; ideo beati, quia illo fine perfecti.“ De civit. X, 3, n. 2. Homo enim quum delicti veniam rogat, Dei justitiam et excellentiam reveretur ejusque imperio se denuo submittit.

Propositio 3. *Spectato Deo supremo legislatore religio necessaria est ut illorum, quae a Deo per legem saltem naturalem imponuntur, exercitium.*

29. Praemittenda sunt pauca de lege et de conscientia.

Actiones, quibus homo Deum colit aut ut finem suum attingit, hactenus uno tantum sub respectu consideravimus, prout nimirum creaturae ad Deum relatae sive rectae ejusdem habitudini ad Deum divinasque perfectiones ita congruunt, ut, si

non exerceantur, ordo debitus tollatur. Propter hanc cum infinitis Dei perfectionibus convenientiam positivam easdem exigi diximus. At vero obligationis radicem quidem et fundamentum, non ipsum formalem obligationem hisce indicavimus. Plena et perfecta obligatio a Dei lege repetenda est.

Est autem *lex* ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata. S. *Thom.* 1, 2, q. 90, a. 4. Ordinatio hujusmodi efficax duos in legislatore actus involvit, alterum rationis, quo quid expediat, prospicit, voluntatis alterum, quo obligat, ut, quod expedit, fiat. Deus igitur legislator supremus actiones illas, quae naturae rationali ita conveniunt, ut absque defectu omitti non possint, praecepit, alias, quae eidem repugnant, prohibuit. Ordinatio haec, prout in Deo existit sive una eademque est cum Dei voluntate sanctissima ordinis necessario amante, vocatur *lex aeterna;* prout in natura humana recipitur et ipsa ratione innotescit et promulgatur, *lex naturalis* vocatur. Ad rem s. *Thomas:* „Lex cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante et mensurante, alio modo sicut in regulato et mensurato .... Unde patet, quod lex naturalis nihil est aliud quam participatio legis aeternae in rationali creatura.“ S. 1, 2, q. 91, a. 2. Differunt igitur lex aeterna et lex naturalis ut causa et effectus. Aliis verbis: Deus legis naturalis auctor est; subjectum in quo viget, est homo; praeco, qui promulgat, ratio humana; objectum circa quod versatur, sunt viae ad finem naturaliter spectantes sive actiones per se cum hominis natura rationali, prout ad Deum refertur, convenientes aut pugnantes. Et quidem quae positive conveniunt sic ut exigantur, per legem naturalem praescribuntur; quae ita conveniunt, ut hominem quidem perficiant, non tamen exigantur, suadentur; quae negative conveniunt sive non repugnant, permittuntur; quae repugnant, prohibentur. S. *Thom.* 1, 2, q. 94, a. 1 et 2. *Suarez* de leg. l. II, c. 5. Wirceburg. tr. de leg. c. 1.

Conscientia est actus rationis, quo principia communia ad actiones nostras particulares applicamus. Supponit igitur legem legisque principia, atque ex his conclusiones infert particulares. S. *Thom.* 1, q. 79, a. 12 et 13.

Latius tamen patet quam lex naturalis: nam etiam legem positivam sive divinam sive humanam eodem modo applicat ad opera particularia; imo non tantum legem veram, sed etiam legem existimatam. Unde est quod existit conscientia erronea vel falsa, quum lex divina falsa esse non possit. Ut enim ratio theoretica e principiis tum veris tum falsis concludit, ita etiam ratio practica e legibus tum quae sunt tum quae esse tantum existimantur, concludere et quidem recte aut male potest. Demum lex fertur de agendis, conscientia autem versatur etiam circa illa quae facta sunt, accusando, testando, defendendo. *Suarez* de leg. l. II, c. 5, n. 15.

30. Pars I. Existit lex naturalis a Deo auctore naturae lata et per rationem promulgata, qua quae naturae humanae repugnant, prohibentur et quae ei necessariam ad finem ultimum dispositionem conferunt, praecipiuntur.

Probatur 1. *e Deo ut hominis auctore et rectore.* Deus naturae humanae auctor et providus rector non potest non velle, ut homo illa, quae ad finem necessario ei praestitutum requiruntur, faciat, quae a fine abducunt, evitet; insuper ut haec necessaria ordinatio innotescat homini. Quum enim hominem destinaverit ad beatitudinem in Deo sitam eumque qua providus ad finem illum dirigat, qua sapiens et sanctus necessario vult et qua rector

etiam necessario pro auctoritate praecipit, ut homo subsidia necessaria usurpet, noxia declinet; et quum praeterea necessario velit, ut qua rector sapiens et sanctus ab homine rationali agnoscatur, hinc fit, ut ratio humana necessario judicet, illa quae naturae humanae conveniunt, a Deo etiam praecepta, quae repugnant, a Deo prohibita esse. Sed illa ordinatio, qua quae naturae conveniunt aut repugnant, eo ipso praecipiuntur aut prohibentur, constituit legem et quidem ipsi naturae inditam; et rationis judicium, quo illa praecepta, haec prohibita declarantur, constituit legis promulgationem ipsa ratione factam. Constat igitur, esse legem naturalem, utpote naturae insitam et naturali ratione promulgatam, cujus auctor Deus est. *Suarez* de leg. l. II, c. 6.

2. *e conscientia testante obligationem.* Experientia teste omnes homines actiones quasdam bonas et praeceptas, alias malas et prohibitas judicant. Patet id ex eo, quod suprema quaedam moralitatis principia admittuntur ab omnibus, quod actiones alias ut honestas laudant, alias ut inhonestas condemnant, quod conscientia propria eos post alias actiones absolvit, post alias accusat. Et quamvis quum de principiis ad actiones applicandis agitur, saepe errent, ipsa tamen applicatio ostendit, supponi ab eis aliqua principia applicanda; et quamvis in ipsis principiis remotioribus vel minus universalibus errent, ipse hic error ostendit, supponi ab eis, aliqua vera principia existere. Omnes saltem in hoc, licet non in hoc solo, conveniunt principio maxime universali: bonum esse faciendum, malum esse vitandum. S. *Thom.* 1, 2, q. 94, a. 4. Jam vero haec tam universalis persuasio supponit legem, de qua agimus. Conscientia enim et rationis judicium actiones malas non tantum ut naturae rationali quomodocunque repugnantes exhibet, sed etiam ut prohibitas, et ut tales, quae culpam inducant et poenam mereantur. Prohibitio autem, culpa et vindicta involvunt legem et legislatorem.

3. *ex impossibiltate obligationem aliunde repetendi.* Non ipsa ratio humana legislatoris munere fungi dicenda est. Legislator enim superior illo est, quem praecepto ligat; ratio autem non homine nec scipsa superior est. Et vero, nulla sensu proprio est obligatio, quam mihi ipsi impono, nisi alius sit, qui me obliget ad servandum, quod statui aut promisi, ut fit in voto, quod ideo obligat, quia Deus ratum habuit. — Neque societas humana munere illo me obligandi fungitur. Haec enim non attingit actiones quasdam, quae in lucem non prodeunt, quas tamen prohiberi conscientia testatur. Imo, etiamsi societas humana vel princeps actiones

quasdam imperaret, ut innocentis occisionem vel mendacium, ratio tamen illas judicaret illicitas et prohibitas. Quod autem a ratione judicatur prohibitum, licet a potestate quacunque humana suadeatur vel praecipiatur, id voluntate divina prohibitum est.

Neque aliud docet Apostolus scribens: „Quum gentes quae legem non habent. naturaliter ea quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.“ Rom. 2, 14. Naturam enim rationalem non exhibet ut ipsam legem vel ultimum legis fundamentum, sed ut legis praeconem; unde continuo explicans addit: „qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum . . .“

31. Si causa ulterior quaeritur, cur quod naturae humanae adversatur, a Deo etiam prohibitum, quod ab ea exigitur. a Deo imperatum judicetur, facile respondetur. Homo enim Deum necessario judicat providum generis humani rectorem, sapientem et ordinis amantem; ergo etiam necessario judicat, quod rectum ordinem laedit, a Deo non tantum odio haberi, sed etiam prohiberi et puniri. Nullus enim communior et magis obvius est Dei conceptus, quam supremi domini omniumque rectoris; unde sicuti servus, quum laesi ordinis sese reum vel id quod servi conditioni repugnat, se commisisse novit, eo ipso etiam heri mandatum infregisse poenamque meruisse novit, ita etiam homo, quum actionis quae hominis naturae adversatur, se reum novit, etiam legis divinae violatorem se agnoscit. Et vero, alio modo peccatum, v. g. mendacium, dissonum est naturae divinae, alio modo naturae humanae. Naturae divinae dissonum est peccatum ut absolutae et e nemine pendenti: naturae humanae dissonum est ut creatae et Deo submissae. Peccatum quod creaturae sive Dei operi ejusque providentiae submisso dissonum est, natura sua etiam a Deo sive lege divina prohibitum est; peccatum dissonum naturae, quae nemini submissa est, prohibitum a quopiam esse non potest, quum prohibitio legem supponat, Deus autem legi submissus esse non possit.

Quod diximus, hominem qui actionem aliquam naturae rationali graviter adversari percipit, eandem eo ipso a Deo etiam prohibitam judicare, impugnari tantum posset supponendo, esse homines, qui dum actionis cum natura rationali pugnam advertunt, Deum esse invincibiliter ignorent. Verum ista hypothesis in hoc providentiae ordine admitti nequit; unde dicendum, hominem, qui rationis usu ita pollet, ut actionis cum natura rationali pugnam advertat, Dei etiam cognitione imbutum esse et ipsa illa pugna de Dei legislatoris existentia admoneri. n. 30. 35. cf. *Viva,* Thes. damn. Alex. VIII. an. 1690. Prop. 2, de peccato philos.

32. Pars II. Lege hac naturali Deus sibi hominem obstringit vinculo sanctissimo, amplissimo, efficacissimo; unde novum constituitur religionis fundamentum.

Probatur 1. *Sanctissimum est* vinculum, quod ipsa Dei voluntate nititur. At tale est vinculum, quod lege naturali nectitur: haec enim est ipsa Dei voluntas. Unde fit, ut illa Deum colendi necessitas, quam antea e Dei excellentia et Deo fine ultimo deduximus, non sit mera necessitas e sola rerum natura profluens, sed vera obligatio a Dei voluntate imposita. Quod enim in rerum natura fundatur, id a lege naturali, hinc a Deo naturae auctore

ipso imponitur: verbo, religio necessaria est, quia lege naturali ideoque Dei voluntate aliquis Dei cultus praecipitur.

2. Vinculum constituitur *amplissimum*. Lege enim naturali non illa tantum, quae Dei cultum per se spectant aut eidem adversantur, homini imperantur aut interdicuntur, sed omnes omnino actiones aliqua saltem ratione attinguntur. Homo enim in omni opere saltem illud quaerere debet, sitne licitum, sitne praescriptum, sitne prohibitum. Hinc autem fit, ut semper Dei imperio se submissum sentiat et obedientiam Deo debitam hac saltem ratione exerceat, ut eam non praetergrediatur. Porro continuus hic ad Deum legislatorem respectus divinae excellentiae agnitionem virtute continet, quum ultima obediendi ratio e Dei eminentia ac supremo dominio repetatur. Quam igitur necessario est haec erga Deum legis naturalis auctorem obedientia amplissima, tam necessaria est religio sive vinculum, quod homo naturalis legis praecepta implendo inter se Deumque nectit.

3. *Efficacissimum* pariter est vinculum, quo Deus ut legislator sibi hominem obstringit, poena videlicet statuta legis transgressioni, praemio legis observationi. Ut enim omnis legislator sapiens legis observationem sanctione urget, ita etiam Deus ad legis suae observationem praemiis allicere, legis violationem poenis tum praevenire tum vindicare censendus est; praemiorum enim spe et timore poenae homo quam maxime movetur. Sed illa spe et timore isto homo novo modo ad Deum ordinatur et religionis vinculo obstringitur, quum sperando et timendo Dei excellentiam et dominationem agnoscat ac revereatur.

Propositio 4. *Religio, quam necessariam esse demonstravimus, praeter cultum internum etiam externum, imo et publicum complectitur.*

33. Pars. I. Cultus externus est necessarius.

Mere internus cultus ille est, qui actibus tantum internis exercetur. Unde qui ei opponitur cultus externus ille est, qui praeter actus internos comprehendit externos. Cultus externus intelligendus non est cultus, qui solis actionibus externis exerceatur; hujusmodi cultus non esset verus, sed fictus, quum signa adhibita carerent significatione. Et vero, externa honoris signa non constituunt honorem externum, si non adhibentur ad significandam aestimationem, quae mente foveatur. Non tamen haec signa ideo necessaria sunt, ut Deo per ea innotescat cultus noster internus; necessaria sunt, quia, ut ostendemus, e cultus ipsius natura, hominis indole et ad societatem respectu requiruntur.

Dicendum porro non est, omnem Dei cultum debere esse externum. Sufficit, ut homo praeceptum illud affirmativum, sua de Deo sensa manifestandi, pro loco et tempore impleat. Cultum externum rejiciunt aut vilipendunt, quotquot religionem in cognitione sola aut in solo pio sensu constituunt, imprimis Deismi, Rationalismi et Pantheismi sectatores.

Probatur 1. *rationibus iisdem quae cultum generatim exigunt.* Omnes rationes, quae evincunt, deferendum Deo esse cultum, pariter etiam ostendunt, hunc cultum quandoque saltem esse debere externum.

a. Colendus est Deus, quia et quatenus infinita sua excellentia praestat homine. Sed homine praestat non tantum ut anima, sed ut anima et corpore constante; ergo ab homine ut anima et corpore constante Dei excellentia agnoscenda eique obsequium exhibendum est. Et vero, potest quidem homo solo intellectu Dei excellentiam agnoscere, sola voluntate se totum i. e. se ut anima et corpore compositum eidem submittere; sed quamdiu sola voluntate se suasque facultates omnes ei submittit, se quidem *totum*, non autem se *totus* submittit. Plenum autem obsequium exigit, ut praestetur per hominem i. e. per compositum ex anima et corpore; et quamdiu non praestatur per hominem totum, non defertur obsequium tam amplum quam debetur.

b. Colendus ab homine est Deus, quatenus rerum omnium est principium et finis. Atqui non solius animae, sed etiam corporis aliquo modo est finis, saltem quatenus etiam corpus in Dei gloriam est conditum; ergo tum anima tum corpore Deus ut principium et finis est agnoscendus et colendus.

c. Demum colendum esse Deum diximus, quia supremus est Dominus. Non in animam solam, sed etiam in corpus exercet illud dominium; unde Deo, cui pro sua natura, quia spiritus est, spiritualis sive internus congruit cultus (Joan. 4, 24), ab homine, qui anima et corpore constat, internus simul et externus deferendus est cultus.

2. *e natura hominis.* In homine ipso est ratio, cur interno cultui jungat externum. Imprimis quum honor sit in honorante, reddendus est ut pro honorantis conditione, ita pro ejusdem natura. Homo autem non sola anima, sed et corpore constat; ergo ut qua homo Deum honoret, etiam externum sive sensibilem cultum deferat necesse est. Praeterea externus corporis habitus imprimis reverentiae internae solet esse indicium naturale et effectus, ita ut, quemadmodum alia sensa praesertim vividiora homo prodere solet externe, etiam internam reverentiam quasi sponte signis externis exprimat. Dein externus corporis habitus multum juvare solet internam animi compositionem. Consentaneum igitur est, ut homo adminiculis externis internum foveat reverentiae affectum. Inde est, quod apud gentes omnes adhibita legimus externa quaedam reverentiae signa et adminicula, quum alii orarent erecti,

alii prostrati, alii expansis vel levatis in altum brachiis, alii complicatis et, supplicum more, quasi ligatis manibus. Quod autem a natura insitum est homini et a natura exigitur, id a naturae auctore ei inditum est. Hinc naturae humanae externum cultum exigentis vox ipsius Dei vox est.

Unde s. *Thomas:* „Exercentur ab hominibus quaedum sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent in divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus; quae non fiunt quasi Deus his indigeat, qui omnia novit et cujus voluntas est immutabilis, et affectum mentis et etiam motum corporis non propter se acceptat; sed propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio dirigatur in Deum et affectio accendatur; simul etiam per hoc Deum profitemur animae et corporis auctorem, cui et spiritualia et corporalia obsequia exhibemus." Cont. gent. III, c. 119. Hinc merito addit s. Thomas, sine cultu externo non fore in homine religionem sensu pleno acceptam, quia videlicet non se totum ligaret Deo.

3. *e respectu ad alios.* Propter hominis ad alios respectum cultus exigitur externus. Imperfectus et minutus esset cultus, quo homo Dei majestatem praedicaret et laudaret coram Deo, non agnosceret coram hominibus. Quum enim infinitus sit Deus, omni modo colendus, et quum bonam quam de homine fovemus opinionem, propalare soleamus coram aliis, ipsa natura nos docet, ut quod homini impendimus, non subtrahamus Deo. Imo quo magis nos ipsi Deum colendum ducimus, eo magis etiam ut ab aliis colatur optabimus atque ita ad eum colendum alios nostro exemplo provocabimus. Unde monuit Christus: „Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est". Mtth. 5, 16. Denique ut homo tamquam interni cultus adminiculo cultu indiget externo, qui corpore exerceatur, ob eandem causam cultu indiget exercito per alios, ut ipse ad Deum colendum excitetur.

34. Pars II. Cultus publicus est necessarius.

Ut cultui interno externus, ita privato publicus opponitur. Publicus cultus ille est, qui a communitate aut communitatis nomine aut saltem ab individuo ut societatis membro exhibetur. Unde ut cultus externus in publicum abeat, respectus ad societatem eidem addatur necesse est. Cultum publicum omnem rejiciunt quotquot societatem volunt atheam sive qui religionem nonnisi inter „res privatas" recensendam esse dictitant.

Probatur 1. *applicando rationes allatas.* Rationes, quae cultum externum postulant, demonstrant eundem saltem quandoque publice esse exercendum, quia quod de corpore diximus, ad societatem applicandum est. Deus, ut diximus, colendus est actionibus etiam externis, quia homo anima et corpore ex eo pendet ejusque dominio subjectus est. At etiam qua pars societatis e Deo pendet eique

submissus est. Nam ut Deus animae et corporis, ita etiam societatis humanae conditor est et rector, quia hominem creavit socialem et societatem humanam gubernat legibus, quas singulorum cordibus indidit. Ut homo Deo pro beneficiis acceptis non plene persolveret gratias debitas, si actionibus externis eundem non coleret, ita pariter nec debito modo gratus esset Deo, si non ut in societate constitutus gratias persolveret pro beneficiis, quae ut in societate constitutus a Deo accepit.

2. *e praepositorum et subditorum mutuo respectu.* Singulorum vita socialis non potest esse qualis esse debet, nisi a singulis ut societatis membris cultus aliquis exhibeatur. Omnibus, qui in societate sive domestica sive herili sive civili vivunt, incumbit obligatio obedientiam praestandi illi, qui praeest et legitime praecipit. At haec obedientia modo debito praestari non potest, nisi simul Deus palam honoretur et quidem qua societatis auctor et ultimum fundamentum. Obedientia enim homini, qui praeest, ideo praestanda est, quia a Deo, ordinis auctore, potestas praecipiendi ut fonte ultimo descendit secundum illud Apostoli: „Non est potestas nisi a Deo". Rom. 13, 1. Pariter qui praeest, modo debito praecipere non potest, nisi se a Deo potestate praecipiendi donatum agnoscat eaque utatur non in suum, sed in aliorum aut saltem communitatis commodum, ac proinde fines et ambitum potestatis sibi commissae non excedat, secundum illud: „Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei . . . ut in omnibus honorificetur Deus". 1. Pet. 4, 10. 11. Cf. s. *Thom.* 1, q. 96, a. 4. Quod autem agnoscere debent praepositi, ut recte possint praecipere, et subditi, ut recte obediant, id etiam ipsa praecipiendi et obediendi ratione palam exprimendum est et exprimitur, quam primum recte praecipitur et obeditur. Porro haec virtualis saltem attestatio, qua omnes Deum societatis auctorem agnoscunt, continet cultum quendam publicum. Sicuti igitur, ut antea ostendimus (Prop. 3), lex naturalis universe observari non potest, nisi simul colatur Deus, ita eadem lex prout societatem spectat, observari non potest, nisi cultu aliquo publico exhibito. Unde sequitur, cultum publicum omnem aboleri non posse nisi abolita prius aut societate aut divina societatis origine.

3. *e societatis indigentia.* Cultus publicus necessarius est, quia societas sine aliquo religionis publico exercitio existere non potest. Quum autem Deus societatem esse velit ac proinde can-

dem usurpare velit illa, sine quibus esse nequit, societatis illa indigentia demonstrat, Dei mandato societatem adstringi ad publicum cultum exercendum. — Societatem sine aliquo religionis exercitio publico esse non posse, ex eo liquet, quod, ut ostendimus, nec imperandi potestas debito modo exerceri, nec obedientia praestari sine aliqua religionis professione potest. Praeterea nisi singuli Deum agnoscant auctorem et fontem ultimum illarum legum, quibus vita socialis regitur et securitas publica munitur, vis earum exigua erit. Sanctio etiam humana, qua earum executio urgetur, carebit effectu, nisi singuli moveantur sanctione aeterna, quam Deus societatis auctor iisdem addit. Experientia ipsa testatur, societatem eo magis in periculum adduci, quo magis cultu publico represso societas se atheam profitetur. Cf. S. *Thom.* Sup. Boëth. de trin. l. I, a. 2. Sum. 2, 2, q. 81. Raph. de la *Torre* in s. Thom. tom. I, q. 81. *Suarez* de Sacram. disp. 73, s. 8. De relig. tract. II, l. I, c. 1.

Propositio 5. *Religionis cultum etiam publicum complectentis necessitas confirmatur populorum consensu, naturae humanae interprete.*

35. Quod de Dei notitia, id etiam de religionis sive Deum colendi necessitate dicendum est. Duplice modo Deus ab homine lumine naturali cognoscitur. Altera cognitio demonstratione legitima et philosophica nititur, quum ex effectibus infertur causa prima et absolute sufficiens, quam intelligentia et voluntate pollentem infiniteque perfectam esse demonstratur. Altera et ipsa quidem illatione et discursu nititur, minus tamen explicito, sed obvio et confuso; quum ipsa natura rationalis ad hunc discursum obvium necessario impellat. Dei cognitio ita parta dici potest naturalis et innata. De hac cognitione ita s. *Augustinus:* „Haec est vis verae divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.“ In Joan. tract. 106, n. 4. Jam simili modo religionis necessitas cognoscitur. Ex Dei entis supremi, principii et finis, summi legislatoris existentia philosophice demonstratur eundem colendi obligatio sive religionis necessitas: hac via in praecedentibus usi sumus. Sed eadem obligatio et necessitas infertur obvio illo, quem diximus, discursu, ad quem natura ipsa hominem quemlibet scientia quamvis carentem impellit. Unde secundum s. *Thomam* homo „etiam quodam naturali instinctu se obligatum sentit Deo, ut suo modo ei reverentiam impendat.“ Cont. gent. III, c. 119. Spectato originis ordine, tum Dei existentis tum Dei colendi cognitio naturalis et confusa evolutam et philosophicam sane praecedit. De evoluta et philosophica cognitione ideo prius agendum duximus, ut postea sponte pateret, obviam et confusam iisdem argumentis inniti licet minus clare perceptis.

De duobus constet necesse est: populorum fuisse sententiam communem, qua judicarent, numen esse colendum, et hoc judicium esse veritatis argumentum.

36. Pars I. Populis omnibus persuasum fuisse, cultum divinitati esse exhibendum, non minus certum est quam eosdem censuisse,

esse numen aliquod aut deos; huic enim opinioni continuo accedebat altera de cultus exhibendi necessitate.

Probatur 1. *ex historia numinum.* Historia quod de gentium diis refert, id fere totum hausit e cultu eisdem publice delato. Jovem aut Mercurium deos habitos fuisse apud Romanos, innotuit ex hoc, quod coli conspiciebantur. Idem dicendum de aliarum gentium diis. Ipsa deorum nomina non raro simul indicabant cultum, quum a beneficiis acceptis aut sperandis imposita essent.

Quod asserimus, testabantur pagani illi, qui a Christianis incusati, quod deorum dona cum diis confunderent, narrante s. Augustino ita respondebant: „Usque adeone majores nostros insipientes fuisse credendum est, ut haec nescirent munera divina esse, non deos? Sed quoniam sciebant, nemini talia nisi aliquo deo largiente concedi, quorum deorum nomina non inveniebant, earum rerum nominibus appellabant deos, quas ab eis sentiebant dari, aliqua vocabula inde flectentes, sicut a bello Bellonam, sicut a segetibus Segetiam, sicut a pomis Pomonam; aut certe nulla vocabuli declinatione, sicut res ipsae nominantur, ut Pecunia dicta est dea, quae dat pecuniam." De civ. IV, 24.

2. *e monumentis cultus indicibus.* Apud populos omnes deprehendimus templa, altaria, sacrificia, sacerdotes. At haec omnia respiciunt cultum, nec privatum tantum, sed publicum. Porro omnes ad cultum illum aliqua ratione exercendum obligabantur, et saepe quidem poena gravissima. Athei vocabantur, qui abstinebant, ut Athei a gentilibus vocabantur Christiani.

3. *e legislatorum et philosophorum sententia.* Cultus imprimis publici necessitatem testantur populorum legislatores et philosophi. Neque sua tantum, sed populorum sensa utrique explicant, quum constet, legislatores vulgi sensum esse sequutos, et populos passim cultus illius communis et publici tenaciores fuisse philosophis.

Quae legislatorum simul et populorum fere omnium fuerit sententia de religionis ad civitates conservandas necessitate, *Plutarchus* retulit ita scribens: „In legum constitutione primum est et maximum de diis opinio. Quam ob rem et Lycurgus Lacedaemonios, et Numa Romanos, et Ion antiquos Athenienses, et Deucalion Graecos fere universos diis consecraverunt, votis, sacramentis, oraculis ominibusque, eos ob spem ac metum diis deditos obnoxiosque reddentes. Et si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes vel non utentes, gymnasiorum et theatrorum nescias (ἀστέγους): urbem templis diisque carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo umquam vidit nec videbit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare." Adversus Coloten, c. 31.

Quod legislatores antiqui complures ipsa sua agendi ratione testatum reliquerunt, id philosophi rationibus confirmarunt, videlicet religionis curam in civitate regenda primo loco esse habendam. *Aristoteles* recensens, quibus prospicere debeat, qui civitati praeest, enumeratis quatuor, ita pergit: „Quintum est id, quod primo loco ponendum fuit, rerum divinarum et ceremoniarum curatio, quam sacerdotium appellant." De rep. VII, 8. Rationem *Cicero* ita reddit: „Haud scio, an pietate adversus deos

sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, justitia, tollatur.“ De nat. deor. I, 2, n. 4. Homo gentilis mente prospexit, quod s. *Augustinus* ita effert: „Remota justitia quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi parva regna?“ De civ. IV, 4. Et vero, leges humanae solae ad continendos in officio homines non sufficiunt, quia omnibus eorum actionibus invigilare non possunt et judicem humanum effugere multis, praesertim potentioribus, non adeo est difficile.

Societas humana numquam carere potuit jurejurando, de quo *Cicero:* „Nullum, inquit, vinculum ad astringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratae [leges], indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius quam de jurejurando judicabant.“ De off. III, 31. Jurisjurandi necessitas etiam tunc agnoscitur, si quandoque illis, qui se atheos profitentur, permittitur, ut jurejurando abstinentes promissionem vel affirmationem, quae „instar jurisjurandi“ sit, edant. Nam jusjurandum declaratur regula et norma, ad quam illa promissio vel affirmatio, quantum fieri potest, accedat. Porro jusjurandum, quo Deus invocatur testis, nititur hac sententia, esse in Deo certissimam rerum omnium cognitionem et summum veritatis amorem, eumque suo tempore puniturum illos, qui pejerant; pertinet igitur ad religionem, quum veracitatis divinae sit professio. S. *Thom.* 2, 2, q. 89, a. 4. Ergo societas humana sicut jurejurando se carere non posse existimat, ita religione carere non posse affirmat. Si autem ad societatem humanam servandam religio est necessaria, sequitur, religionem Dei etiam voluntate necessariam esse. Quum enim Deus hominem socialem creando humanae societatis auctor sit eamque velit, non potest non velle illa, quibus societas ad se conservandam indiget.

37. Pars II. Populorum de cultus sive privati sive publici necessitate opinio certum est veritatis argumentum.

De hoc populorum judicio idem valet quod de judicio quocunque: verum est, si objecto est conforme sive si non aliunde nisi ab objecto cognito originem ducit. Porro hoc judicium ab ipsa re cognita fluxisse, facile patet ex ejusdem natura, qua est adeo uniforme et constans.

Probatur 1. *non e causa fortuita.* Judicium hoc progigni non potest quacunque causa speciali et fortuita, quae moveat hominum animos. Causae speciales casusque fortuiti excitare possunt opiniones praejudicatas in nonnullis hominum societatibus: judicia inter omnes populos sparsa nituntur causa communi et ad omnes populos pertinente.

2. *nec e sola traditione.* Judicium de religionis necessitate non potest trahi e sola traditione, quae in omnes populos sparsa sit. Non negamus opiniones nonnullas ad religionem pertinentes e primaeva revelatione ad populos omnes manare potuisse; sed manare non potuerunt ad omnes omnino populos, nisi eorum menti plane conformes essent et natura rationalis inclinaret ad idem judicandum, quod traditione propagatum esse supponitur.

3. *nec e natura vitiosa oriri potuit.* Nam ex hac oriri tantum possunt, quae ipsa sunt vitiosa et humanae naturae sensibilia adamanti blandiuntur. At nihil vitiosum in cultu quo numen honoratur, nihilque quod hominis naturae vitiosae blandiatur. Propendere sane natura potest ad colendi modum vitiosum, ac saepe cum deorum cultu juncta sunt, quae non poterant non esse cupiditatum foetus et oblectamenta. Distinguendum vero est inter ipsum colendi studium quod est commune et constans, et colendi modos diversos ac variabiles. Illud naturae rationali suam debet originem, dum modus colendi vitiosus et impurus e vitiosa hominis natura trahitur.

38. *Obj.* Argumentum e populorum consensu petitum infringere nonnulli semper studuerunt et etiamnum student dicendo: 1. religionem esse partum inanis timoris; 2. aut ignorantiae vel humanae imbecillitatis; 3. deberi educationi; 4. a legislatoribus esse inventam.[1])

Resp. At gratuito et temere causae illae finguntur. — Nam 1. timor ille supponit potius opinionem de religionis necessitate. Agnoscit enim numen providum, quod, si homo non obediat, poenam infligat, quodque colendum sit et placandum, ut a poena eximatur homo (n. 31, 35.); unde non religio timoris est effectus, sed potius religionis effectus timor est. Praeterea homines numen non solum timendum, sed etiam benignum coluerunt, ut vel sola Dei „Optimi Maximi" appellatio satis ostendit.

2. Neque ignorantia est religionis causa. Gentes enim quo rudiores et quo profundius sopitae sunt ignorantia, eo pauciora praebent religionis documenta. Et vero, ignorantiae foetus non potest esse, quod a ratione quo magis est culta, eo apertius exigitur. Jam ratio quo cultior est, eo clarius perspicit, non esse effectum sine causa, ac proin mundum esse non posse sine causa prima. Infirmitatis suae utique conscius sibi est homo, praecipue si cum morbis vel cum ipsa morte colluctandum est. Cum autem sive in ordine physico sive in ordine morali e supremo domino et judice pendere eoque indigere se sentit et ex hoc sensu concludit, supremum dominum et judicem revera existere, non minus prudenter recteque concludit, quam ex

[1]) Speciminis loco sit: Ehe die Naturerscheinungen die Wissbegier des Menschen zu Erklärungsversuchen anregten, erfüllten sie ihn mit Empfindungen, unter welchen die Furcht die stärkste sein mochte. Diese lies ihn das Bedürfnis fühlen, dem Feinde, der in Wetter, Flut und Glut als Tiger, Krokodil oder Schlange, in Schmerz und Tod ihn bedrohte, entweder einen mächtigen Beschützer entgegenzusetzen oder ihn selbst zu versöhnen, durch Ehrenbezeugungen und Opfer zu bestechen, sei es als einen Daemon, sei es in der Gestalt eines jener Thiere oder einer gefürchteten Naturerscheinung. (!) Lorenz *Diefenbach*, Vorschule der Völkerkunde und der Bildungsgeschichte. Frankfurt a. M. 1864. p. 259. — Die ersten Religionen konnten wohl nur aus der auf Schwäche und Unwissenheit beruhenden Furcht hervorgehen. Wenn der Donner krachte, dass die Erde erbebte, oder wenn der feurige Blitz oder ein tosender Orkan die gewaltigen Bäume brach oder entwurzelt zu Boden schleuderte, da ergriff ein unbeschreibliches Grauen den im Wissen beschränkten Menschen des sogenannten Urzustandes . . . Wie dem sei, es war der Grund gelegt zur ersten rohen Religion; die Furcht hatte sie geschaffen . . . . (!) Fried. *Kolb*, Culturgeschichte der Menschheit 1. Bd. (2. Auflage, Leipzig 1872), p. 43.

mundi visibilis aspectu concludendo, existere causam primam. Caeterum Dei existentiam, ut praemonuimus, in philosophia demonstratam esse hic supponimus.

3. Neque soli educationi debetur religio. Nam consuetudines et usus, qui nullo nituntur fundamento communi, non iidem sunt apud gentes omnes.

4. Non inventa est a legislatoribus religio, qua sibi subjicerent populos. Legislatores usi sunt religione, sed uti non potuissent, nisi eam stabilitam reperisent apud populos, quibus leges ferebant. Dein non apud illos tuntum populos, quibus legislatores sapientes praefuerunt, sed etiam apud gentes rudes, quae legislationis sapientioris nulla produnt vestigia, reperitur religio. Demum abjectis legibus non abjicitur religio, quod manifesto ostendit, diversam esse legum et religionis originem.

Articulus II.

De triplice religionis forma sive de religione naturali, positiva, supernaturali.

39. Religio quam universe spectatam necessariam esse demonstravimus, triplice forma existere potest. Religionis formam vocamus fundamentum quo innititur, sive rationem objectivam i. e. ex hominis ad Deum respectu petitam, quae exigit, ut homo Deo cultum exhibeat. Respectus ille triplex esse potest. Aut enim sola creatione inducitur aut simul libera Dei ordinatione. Porro haec libera ordinatio aut circa illa tantum versatur, quae in naturae ambitu continentur, aut etiam circa illa, quae ambitum illum superant. Si sola creatione inducitur, religio (spectato fundamento sive objecto) est naturalis. Si simul libera Dei ordinatione inducitur, est positiva. Si libera Dei ordinatio versatur tantum circa illa, qua intra naturae ambitum continentur, religio, etsi positiva, est tamen quoad substantiam naturalis. Si versatur circa illa, quae naturae ambitum excedunt, est in se supernaturalis, aut sensu lato, aut sensu stricto. Vid. quae dicta sunt Proleg. §. VII. n. 19—22. Atque sic spectato fundamento sive objecto constituitur religio 1. naturalis, 2. (mere) positiva, 3. supernaturalis. Advertendum est, hic interim de solo religionis fundamento sive objecto, non de ejus cognitione agi. Spectato cognitionis modo religio positiva est supernaturalis. Quae religio spectato cognitionis modo supernaturalis est, dividitur in religionem aut solo modo aut simul substantia supernaturalem.

Propositio 6. *Religio mere naturalis absolute et per se possibilis est.*

40. *Absolute* possibilem dicendo, non asserimus possibilem in omni *hypothesi*. Absolute possibilis est spectato solo hominis ad Deum ordine, qui ipsa creatione exortus est. Si Deus altiorem sive supernaturalem ordinem instituit, possibilis jam non est ita, ut praestet omnia, quae praestare caeteroquin debet religio i. e. in tali hypothesi per religionem mere naturalem nec Deo cultus exhibetur qui exhibendus

qui exhibendus est, nec homo finem ultimum attinget. *Per se* possibilem dicimus i. e. hominis natura in se ipsa spectata, quamvis per accidens possit aliqua ratione fieri impossibilis i. e. non talis, qualem esse deceat, tunc videlicet, si hominis natura vitiis, consuetudine perversa pravisque exemplis nimium est depressa. Verum de hac re postea agendum.

Supponimus, quod in philosophia demonstrari solet, „Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse" (Conc. Vat. Const. I. cap. 2), ideoque hominem non indigere revelatione ad hoc, ut Dei existentiam ipsam doceatur, prout nonnulli voluerunt.

Probatur 1. *e possibilitate vinculi mere naturalis.* Religio mere naturalis objective sive pro suo fundamento spectata illa est, quae constituitur solo vinculo, quod e creatione emergit, et ideo hominem ad illam tantum beatitudinem ordinat, quam ejus natura postulat, hinc illa tantum officia ei imponit, quae ex hominis ad creatorem suum respectu sequuntur. At saltem absolute loquendo fieri potest, ut Deus praeter illud vinculum non inducat aliud; nulla enim ratio afferri potest, cur Deus praeter illa, quae per mundum creatum de seipso manifestavit, etiam alia manifestare debeat, aut cur bona per creationem homini collata aliis etiam bonis novisque donis augere teneatur. Possibilis igitur absolute est religio mere naturalis.

Dicendo, esse absolute possibilem, evitamus hoc loco, quo de sola religionis indole determinanda agitur, difficultates illas quae a nonnullis ex hominis natura petuntur. Si enim hominis natura, qualis a Deo condita est, finem *supernaturalem* appetere et exigere dicatur (quod falsum esse alibi demonstrandum est), respondemus, Deum hominis naturam ita condere potuisse, ut illum finem supernaturalem non appeteret.

2. *e naturali hominis judicio et instinctu.* Possibile sane est illud, ad quod natura ipsa hominem impellit et quod in omni religione etiam positiva et supernaturali supponitur. Jam vero notum imprimis est, omnes homines, ipsa natura docente, divinitati cultum aliquem exhibere; omnes enim necessario judicant, Deo vel diis cultum aliquem deberi, et quidem propter excellentiam numini propriam; atque insuper ad hunc ei cultum exhibendum natura rationali impelluntur. Idem supponitur in omni etiam religione, quae positiva est aut positiva esse existimatur; nam omnis religio positiva docet, Deum cultum aliquem specialem ideo praescripsisse, quia propter ipsam suam excellentiam aliquis cultus sibi debeatur. Ergo religio naturalis, utpote fructus judicii et instinctus naturalis, absolute saltem possibilis est.

Contra illa, quae diximus, nonnullis facere videtur, quod Apologetae religionem christianam exhibere soleant tamquam religionem absolute intellectam i. e. praeter quam alia esse non possit; unde consequi videtur, religionem naturalem a religionis conceptu deficere. cf. *Hagenbach*. Dogmengesch. (6. Aufl., Leipz. 1888) §. 28.

At distinguendum est inter rerum ordinem qui esse possit, et illum qui nunc est. Ostendimus tantum, religionem mere naturalem esse possibilem, neque id negant Apologetae. Supposita revelatione religio mere naturalis jam falsa est, quum Deo non exhibeat cultum, qui ab ipso praecipitur. Aliud autem est, religionem aliquam esse falsam post factum aliquod, quo novus Deum colendi modus positive inducitur: aliud est, religionem esse falsam propter ipsam rerum naturam. Praeterea religio christiana dici poterat religio sensu absoluto accepta sive unice vera spectatis veritatibus ordinis naturalis. Hae enim in sola religione christiana tradebantur integrae et purae, nullis intermixtae erroribus. Contrarium accidebat in omni gentilium religione.

Alii religionem mere naturalem ideo rejiciendam putant, quia ad religionis utpote vinculi conceptum omnino requiratur, ut Deus homini se manifestet in eumque prior agat, hinc aliquid „ponat"; unde concludunt, religionem omnem necessario simul esse „positivam." *Dorner,* Christ. Glaubensl. §. 51.

Argumentatio haec nonnisi conceptuum confusione nititur. Agit sane Deus priorque agit, ut religio quaecunque exerceri ab homine possit. At duplice modo Deus in hominem agere potest, videlicet aut solo creationis opere et concursu huic operi debito, aut actione sive manifestatione ab illo distincta. Si priore tantum modo agit, religio constituitur naturalis; si etiam altero, religio constituitur positiva.

Propositio 7. *Possibilis est religio positiva, quae religionis in se naturalis sit accuratior determinatio et uberior per praecepta addita evolutio.*

41. Discriminis aliquid est inter religionis accuratiorem determinationem et uberiorem evolutionem. Determinatione designatur unum inter illa quae sunt, ut unus dies inter plures; evolutione oritur, quod non quidem in se, sed in alio existebat; confusa determinantur, implicita evolvuntur. Utriusque rei exemplum praebet septimi diei designatio. Quatenus tertio decalogi praecepto exprimitur, septimo die Deo cultum externum esse exhibendum, lex naturalis determinatur; quatenus autem quies a labore per diem integrum praecipitur, lex naturalis evolvitur specialem aliquem cultum instituendo. Nam licet lege naturali praescriptum sit Deum externe colere, unde consequitur, illo momento quo colitur, peragi non posse alia negotia; non tamen praecipitur lege naturali, uno aliquo die integro vacare ab operibus et ita diem integrum dicando Deum externe colere. Hujusmodi igitur colendi modus praecepto nititur, quod legis naturalis non tantum determinatio est, sed etiam evolutio sive aliqua ad eam additio. S. *Thom.* 2, 2, q. 122, a. 4. *Suarez* de rel. tr. II, l. II, c. 1. Aliud nobis exemplum exhibetur sacrificiorum institutione, de qua ita S. *Thomas*: „Aliqua in communi sunt de jure naturali, quorum determinationes sunt de jure positivo: sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis, sed quod tali poena vel tali puniantur, est ex constitutione divina vel humana. Similiter etiam oblatio sacrificii in communi est de lege naturali, et ideo in hoc omnes conveniunt; sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina et ideo in hoc differunt." S. 2, 2, q. 85, a. 1, ad 1. Supponendo sacrificii oblationem legi naturali non tantum summopere esse conformem, sed simpliciter exigi, designatio alicujus sacrificii specialis a Deo facta nonnisi determinatio esset legis naturalis. Supponendo autem, sacrificii proprie dicti oblationem legi naturali esse quidem valde conformem, sed non simpliciter exigi, praeceptum quo Deus sacrificium exigeret, evolutio esset legis naturalis: ac proinde religio quae hujusmodi sacrificium a Deo institutum haberet, eatenus positiva quidem esset, non tamen simpliciter supernaturalis, quia homo ex hoc solo

ad altiorem rerum ordinem non eveheretur. V. Suarez de sacrif. disp. 73, Sect 8. cf. supra Proleg. § VII. n. 19, 20.

Religionem positivam dicendo possibilem loquimur de rebus, quae religionem ipsam constituunt, sive de religione prout a Dei voluntate pendet et Dei voluntate determinatur. Haec Dei voluntas praecedit voluntatis manifestationem sive revelationem; unde merito de voluntate illa primo loco agitur. Manifestatio sive revelatio cum sit locutio, necessario quidem respicit tamquam alterum terminum homines, quibus revelatur religio sive qui Dei locutionem percipere possunt; attamen de hac revelationis possibilitate et de modo quo Dei locutio cognosci possit, nonnisi postea agendum est tum quia haec cognitio originis ordine spectato locum ultimum tenet, tum quia spectata Dei potentia et sapientia ultro sequitur, Deum cum creatura rationali ita agere posse, ut ab ipsa intelligatur, licet de modo interim non constet. Possumus etiam dicere, nos positivae religionis possibilitatem demonstrare supposita interim possibilitate revelationis, quam revelationem suo loco demonstrabimus esse possibilem.

42. Pars I. Possibilis est religionis naturalis accuratior determinatio.

Probatur 1. *e titulis ob quos Deo cultus debetur.* Deum, quae sunt religionis naturalis, accuratius determinare et ita Religionem positivam inducere *posse*, patet ex omnibus illis titulis, propter quos Deus cultum ab homine exigere potest et exigit.

a. Deo cultus est debitus propter infinitam ipsius excellentiam. Sed quod propter infinitam excellentiam debitum est, id omni modo est debitum nec illo tantum quem homo ipse determinaverit. Et vero si tantum penes hominem, non penes Deum esset determinare, quo modo, quo tempore et loco Deus colendus esset, Dei excellentiam restrictam esse supponeretur, quum non sufficeret ad exigendum omnem colendi modum.

b. Cultus Deo debitus est, quia ipse est hominis auctor et bonorum, quae possidet, largitor. Sed omni momento omnique loco a Deo ut suo principio pendet homo, et quidquid possidet, Deo refert acceptum. Ergo penes Deum jus est, quem voluerit modum et locum et quod voluerit temporis momentum ad cultum sibi exhibendum determinare.

c. Cultus Deo debitus est propter supremum ejus ut in res caeteras, sic in hominem dominium: secundum omnia homo subjicitur Deo. Ergo penes Deum est determinare, qua speciali ratione, quo tempore, quo loco, quibus actionibus, quibus oblationibus supremum illud dominium sit agnoscendum; multoque excellentius et amplius illud jus inest Deo respectu hominis, quam hero respectu famuli ad servitia conducti.

2. *e fructu multiplice homini accrescente.* Proficuum homini est, ut saltem aliqua eorum, quae ad cultum pertinent, speciali modo a Deo determinentur.

a. Nobilior erit cultus, si non solum mediatam, sed etiam immediatam a Deo trahit originem. Quantum enim voluntas divina prae humana, tantum quod Deus sanxit, eminet prae illo, quod humana sancitum est voluntate.

b. Constantior erit observatio eorum, quae determinata sunt Dei voluntate nec permissa mutabili hominis arbitrio. Ut cultus divini dignitatem auget contantia, ita imminuit inconstantia.

c. Uniformior erit cultus, si ejus modus determinatus est voluntate omnes astringente. Uniformitas autem quam plurimum conferet ad nectendos inter se homines, quod alterum est religionis munus. Multiplex igitur homini fructus enascitur, si Deus cultum naturaliter sibi debitum saltem secundum aliqua positive determinat.

43. Pars II. Possibilis est religionis naturalis uberior evolutio.

Probatur 1. *e titulis Deo propriis.* Uberior haec evolutio sita est in eo, ut a Deo instituantur et praecipiantur, quae quidem sola spectata natura homo praestare non teneatur, attamen possit. Atqui nihil impedit, quominus Deus res quasdam praescribat sive quosdam colendi modos constituat.

Nam a. ob excellentiam suam infinitam dignus est, ut ab homine colatur omni quo potest modo; ergo et illo, qui etsi aliunde non sit necessarius, tamen quum sit possibilis, praescribitur.

b. Ut naturae auctor dignus est Deus, ad quem omnes quae in humana natura vires continentur omniaque dona modo omni referantur. Jam quum specialem aliquem cultum, licet aliunde non necessarium, exigit, nihil aliud vult, nisi ut vires ac dona quae contulit, speciali aliquo modo sibi consecrentur.

c. Ut supremus dominus exigere sane potest, ut omnibus, quae ipsius sunt, sibi serviatur. Jure hoc supremo utitur, quum exigit, ut homo ad divinum dominium attestandum abstineat a quibusdam rebus aut operibus, a quibus sola lege naturali non prohibebatur, aut ut alia praestet, ad quae praestanda lege naturali sola non adigebatur.

2. *e majore hominis utilitate.* Jure hoc suo si Deus utitur, in hominis id cedit utilitatem multiplicem; unde et sapientiae et bonitati Dei congruit haec religionis naturalis amplior evolutio.

Etenim a. vividior erit religionis et imprimis submissionis sensus in homine, si ipsa experientia novit, quantopere a Deo pendeat et quot titulis et modis servitium exigi possit.

b. Vividior hic religionis et devotionis sensus universe excitatus efficiet, ut promptior homo sit ad praestanda tum illa,

ad quae lege naturali astringitur, tum illa, quae ejus libertati adhuc commissa sunt.

c. Quo amplius Deo praestat servitium, eo ampliore id compensabitur praemio. Providentiae enim ordine statutum est, ut cultus, quem Deus sine ulla remuneratione exigere poterat, in hominis cedat utilitatem et beatitudinis fons existat.

44. ***Scholion.*** Finis, ad quem homo destinatur, indoli respondent auxilia ut externa, ita etiam interna. Unde si homo nonnisi ad finem naturalem destinaretur, merito admittitur, etiam auxilia interna, quibus Deus ei succurreret, alterius fore indolis, quam nunc sunt auxilia, quibus homo juvatur ad concipiendam fidem respondentem fini supernaturali. Unde *Suarez:* „Posset tunc (in statu naturae purae) juvare hominem ad non peccandum per moralia auxilia non attingentia supernaturalem ordinem. Quod si tunc ita se gereret Deus cum humana natura, non proprie exstraheret illam ultra statum naturae purae, quia neque ordinaret illam ad finem supernaturalem, neque propriam gratiam illi donaret, quia haec non reputatur talis, nisi in ordine ad veram sanctitatem et supernaturalem beatitudinem obtinendam". De grat. Proleg. IV, c. 2, n. 15.

Propositio 8. *Possibilis est religio positiva et in se supernaturalis, nitens videlicet communicatione bonorum, quae vel sensu lato, vel etiam sensu stricto supernaturalia sunt.*

Distinximus supra (Proleg. §. VII, n. 20) duplicem ordinem bonorum supernaturalium, et pro utroque probandum est religionem esse possibilem.

45. Pars I. Possibilis est religio positiva et supernaturalis sensu latiore, quae videlicet nitatur communicatione bonorum, quae licet non omnem, tamen hominis naturam excedunt, et praeternaturalia quandoque vocantur.

Probatur 1. *ex omnipotentia divina et bonorum indole.* Supernaturalis religio constituitur, si Deus nova et supernaturali vinculo sibi nectit hominem. Novum et supernaturale hoc vinculum tunc necteretur, si Deus homini ut finem praefigeret beatitudinem, cujus etiam corpus, quod aliquando suscitaretur, foret particeps; aut si his in terris animae modo speciali infunderet cognitiones illas, quas homo longo tantum labore sibi comparare solet, aut elementorum vim speciali providentia cohiberet, ne homini necem vel malum inferrent, aut denique eventus omnes ita dirigeret, ut ex illis facili negotio Dei voluntatem cognosceret. Jam vero Deum bona quae diximus homini conferre posse, facile concluditur ex ejusdem omnipotentia, pertinente ad omnia, quae

contradictionem non involvunt. Nulla autem in his est contradictio, quum agatur de bonis homini conferendis, quae partim aliis naturis sunt collata, partim gradu inferiore, ut v. g. specialis providentiae subsidia, jam nunc collata videmus homini. Potest igitur Deus novo hominem sibi nectens vinculo et altiora ei communicans bona positivam et supernaturalem instituere religionem.

2. *e communi populorum persuasione.* Populi omnes positivam a Deo aliquam religionem, quae altiorum bonorum communicatione niteretur, institutam existimantes, saltem possibilem hujusmodi religionem affirmarunt. Non attendimus hic, utrum populi iidem errarint nec ne, quum certam aliquam ac determinatam religionem a Deo institutam crederent. Ad id solum attendimus, quod omni hujusmodi opinioni, licet prout specialem aliquam religionem respiceret, falsa esset, uniforme suberat judicium, videlicet positivae et supernaturalis religionis institutionem esse possibilem. Hoc autem judicium, utpote uniforme, constans et universale, pro ipsius rationis verum perspicientis judicio ac veritatis indice merito habetur. Existimasse autem populos hujusmodi religionem a Deo esse institutam, demonstratur eorum traditionibus de primitivo aliquo felicitatis statu, in quo conditus sit homo, de lapsu, de redemptore aliquo promisso, verbo, de bonis specialibus collatis aut promissis. Etsi enim vario modo depravatae multisque fabulis auctae sunt traditiones illae, omnes tamen ad religionem positivam et supernaturalem admittendam convergunt.

46. Pars II. Possibilis est, saltem non demonstratur impossibilis, religio supernaturalis sensu strictiore, quae nitatur communicatione bonorum, quae omnis naturae creatae exigentiam excedunt.

Finem supernaturalem sive Dei in se ipso visionem esse possibilem, nonnisi revelatione certo edocemur; scopo nostro sufficit, si rationibus quibusdam probabilibus ejus possibilitas suadeatur aut saltem ostendatur, non recte dici impossibilem.

Probatur 1. *e bonorum supernaturalium indole finita.* Ex omnipotentia divina colligitur, Deum majoris continuo perfectionis opera posse producere, terminum imponi tantum illic, ubi de effectu Deum ipsum aequante ageretur. De hoc sane non ageretur, si homini beando cognoscendi modus conferretur, qui omnis creaturae, ut ad beatitudinem sibi accommodatam pertingat, cognoscendi modum transcenderet. Infinitum enim intervallum et nunquam explendum intercedit inter omne opus divinum, utut excellens, et Deum ipsum: ideoque divinae essentiae intuitus, homini collatus, non foret cognitio infinita. Potest igitur Deus hominem destinare ad beatitudinem, quae omnis creaturae exigen-

tiam superet, eumque subsidiis accommodatis ac proin supernaturalibus ad finem illum adipiscendum juvare. Quo posito, nexu absolute supernaturali homo jungitur Deo et supernaturalis constituitur religio.

2. *e communicabilitate finita bonorum quae Deo sunt propria.* Finis ille cum fundamento aliquo dicitur possibilis, si generatim non repugnat, ut quod Deo per ipsam essentiam proprium est, homini communicetur dono gratuito. Dei essentiam immediate videre soli intellectui divino proprium est per naturam, ut voluntati divinae impeccabilitas. Impeccabilitas divina communicari potest creaturae rationali, non quidem ita, ut in ipsa ejus natura fundetur, sed in continuo et speciali Dei auxilio. Ergo etiam immediatam Dei visionem speciali quodam auxilio intellectui humano communicari posse, cum fundamento aliquo conjicitur. Quod si ad talem visionem destinatur et subsidiis accommodatis dirigitur homo, novo hoc et absolute supernaturali ordine nova et supernaturalis constituitur religio.

3. *e possibilitate solvendi objectiones.* Nulla saltem ratione demonstrari potest, immediatum essentiae divinae intuitum etiam ope Dei speciali conferri non posse intellectui creato, ut patet e modo, quo Theologi omnia quae objiciuntur, suis locis solvunt. Demonstrari tantum potest, intuitum Dei immediatum nec solis naturae viribus esse possibilem, nec debitum esse intellectui ulli creato. Unde saltem id consequitur, religionem absolute supernaturalem non posse demonstrari impossibilem esse.

Propositio 9. *Religio supernaturalis naturalem religionem includit, complet, evehit.*

17. Pars I. Etsi religio naturalis esse potest sine supernaturali, tamen religio supernaturalis esse non potest sine naturali, sed sicut gratia naturam, ita religio supernaturalis naturalem supponit et includit.

Probatur *e religionis nat. fundamentis manentibus.* Omnia illa quibus ut fundamentis nititur religio naturalis, manent post institutam a Deo religionem supernaturalem. Manet Deum colendi obligatio orta e suprema Dei excellentia, manet Deus ultimus finis modo conveniente quaerendus, manet legis naturalis obligatio. Ergo manet et religio his fundamentis nixa i. e. religio naturalis. Et vero, fundamenta illa manent ideo, quia ex ipsa Dei natura et ex hominis ad Deum respectu ultro sequuntur; quum igitur nec Dei nec hominis natura per religionem supernaturalem tollatur, sequitur, non tolli religionis naturalis fundamenta.

48. Pars II. Religio supernaturalis naturalem complet ad naturalia religionis fundamenta addendo nova.

Probatur *e principii primi, vinculi et dominii extensione.* Etenim nova exhibetur excellentiae ratio ideoque novum ponitur fundamentum, si Deus non tantum ordinis naturalis, sed et supernaturalis auctor est; novum constituitur vinculum, si Deus non tantum abstractiva, sed intuitiva cognitione aliquando possidendus est; novo modo Deus suum exercet dominium, si non tantum per legem naturalem, sed etiam per legem positivam quaedam injungit hominibus.

49. Pars III. Religio supernaturalis naturalem perficit non tantum complendo sive novas colendi rationes addendo, sed evehendo i. e. rationes colendi naturales transferendo in ordinem altiorem. Sicuti anima rationalis sensitivam animam virtute includit, ita etiam religio supernaturalis naturalem includit virtute, hinc ad sui ipsius i. e. ad supernaturalem et altiorem existendi modum evehit religionem naturalem. Non loquimur nunc de ordine subjectivo, sive de cognoscendi ordine, in quo videlicet fides nobilior est cognitione naturali, sed de ordine objectivo sive de existendi ordine.

Probatur *e modo existendi altiore communicato fundamentis naturalibus.* Religio naturalis ipsa ad altiorem i. e. supernaturalem ordinem provehitur, si fundamenta saltem praecipua quibus nititur, jam non in se ipsis subsistunt, sed in supernaturalis religionis fundamenta transeunt, hinc supernaturalem existendi modum acquirunt. Id autem fieri facile patet. Nam infinita Dei excellentia modo altiore innotescit, si exhibetur ut in tribus personis existens; eademque excellentia, quae Deo ut naturalis ordinis auctori propria est, sublimior apparet, si consideratur in Deo ut supernaturalis i. e. sublimioris ordinis auctore. Dei bonitas absoluta qua finis ultimus aliquando possidenda altior apparet, si constat, divinam essentiam non abstractiva, sed intuitiva cognitione esse attingendam. Idem dicendum est de Deo legislatore voluntate etiam positiva hominum actiones ordinante. Verbo, sicut quidquid in altero existit, alterius, in quo est, existendi modum participat, ita religionis naturalis fundamenta, quum in religionem supernaturalem transeunt, suum proprium existendi modum amittunt, et novum, supernaturalem, hinc excellentiorem existendi modum acquirunt. Accidit fere, quod in potentiis sensitivis accidere philosophia docet. Potentiae sensitivae cum non jam in anima belluina, sed in anima rationali radicantur, altioris sunt ordinis, quam dum in anima belluina existunt.

Articulus III.

De religionis naturalis sive in se ipsa existentis sive in religione positiva et supernaturali comprehensae proprietatibus.

Duplice potissimum de causa religionis naturalis proprietates expendere juvat. Imprimis religionis proprietatibus demonstratis ejus natura amplius aperitur et facilius refutantur errores potissimum eorum, qui omnem religionem imaginationis foetum existimant. Dein quum religionis naturalis proprietates etiam religioni positivae quippe quae illam virtute continet, suo modo competere debeant, religionis cujuslibet positivae, quae naturali religioni adversatur, falsitas apertius demonstratur.

Propositio 10. *Religio naturalis, quatenus intelligitur veritatum et officiorum complexus, quem hominis ad Deum naturalis ordo parit, una est et pro singulis hominibus eadem.*

50. Ut ipsa verba indicant, de ordine objectivo agimus. Quia vero ordo subjectivus congruere debet objectivo, sequitur, etiam in singulis hominibus jure esse sive a singulis concipi debere eundem veritatum et officiorum complexum, licet propter ignorantiam variosque errores maxima saepe sit variatio. Hanc autem variationem, quam nos contra jus existere dicimus, ipso jure adesse affirmant, qui religionem ex hominum animis ita oriri existimant, ut poemata imaginatione produci, artes inveniri solent. — Ad illa autem, quae naturalis ordo exigit, varia pro libitu addere hominibus integrum esset.

Probatur 1. *ex ejusdem naturae eodem ad Deum respectu.* Universe loquendo religio naturalis, ut diximus, nititur Dei natura et hominum humanaeque naturae ad Deum respectu, pro uti haec per creationem manifestantur. Sed una eademque est Dei natura, una eademque singulorum hominum natura, unus idemque humanae naturae ad Deum respectus creatione manifestatus; ergo una eademque est religio sensu objectivo intellecta.

2. *ex iisdem fundamentis in singulis.* Singulatim ex Dei excellentia, e Deo hominis fine, e Deo legis naturalis auctore ut totidem fundamentis demonstravimus religionis necessitatem. Haec autem fundamenta sicut in se, ita etiam pro singulis hominibus sunt eadem; ergo pro singulis idem est veritatum et officiorum complexus: officiorum tunc quidem idem pro singulis complexus, si in iisdem rerum adjunctis constituti sunt.

3. *ex eodem veritatum et officiorum fonte.* Si non una eademque esset religio naturalis, religionum diversitas ex eo esset, quod Deus singulis aut non easdem veritates aut non eadem officia, sed aliis alia manifestasset. Atqui manifestavit easdem veritates; nam religio naturalis complectitur illas solas veritates, quae creatione exprimuntur. Manifestavit quoque eadem officia; nam re-

ligio naturalis complectitur illa sola, quae lege naturali enunciantur. Quum igitur ex uno eodemque fonte veritates, ex uno eodemque fonte officia deriventur, unus in se est veritatum et officiorum complexus.

51. Contra hanc religionis et legis naturalis unitatem *objici* solet judiciorum de licitis et illicitis diversitas, quae apud varios homines reperiri solet; si enim eadem est lex apud omnes, necessarium videtur, ut eadem sint apud omnes judicia de actionum honestate aut inhonestate.

At distinguendum est inter legem et legis cognitionem. Eadem est lex apud omnes, quia lex ipsa sequitur naturam rationalem, quae est eadem in omnibus. Sed per accidens non est eadem in omnibus legis notitia. Quod ipsa quidem principia maxime universalia et proximas eorum conclusiones attinet, eadem est apud omnes notitia; nam in omnibus ratio judicat, bonum esse faciendum, malum fugiendum, Deum esse colendum, parentes honorandos. Valet enim de ratione practica, quae judicat de agendis, quod de ratione speculativa valet, quae de speculativis judicat. Sicuti autem ratio speculativa errare potest in conclusionibus remotioribus, quas e suis principiis infert, et per accidens errat, ita etiam in conclusionibus errare potest ratio practica, et quidem longe facilius, quam ratio speculativa in suis. Nam ratio practica versatur circa particularia et contingentia, in quibus circumstantiae plurimae concurrere solent, ex quarum justa ponderatione pendet principiorum applicatio. Hinc est, quod, licet omnes consentiant in hoc principio, depositum esse reddendum, dubium tamen videri potest, an in certis casibus reddendum sit. Dubium autem occasio erit diversitatis judiciorum. Itaque sicut ex eo, quod leges civiles per accidens non eodem modo intelliguntur ab omnibus, concludendum non est, non unam eandemque esse in civitate legislationem, ita ex eo, quod de licitis et illicitis homines diversa sentiunt, concludendum non est, non esse unam eandemque legem naturalem. S. *Thom.* 1, 2, q. 104, a. 4. Suarez de leg. II, c. 8.

Propositio II. *Religio naturalis constans est et immutabilis.*

52. Ut lex, ita etiam religio duplice modo mutari potest: addendo et demendo. Ut lex positiva mutatur, cum tota aut pars ejus non amplius obligat, ita religio naturalis mutatur, si quod antea natura sua ad Dei cultum requirebatur aut eidem accommodatum erat, jam in iisdem circumstantiis non amplius requiritur aut eidem non amplius est accommodatum. Similiter ut lex positiva mutatur, si legislatoris voluntate obligatio nova additur, ita religio naturalis mutatur, si in iisdem circumstantiis, in quibus actio aliqua ad religionem pertinens antea non exigebatur, nunc naturaliter requiritur. Attamen si lege positiva praescriberetur actio illa, religio naturalis non mutaretur, sed ad religionem naturalem positiva accederet.

Probatur 1. *ex immutabilitate fundamenti ultimi.* Immutabile est fundamentum, quo religio naturalis necessario superstruitur: ergo et ipsa secundum omnia immutabilis sit necesse est. Et vero fundamentum constituitur illo hominis ad Deum respectu, videlicet ad supremum principium, finem, legislatorem, qui respectus ipsam rerum naturam sequitur ac proinde semper idem est; ergo aedificium totum, prout superstruitur, immutabile erit, ut ipsa rerum natura.

2. *ex immutabilitate fundamenti proximi.* Religionem naturalem esse mutabilem nihil est aliud, nisi veritatum et officiorum

complexum, qui Dei per creaturas manifestationem sequitur, esse mutabilem. At repugnat ut mutabilis sit. Nam per eandem creationem semper manifestantur eaedem veritates et eadem officia.

3. *ex immutabilitate legis naturalis.* Religio naturalis mutabilis esse non potest, nisi lex naturalis, qua nobis imprimitur lex aeterna, mutabilis sit. Lex autem naturalis immutabilis est. Si enim consideratur ejus objectum, lex naturalis necessario prohibet, quae naturae rationali a Deo dependenti sunt difformia, praecipit quae sunt conformia simulque necessaria. Haec autem actionum difformitas vel conformitas et necessitas subsistit, quamdiu ipsa rationalis natura ejusque ad Deum respectus subsistit.

Legis naturalis fundamentum, prout est in Deo, est ipsa lex aeterna in Deo existens sive imperium aeternum praecipiens, quae naturae rationali conformia sunt et necessario requiruntur, prohibens quae sunt difformia. Haec lex aeterna sane immutabilis est, quia Dei intellectus, qui conformia et difformia judicat, deficere non potest a veritate, et voluntas, quae illa praecipit, ista prohibet, deficere non potest a sanctitate sive amore ordinis. Lex igitur naturalis, quum ejus objectum et fundamentum sint immutabilia, ipsa immutabilis censenda est, ac proinde immutabilis est officiorum complexus, qui Deum quomodocunque respicit. V. Suarez de leg. l. II, c. 13.

53. *Contra* legis naturalis hinc religionis naturalis immutabilitatem imprimis facere videtur, quod Deus permiserit quae legi naturali adversantur, ut sunt homicidium, furtum, polygamia, divortium. Profecto Deus non permisit mala: ergo quae permisit, ipsa permissione e malis facta sunt bona vel saltem indifferentia, ac propterea lex et religio naturalis non est immutabilis.

Nihilominus tenendum est, legem naturalem non fuisse mutatam, sed aut ejus materiam a Deo ut supremo domino fuisse mutatam, ita ut ratio, ob quam actio antea esset mala, jam ob materiam mutatam cessaret, aut a Deo ut supremo legislatore positiva ordinatione permissum fuisse, ut lex adhuc quidem subsistens et vigens, tamen in casu aliquo particulari ob rationes speciales non applicaretur.

a. Vitam aut bona alterius auferre non licet illi, cui in vitam vel bona jus nullum competit. Si autem Deus ut Dominus supremus jus illud alteri concedit, ut Abrahamo concessit in vitam Isaaci, et Israelitis in bona Aegyptiorum, ratio, cur interfectio sit illicita, et cur bonorum occupatio sit furtum, sive illicita, cessat; ac proinde neque legis naturalis mutatio, neque dispensatio proprie dicta, sed sola materiae immutatio locum habet. Furtum enim est „acceptio rei alienae: quidquid accipit aliquis ex mandato Dei, qui est dominus universorum, non accipit absque voluntate domini, quod est furari.“ S. Thom. 1, 2, q. 94, a. 5, ad 2. Hac ratione s. *Augustinus* Abrahae, Samsonis et quarundam virginum Christianarum mortem sibi parantium actiones explicat, atque concludit: „Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat, si jussit, cujus non licet jussa contemnere, sed tantummodo videat, utrum divina jussio nullo nutet incerto.“ De civit. I, 26. et *Suarez* de leg. l. II c. 15, n. 19.

b. A Deo ut supremo legislatore ob speciales rationes permitti potest aliquid, quod legi naturali ita tantum adversatur, ut actionis finem saltem principalem non impediat, sed tantum difficiliorem reddat. Finis principalis dicitur id, quod ex actione natura sua consequitur, ut liberorum susceptio et educatio est finis principalis matrimonii, dum vitae societas est finis secundarius. Duplice autem modo actio inconveniens reddi potest fini tum principali tum secundario: nimirum aut sic, ut finis omnino impediatur, aut sic, ut difficilius aut minus congrue obtineatur. Si finis principalis omnino impeditur, actio legi naturae directe adversatur neque umquam reddi potest licita. Si autem finis secundarius tantum impeditur, aut finis principalis tantum difficilius obtinetur, ob rationes speciales a legislatore in aliquibus casibus actio secus prohibita permitti potest, praesertim si legislator mala cum legis violatione secus connexa praecavere et ita ipsam legis materiam aliquatenus mutare possit. S. *Thom.* in IV. d. 33. q. 1. a. 1. et 2. Fuisse aliquando rationes speciales talem licentiam concedendi quoad matrimonii tum unitatem tum firmitatem, infra Prop. 62. expendendum est.

Propositio 12. *Religio naturalis, et quidem ut una et immutabilis, jure et obligatione universalis est sive cujuslibet regionis et omnium saeculorum homines obstringens.*

54. Ille veritatum et officiorum complexus in se unus et immutabilis non restringitur ad aliquos tantum populos, ut lex mosaica ad populum hebraeum, sed ad omnes homines pertinet omnesque obligat. Patet, universalitate ad religionis unitatem et immutabilitatem aliquid addi: absolute enim potest religio una eademque esse in singulis unius terrae incolis, potestque in his immutabilis esse, quum tamen ad omnes omnino homines non destinetur sive non sit universalis.

Probatur 1. *ex universalitate fundamenti.* Religio naturalis eousque se porrigit, quousque ejusdem fundamenta porriguntur. Haec vero ad omnes homines pertinent, quum Deus sit omnium hominum principium, finis, legislator. Nec ullus locus nec tempus ullum a religione eximit, quia nec locus nec tempus efficit, ut homo non sit homo, aut ut Deus non sit hominis principium, finis, legislator.

2. *ex universalitate legis naturalis.* Idem concludendum e legis naturalis ad omnes omnino homines extensione. Quum enim lege naturali etiam Deum colendi obligatio contineatur, haec utpote una e primariis ejusdem obligationibus promulgabitur, ubicunque lex naturalis existit. Haec vero lex est et viget in singulis hominibus, quocunque tempore aut loco fuerint aut futuri sint.

55. **3.** *e solutione objectionum.* Nulla fingi potest ratio, cur religio naturalis non sit universalis vel ut una et immutabilis omnes homines non obstringat.

a. Fingi non potest, Deum primis generis humani temporibus sese non manifestasse ut unum mundi auctorem, unum hominis finem, legislatorem unum. Nam ut nunc, ita etiam primis temporibus omnique loco tum per mundum aspectabilem, tum per

ipsius hominis conscientiam necessario innotuit, quum natura rationalis semper eadem fuerit, ac proin eadem e visibilibus ad invisibilia pertingendi facultas.

b. Fingi non potest, genus humanum ab initio aut populos nonnullos etiam nunc tanta laborare ignorantia, ut naturalis religionis obligatio cessarit. Quod conditionem primitivam spectat, gratis et historia reclamante fingitur, genus humanum miserum fuisse et ignorantiae mancipatum. Nec ullus nunc est populus tam rudis, ut Dei aut praeceptorum magis obviorum ignorantia invincibili laboret. n. 31. 35. Non omnis ignorantia invincibilis est.

c. Demum fingi non potest, humanam naturam apud quosdam populos esse tam depravatam, ut quod legi naturali apud plerosque homines adversatur, propter summam evitandi difficultatem apud populos illos non adversari dicendum sit. Nam nullibi rationem cupiditatibus subjicere aut in rebus sensibilibus ultimum hominis finem constituere licet; ideoque etiam Africae interioris aliaeque gentes praecepto, quod omnem impuritatem vetat, obstringuntur. Quod autem per solas naturae vires possibile non est, id nunc omnibus possibile est per speciale Dei auxilium. Caeterum etiamsi in statu naturae non elevatae constitutus fuisset homo, auxilium aliquod peculiare ei non defuturum fuisse censendum est. Cf. Suarez de grat. l. I, c. 28, n. 4. 9.

Caput II.

De religionis revelatione.

56. Ut aliud est lex, spectata ut sola mentis ordinatio, aliud legis sive ordinationis communicatio quomodocunque facta, ita etiam aliud est religio sive cultus, quem Deus statuit, aliud cultus statuti communicatio sive externa manifestatio. Porro ut lex duplice modo manifestari potest, altero, quo legislatoris ordinatio paucioribus tantum innotescat, altero, quo innotescat communitati eique promulgetur; ita etiam duplex religionis revelatio distingui potest, dum videlicet inter ejus qualemcunque revelationem uni vel paucioribus factam et ejusdem promulgationem, qua societas obstringatur, distinguitur. Agimus interim de sola revelatione in se spectata, nondum expendentes, quomodo revelatio, paucioribus facta, societati promulgari et innotescere possit.

Articulus I.

De revelationis notione et divisione.

57. I. *Manifestatio naturalis, supernaturalis.* Revelatio divina, de qua nobis agendum, veritatum ad religionem spectantium manifestatio est, spectato modo, quo peragitur, non naturalis, sed supernaturalis.

Naturale vocatur, quod intra naturae creatae ambitum continetur. Unde veritatum religiosarum manifestatio naturalis illa est, quae fit per creaturas secundum providentiam divinam iisdem debitam in nos agentes. Deus et lex naturalis naturaliter manifestantur, quia per ordinem creatum innotescunt. Ad ordinem naturalem pertinet etiam divina rerum gubernatio in mundo conspicua, quatenus iisdem debetur. Ideo autem debetur, quia divina sapientia exigit, ut Deus cuncta ad fines suos perducat.

Supernaturale est, quod illum ordinem excedit eique non est debitum. Supernaturalis manifestatio est igitur illa, quae peragitur ratione, quae ipso ordine naturali non fuit instituta et quae non

absolute requiritur, ut homo ad finem naturaliter sibi inditum sive praestitutum perveniat.

58. II. *Manifestationis supernaturalis modus triplex.* Veritates religiosae sive naturaliter de se cognoscibiles sive naturaliter non cognoscibiles manifestari vel revelari absolute possunt aut *factis*, aut excitando *cognitionem* in ipsa mente, aut *locutione*.

1. Manifestatio per *facta* in eo est, ut e natura factorum supernaturalium tamquam effectu detegatur causa sive veritas haec, existere causam congruentem. Ita e miraculis sive eventibus naturae vires excedentibus concludimus, Deum effectus producere posse, qui vires naturales excedant. E poena Sodomorum incolis positive inflicta concluditur, Deum providum esse et flagitiis enormibus quandoque hic suum irrogare supplicium. Itaque ex effectu supernaturali cognoscitur causa supernaturalis sive causa supernaturaliter agens. Effectus enim sunt signa causae necessaria i. e. necessario et eatenus naturaliter inducentia in cognitionem causae. Si causa ratione praedita est, ex effectu libere ab ea producto cognoscitur, quid auctor in mente habuerit et quid intenderit.

2. Cognitione sive *scientia infusa* homini aliquid manifestatur, quum Deus rei manifestandae speciem in mente efformat ita, ut homo rei veritatem non minus percipiat, quam dum suo tantum labore eandam deprehendit. Potest enim Deus in mentem humanam ita agere, ut suppleat impressionem, quam objectum sese offerens in eam exercere solet, vel etiam ut efformet ipse in mente speciem sive imaginem, quae cognoscendi actu absoluto remanet.

3. *Locutione* sola nobis aliquid communicatur, dum alter conceptus suos suaque judicia verbis ut conceptuum signis ad nos dirigit hac intentione, ut ipsius mentem percipiamus. Verba ore prolata cum aliis manifestandi viis in eo conveniunt, quod sunt signa: signum enim sensu latissimo dicitur medium omne, quo potentiae cognoscitivae aliquid innotescere potest. Differunt verba maxime in eo, quod rem significant prout est in loquentis mente et cum intentione conceptum significandi ad alterum diriguntur. Haec est ratio, cur interjectiones, etiamsi ut soni articulati proferuntur, dici non possint verba; significant enim affectum, non conceptum loquentis. Ex hominis ejulatu concluditur quidem, eum dolere; sed non cognoscitur, in ejus mente esse conceptum doloris. E verbo „doleo“ intelligitur, hominem doloris sui reflexe sibi esse conscium; dirigit enim conceptum ad audientem. Praeterea verbum, saltem humanum et externum, est conceptus formati et rei conceptae signum non naturale, sed ad placitum sive ex

instituto. Signum naturale est illud, quod sua natura vim significandi obtinet, ut natura sua mundus indicat creatorem, conceptus rem conceptam, lacrymae et ejulatus dolorem, vultus turbatus turbatum animum. Signum ex instituto est illud, quod a libera voluntate vim significandi obtinet, licet aptitudo ad hoc potius quam ad illud significandum aliqua ratione naturalis esse possit. Cf. s. *Thom.* 1, q. 107, a. 1. *Lugo* de fide disp. 1, s. 10, n. 210. *Gormaz,* Curs. theol. tom. I. tr. de virt. theol. disp. VI, s. 1.

Ut s. *Thomas* advertit, „nihil est aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.“ S. 1. q. 107, a. 1. Conceptus aliquando formatus et in intellectu per modum habitus existens, voluntatis imperio triplice de causa ad actum reduci sive iterum actualis fieri potest. Primo ut nos ipsi rem, cujus est conceptus, actu contemplemur; ita in rebus speculativis agimus. Secundo ut juxta conceptum sive ideam opus aliquod formemus: ita in rebus practicis agimus: ipsum autem opus ad hoc ordinare possumus, ut alter percipiat quid in mente habuerimus, quemadmodum Deus mundum, quem juxta ideam suam formavit, ad hoc dirigit, ut sapientiam suam aliasque perfectiones nobis manifestet. Tertio voluntas conceptum actualem reddere sive ad hoc ordinare potest, ut ipse directe et in se alteri manifestetur. Patet, pro triplice hypothesi conceptum sive verbum mentis ad triplicem terminum directe ordinari: ad nos ipsos, ad opus, ad alterum; intelligimus ipsi, perficimus opus, loquimur. Dum opus perficiendo conceptum alteri monstramus, conceptus directe et proxime ordinatur ad opus, indirecte et remote ad alterum docendum; dum loquimur, conceptus directe et proxime dirigitur ad alterum docendum, quid sit in mente nostra. Dum alter loquendo nobis aliquid manifestat, loquentis mens est exemplar proximum, cui conformari debemus, ut recte judicemus de rebus; dum opera producendo nobis veritatem manifestat, ipsa opera exemplar sunt, cui nos conformantes veritatem attingimus: si praeterea mentem suam nobis manifestare intendit, haec remotius tantum cognoscitur.

59. III. *Locutio non docens sed attestans.* Locutio divina, qua revelatio peragitur, saltem prout ad hominum societatem dirigitur, non est proprie dicta institutio sive magisterium, proxime scientiam intendens, sed veritatis propositae divina attestatio, fidem exigens.

Duplice fine distincto veritatem, quam mente tenemus, alteri communicare possumus, et pro duplice fine modus proponendi diversus erit.

Possumus eam proponere hoc fine, ut alter ejusdem rationes internas percipiat et propter has assensum praestet. Tum magistri partes agemus sive *docebimus.* Magister docet efficiendo, ut discipulus eandem viam ineat, quam ipse iniverat inveniendo veritatem. Invenimus procedendo a notioribus ad minus nota vel etiam ignota, quae tamen in iis, quae nota sunt, ut quibusdam quasi seminibus continentur. Docendo igitur magister per eandem viam discipulum ducet, monens, ut rebus propositis non assentiat

nisi earum rationibus probe perspectis. In hujusmodi institutionem et magisterium revelationem supernaturalem convertere solent Rationalistae, qui non omnem revelationem negant. Bretschneider, Dogm. I. §. 23, 24.

Possumus veritatem proponere simpliciter *attestando*, ita esse, et hac ratione potissimum utuntur homines, quum de factis agitur, quamvis etiam in rebus ad scientiam pertinentibus attestatio in usu esse possit. Tum testis partes agemus, et provocabimus ad nostram auctoritatem, i. e. ad nostram scientiam et veracitatem, qua utraque testis fide dignus efficitur. Dei attestatione veritates nituntur, quae revelatione supernaturali continentur.

In rem s. *Thomas:* „Est duplex modus acquirendi scientiam: unus, quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur inventio; alius, quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina . . . Processus rationis pervenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones, et ex his in alias. Unde et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in re facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli, per hujusmodi sibi proposita, sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem ignotorum . . . Si autem aliquis alicui proponat ea, quae in principiis per se notis non includuntur, vel includi non manifestantur, non faciet in eo scientiam, sed forte opinionem vel fidem.“ Qq. disp. q. XI. de magistro a. 1. corp.

60. IV. *Revelatio a Deo ipso aut per homines facta; privata, publica.* Revelatio supernaturalis dividitur in revelationem a Deo ipso homini factam aut per hominem aliis hominibus. Dicendo „a Deo ipso factam“ non excluditur angelorum ministerium, quo Deus utatur; excluditur tantum hominum ministerium.

Revelatio utraque dividitur in privatam et in publicam. Privata est illa, quae a Deo ad unum alterumve dirigitur vel destinatur: publica illa est, quae ad societatem aliquam destinatur. Revelatione privata non minus quam publica verum declaratur, quod a Deo revelatur; hinc sequitur, nemini licere falsum dicere illud, quod revelatione privata a Deo traditum esse certo constat. Attamen quod revelatione tantum privata continetur, id positive credendum, saltem profitendum ab illis solis est, ad quos revelatio destinatur, non ab illis, ad quos Deus non loquitur. Cf. *Suarez* de fide disp. 3, s. 10, n. 7.

61. ***Scholion I.*** *Revelationi Dei auctoritate propositae debetur fidei assensus.* Duplice ratione veritati cognitae assentiri possumus pro duplice ratione, quae nos movet. Aut enim rei in seipsa perspectae veritas nos movet, aut aliorum testimonium. Assensus ille ad scientiam pertinet, hic ad fidem. Fides est assensus praestitus propter auctoritatem loquentis. Auctoritas est personae alicujus dignitas, ob quam ei aliquid debetur. Duplex est auctoritas sive dignitas, prout aut ad voluntatem

refertur aut ad intellectum, sive prout exigit aut voluntatis aut intellectus subjectionem. Quum de veritatibus recipiendis agatur, veritas autem intellectum respiciat, patet, agi de illa Dei auctoritate, qua dignus est, ut vera censeamus esse, quae revelat, et qua revera exigit, ut illis ut veris assentiamus. Testis sive loquentis cujuslibet auctoritas scientia et veracitate constituitur: scientia, qua verum novit; veracitate qua, quod verum novit, loquela manifestat. Unde et Dei loquentis auctoritas scientia ejus infinita et veracitate constituitur. Fides divina est igitur assensus Deo loquenti ob ejus scientiam et veracitatem praestitus.

Deberi Deo loquenti hunc fidei assensum, ex ejus infinita scientia et veracitate, quam loquendo manifestat, facile intelligitur. Etenim Deus non tantum supremus Dominus est, sed etiam prima veritas in cognoscendo et loquendo. Unde sicut qua enti supremo et supremo Domino cultus Deo debetur, ita etiam ut primae veritati in cognoscendo et loquendo. Hic autem cultus non exhiberetur, imo diserte negaretur, si Deo loquenti fides non haberetur; loquitur enim ideo, ut patefaciat quid habeat in mente, quum hic sit omnis locutionis finis. Et vero, cohibendo fidem injuriam inferri Deo, vel ex eo patet, quod homini perito et veraci infertur injuria, si ejus testimonio fides non habetur. Quicunque enim alteri loquendo aliquid communicat, exercite dicit, se mereri fidem. Unde et Deus revelando rem quamcunque simul se fide dignum declarat et hoc titulo fidem diserte exigit.

Majorem etiam injuriam homó tunc inferret Deo, si non solum cohiberet assensum, sed diserte etiam dissentiret. Dissensus enim, si Deum locutum esse constaret, involveret negationem aut scientiae aut veracitatis divinae. Cf. *Suarez* de fide disp. XII. S. 1. n. 6. 8.

In fidei naturam alibi accuratius inquirendum est.

62. ***Scholion II.*** *Revelationis conceptus praeposteri.* Alio longe modo revelationem exponunt Rationalismi sive antiquioris sive recentioris asseclae. *Wegscheider*, qui revelationem supernaturalem omnem negat ob hanc potissimum rationem, quod omnis Dei operatio supernaturalis sive miraculosa in Dei opere creato, hinc etiam in ejus auctore, imperfectionem supponat, revelationem universalem intelligit illam, „quae naturalibus animi facultatibus aliisque universae rerum naturae praesidiis efficitur.“ Dein prosequitur: „Particularem eamque mediatam dicimus eam (revelationem), quae continetur complexione rerum secundum naturam evenientium, quibus Deo auctore nonnulli homines praeter caeteros excitati sunt ad verae religionis principia cognoscenda eaque popularium quidem desideriis accommodata et singulari religionis instituto sancita, insigni cum successu aliis tradenda.“ Hinc explicatur, cur homines revelationem supernaturalem esse crediderint. Ait enim: „Hujusmodi revelationis nuncius et quasi interpres, quo magis apertis divinae providentiae documentis adjutus et sancto quodam fervore plenus et virtutis pietatisque studio excellens doctrinae vere divinae i. e. per se verae Deoque dignae semina sparserit, eo verius apud alios homines doctoris seu legati divini auctoritate pollebit.“ Instit. §. 12. Idem principium, quo manifestatio naturalis in locum subit revelationis supernaturalis, et accedente Dei provi-

dentia revelatio proprie dicta in generis humani institutionem convertitur, solet supponi in aliis aliisque revelationis definitionibus, quae identidem emergunt. cf. *Denzinger*, Religiöse Erkenntnis I, p. 213.

Confundi Dei manifestationem naturalem cum revelatione supernaturali manifestum est, quum nonnulli in Dei revelatione immediata triplex distinguunt momentum, prout videlicet Deus qua rerum omnium causa sese manifestat in intellectu, in conscientia (cujus vocem vulgus Dei vocem appellat), in humana libertate; et revelationem mediatam in eo reponunt, ut, quum religiosus sensus illa Dei actione ortus, in aliqua societate altiorem gradum adeptus est, unus eundem prae caeteris experiatur et exprimat; quam ob causam dein a caeteris novae illius religiosae evolutionis auctor sive Dei legatus credatur. Ita *Biedermann*, Christl. Dogm. I. Berlin 1884, §§. 107—111; 148. Idem manifestum est, si declaratur, revelationem consistere in eo, ut homo moveatur et excitetur veritate quacunque intellectuali, non aliunde communicata, neque inquisitione reperta, sed ex ipso animae fundo enata. *Pfleiderer*, Grundriss der christl. Glaubens- und Sittenlehre, Berlin 1886, §. 16. Generatim in naturali quadam excitatione sive in enthusiasmo religioso revelatio a pluribus constitui solet, qui enthusiasmus evadat tantus, ut etiam miracula facta esse credat.[1]) Secundum David *Strauss* illi omnes, qui legati vel prophetae munus sibi vindicarunt, illa, quae clare intellexerant, a Deo sibi immissa crediderunt, nisumque et pruritum ea aliis communicandi pro Dei mandato habuerunt. (*Strauss*. Glaubenslehre, dargestellt von Philalethus. Konstanz 1841, p. 76.) Alia est revelatio, quae nobis e sacris libris innotescit.

---

[1]) *Pfleiderer* (l. c. p. 18.) revelationis conceptus, qui apud Protestantes recentiores vulgares sunt, ita exhibet:

Nach *Hegel* ist die Religion Erzeugnis der göttlichen Offenbarung, die aber mit der wahren Vernunft nicht im Gegensatze steht. Es ist das Wesen Gottes als Geist, sich zu offenbaren für den Geist; die Geschichte der Religion ist die Geschichte des Offenbarwerdens des göttlichen Geistes im menschlichen Bewusstsein; insbesondere ist die christliche Religion die geoffenbarte im höchsten Sinne, weil sie zu ihrem Inhalt hat das Offenbargewordensein Gottes als des Geistes und der Liebe im Bewusstsein der Menschheit.

Nach *Biedermann* ist die Offenbarung, die den metaphysischen Grund der subjectiven Religion bildende Selbstmittheilung Gottes an und in den Menschen, an welcher die drei Momente zu unterscheiden sind: Gott offenbart sich dem Menschengeist 1. als sein unendlicher Grund im Vernunfttrieb, 2. als seine unendliche Norm im Gewissen, 3. als seine unendliche Kraft in der Erhebung zur religiösen Wahrheit, Seligkeit und realen Freiheit. Diese innengeistige Offenbarung ist die einzig wirkliche, die Darstellung äusserer supranaturaler Offenbarungsereignisse beruht auf der Identificirung des göttlichen Offenbarungsmoments mit seiner menschlichen Vermittlung.

Rothe und *Dorner* wollen an der Offenbarung die innere Seite der Inspiration von der äussern der Manifestation unterscheiden: jene bestehe in einer Einwirkung Gottes auf den ganzen theoretischen und praktischen Geist des Menschen, dessen Selbstthätigkeit dadurch nicht aufgehoben, sondern gesteigert werde; diese in einer Bewirkung ausserordentlicher Naturereignisse als Zeichen zur Weckung der Aufmerksamkeit und des Glaubens.

Die *Ritschel*'sche Theologie versteht unter Offenbarung das Werturtheil der Gemeinde, welche in gewissen geschichtlichen Persönlichkeiten eine, ihrer objectiven Beschaffenheit nach für uns nicht erkennbare Kundgebung Gottes anerkenne, verwirft aber die Annahme einer innern Offenbarung Gottes im menschlichen Geist als falsche Mystik und Schwarmgeisterei.

Articulus II.

De revelationis, quae destinatione est publica, conditionibus.

Revelatio, ut publica fieri possit, in illis, quibus primum facta est, plura sibi expostulat, quam quae ipsa sua destinatione nonnisi privata est; unde revelatio, de qua nobis agendum est, demonstrari non potest possibilis, nisi etiam demonstretur, conditiones eidem proprias locum habere posse.

Propositio 13. *Supposita Dei voluntate religionem hominibus revelandi, congruum erat, ut ea primum communicaretur nonnisi paucioribus, qui eamdem Dei auctoritate communicarent aliis.*

63. Pauciores illi, quibus Deus doctrinam aliquam hominum societati destinatam primum manifestat, prophetae vocari solent, quum prophetia non tantum rei futurae, sed omnis veritatis homini naturaliter absconditae supernaturalem cognitionem significet. Dei legati vocantur respectu habito illorum, quibus doctrinam a Deo acceptam communicare jubentur.

Contrarium ejus, quod asserimus, tenent plures Pseudomystici, Protestantismi surculi, ut Anabaptistae et qui Quakeri vocantur. Illi, „Enthusiastae", in articulis Smalcaldicis accusantur, quod „jactitant, se ante verbum [externum] et sine verbo Spiritum habere, et ideo scripturam sive vocale verbum judicant, flectunt et reflectunt pro libitu, ut faciebat Monetarius (Münzer), et multi adhuc hodie." Art. 8. Quakeri alio et alio modo sententiam suam proponunt. Barclaius, eorum reformator, ita statuit: „Scripturae quoniam solummodo sint declaratio fontis et non ipse fons, ideo non existimandae sunt principalis origo omnis veritatis et cognitionis, nec adaequata primaria regula fidei et morum; licet, cum dent verum et fidele testimonium primae originis, sint et possint existimari regula *secundaria, subordinata Spiritui*, a quo quam habent excellentiam et certitudinem derivant." Thes. 3. apud *Niedner*, Gesch. d. christl. Kirche, p. 723. Alias docet, religionem christianam constitui duplice fide: altera historica, quae versetur circa Christi ortum, vitam, mortem et resurrectionem: altera, quae sit essentialis. Illam, quam integrantem vocat, plerumque e scripturis hauriri; istam revelatione immediata niti. Vid. ejusdem epist. apud W. *Sewel*, The history of the Quakers, London 1722, p. 538. Altera Quakerorum pars duce Elia

Dagegen ist nach *Lipsius* der Offenbarungsbegriff nur richtig zu verstehen unter Anerkennung der Wechselbeziehung zwischen äusserer (geschichtlicher und innerer (mystischer) Offenbarung, indem jene als ursprüngliche Grundthatsache die objective Norm, diese die subjective Vergewisserung der religiösen Wahrheit für den Glauben der Gemeinde bildet. §. 15.

Ipse autem *Pfleiderer* ita definit: Offenbarung ist jedes ursprüngliche Innewerden und Ergriffenwerden von einer übersinnlichen Wahrheit, welche, weil nicht aus äusserer Mittheilung noch aus willkürlicher Reflexion, sondern aus dem unbewussten und ungetheilten (transcendentalen) Grund der Seele stammend, als eine durch menschliche Seelenthätigkeit vermittelte Mittheilung Gottes empfangen wird. §. 16. Itaque quod vocatur revelatio divina, nascitur quidem ex ipsius animae fundo, sed quia nec ab aliis accipitur nec propria reflexione paratur, ideo Deo ut per humanae mentis operationem agenti tribuitur.

Hicks (1820) Scripturas sacras penitus abjecit. V. *Neander's* Dogmengesch. II. p. 227. Universe loquendo tribuunt omnia „lumini interno", revelationi singulis immediate factae. (Wilhelm Penn's Kurze Nachricht von dem Ursprunge und Fortgange der Leute, die man Quäker nennt. 2. Abschnitt. London 1793.)

Probatur 1. *ex ordinis naturalis et supernaturalis concentu.* Merito supponitur, si Deus ordinem supernaturalem inducere statuat, huic non defuturam pulchritudinem illam, quae in ordine naturali ex intimo rerum nexu exoritur. Deesset autem illa pulchritudo et ille nexus, si nullo statuto quasi capite et fonte revelationis communi Deus singulis immediate illam veritatum et officiorum summam manifestaret, qua religionem supernaturalem et communem formari vellet. Et vero, creato uno homine vel etiam, ut hoc loco fingere fas est, paucioribus, a quibus totum genus humanum produceretur, omnes homines constituuntur unius familiae filii intime sibi sociati. Unius familiae speciem referet religio revelata, si bona supernaturalia, imprimis veritas revelata, ex uno fonte visibili et uno capite descendunt in omnes; dempto autem hoc capite uno, minus cohaerebunt membra.

2. *e majore singulorum utilitate.* Utilissimum singulis est, ut aliorum, a quibus doceantur, magisterio externo sese submittendo obedientiae exercendae occasionem ampliorem nanciscantur, ab illusionibus praeserventur, in ejusdem religionis et fidei unitate conserventur. Hic autem obedientiae fructus non subsisteret, si Deus ipse singulis, quae discenda, credenda, facienda sunt, immediate revelaret.

3. *ex ampliore perfectionum divinarum manifestatione.* Commendabitur potentia, si Deus quosdam constituit, qui bona supernaturalia in alios possint transfundere, ut parentes, divinae potentiae participes, bona naturalia transfundunt in liberos. Commendabitur bonitas, si suae auctoritatis in rebus supernaturalibus quosdam reddit participes, ut in ordine naturali nonnulli auctoritate ex Deo descendente praediti sunt. Commendabitur sapientia, si quemadmodum in ordine naturali vires creaturarum otiosas esse non patitur, ita in ordine supernaturali creaturis utitur ad fines altiores prosequendos. Porro quamvis Deus ad perfectiones suas ampliore gradu manifestandas minime adstringatur, tamen non licet supponere, fore, ut in operibus supernaturalibus minus reluceant quam in operibus ordinis naturalis.

Concludendum igitur est cum s. *Thoma* ita docente: „Quum quae a Deo sunt, ordine quodam agantur, in manifestatione eorum, quae sunt fidei, ordinem quendam observari oportuit, scilicet ut quidam immediate a Deo reciperent, alii vero ab his,

et sic per ordinem usque ad ultimos.“ Cont. gent. l. III, c. 154. Inepte asserit *Bretschneider*. ingentis esse temeritatis inquirere, cur revelationem, quam cum educatione confundit, Deus per paucos ad societatem derivare voluerit. Dogm. l. §. 22. Non est temerarium in operibus divinis illum ordinem deprehendere, quem Deus iisdem indidit, simulque ostendere, ordinem hunc attributis ejus infinitis maxime congruere. 64. *Objic.* Sectarii, qui revelationem externam ejusque per homines derivationem negant, quandoque provocant ad quosdam scripturae locos, ut: „Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae etc.“ Joël, 2, 28. Act. 2, 17. „Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.“ 1. Joan. 2, 27. „Unus est magister vester, omnes autem vos fratres estis.“ Mtth. 23, 8.

Resp. At 1. si, ut sectarii fatentur, Deus per scripturas sacras vel scriptores inspiratos ad nos loquitur, verum jam non est, quod asserunt, Deum ad singulos ita loqui, ut revelatio non transfundatur ex paucioribus ad integram hominum societatem.

2. Illis ipsis locis, qui afferuntur, non excluditur, sed insinuatur revelationis propagatio per legatorum specialium praedicationem. Nam Petrus et Joannes aliique, qui verba illa referunt vel usurpant, divinae revelationis propagandae se ministros exhibent et submissionem exigunt.

3. Adversarii confundunt revelationem cum auxilio interno, quo homo ad illam admittendam juvatur. Revelatio est veritatum absconditarum manifestatio, quae fiebat per Christum et Apostolos praedicantes. Auxilium internum non versatur circa novas veritates distinctas ab illis, quas praedicabant Apostoli, sive non est novarum veritatum manifestatio; auxilio interno suadetur, excitatur et juvatur assensus ad veritates praedicatione externa propositas. Quia circa veritatem suscipiendam versatur, vocari potest magisterium internum, et Deus interne suadens illum assensum recte vocatur magister internus, quum magister sit et doceat, qui efficit, ut veritatem per alios propositam intelligamus vel credamus. cf. Suarez de fid. disp. 4, s. 1. Oviedo de fid. Controv. 4, p. 6.

„Fragmentorum“ auctor (Reimarus) revelationem illam communem ideo impossibilem esse contendit, quod ea admissa sequatur, Deum continuo operari miracula atque sic ipsum naturae ordinem invertere. Lessing's Werke, 15. Th. II. Fragm. p. 124. — Confundit Dei operationem supernaturalem internam cum miraculorum productione. Miraculorum operatio est quaedam operatio supernaturalis, non omnis operatio supernaturalis est miraculorum operatio. Deus continuo in hominum mentes agit supernaturaliter, gratiam largiendo; haec gratiae collatio non vocatur miraculorum operatio.

Propositio 14. *Ut homo religionem sibi manifestatam aliis Dei auctoritate communicare possit, requiritur, ut praeter doctrinae veritatem etiam certo cognoscat, eam a Deo sibi esse manifestatam, et quidem hoc consilio, ut eam aliis communicet.*

Tria, quae asseruntur, dicimus requiri, non dicimus sufficere; nondum enim agimus de illis, quae requiruntur, ut homo aliis se Dei legatum esse demonstret. Tria illa ita sunt distincta, ut primum sine secundo, secundum sine tertio esse possit. Potest enim homini a Deo veritatis intelligentia ita communicari, ut homo aut penitus ignoret aut saltem non certo sciat, eam sibi communicatam esse a Deo. Potest eidem rei intelligentia communicari ita, ut Deum ejus auctorem cognoscat, attamen nullum imponatur mandatum communicandi aliis, quod ipsi est manifestatum, vel ut homo mandatum sibi impositum esse non certo cognoscat. Cognita autem sive reve-

latione divina sive mandato divino homo et divinam doctrinae originem et ejusdem veritatem cognoscit, etiamsi fortasse hanc non in seipsa perspiciat. Quidquid enim nititur Dei testimonio, quod in ipso mandato continetur, est divinitus verum. Ex ipso mandato haec veritatis cognitio hauritur. Unde secundum adesse non potest sine primo, et tertium adesse non potest sine secundo et primo.

65. Pars I. Necesse est, ut legatus doctrinae, quam communicaturus est, veritatem certo cognoscat.

Probatur *ex obligatione vitandi falsitatem.* Legationis finis est, ut homines certo et indubie teneant, quod eis denunciatur. Id autem legatus intendere licite non potest, nisi sciat, se hominibus non fore errandi causam, sive nisi sciat, verum esse quod denunciat.

66. Pars II. Necesse est, ut certo sciat, doctrinam a Deo sibi esse manifestatam.

Probatur *ex indole divina tributa doctrinae.* Legatus doctrinam communicat non ut quomodocunque, sed ut divinitus veram. Ut talem autem deferre eam non potest, nisi norit, Deum esse ejusdem auctorem sive a Deo eam sibi esse manifestatam.

67. Pars III. Necesse demum est, ut certo ei constet, Dei esse voluntatem, ut eam hominibus communicet.

Probatur *e legati titulo sibi attributo.* Dei nomine et auctoritate communicando doctrinam homo aut formaliter aut virtualiter Dei legatum se exhibet et profitetur. Id autem non licet, nisi certo sciat, se Dei voluntate constitutum esse legatum sive ad doctrinam hominibus communicandam missum. Nam nisi id certo sciat, mendacii reus est eo perniciosioris, quod injungeret credendi obligationem, quum non esset. Cf. S. *Thom.* 2, 2, q. 171, a. 5. *Suarez* de fide disp. 8. s. 4. *Tanner* tom. 3. disp. I, q. 7, dub. 6, n. 142.

68. *Objici* potest, argumentationem nostram niti in eo, quod homo moraliter male ageret Dei auctoritate doctrinam proponendo dum triplice, quam diximus, cognitione caret: haec autem ratio cessat, quam primum supponitur, prophetam, dum doctrinam annunciat, ecstasi ita abripi, ut sui sibi non sit conscius. Id autem supponere licet. Quod si fieret, homo non quidem esset Dei instrumentum humano i. e. morali modo agens, esset tamen instrumentum, videlicet physicum. Et vero fieri quandoque videtur, ut prophetae saltem sensuum exteriorum usu careant.

Resp. Praenotandum imprimis est, prophetiam duplici actu constare: rerum absconditarum cognitione et earundem denunciatione. Deinde distinguendum est inter intellectus ligationem, qua verum de rebus ei obversantibus judicium impeditur; et inter abstractionem a sensibus, qua nimirum sensuum exteriorum usus cessat, quod fit modo ob causam naturalem et ordinariam, ut in dormientibus, vel illis qui toto conatu attendunt ad res intellectuales aut imaginarias; modo ob aegritudinem, ut in phreneticis. Si sensuum usus aegritudine impeditus est, impeditum etiam est intellectus judicium; si causa naturali ordinata impeditus est, judicium maxime viget, quum causa illa est ipsa ad res intellectuales vel imaginarias vehemens attentio; vigere saltem potest, si solo somno ligantur sensus exteriores. Ex his patet responsum.

1. Quum propheta res absconditas, quas communicet aliis, divinitus percipit, intellectu nullatenus impedito percipit triplicem illam, quam diximus, veritatem, ut rationes allatae evincunt. Neque potest supponi, Deum ita agere in hominem, ut hic sui non sit conscius et recto de sebus judicio careat. Prophetia enim hominem perficit; non perficeret, sed deprimeret, si eum in phreneticorum conditionem redigeret. — Potest tamen accidere, ut propheta, divinitus percipiens veritates, sensuum usu privetur: hac enim privatione, si interiorum objectorum cognitio juvatur, homo non deprimitur, ut patet in illis, qui ob intensam rerum intellectualium contemplationem sensibus quandoque abstrahuntur. Quod si fiat, rapi sive ecstasin pati dicitur: ecstasis enim est divinitus facta mentis humanae elevatio ad supernaturalia contemplanda cum abstractione a sensibus. S. *Thom.* 2, 2, q. 175, a. 1. Si vero, dum a Deo docetur, ob causam naturalem sensuum usu jam careat, ut fit in somnio, nihilominus ob rationes ante allatas vero de rebus judicio divinitus uti dicendus est. S. *Thom.* Qq. disp. de verit. q. 12, a. 9, in c.

2. Quum propheta res perceptas aliis Dei nomine denuciat, non tantum vero de rebus judicio, sed etiam exterioribus sensibus utitur. Concluditur id ex antea dictis. Prophetiae donum hominem perficit modo, qui homini congruat. Loqui autem sine intelligentia rerum et libero sensuum usu non perficit hominem, quum ita loqui non sit hominis rationis usu gaudentis, sed somniantium aut amentium. Praeterea parum consonum foret fidem habere nuncio, qui nec ipse sciret, a quo missus sit, nec cognosceret illos, ad quos mittitur.

Merito igitur *Montanus* ejusque asseclae, prophetas se fingentes, inter falsos prophetas adnumerati sunt vel ex eo, quod prophetis verum de rebus judicium negarent, eosque a sensibus abstractos vaticinia fundere asseverarent. Mentis illa turbatio et sensuum inter loquendum abstractio vatem a daemone agitatum prodere censebatur. *Euseb.* h. e. V, 17.

De Montano ita s. *Hieronymus:* „Neque vero, inquit, ut Montanus cum insanis feminis somniat, Prophetae in ecstasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent.“ Praef. in Is. Adductis in eam rem variis scripturae locis, quibus Prophetae vocantur videntes, ita pergit: „Ex quo Montani deliramenta conticeant, qui in ecstasi et cordis amentia prophetas putat ventura dixisse; neque enim videre poterant quod ignorabant.“ In Is. c. 1, v. 1. cf. *Denzinger,* Relig. Erkenntn. II. p. 228.

Articulus III.

De revelationis in se spectatae possibilitate.

69. In seipsa spectatur revelatio, quatenus interim non attenditur ad modum, quo fiat, nec ad veritates quasdam speciales i. e. mysteria, in quarum revelatione singularis difficultas a nonnullis reponitur.

Possibilem esse negarunt plures Deismi et Rationalismi asseclae, et quidem vel ideo, quod Deus stabilitum mundi ordinem non amplius immutet, vel quod externus hominem docendi modus rationi repugnet, vel quod revelatio genuina a spuria discerni non possit.

Rationes quibus possibilis demonstratur, non minus ad mediatam quam ad immediatam revelationem applicari possunt. Potissimum tamen de revelatione immediata agendum est, quum hac demonstrata possibili ultro sequatur, possibilem esse mediatam, quae videlicet commercio humano peragitur. Quaestio quae de mediata revelatione moveri potest, non ejus possibilitatem internam spectat, sed modum, quo vera a falsa revelatione distingui possit.

Propositio 15. *Possibilem esse revelationem, qua Deus ipse per se homini abscondita manifestet, et quidem ita, ut homo simul cognoscat, Deum esse auctorem revelationis, quae etiam aliis communicanda sit, e Dei et hominis natura constat.*

Veritatem absconditam hic vocamus illam, quae per naturam aut omnino non manifestatur, aut si manifestatur, ab illo cui Deus eam nunc revelat, vel penitus non cognoscebatur, vel saltem non eo modo, quo jam per revelationem cognoscitur. Novo modo cognoscitur, quod cognoscitur novo medio. — Aliud est demonstrare, revelationem esse possibilem, aliud demonstrare, eam non posse ostendi impossibilem. Nam non omne id, quod non demonstratur impossibile, eo ipso demonstratum est possibile, ut perperam statuunt nonnulli, inter quos est Hermesius (Einleitung §. 75). cf. infra n. 86. Possibile in se demonstratur aliquid, si rationes, ob quas esse possit, afferuntur. Hoc modo revelatio demonstratur possibilis.

Hic interim de physica tantum revelationis possibilitate nobis agendum est; moralis enim possibilitas elucescet, quum demonstratum fuerit, revelationem Dei sapientiae ac bonitati ut et humanae naturae esse consonam. Inter rationes, quae pro physica revelationis impossibilitate proferuntur, fere unica est, quae magis ad rem pertinet, et quam urget J. Gottlieb *Fichte* (Versuch einer Kritik aller Offenbarung §. 5) ostensurus, dubium semper fore, utrum qui homini loqui videatur, Deus sit necne. Alii de sola impossibilitate morali agunt aut hanc cum physica confundunt.

70. Pars I. Veritas abscondita a Deo homini manifestari potest. A Deo homini veritatem manifestari etiam tunc dicimus, si forte Deus per angelum ad hominem loquatur.

Probatur 1. *e potentia immediate operandi.* Sine dubio quod Deus continuo facit per naturam, id etiam ipse per se facere potest. Continuo veritates adhuc absconditas homini aperit per naturam; per res enim creatas tamquam per effectum aperit nobis causam aut proximam aut ultimam; ergo et ipse per se veritates docere nos potest. Et vero si Deus creaturas novas nunc produceret, nova nos doceret per creaturas novas, novo videlicet modo potentiam suam et sapientiam manifestans; nemo autem dixerit, Deum non posse per se, quod faceret per creaturas illas novas.

2. *e comparatione cum teste et magistro humano.* Deus in hominis mente idem sane efficere potest, quod omnis testis in nostra, omnis magister in discipuli mente producit, imo etiam

ampliora, quum Deus, utpote hominis creator, in ipsum intellectum interne agere et ejus intelligendi vim augere possit, quod magister respectu discipuli non potest. Testis humanus nobis aperit nova, magister nova docet discipulum, dum eum per varia signa ad veritatem novam cognoscendam perducit; ergo multo magis Deus hominum magister esse eosque ad nova cognoscenda perducere potest.

3. *e comparatione cum legislatore humano.* Si Deus modum, quo colendus sit aut coli velit, praescribere et patefacere hominibus non posset, ejus auctoritas et potestas non eo usque se extenderet, quousque vel regis auctoritas et potestas in subditos, aut parentum in liberos; et homines ex Deo minus penderent, quam subditi e principe, imo et inter se mutuo, dum alter alteri sensa sua ac voluntatem patefacit. At manifesto absurdum est dicere, legislatorem supremum carere auctoritate et potestate illa, quam ipse contulit legislatori humano et cuicunque praecipienti, aut mediis manifestandi illis, quae ipse contulit hominibus. Quomodo loqui hominibus non posse dicatur, qui loquendi facultate instruxit homines?

71. Pars II. Veritatis manifestatio a Deo fieri potest ita, ut homo simul cognoscat, Deum manifestationis esse auctorem.

Probatur 1. *e causae comprehensione inter cognoscibilia.* Ut veritas manifestata, ita etiam manifestationis causa efficiens sive auctor intra rerum cognoscibilium ambitum continetur; unde ad hanc specialem veritatem applicari potest, quod antea de omni veritate diximus, nimirum posse eam aperiri per Deum, qui per se potest efficere, quod continuo efficit per causas secundas, et qui efficacius docere potest omni magistro humano.

2. *ex analogia ad ordinem naturalem.* Deus homini auctorem sese exhibet eorum, quae in mundo sive visibili sive invisibili, i. e. in hominis anima, operatur; e mundo enim aspectabili et ex ipsa nostra conscientia Deum cognoscimus. Supponere non licet, Deum in ordine supernaturali non posse id, quod in ordine naturali continuo praestat. Nihilominus Deus in ordine supernaturali minus potens esset, si effectus quidem supernaturales in anima i. e. cognitiones quasdam producere, horum vero effectuum sese auctorem exhibere non posset.

3. *e conclusione ab effectu ad causam.* Hominis est, ex effectibus ratiocinando pertingere ad causam et ex effectuum qualitate concludere, cujusmodi fuerit eorum causa; ergo etiam e revelationum supernaturalium indole indolem causae saltem tunc cognoscere poterit, si effectuum indoles supernaturalis satis manifesta

est aut si Deus, quod sane potest, motibus internis addit signa visibilia, ut fecit Moysen alloquens in rubo, et Abrahamo praedicens Sodomorum conflagrationem mox secutam. Apertissime autem Deus sese revelationis auctorem exhibuit, quum homo factus inter homines conversans apostolos docuit eisque sese Deum exhibuit.

72. Pars III. Deus homini simul finem revelationis patefacere eumque docere potest, veritatem revelatam aliis esse communicandam.

Probatur 1. *e finis comprehensione inter cognoscibilia.* Revelationis finis non minus intra rerum cognoscibilium ambitum continetur, quam ejusdem causa efficiens; unde ob quas rationes veritatis cujusvis revelatio possibilis dicenda est, ob easdem revelari etiam potest, veritatem supernaturaliter cognitam aliis esse communicandam.

2. *e supremo Dei dominio.* Supremum Dei dominum omnino exigit, ut positiva etiam voluntate ministros constituere possit, quemadmodum princeps quilibet suos sibi statuit ministros. Ad hoc autem requiritur, ut suam illis voluntatem patefacere et mandata specialia eisdem committere possit, sicut et princeps quoslibet auctoritate vestire eosque docere potest, quae ipsis auctoritas collata sit.

Tota haec doctrina confirmari potest *populorum consensu* et communi hominum persuasione. Semper enim creditum est ab hominibus doctis et indoctis. Deum veritates ita communicare posse, imo et quibusdam communicasse, ut nossent Deum sibi esse locutum seque ad alios docendos deputari. *Plato* quidem censet, Delphis petendas esse leges de rebus divinis, sacerdotum autem electionem, si sacerdotia non sint haereditaria, Deo committendam, hinc qui hoc munere functuri sint, sorte esse eligendos.[1]) Idem visum erat *Socrati.* Nam „divinis in rebus constabat eum et facere et loqui eo modo, quo Pythia respondet consulentibus quid faciendum sit, vel de sacrificiis, vel de cultu majorum, vel de alia re quapiam, quae hujus sit generis.“ Ita *Xenophon* (Memor. I, c. 3). *Cicero* illa, quae ad religionem pertinent, a majoribus repetenda esse docet, atque inter alias hanc affert causam: „Antiquitas quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.“ Tusc. disp. I, 12, n. 26. Supponit, genus humanum primitus a numine edoctum fuisse. Majore tamen quam gentiles auctoritate pollent tum Hebraei tum Christiani, non solum quia utrique in rebus divinis melius fuerunt versati, sed etiam quia e factis ipsis revelationis possibilitatem intulerunt.

Obj. 1. Argumentum e populorum consensu Rationalistae nonnulli elidere conantur dicentes, populos omnes numinis cultum e revelatione repetiisse ideo, quod, mentis legum ignari, singulas affectiones et cogitationes extraordinarias ad causam altiorem referre consueverint. (Wegscheider, Instit. §. 8).

[1]) *Ἐκ Δελφῶν δὲ χρὴ νόμους περὶ τὰ θεῖα πάντα κομισαμένους καὶ καταστήσαντας ἐπ' αὐτοῖς ἐξηγητὰς τούτοις χρῆσθαι.* De leg. VI, c. 7.

Resp. Licet forte poetae extraordinaria pleraque numinis alicujus virtuti tribuerint, tamen illa sola tribuerunt, quae fieri posse existimabant. Philosophi autem illa, quae homo ipse efficiat, probe distinxerunt ab illis, quae numinis virtuti debeat. Caeterum ipse error, quo revelationem genuinam extendebant ad id, quod non erat revelatum, docet, eos revelationem censuisse possibilem.

Falsum est quod addunt adversarii, „neque Patres neque theologos aut philosophos scholasticos revelationis notionem argumentis philosophicis illustrare et stabilire conatos est.“ Wegscheider ib. §. 9. Sufficit legere, quae s. *Augustinus* non uno in loco de revelatione disputat v. g. De gen. ad litt. XII, 7, seqq. Ad Simplician. II, q. 1. S. *Thomas* autem et scholastici theologi de revelatione ejusque modis prolixas instituunt disputationes, ad quas supra (Prop. 14) jam remisimus.

Obj. 2. Alii tum Deo parum dignum esse existimant supponere, eundem „locutum esse ad atheistarum turbam“, videlicet revelatione primitiva, tum humanae naturae parum congruere, ut aliunde doceatur, quum teste apostolo (Act. 17, 27) Deus potius velit, ut homines „quaerant Deum, si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.“ Max. *Müller*, Einleitung in die vergleichenden Religionen. p. 124.

Resp. Objectio male supponit, hominem, si aliquando revelatione supernaturali donatus fuerit, antea necessario fuisse atheum, quum tamen cognitio Dei per creaturas aut tempore aut natura necessario praecedat cognitionem per revelationem. Pariter male supponit, Deum, si revelationem supernaturalem impertiatur, non velle, ut homines etiam per creaturas Deum cognoscant, praesertim tunc, si revelationem supernaturalem quomodocunque amiserint, ut factum erat in illis, ad quos loquitur apostolus.

Articulus IV.

De variis revelandi modis.

73. Etsi revelationem possibilem esse satis demonstrari potest modo, quo fiat, non percepto, apertius tamen ejusdem possibilitas elucescit expositis variis modis, quibus Deus uti possit; atque de eis data opera quaestionem instituere eo opportunius est, cum adversarii nonnulli revelationem possibilem negare soleant negando, possibilem esse modum, quo Deus homini loquatur. Modos distinguimus varios secundum variam cognitionem, qua propheta sive legatus divinus percipere potest, quae in hujusmodi revelatione contineri antea diximus (Prop. 14), videlicet prout aut ipsa rei intelligentia, aut divina auctoritate, aut instinctu interno illa attingit. Si triplex hic modus possibilis est, falsa est Rationalistarum sententia, qui praeter internam illuminationem negant alium modum esse possibilem.

Propositio 16. *Deus veritatum absconditarum cognitionem homini communicare potest efficiendo, ut mens I. clare intelligat res ipsas; simulque II. clare percipiat sive videat, eas sibi a Deo manifestari; et quidem III. hac intentione, ut Dei nomine aliis communicentur.*

Tria illa momenta, quae in revelatione immediata contineri

diximus, legato innotescere possunt clara intelligentia, quae a fide distinguitur.

74. Pars I. Non quidem asserimus veritatum omnium, etiam mysteriorum cognitionem hoc modo communicari posse; sufficit absolute, si communicari hac ratione illae possint, quae humano intellectui per se non sunt imperviae vel quae ideo tantum ignorantur, quia libera Dei ordinatione nituntur.

Probatur 1. *e Dei potentia excitandi rerum imagines et augendi lumen intellectus.* Ad rem antea ignotam ita percipiendam et intelligendam, ut propter ejus veritatem propriam, non propter proponentis auctoritatem assentiamus, requiritur et sufficit, ut speciebus convenientibus proponatur et mentis lumen sive acies ea, quae proponuntur, penetret sive nexum internum perspiciat; animam esse immortalem intelligimus, quia clare perspicimus, immortalitatem ab anima abesse non posse, quum sit spiritualis. At Deus res a naturali cognitione remotas imprimis apte exhibere potest imaginibus sive externis i. e. corporalibus, sive internis, quas scilicet excitat aut in phantasia aut immediate in intellectu. Quod enim per creaturas, id multo magis ipse praestare potest. Dein mentis aciem augere et juvare potest, non tantum indirecte, sicut ipsa corporis dispositio, e qua phantasiae operatio directe pendet, intellectum indirecte juvat, sed etiam directe; nam cum omnis creatura Deo penitus submissa sit, potest in eam ita influere, ut creatura non jam sola sua propria, sed etiam Dei utpote causae principalis virtute agat. Ergo cum Deus res absconditas per imagines sive species hominis facultatibus proponere simulque intellectum ad eas intelligendas juvare possit, efficere sane potest, ut eis tamquam clare intellectis assentiat. Cf. S. *August.* Ad Simplician. l. II, q. 1. S. *Thom.* 2, 2, q. 173, a. 2. *Suarez* de fide disp. 4, s. 1, n. 5; disp. 8, s. 5, n. 5.

2. *e Christi hominis clare intelligentis exemplo.* Supposita fide, ad rem de qua agitur magis illustrandam e Christi Domini exemplo argumentari licet. Quod enim in legato primario evenit, id gradu sane inferiore in caeteris legatis fieri posse et ex parte factum esse merito supponitur. Constat, Christum hominem omnia, quae hominibus revelavit, scientia i. e. intelligentia clara cognovisse; fidei enim, utpote cognitionis obscurae et imperfectae, incapax erat. S. Thom. 3, q. 7, a. 3. Ergo merito admittitur, etiam reliquos legatos saltem pleraque intelligentia cognoscere potuisse et aliqua hac ratione revera cognovisse.

75. Pars II. Duplice quidem modo mens clare percipere potest, Deum esse manifestationis auctorem; percipere enim clare potest aut videndo aut audiendo. Haec posterior perceptio Deum attestantem pro objecto haberet, qui auditu supernaturali non minus clare percipi potest, quam homo attestans auditu naturali a nobis percipitur. De priori tantum modo interim agimus.

Probatur 1. *e comparatione causae supernaturalis cum naturali.* Ut mens clare percipiat causam illorum, quae in ipsa geruntur, requiritur et sufficit talis influxus divinus, quo idonea fiat ad penetranda illa, quae divinitus in ipsa fiunt. Quum enim opera supernaturalia sui causam non minus manifestent quam opera naturalia, intellectus, qui secundum omnes aut saltem plures rationes opera illa attingit, in operum indole supernaturali deprehendet eorum causam supernaturalem, ut plurimorum effectuum naturalium causam naturalem clare percipit. At intellectus, qui divinitus elevatur ad veritatem objectivam intelligendam, a Deo etiam elevari poterit ad intelligendam manifestationis originem; nam haec non est difficilior intellectu quam illa.

Novimus, mentem prophetae modo ad plura modo ad pauciora a Deo elevari. Nam, ut s. Thomas animadvertit, „movetur mens prophetae non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum; et quandoque quidem ad omnia tria simul; quandoque autem ad duo horum, quandoque vero ad unum tantum. Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens prophetae movetur ad aliquid aestimandum vel apprehendendum, quandoque quidem inducitur ad hoc, quod solum apprehendat rem illam, quandoque autem ulterius ad hoc, quod cognoscat, haec sibi esse divinitus revelata.“ S. *Thom.* 2, 2, q. 173, a. 4.

2. *e Christo exemplo.* Supposita jam revelatione idem declaratur Christi exemplo. Christus homo scientiae suae infusae originem divinam profecto norat, quum ignorantia cum ejus dignitate conciliari nequeat; fide eam nosse non poterat; ergo scientia clara eam norat. Quod in Christo prophetarum principe et exemplari modo perfectissimo locum habebat, id modo aliquo imperfectiore in reliquis prophetis evenire concludendum est.

76. Pars III. Efficere denique Deus potest, ut homo clare intelligat, Dei esse voluntatem, ut quae intellexit, Dei nomine aliis enunciet. Etiam hic intelligentiam a fide distinguimus.

Probatur 1. *ex analogia signorum ordinis supernaturalis ad signa ordinis naturalis.* Dei voluntas clare intelligitur, si cognoscitur e signis, quae ipsa sua natura in ejus cognitionem ducunt, eo fere modo, quo hominis voluntas cognoscitur ex ejus operibus; saepe enim accidit, ut homo voluntatem suam operando magis

aperiat, quam loquendo, imo ut operando eam prodat, dum loquendo maxime obtegere tentat. At Deus, legis naturalis auctor et promulgator, operibus ordinis naturalis ut totidem signis voluntatem suam quotidie manifestat; ergo operibus et signis ordinis supernaturalis non minus eamdem manifestare poterit. Porro illa voluntatis manifestatione quae fit per opera creationis, non fides gignitur, sed intelligentia: ergo idem dicendum de operibus et signis analogis supernaturalis ordinis.

2. *ex analogia ad Christi cognitionem.* Christus homo Patris voluntatem, qua ejus legatus constituebatur, intellectu humano non minus certo norat, quam cognitionis suae infusae divinam originem. Nec tamen fide eam norat ob rationem jam indicatam; ergo intelligentia; ac proinde reliquis etiam prophetis modo simili voluntas divina patefieri potest.

Rationalistae potissimum contendunt ostendere, hominem numquam certo cognoscere posse, quae percipit, a Deo sibi infundi; aut enim, ita argumentantur, admittendus foret in homine sensus aliquis specialis, quo divina perciperet, aut supponendum, inspirationem divinam in se ipsa habere aliquid, quo tamquam divina distinguatur; utramque vero hypothesin esse gratuitam affirmant. *Bretschneider* l. c.

At merito admittitur, inspirationem divinam habere aliquid in se ipsa, quo tamquam divina distinguatur, licet intellectus non adjutus divinitus discrimen, quod inter ipsam et cogitationem naturalem intercedit, non certo percipiat. Alia enim est indoles inspirationis divinae, alia cogitationis naturalis: res autem per ipsam suam indolem sive naturam cognoscibiles sunt.

Adversarii etiam ex eo, quod nos nonnullarum cogitationum originem nullo criterio certo cognoscere sive cogitationes divinitus productas a naturaliter exortis distinguere non possimus, inferunt, nec Prophetam cognitionum suarum originem certo posse cognoscere.

Male id inferunt, quia nos non patimur influxum divinum illum, quem in homine possibilem esse ostendimus. Non asserimus, cognitionibus supernaturalibus quibusvis inesse originis divinae vestigia tam manifesta, ut semper et ab omnibus sine speciali intellectus illuminatione certo cognosci possint.

Propositio 17. *Deus veritates absconditas homini communicare potest attestando, et quidem ita, ut ille, cui communicantur, Dei attestationem infallibilem aut clare et evidenter, aut obscure, certo tamen percipiat.*

77. Pars I. Attestatione immediata communicari possunt veritates omnes, etiam mysteria, quia quod testimonio communicatur, non in se ipso cognoscitur, sed tantum in alterius attestatione.

Probatur 1. *e varia locutione possibili.* Deum veritates quascunque attestando proponere posse, facile patet e locutione multiplice, qua Deus uti potest. Imprimis enim uti potest locutione externa, ut e rubo allocutus est Moysen, et Christus redivivus allocutus est Saulum. Sed absque locutione externa loqui potest

interne excitando in imaginatione illud, quod locutione externa caeteroquin gigni solet, vocis videlicet imaginem sensibilem. Demum omissa hac voce sensibili sive imaginaria vocem spiritualem excitare potest in intellectu; ut enim haec excitari solet voce imaginaria, ita procul dubio etiam solius Dei actione gigni potest. Porro sicuti vocibus usitatis varie compositis conceptus et sententiae de rebus antea ignotis excitantur, ita etiam vocibus supernaturaliter productis sententiae proponunter, idque tanto certius, si Deus, ut antea diximus, intelligentiae lumen auget. Ergo Deus variis modis loquendo veritates multiplices homini communicare potest.

2. *ex attestationis usu et exemplis.* Hoc communicandi genus est valde accommodatum hominibus, unde et maxime inter eosdem est in usu; poterit igitur et Deus eo uti. Revera usum esse, fidei fontibus interim suppositis, ex historia constat. Revelationes quae Abrahamo, Moysi apud rubum, B. Virgini factae sunt, divino testimonio nitebantur, quum omnium horum fides celebretur; fides autem testimonium supponit.

78. Pars II. Inquirendum est, quo claritatis gradu attestatio haec fieri censenda sint. Claritatis enim gradu efficitur, ut ille, cui Deus loquitur, fidem, qualis est nostra, habere possit aut non possit. Nostra videlicet fides nititur attestatione non evidenter percepta.

A. Deus veritates attestari potest ita, ut homo attestationem divinam et infallibilem clare et evidenter percipiat sive ita, ut omne omnino dubium, etiam imprudens, excludatur.

Probatur 1. *concludendo ex usu humano.* Attestatio et locutio haec est factum aliquod, modo mere intellectuale, modo etiam sensibile, quando Deus signis sensibilibus sive imaginationi sive etiam sensibus innotescit. Sine dubio Deus in hominem quemlibet virtute agere potest non minore, quam homo in hominem agit. Quotidie homo in alios homines ita agit, ut hi de ipsius attestatione dubitare nullatenus possint; ergo etiam Deus ita agere potest in quemlibet. Porro si homo evidenter percipit, Deum esse qui loquitur, evidenter etiam percipit, testimonium ejus esse infallibile, saltem tunc id evidenter percipiet, si Deus, quod sane potest, mentem ejus singulari ratione illustrat.

2. *concludendo e daemonum fide necessaria.* Quod supposita interim revelatione in daemonibus naturali ratione fieri novimus, id Deus modo supernaturali producere potest in hominibus. Daemones mysteria, quae quidem non intelligunt, credunt non sane libere,

sed necessario, ob revelationis videlicet factae signa et argumenta tam multa et tam evidentia, quae ipsi pro majore mentis acumine ita penetrant, ut assensus etiam invitis extorqueatur. Ergo Deus revelationem specialem, qua loquitur homini singulari, vestire potest argumentis, quae revelationem homini tunc saltem reddant evidentem, si Deus impertito lumine speciali ad ea profundius penetranda juvat. Cf. Suarez, de fide disp. 3, sect. 8, n. 2, 3.

Non est hujus loci disputare, an cum attestatione tam evidente sive, ut loquuntur Theologi, cum hac evidentia in attestante, saltem quamdiu haec evidentia durat, fides proprie dicta subsistere possit nec ne. Caeterum quamvis admittatur, non posse cum tali evidentia conjungi fidem earum rerum, quae tam evidenter revelantur, tamen non sequitur, prophetam non potuisse habere fidem aliarum rerum, quas non cum eadem evidentia perceperat.

79. B. Deus veritates attestari potest ita, ut homo attestationem divinam certo quidem, sed non evidenter percipiat, i. e. ita ut omne quidem dubium prudens, at non imprudens excludatur.

Probatur 1. *e viatoris et legati statu et munere.* Potest Deus veritates revelare modo illo, qui et hominis viatoris naturae congruat et ad munus legati exercendum sufficiat. Talis autem modus locum habet, si revelatio ita proponitur homini, ut certo quidem, attamen cum aliqua obscuritate cognoscatur. Obscuritas congruit statui viatoris efficitque, ut assensus semper sit liber; pariter et certitudo congruit statui viatoris, qui prudenter credere potest revelatione certo demonstrata; simul autem sufficit ad munus legati exercendum, quum quod certo novit, certo proponere possit. Concludendum itaque est, ut plerisque, ita etiam prophetae factum revelationis cum tali certitudine, quae evidentiam non involvat, communicari a Deo posse.

2. *e libertate assensus praestiti.* Supposita revelatione discimus, Abrahamum, B. Virginem aliosque, quibuscum Deus immediate egit, attestationi divinae i. e. Deo attestanti libere consensisse. Fides enim eorum ipsi actuali revelationi praestita laudatur; laude vero non fuisset digna, nisi fuisset libera. Ergo cum aliqua saltem obscuritate conjunctam fuisse constat; si enim attestatio divina evidens fuisset, saltem aeque necessario, quae per eam proponebantur, credidissent, ac nos propter testimonium evidens humanum necessario credimus, Americam esse, Romanum imperium aliquando fuisse. Neque existimandum est, fidem, quae in Abrahamo et B. Virgine laudatur, intelligi sensu minus proprio, ita ut praecedat assensus scientiae necessarius propter evidentiam, sequatur assensus propter reverentiam Deo loquenti aliquatenus libere praestitus. Scriptura enim de illorum fide agens eamque laudans supponenda

est eodem sensu quo passim usurpare eandem vocem, itaque ad designandum assensum simpliciter liberum et cum obscuritate conjunctum. Cf. Suarez de fide disp. 8, s. 5; disp. 3, s. 8. Lugo de fide disp. 1, s. 10, n. 222—224. Denzinger, Relig. Erkennt. II. p. 249.

De hac revelatione per attestationem sive locutionem ita s. Thomas: „Fides est duplex, scilicet secundum duplicem auditum et duplicem locutionem. Est enim fides ex auditu (Rom. 10). Est etiam quaedam locutio exterior, qua Deus nobis per praedicatores loquitur; quaedam interior, qua loquitur nobis per inspirationem internam. Dicitur autem ipsa interior inspiratio locutio quaedam ad similitudinem exterioris locutionis. Sicut enim in exteriore locutione proferimus ad ipsum audientem non ipsam rem, quam notificare cupimus, sed signum illius rei, scilicet vocem significativam, ita Deus interius inspirando non exhibet essentiam suam, sed aliquod essentiae suae signum, quod est aliqua spiritualis similitudo suae sapientiae. Ab utroque auditu fides in cordibus fidelium oritur: per auditum interiorem in his, qui fidem primo acceperunt et docuerunt: per secundum vero auditum fides oritur in cordibus aliorum fidelium, qui per alios homines cognitionem fidei accipiunt. Adam autem primo fidem habuit, et primo est fidem edoctus a Deo; et ideo per internam locutionem fidem habere debuit.“ Qq. disp. q. 18. De cognit. prim. hom. art. 3.

Propositio 18. *Quam cognitionem Deus communicare homini potest aut clara veritatis intelligentia aut ejusdem attestatione, eandem etiam interno instinctu producere potest.*

80. Triplice ratione intellectus sententiae alicui propositae assentiri potest: aut propter ejus internam veritatem perspectam, aut propter alterius testimonium, aut propter impulsum voluntatis, assensum imperantis. Voluntas saepissime ad assensum impellit intellectum, universe quidem quoties rei evidentia non est tanta, ut assensum rapiat. Semper tamen requiritur, ut intellectui proponatur, quod saltem veri speciem habeat. Ut voluntas nostra, ita etiam Deus intellectum ad assensum sive ad judicium ferendum interne movere potest; qui motus internus vocatur instinctus sive impulsus. Unde s. Thomas: „Mens, inquit, prophetae dupliciter a Deo instruitur: uno modo per expressam revelationem; alio modo per quendam instinctum occultissimum, ‚quem nescientes humanae mentes patiuntur‘, ut Augustinus [Gen. ad Litt. l. II, c. 17] dicit.“ 2, 2, q. 171, a. 5. Ut intellectum ad assentiendum, ita etiam voluntatem, quae intellectum inclinet, Deus interne movere potest. Genus hoc hominem docendi est imperfectius, quia homo saepe difficilius distinguit, utrum proprio agat impulsu an divino; unde saepe nonnisi cum probabilitate aliqua concludit, se divino agi instinctu.

Ad majorem claritatem facere potest, quod de hoc instinctu sive impulsu agens docet *Suarez*: „Ad hunc modum, inquit, explicandum est Sancti Spiritus auxilium, quod scriptori canonico datur. Dupliciter enim dari potest: primo ut is, qui scribit, certo cognoscat, se in ea scriptione esse instrumentum Spiritus sancti, ut cum David ajebat: Lingua mea calamus scribae; et hoc plane ad veram prophetiam pertinet. Secundo posset quispiam in re ipsa scribere a Spiritu sancto motus, ipso tamen ignorante et nesciente, se in ea scriptione a Spiritu sancto dirigi; qui modus an interdum contigerit, exploratum non habeo; si tamen contingeret ita fieri, scriptor ille proprie non esset propheta, neque ejus cognitio prophetica; scriptura vero in se esset infallibilis et sacra, quamvis apud nos auctoritatem non haberet, nisi Spiritus sancti auctoritate alias nobis constaret, se esse talis scripturae principalem auctorem.“ De fide disp. VIII, s. 4, n. 6.

81. Posse Deum instinctu interno triplicem illam cognitionem (Prop. 14), quam requirimus; tribuere, certis argumentis probatur.

Probatur 1. *ex instinctus origine per lumen divinum cognoscibili.* Quamprimum homini certo constat, sese a Deo impelli ad doctrinam aliquam Dei auctoritate aliis communicandam, eidem certo etiam constat, doctrinam esse divinitus veram. Speciali autem Dei auxilio constare homini de impulsu illo potest. Imprimis enim non raro sola inquisitione naturali cum aliqua probabilitate motus divinos a naturali impulsu discernit. Causa enim ex effectu dignoscitur, et experientia teste homines praesertim in vita spirituali magis versati e motibus internis conjiciunt, utrum a Deo moveantur an alio quocunque impulsu; similiter et justi e motibus divinis cum aliqua probabilitate judicant, se esse in statu gratiae. Si autem per naturalem inquisitionem interni instinctus causa probabiliter cognosci potest, accedente majore lumine divino etiam certo distingui poterit. Dicimus: „lumine divino", quo videlicet intelligendi vis augetur. Non enim scientiam infusam nec attestationem divinam necessariam dicimus ad instinctus originem certo dignoscendam, quamvis uterque hic modus ad primum accedere possit.

2. *e similitudine cum instinctu naturali.* Quod Deus per instinctum naturaliter inditum sive e natura rationali ultro manantem, id etiam per instinctum supernaturaliter immissum efficere potest. Atqui instinctu sive inclinatione naturaliter indita Deus voluntatem suam homini continuo manifestat. Esse hujusmodi instinctum rationalem, indubium est ex eo, quod omnis potentia inclinat in actum sibi proprium.

„Quodam naturali instinctu", ut s. *Thomas* recte animadvertit, „homo se obligatum sentit, ut Deo suo (i. e. externo) modo reverentiam impendat" (c. Gent. III, c. 119). Juxta eundem „est contra naturalem instinctum speciei humanae, quod mulier a viro separetur" (ib. c. 123, n. 3). „Inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria; sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc, quod in societate vivat." 1, 2, q. 94, a. 2. Ipsa lex naturalis ad hanc inclinationem rationis reducitur. Etenim „inclinatur unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem secundum suam formam, sicut ignis ad calefaciendum. Unde quum anima rationalis sit forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc, quod agat secundum rationem, et hoc est agere secundum virtutem." Ib. a. 3. His non obstat, quod judicia, ad quae ferenda instinctus inditus hominem movere hic affirmatur, alias rationibus obscure perceptis niti dicuntur. Utrumque enim sociari potest. Instinctus obscura illa rationis judicia praecedere censendus est, quia potentiae inclinatio, quae est ipse instinctus, praecedit ejusdem effectum i. e. judicium.

Indubium pariter est, Deum hoc rationis instinctu voluntatem suam patefacere homini. Judicia enim, ad quae ferenda ratio ipsa nos movet, eidem non possunt non esse conformia i. e. vera; praeser-

tim quum ad rationis auctorem, qui in errorem necessarium nos conjicere non potest, reducantur. Unde quod rationali instinctu duce judicamus esse agendum, Dei est praeceptum.

Igitur quamvis divina manifestatio, quae fit per instinctum supernaturalem, per se minus clara sit, quam quae fit aut per rerum intelligentiam aut per attestationem divinam, tamen non hoc sensu imperfecta est, ut numquam certa esse possit. Certam esse posse s. Thomas innuit scribens: „Ad ea quae (propheta) cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium. Non autem omnia, quae cognoscimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur; talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiae.“ 2, 2, q. 171, a. 5. cf. Suarez de fide disp. 8, s. 4, n. 5—6. Arriaga de fide disp. 10, c. 6. Quia hic prophetam docendi modus imperfectior est et instinctus divinus difficilius distinguitur ab instinctu non divino, supponere licet, eum saltem solum minus frequenter adhibitum fuisse.

82. *Objicitur* nonnumquam, judicia haec, quae instinctu sive naturali sive supernaturali nituntur, esse caeca, ideoque adversari ipsius intellectus naturae.

Resp. Distinguendum imprimis est inter illud, quod intellectui proxime obversatur, et illud, quo intellectus ad assensum movetur. Unde:

1. Judicia haec non sunt caeca eo sensu, ut intellectui objectum nullum sive nullius objecti species obversetur. Si enim nihil omnino exhiberetur intellectui, actum nullum exercere posset.

2. Neque sunt caeca eo sensu, ut sit nulla ratio assentiendi objecto proposito. Haec enim ratio est ipse instinctus reflexione perceptus. Et quidem si de instinctu naturali agitur, ad prudenter assentiendum sufficit, ut instinctus percipiatur tamquam promanans e natura rationali, quae nos non possit movere ad judicia rationi adversantia. Si sermo est de instinctu supernaturali, ad prudenter assentiendum sufficit, ut cognoscatur tamquam a Deo immissus: et quidem, si certo cognoscitur immissus a Deo, prudenter praestatur assensus certus; si nonnisi probabiliter cognoscitur inditus a Deo, nonnisi cum aliqua probabilitate judicandum est, verum esse ad quod sentiendum instinctus movet.

Propositio 19. *Veritas quae legato divino ipsi per modum aut clarae intelligentiae aut interni instinctus communicata est, eadem per modum divinae attestationis communicatur illis, quibus Dei jussu a legato proponitur.*

83. Diximus antea, revelationem publicam mediatam locutione et attestatione divina niti. n. 59. Illa autem revelatio immediata, quae fit clara veritatis intelligentia aut divino instinctu, Dei attestatione non nititur, quando legato primum communicatur. Ostendendum igitur est, cur revelatio hujusmodi, dum in mediatam abit, non minus Dei testimonio nitatur, quam quae primum per attestationem facta est.

Probatur 1. *e ministri agniti indole.* Quod homo ut Dei minister constitutus agit, id Deus ipse agit, videlicet per hominem; ergo quod homo ut Dei minister constitutus verum asserit et credendum proponit, id Deus ipse verum asserit et credendum proponit. Atqui legatus divinus eo ipso quod res ipsi a Deo communicatas nobis proponit, easdem veras et Dei auctoritate credendas proponit; ergo ut tales a nobis credendae sunt, licet legatus easdem

clara intelligentia aut divino instinctu veras cognoverit. Verbo: res ipsae communicantur nobis Dei auctoritate, eo ipso quod legatus jussus est easdem ad nos deferre. Cf. Ripalda de fid. disp. 4, s. 4, n. 34. Suarez de fid. disp. 3, s. 2. n. 6.

2. *ex obligatione credendi ob Dei attestationem.* Dei attestatione proponitur, quod propter hanc eamque solam credere possumus. Ita autem credere possumus, imo et debemus, quidquid legatus divinus ut legatus nobis proponit, sive clara intelligentia sive instinctu divino id primum cognoverit. Imprimis enim admittere id non possumus sive ob claram rei intelligentiam sive ob instinctum divinum, quem ipse sensit, quum nec illam nec istum nobis communicare possit. Nec sufficit illud admittere propter humanum ipsius testimonium, quo videlicet testatur, se rem aut clara intelligentia aut instinctu aliquando cognovisse. Nam ob solum ejus testimonium humanum credentes non agnosceremus legati divini titulum, quo a Deo insignitus et ad nos missus est. Ergo restat, ut quidquid nobis qua legatus proponit, ob Dei attestationem credatur; Dei igitur attestatione informatur et determinatur legati divini locutio.

3. *ex auctoritate divina proposita.* Prophetae et legati divini assensum exigunt propter illam rationem, quam proponunt. Atqui haec est divina auctoritas in loquendo sive attestando; fidem enim a nobis exigunt eo titulo, quod a Deo mittantur et Deus per ipsos nobis loquatur. Unde toties repetitur: „Haec dicit Dominus“ etc.

Articulus V.

De mysteriorum revelatione.

84. Revelationis possibilitate universe demonstrata, per se patet, Deum veritates revelare posse, quae humanae mentis intelligentiam non excedunt, quum hujusmodi veritates etiam inter homines quotidie communicentur et propter loquentis auctoritatem admittantur. Deum mysteria revelare posse, negant Rationalistae; unde alii revelationem eorum omnem rejiciunt, alii mysteriorum notionem pervertunt.

Mysterium quid sit? Mysterium sensu latissimo acceptum vocatur quidquid est absconditum. Potest autem res abscondita esse multiplice ratione, et inde fit, ut mysterium multiplice sensu dicatur. Imprimis res abscondita nobis esse potest propterea, quia nullus est nexus inter ipsam et nostrum intellectum. Hoc modo absconditi nobis sunt eventus futuri e libera sive hominum sive

Dei voluntate pendentes. Praeterea res abscondita nobis esse potest, quia non est proportio inter ipsam et nostram intelligendi vim, sive quia intellectum nostrum excedit.

Secundum quid, non tamen *absolute* et *per se,* res plurimae nobis obviae intelligentiam nostram excedunt, quia intimas earum causas non intelligimus. *Per accidens,* non *per se* item res plurimae nostras cognoscendi facultates excedunt, quia eas scrutando et cognoscendo fatigamur et deficimus.

Mysteria quae simpliciter sive absolute dicuntur, sunt veritates, quae nostram intelligentiam absolute et per se excedunt. Ut autem hoc modo excedant, requiritur, ut duo illa, quae in omni re quaeri possunt, naturaliter nos lateant, videlicet, *an sit* et *quid sit,* i. e. existentia et essentia sive interna possibilitas. Rei existentiam ratione cognoscimus, si eam aut a priori aut per effectus demonstramus. Rei essentiam intelligimus, si eam per internas ejus rationes explicare possumus; ita explicamus theorema geometricum quod statuit, summam angulorum trianguli aequare duos rectos: hanc veritatem intelligimus. Personarum in uno Deo trinitas est mysterium; nam unam essentiam divinam esse in tribus personis i. e. Trinitatis existentiam solo lumine naturali cognoscere non possumus; etiam postquam revelatione hanc veritatem edocti sumus, ex ipsa natura divina demonstrare non possumus, eam in tribus personis esse debere aut posse: i. e. Trinitatem non possumus explicare per intimas ejus rationes sive Trinitatem non intelligimus. — Quod conceptus, quibus veritatem aliquam exhibemus, sint solum analogi, per se ad rem non facit; divina enim generatim conceptibus analogis, i. e. quos e rebus finitis formavimus, cogitare solemus, nec tamen divina omnia sunt mysteria; aliis verbis: mysteria quidem conceptibus analogis exhibemus, at non ideo solum sunt mysteria.

Si veritatis alicujus aut existentiam solam aut solam possibilitatem internam lumine naturali cognoscimus, non dicitur sensu absoluto mysterium. Deum esse immutabilem et liberum, eundem cognoscere creaturae actus liberos singulos per totam aeternitatem exercendos, ratione demonstrare possumus, quia patet, sine his summam Dei perfectionem esse non posse; modum tamen quo immutabilitas et libertas componantur vel quo Deus actus illos liberos cognoscat, non perspicimus. Unde hae veritates mysteriis absolute dictis non annumerantur. Deum hominis peccata, si eum poeniteat, certo condonaturum, sola ratione indubie non constat; revelatione edocti, Deum esse condonaturum, veniae possibilitatem

internam haud difficulter intelligimus. Unde neque haec condonatio mysteriis accensenda est. Cf. *Kleutgen,* Theol. d. Vorzeit, V. n. 422. *Scheeben,* Handbuch der kath. Dogmatik, I., §. 4. Die Mysterien des Christenthums, §. 2.

Mysterii definitiones falsae. A proprio mysteriorum conceptu recedunt eumque pervertunt, qui ea restringunt modo ad doctrinas et ritus solis initiatis cognitos; modo ad symbola doctrinas quasdam obscure indicantia; modo ad conceptus quosdam vividiore imaginatione haustos; modo ad sensa quaedam vaga et incerta; modo ad facta quaecunque libero Dei consilio adducta; modo ad veritates etiam naturalis ordinis, quae ratione sola difficilius demonstrentur. Maximus est Rationalistarum numerus, qui si mysteria non penitus rejiciunt, ad unam alteramve illarum explicationem accedunt. Cf. *Denzinger,* Relig. Erkennt. II, p. 80.

Propositio 20. *Esse quaedam in Deo, quae humanae mentis intelligentiam excedunt, ratio demonstrat; unde concluditur, hujusmodi veritatum sive mysteriorum revelationem per se esse possibilem.*

De mysteriorum revelatione physice possibili, sive quatenus divina potentia solum spectatur, interim agitur, nondum de moraliter etiam possibili (art. VI) nec de modo, quo hominibus innotescere possit.

85. Pars I. Sufficit interim ostendere, quod in propositione enunciamus, esse in Deo aliqua, ad quae intelligenda ratio humana non pertingat seu quae eam excedant; quo ambitu excedant, utrum videlicet quarundam veritatum non tantum modus, sed etiam existentia sive necessitas eam excedat, hic non quaerimus, quum nondum supponamus revelationem, quae docet, esse in Deo veritates, quarum existentiam sive necessitatem ratio humana non cognoscat.

Causa, cur eas ratio non cognoscat, a Theologis haec affertur, quod Deus mundum creando eas non manifestavit. Hoc modo demonstrant, trinitatem personarum per naturalem rationem cognosci non posse: „virtus creativa Dei est communis toti trinitati, unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum.“ S. Thom. 1, q. 32, a. 1. Trinitate supposita potest alibi scribere: „Quaedam vera sunt de Deo, quae omnem facultatem humanae rationis excedunt, ut Deum esse trinum et unum. Quaedam vero sunt, ad quae etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est Deum esse, Deum esse unum.“ Cont. gent. I, 3. Praetermissa igitur quaestione, quae supposita revelatione facile solvitur, utrum Deus, rerum causa, omnia, quae in ipso sunt, aliquo modo exprimere potuerit necne, e sola intellectus humani natura inferiore ostendemus, esse aliqua in Deo, quae humanae mentis intelligentiam excedunt. Hoc enim sufficit ad finem quem intendimus, quum et S. Thomas, postquam demonstravit: „Quod in his, quae de Deo confitemur, duplex est veritatis modus“, ita tantum concludat: „Non igitur omne, quod de Deo dicitur, quamvis ratione investigari non possit, statim quasi falsum est abjiciendum, ut Manichaei et plures infidelium putaverunt.“ Cont. gent. I, 3.

Probatur 1. *ex intellectu divino in infinitum excedente humanum.* Non omnia quae ab intellectu divino intelliguntur, etiam humano intellectui pervia esse, patet ex intervallo infinito, quod inter utrumque intercedit. Certum est, quanto perfectior est intellectus,

tanto plura et tanto perfectius eum intelligere; haec enim ratio est, cur ab aliquibus plura quam ab aliis, a puro spiritu plura quam ab homine intelligi possint. At intellectus divinus in infinitum excedit omnem creatum intellectum; intellectus enim divinus quia cum ipsa natura divina unum idemque est, necessario infinitus est. Ergo Deus plurima et quidem potissimum in se ipso intelliget, quae intelligere nequit homo. Deus enim ipse sive divina essentia est primarium et proprium objectum divini intellectus, quum intelligentiae infinitae non aliud respondere possit objectum, nisi quod et ipsum sit infinitum. Sicut igitur purus spiritus seipsum, utpote proprium suae intelligentiae objectum, longe clarius intelligit, quam homo, ex anima et corpore compositus, intelligit purum spiritum, ita Deus in infinitum perfectius cognoscit seipsum, quam cognoscitur a creatura. Ergo etiam percipit in se, quae humanam intelligentiam effugiunt.

2. *e mysteriis, late sumptis, in ordine sensibili.* Intellectui, cui in ipso rerum ordine, qui proprium ejus objectum constituit, multa sunt abscondita et impervia, in ordine altiore longe plura impervia erunt. Continua experientia constat, in ordine sensibili, qui per se nostram intelligendi vim non excedit, frequentissime nos incidere in mysteria *secundum quid*, mysteria naturae, quum nec effectuum causam noverimus, nec rerum, quas videmus, naturam et modum perspiciamus; ergo longe facilius intelligitur, in ordine spirituali, imo in ordine divino saltem esse posse, quae intelligentiam nostram superent.

3. *ex objecto excedente intellectum humanum.* Si modum, quo intellectus ad diversos rerum intelligibilium ordines sese habet, perpendimus, causam, cur in ordine spirituali et praesertim in ordine divino quaedam nos lateant, hanc esse reperiemus, quod intellectus noster debita proportione ad illa intelligenda careat. Animadvertimus enim, quo excellentius aliquid in se est, eo difficilius a nobis cognosci, sive quod idem est, quo magis intelligibile aliquid est, eo difficilius intelligi. Substantiae spirituales sunt nobiliores substantiis materialibus, ideoque in se ipsis magis intelligibiles quam istae: nihilominus longe difficilius earum natura a nobis cognoscitur. Difficultatis causa est, quod intellectus noster tantum ad res inferiores intelligendas tamquam proprium suum objectum accommodatus est. Ergo longe difficilius cognoscet Deum, qui substantias spirituales creatas longe magis excedit, quam substantia spiritualis excedit materialem. Ad veritatem hanc illustrandam s. Thomas affert verba Aristotelis, secundum quem „intelle

ctus noster sic se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertilionis ad solem.“ Cont. gent. l. I, c. 3.

4. *e conceptibus analogicis.* Res eo imperfectius cognoscitur, quo imperfectiores sunt imagines, quibus ad eam exhibendam utimur; quod enim cum potentia cognoscendi non conjungitur immediate, id per sui imaginem sive per speciem vicariam cum ea jungatur necesse est. Perfectissime cognoscimus res sensibiles; has enim exhibemus per species ab ipsis abstractas, i. e. per conceptus proprios. Et quo magis aliquid sensibile est, eo perfectius a nobis cognoscitur; haec est ratio, cur mathesis, imprimis geometria, quae circa quantitatem, accidens tam sensibile et obvium, versatur, tanta claritate et certitudine polleat. Imperfectius cognoscimus substantiam spiritualem creatam. Etsi enim existentiam animae nostrae perfectissime noverimus, quia intellectus in se ipsum reflectendo suum actum et ipsam animam ut agentem percipit, tamen substantiam animae nostrae non exhibemus specie abstracta ab ipsa; cogitamus eam specie abstracta a substantia materiali. S. *Thom.*, I, q. 87, a. 1. Longe imperfectius Deum cognoscimus. Exhibendus enim est speciebus eisdem, quibus et spiritus creati exhibendi sunt, videlicet abstractis a rebus sensibilibus. Hae autem quum substantias spirituales nonnisi imperfecte exhibeant, longe sane imperfectius exhibent Deum ipsum. S. Thom., I, q. 88, a. 3.

86. Ex eo quod quae contra mysteria proponuntur, solvere possumus, nonnulli inferunt, posse nos demonstrare mysteriorum possibilitatem; quo admisso sequitur, jam non esse mysteria sensu proprio. Ita enim ratiocinantur: quod manifesto non est impossibile, id manifesto possibile est; mysteria manifesto non sunt impossibilia; solvuntur enim rationes, quae contra ea proferuntur; ergo sunt manifesto possibilia.

At imprimis ex eo, quod argumenta quaedam solvimus, sequitur tantum, illis argumentis non probari mysterii impossibilitatem; si argumenta omnia quae proferuntur aut proferri possunt, solvimus, sequitur tantum, nullis argumentis probari mysterii impossibilitatem. Ex eo autem, quod demonstrari non potest, rem esse impossibilem, nondum sequitur objectiva rei possibilitas. Nullis argumentis demonstrari potest, essentiam divinam non posse subsistere in una tantum persona; ex hoc tamen non sequitur, possibile esse, ut in una tantum persona subsistat. Objectio tunc solum valeret, si de mysterii possibilitate aut impossibilitate judicium ferremus secundum internas divinae naturae rationes; hanc autem non clare perspicimus. Unde distinguendum est: Quod manifesto non est impossibile per rei naturam clare inspectam, id sane est manifesto possibile: quod autem manifesto non est impossibile attentis tantum quibusdam rationibus externis, quae refelli possunt, id nondum est vel nondum demonstratur possibile in ordine objectivo sive attentis rationibus internis: has enim nondum attingimus.

87. Pars II. Possibilem dicimus mysteriorum revelationem illam, quae hominum multitudini destinatur, i. e. quae Dei loquentis auctoritate nititur. Non quaerimus de revelatione illa immediata, quam clara intelligentia niti posse diximus. Dubium quidem non est, Deum hac in terra viventibus conferre posse illam mysteriorum, imprimis essentiae divinae claram visionem, quam beatis elargitur; attamen non de hac manifestatione, quae etiam in prophetis omnino extraordinaria foret, nunc agimus.

Probatur 1. *indirecte e mysteriorum late dictorum communicatione.* Mysteria proprie dicta sive veritates omnem intellectum creatum excedentes, si hujusmodi veritates sive mysteria proprie dicta revera sunt, a Deo revelari posse, aliqua ratione colligitur ex illa mysteriorum sensu latiore acceptorum communicatione, quae quotidie locum habet inter homines. Plurima enim in omni re proponuntur et ob docentis auctoritatem admittuntur, quae a vulgarium hominum captu sunt remotissima. Unde si homo illi, quem docet, aliquam rei obscurissimae notitiam ingerere eumque ad eam credendam inducere potest, sine dubio Deus utrumque efficere in hominibus poterit. Si autem objicitur, illa quae sunt in Deo, fortasse hujusmodi esse, ut verbis vel signis exprimi non possint, respondetur, saltem aliqua illorum exprimi posse signis sive conceptibus etsi non propriis, saltem analogicis, i. e. formatis similitudine cum aliis rebus.

2. *directe ex hujusmodi revelationis notione.* Mysterium homini a Deo communicatur, si sententia mysterium continens primum proponitur, dein ejus veritas affirmatur. Atqui Deus homini *a.* sententiam hujusmodi proponere potest, et quidem ita ut homo ejusdem sensum, non tamen internam veritatem percipiat. Nam licet sententiae subjectum non ita penetret, ut ipse per se videat, praedicatum ei esse tribuendum, percipit tamen, quid sententiae enunciatae subjecto et praedicato significetur. Aliud profecto est, intelligere enunciationis sensum, aliud perspicere ejus veritatem. Sensum hujus enunciationis; „Summa trium angulorum cujusvis trianguli aqualis est duobus rectis“ discipulus statim percipit: ejusdem veritatem non perspicit nisi instituta demonstratione. — *b.* Potest pariter Deus propositae sententiae veritatem affirmare et sic hominem certum reddere, praedicatum tribuendum esse subjecto. Nam non tantum visione internae veritatis, sed etiam auctoritate certitudo paratur.

Adversarii contra doctrinam expositam objiciunt dicendo modo, mysteria, quia intelligi non possint, nihil offerre intellectui; modo, mysterium, si revelatur, jam non esse mysterium.

Advertendum, aliud esse, intelligere sententiae propositae sensum, aliud intelligere ejus veritatem. Saepissime nobis sententiae alicujus sensus proponitur ita, ut ejus veritas non demonstretur nec a nobis intelligatur. Percipimus sensum hujus sententiae: Deus, essentia unus, est trinus personis. Novimus enim, quid sit essentia, quid persona etc. Non perspicimus veritatem, quia divinam essentiam non tam clare perspicimus, ut videamus, personarum trinitatem ei esse attribuendam.

Ita etiam patet, per revelationem non cessare rationem mysterii. Haec enim in eo est, quod divinam essentiam non tam clare intuemur, ut videamus, eam in tribus personis subsistere aut posse subsistere. At haec obscuritas per revelationem non tollitur. Tollitur quidem nostrae ignorantiae velum, attamen non exhibendo divinam essentiam sive universe loquendo, non exhibendo doctrinae propositae internam veritatem, sed offerendo assentiendi rationem externam i. e. Dei loquentis auctoritatem.

Articulus VI.

De revelationis convenientia et utilitate.

Revelationis convenientia et utilitas, e qua moralis ejusdem possibilitas repetenda est, duplice fundamento nititur, videlicet tum actu revelandi in se spectato i. e. ipso manifestationis modo, tum rebus sive veritatibus, quae revelantur. Porro veritates, quae revelatione communicantur, duplicis esse possunt ordinis, naturalis et supernaturalis. De singulis his respectibus agendum est. Itaque triplice sub respectu consideranda nobis est revelatio, ut ejus convenientia et utilitas penitus elucescat.

Propositio 21. *Revelatio, spectata in seipsa sive ut revelandi actus, et Deo et homini summe conveniens esse dicenda est.*

88. Revelatio sensu activo accepta congruit Deo; sensu passivo intellecta proxime congruit homini. Duplice modo Deo convenire aliquid potest: aut ita, ut exigatur et oppositum necessario ab eo excludatur, aut ita, ut non exigatur et oppositum non necessario excludatur. Priori modo Deo congruit animam rationalem perpetuo conservare: repugnat ut non conservet. Altero modo Deo congruebat mundi creatio suarumque perfectionum per mundum manifestatio; non enim necesse erat, ut Deus crearet mundum. Hoc sensu Deo revelationem in se spectatam congruere dicimus.

Nonnulli cum J. G. *Fichte* revelationis convenientiam impugnant ex eo, quod si Deus legislator clarius nobis exhibeatur, libertas nostra infringatur aut nimium minuatur; quod veritates supernaturales vel insensibiles si nostris conceptibus accommodentur, in ordinem naturalem et sensibilem deprimantur. Versuch einer Kritik aller Offenb. §. 11. Alii eandem impugnant, quia censent, parum congruere Deo, hominibus veritates communicare ratione quae a creatione sit diversa, quum homo proprie ex ordine visibili cognitiones haurire debeat. At levia sunt argumenta istiusmodi.

89. **Pars I. Revelatio congruit naturae divinae.**

Probatur 1. *e conceptu actionis ad extra.* Deo enti summe perfecto congruit generatim manifestare suas perfectiones; bonum

enim infinitum ad extra agere non potest nisi bona communicando: bonorum autem communicatio summe congruit bono summo. Praeterea perfectio infinita quum manifestatur, ad sui admirationem, laudem et amorem necessario provocat; perfectio autem infinita maxime digna est admiratione, laude, amore. Jam vero revelatio in se ipsa spectata est nova quaedam perfectionum divinarum manifestatio. Est enim nova actio ad extra; omnis autem Dei actio ad extra ejus perfectiones aeque necessario exhibet, ac rivus fontis naturam, vel omnis effectus causae proprietatem ob oculos ponit. Ergo quum sui manifestatio Deo congruat, revelatio autem sit quaedam manifestatio, necessario dicenda est Deo convenire.

Itaque argumenta, quibus Theologi demonstrant, Deo „competere", ut aliis sit „principium essendi" (s. Thom. c. gent. II, 6), etiam demonstrant, Deo competere, ut hominibus se revelet.

2. *e manifestatione veracitatis.* Revelatio Deo congruit spectato praesertim modo, quo se manifestat. Triplex in Deo distinguitur veritas, prout ipse est veritas prima in essendo, in cognoscendo et in dicendo. Mundi creatione sese manifestavit ut primam veritatem in essendo, videlicet ut ens summum, et ut primam veritatem in cognoscendo, videlicet ut summam sapientiam. Sed sola revelatione sese manifestat ut primam veritatem in dicendo, videlicet ut summe veracem. Revelans enim auctoritate sua testatur, verum esse quod enunciat, et ob hanc suam auctoritatem exigit fidem. Auctoritas autem testantis scientia et veracitate constituitur, quae veracitas est conformitas locutionis cum loquentis mente. Deus igitur, quum verum aliquid testatur fidemque exigit, ipso revelandi actu sive exercite dicit, se fide esse dignum sive se nec falli nec fallere posse.

Verum quidem est, Deum, eo ipso quod mundum creando sese infinite perfectum manifestavit, implicite etiam manifestasse suam veracitatem, quatenus veracitas intelligitur tamquam inclusa in omnium perfectionum cumulo. Sed verum pariter est, mundi creatione veracitatem divinam non esse explicite et formaliter manifestatam, solaque revelatione explicite et formaliter manifestari. Si igitur Deus praeter hominem puros spiritus creando perfectius, utpote formaliter et explicite, se tamquam purum spiritum manifestavit (s. Thom. I, q. 50, a. 1), revelando etiam perfectius, utpote formaliter et explicite, suam veracitatem manifestavit.

90. Pars II. Revelatio congruit naturae humanae, quae hoc institutionis modo evehitur et perficitur, etiamsi ad veritates communicatas ipsas interim non attenditur.

Probatur 1. *e nobilitate personae docentis.* Generatim homini congruit, ut doceatur, et quidem per auctoritatem. Profecto qui natura sua ita comparatus est, ut paucissima immediate intelligat,

pleraque per rationis discursum, illi maxime congruit, ut disciplinae tradatur illius, qui scientiam perfecte possidet, a quo juvetur eo modo, qui ei maxime adaptatus est. Hic autem modus in eo consistit, ut magistro confisus, ejus auctoritate ad assentiendum moveatur. Hac ratione cum singulis agi hominibus atque agendum esse, ipsa experientia docet. Nullus autem peritior et nobilior magister quam Deus; ergo nihil magis congruum generi humano, quam ut illius disciplinae committatur; quod fit per revelationem.

Neque tamen ex eo, quod puer, quum rerum causas ipse intelligere coepit, non amplius ob magistri auctoritatem, sed ob solas rationes internas doctrinam traditam tenere consuevit, concludere licet, idem fas esse generi humano. Alio modo puer magistro, alio modo genus humanum subest Deo. Puer magistro subest ut auxilianti in scientia comparanda, non ut auctoritate sua testanti; genus humanum Deo subest ut veritati primae, cui intellectus submissio debetur. Porro quum Deus semper sit veritas prima, semper haec ei debitur submissio, etiam quando per proprias rationes intellecta est veritas.

2. *e nobilitate rationis moventis ad assensum.* Quae per revelationem divinam homini communicatur cognitio, non tantum e docentis persona, sed etiam ob rationem, qua nititur assensus, nobilissima est. Tanto enim nobilior est assensus, quo nobilior est ratio, qua impellimur ad assensum. In fide, quam homo Deo revelanti praestat, assentiendi ratio est Deus ipse sive veritas prima: assentimus enim, quia Deus infinite sapiens et verax dixit. Nulla autem assentiendi ratio nobilior est, quam ipsa veritas prima.

Celso vituperanti Christianorum fidem *Origenes* ita respondet: „Quomodo Deo credere non sit rationi consentaneum magis, quum a fide omnia humana pendeant? quis enim navigat, aut uxorem ducit, aut in terram spargit semina, quin ad haec facienda fide meliorum adducatur, quamvis secus possit accidere et aliquando accidat?" Cont. Cels. I, n. 11.

Neque haec rationis moventis dignitas ex eo tollitur, quod solam rei veritatem reddat certam, modum quo vera sit sive veritatem internam non aperiat. Optime enim simul subsistunt rationis moventis dignitas, hinc assensus nobilitas, et ejusdem assensus obscuritas, hinc cognitionis imperfectio. Nobilissima est cognitio, quia nititur veritate prima sive lumine divino; obscura et imperfecta est, quia lumen illud ad veritatis existentiam testandam restringitur, non extenditur ad veritatis modum aperiendum. Quae obscuritati adhaeret imperfectio, copiose compensatur nobilitate rationis moventis ad assensum; nec tamen ista sola, quum et veritatibus communicatis potissimum compensatur, ut postea dicetur. Caeterum ad fidei cognitionem obscuram accedere etiam potest plurium veritatum, quae revelantur, clara intelligentia.

3. *ex ampliore religionis exercitio.* Hic per revelationem docendi modus maxime congruit homini, quia ad religionis finem quam maxime est accommodatus. Religio Dei cultus est hominisque erga Deum submissio. Quo pluribus modis Dei excellentia agnoscitur Deoque submittitur homo, eo amplius exercetur religio,

eo arctius homo connectitur Deo, eo uberius promeretur praemium. Jam assentiendo revelationi homo etiam Dei ut veritatis primae in loquendo excellentiam supremam agnoscit, novoque modo Deo, videlicet ut loquenti et testanti, intellectum submittit. Patet igitur, posita revelatione esse amplius religionis exercitium, novum institui vinculum, uberius parari praemium.

Propositio 22. *Utilis est humano generi revelatio veritatum ordinis naturalis, etiam illarum, quae sine magno labore ratione sola cognosci possunt.*

91. De veritatibus loquimur tum speculativis tum practicis, i. e. tum ad Deum tum ad mores spectantibus.

Probatur **1.** *e religionis cognitione certiore.* Revelatione certior comparatur religionis cognitio, quam sola rationis inquisitione. Idque verum est etiamsi supponatur, naturali inquisitione comparari veram certitudinem. Ut enim cognitio divina certior est quam humana, ita etiam certiora sunt, quae divinae cognitionis manifestatione sive Dei loquentis scientia et veracitate nituntur. Quo autem certior est cognitio, eo universe praestantior est et ad fines suos convenientior. Imprimis vero expedit, ut cognitio religiosa sit quam certissima, quum totius vitae omniumque actionum regula esse debeat.

2. *efficaciore.* Cognitio quae revelatione nititur, efficacior est. Licet enim Deus ipse sit, qui per mundum conditum se nobis manifestat et per legem naturalem nobis suam voluntatem aperit, tamen quasi propinquior nobis est, si per legatos eadem nos docet. Praeterea duplice magisterio fungitur Deus, si ad manifestationem per naturam addit alteram per revelationem, et duplex imperium exercet, si quam voluntatem per legem naturalem jam manifestavit, iterum manifestat per revelationem.

3. *uniformiore.* Cognitio, quae revelatione traditur, uniformior est ac proinde ad homines inter se sociandos aptior. Nolumus nunc asserere, cognitionem fore uniformiorem ideo, quia excludantur errores, qui orituri sint non concessa revelatione. Gratuito interim supponamus licet, quod sane falsum est, etiam absque revelationis auxilio errores evitari posse. Si nulla est revelatio, admodum difficile evadet, ut sit unus quidam veritatum complexus, quem omnes publice profiteantur; pro diversis hominum classibus et regionibus diversis diversae erunt doctrinarum formulae, si homines non ad paucissimas easque vagas notiones religionem restringere volunt. Idem dicendum est de doctrinis practicis. At

manifestum est, hanc diversitatem maxime in causa fore, ut homines religiosam societatem constituere non possint, dum uniformitate, quam sola revelatio gignere potest, via ad unam societatem ineundam saltem paratur.

92. *Objicitur 1*, omnia haec emolumenta obtineri posse exclusa revelatione illa, quam nos statuimus. Si enim Deus quandoque viros eximios et praeclaro ingenio praeditos excitet, ut Rationalistae existimant excitatos fuisse, quos nos Dei legatos dicimus, hi auctoritate sua doctrinam condent non minus certam, efficacem et uniformem; eorum vero asseclae doctrinam acceptam tradent posteris, ut nunc parentes tradunt liberis, auctoritate speciali licet carentes.

Resp. Nihilominus certum est et experientia ipsa demonstratum, doctrinam, cui hominum multitudo certo inhaereat et sese uniformiter submittat, non posse tradi nisi ab illo, qui Dei legatus aut sit aut existimetur. Nullus unquam philosophus sua tantum auctoritate nixus doctrinas suas hominum multitudini imponere potuit. Viri illi eximii, quos Deus excitare supponitur, si ad Dei auctoritatem eosdem mittentis provocare non possent, humanum tantum mererentur assensum, qui caret emolumentis illis, quae cum revelatione connecti ostendimus. Parentum et aliorum, qui revelationem divinam transmittunt, auctoritas, spectato ultimo fundamento, longe major est quam virorum eximiorum, qui quandoque mitti posse finguntur; quod enim nunc parentes tradunt, id non ut ipsorum, sed ut Dei auctoritate fundatum traditur.

Objiciunt 2, non juvari sed deprimi intellectum, qui post revelationem veritatum, quas lumine naturali intelligere poterat, tenetur ad praestandum assensum obscurum, videlicet propter motivum externum. Certum enim est, fidei assensum obscuritatis respectu habito esse imperfectiorem scientiae assensu; unde sequi videtur, fide intellectum privari naturalis scientiae praestantia.

Resp. Nihilominus intellectus juvari dicendus est. Nam 1. assensus fidei divinae obscurus in se praestantior est scientiae naturalis assensu ob rationes indicatas; unde si ex parte inferior esset scientiae assensu, in se tamen est perfectior. 2. Fidei assensus non est simpliciter obscurus, sed sub quodam solum respectu, nimirum quia non procedit e lumine rei credendae interno; fidei assensus et ipse luminosus est, quum non credamus nisi motivis credibilitatis perspectis, et ratio qua fides nititur, videlicet Dei auctoritas, verum lumen sit et quidem eximium. 3. Nihil vetat cum hac obscuritate relativa, quae tamen verum lumen est, conjungere lumen intelligentiae naturalis: eadem enim veritas et naturalis intelligentiae et fidei objectum esse potest. Revelatione divina humanus intellectus quasi in immensum ditescit.

Celso philosopho hortanti Christianos, ut rationem ducem sequantur, respondet *Origenes*, religione christiana parari optimam philosophandi rationem. „Invenietur, inquit, in Christianismo non minor (ne quid arrogantius dicam) tum eorum, quae creduntur, disquisitio, tum propheticorum aenigmatum et sexcentorum id genus, quae figurate gesta et sancita sunt, explanatio.“ Contra Cels. I, n. 9.

Propositio 23. *Utilis pariter est mysteriorum revelatio.*

93. Mysteria hic dicimus sensu stricto accepta sive veritates illas, quas etiam postquam revelatae sunt, penetrare non possumus. Tunc autem veritatem aliquam penetramus sive intelligimus, si eam, ut diximus, per ipsius causas demonstramus, i. e. si cognoscimus, cur sit aut esse possit. n. 84.

Probatur 1. *ex ampliore Dei cognitione.* Sine dubio utilis est revelatio, quae in homine gignit perfectiorem Dei cognitionem. Haec gignitur mysteriorum revelatione, et quidem duplice de causa. a. Perfectior rei cognitio generatim paratur, quoties praeter ea, quae hucusque noveramus, aliud ei inesse cognoscimus. Jam vero revelatione illa in Deo aperitur, quod antea nos latuerat. b. Singillatim vero Deus eo perfectius cognoscitur, quo magis exhibetur ut id, quod omnem humanam cognitionem perfectione excedit. Ut talis exhibetur singillatim mysteriorum revelatione.

2. *e perfectione intellectui accedente.* Utilis est revelatio, qua intellectui humano perfectio accedit, quam nulla alia cognitione acquirere potest. Haec perfectio ei comparatur mysteriorum revelatione, et quidem duplice de causa. a. Intellectus enim perficitur eo magis, quo altior est ordo rerum, circa quas versatur; hinc est, quod scientiae tanto perfectiores censentur, quo magis earum objectum elevatur supra materiam, i. e. infimum rerum ordinem. Atqui mysteria, quia excedunt quidquid creatione continetur aut exprimitur, ad rerum ordinem altissimum pertinent, qui a Deo solo cognoscitur. Eorum igitur qualiscunque cognitio summam omnium perfectionem affert intellectui humano. Dicimus: qualiscunque cognitio. Revelatione enim homo discit, aliquid in Deo esse, etsi non percipit, cur esse debeat vel possit. — b. Alia ratione intellectus eo magis perficitur, quo occultiora sunt quae percipit. Intellectus enim est perscrutari illa, quae a sensibus sunt remotiora, unde etiam rerum minime obviarum cognitione maxime delectatur, quamvis illa quandoque minime certa sit, ut in Geologiae et Geognosiae vel etiam Astronomiae systematibus cernere licet. Remotissima maximeque occulta sunt, ut nomen ipsum indicat, mysteria. Horum igitur cognitione licet obscura, tamen certissima, quam revelatio praebet, maxime perficitur.

3. *e praesidio contra errores.* Mysteriorum revelatione homo duplice modo ab errore praeservatur. *a.* Erraret sane intellectus concludendo, quidquid est in rebus humanis, eodem etiam modo esse in Deo. Facillime tamen in hunc errorem incideret, nisi revelatione doceretur, unam naturam divinam non subsistere in una persona, sicuti una natura humana in una persona humana subsistit. *b.* Intellectus, qui ab hoc errandi periculo per revelationem prohibetur directe, ab aliis errandi periculis prohibetur indirecte. Dum enim homo revelatione docetur, esse in Deo, quae a nullo intellectu creato penetrentur, a praesumptione liberatur, quae multorum errorem mater est.

4. *e vitae moralis promotione.* Quo excellentior nobis exhibetur Deus, eo magis provocamur ad cultum debitum, qui excellentia ut ratione movente nititur, Deo exhibendum. Quo magis, quae nobis revelantur, humanam intelligentiam excedunt, eo magis monemur, ut propter auctoritatem revelantis solam illa admittamus ac fidem exerceamus. Quo magis Deus nobis exhibetur ut id, quod perfectione omnem nostram cogitationem excedit, eo magis in nobis excitatur desiderium, illud summum bonum aliquando possidendi, et amor, qui ei debetur. Cf. s. *Thom.* c. g. l. I, c. 5.

5. *ex hominis elevatione ad ordinem divinum.* Mysteriorum revelatione homo attollitur ad modum illum divina cognoscendi, qui Deo soli proprius est. Duplex enim est modus Deum cognoscendi: alter incipit ab effectibus, qui modus creaturis competit, alter a Deo ipso, qui Deo proprius est, creaturis autem nonnisi speciali dono communicatur. Beatis quidem haec cognitio communicatur, dum lumine gloriae ad immediatum essentiae divinae intuitum elevantur; viatoribus communicatur, dum lumine fidei ad Deum, non prout per creaturas sed prout revelatione innotescit, cognoscendum provehuntur. Porro sicut Deus cognoscens seipsum cognoscit et alia, ita etiam nos ex illa divinorum cognitione ad alia cognoscenda ducimur; nam licet Trinitatis rationem non perspiciamus, tamen ex ejus existentia percepta alias veritates deducimus. Atque haec est nova intellectus nostri ad divinum intellectum assimilatio.

De hac deductione ita s. Thomas: „Sicut Deus ex hoc ipso, quod cognoscit se, cognoscit alia modo suo, i. e. simplice intuitu, non discurrendo, ita nos ex his, quae fide capimus, primae veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliorum secundum modum nostrum, i. e. discurrendo de principiis ad conclusiones. Unde primo ipsa quae fide tenemus, sunt nobis quasi prima principia in hac scientia, et alia sunt quasi conclusiones.“ Sup. Boëth. de trin. q. 2, a. 2. c.

Articulus VII.

De revelationis necessitate.

94. *Cur de necessitate agatur.* Non ea mente hic de revelationis necessitate agimus, ut necessitate hac probata concludatur, revelationem revera esse factam. Nam illa necessitas, quae sola ratione probari potest, non ejusmodi est, ut ex ea concludere liceat, Deum non potuisse non impertiri hominibus revelationem quamcunque supernaturalem. Probari quidem ratione potest revelationis alia necessitas hypothetica; sed hypothesin esse impletam, sola revelatione innotescit. Aliis verbis: si Deus hominem ad finem supernaturalem destinavit simulque voluit, ut finem illum modo congruo adipisceretur, opus erat revelatione supernaturali; at a Deo hominem ad finem supernaturalem conditum esse, nonnisi revelatione cognoscimus. Ceterum ad

revelationem admittendam nullatenus necesse est praevie demonstrasse ejusdem qualemcunque necessitatem. Revelationis enim existentia argumentis positivis demonstranda est.

Duplice tamen de causa opportunum est, ut hic quaestio instituatur de revelationis necessitate. Apertius enim refelluntur rationalistae, si ipsis, qui utilem esse negant revelationem, ejusdem etiam necessitas demonstratur. Dein plenior est oeconomiae divinae cognitio, si quem in ea locum teneat revelatio, jam hic exponitur. Rationibus internis externa accedit, exemplum concilii Vaticani, quod de revelationis existentia agens simul de ejusdem necessitate agendum ducit; ita enim docet: „Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant: siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.“ Const. I, c. 2.

Propositio 24. *Genus humanum a sufficiente sibique congrua religionis naturalis cognitione acquirenda difficultate nimia impeditur; unde ad illam cognitionem obtinendam revelatio, alio subsidio extraordinario non supposito, moraliter necessaria est.*

95. Accurate imprimis circumscribenda est quaestio.

1. Genus humanum, non unumquemque hominem nimia difficultate impediri dicimus: admitti enim potest, plures esse, qui difficultate illa non detineantur. Nimia illa difficultate constituitur moralis quaedam illam cognitionem acquirendi impossibilitas.

2. Sufficiente hominique congrua religionis cognitione non designamus illam, quae ad finem ultimum attingendum absolute sufficiat, sed illam quae requiratur, ut modo illo qui rationali naturae congruus sit, attingatur. Cognitio homini congrua est cognitio paulo amplior et expeditior. Limites vero hujus cognitionis congruae aeque parum determinari possunt ad amussim, ac bonorum temporalium possessio, quae homini congrua sit, ad amussim definiri potest.

3. Dum humanum genus illam religionis cognitionem per seipsum acquirere posse negamus, non tantum negamus, singulos posse *propria inquisitione* hujusmodi cognitionem sibi comparare; sed simul asserimus, impar etiam esse genus humanum, ut disciplina *magisterioque humano* cognitionem illam in omnes transfundat. Quum enim humana institutio inter media naturalia computanda sit, si homines institutione *mutua* congruam illam cognitionem obtinere possent, verum jam non esset, genus humanum revelationis indigum esse.

4. Supponimus hominem iisdem ingenii viribus praeditum, quae nunc ab ortu ei inesse solent, in societate humanis artibus aliquatenus exculta constitutum, obnoxium iisdem ad malum instigationibus internis et externis, quibuscum nunc ei est luctandum, denique fruentem illis tantum providentiae naturalis praesidiis et auxiliis, quae in hoc quem novimus ordine, ei obvenire solent. Admittendum enim est, si Deus providentia speciali impedimenta plura removeret a genere humano et mundi eventuumque cursum speciali omnino cura dirigendo auxilia uberiora externa conferret, praesidiis illis extraordinariis tolli posse revelationis indigentiam.

5. Etsi e sola revelatione novimus, humanum genus peccato quodam primitivo in hunc indigentiae statum se conjecisse, tamen e peccato illo ut nuda interim hypothesi solvere licet incredulorum objectiones. Caeterum evincere illi non possent, non potuisse a Deo creari hominem tam infirmum tamque obnoxium difficultatibus internis, quam nunc eum conspicimus. Difficultates externae, e daemonis victoris insidiis oriundae, sane pauciores fuissent, si genus humanum illo auctore in peccatum non incidisset. Verum haec quaestio aliam exiget suo loco disputationem.

6. Illa quam dicimus difficultas est moralis impossibilitas. Alia est physica, alia moralis impossibilitas. Physice impossibile homini illud est, ad quod perficiendum vires absolute desunt: physice impossibile homini est volare, quum careat alis. Moraliter impossibile est illud, ad quod praestandum vires absolute quidem praesto sunt, attamen gradu tam exiguo, ut maxima in opere perficiendo oriatur difficultas. Hujus difficultatis sunt gradus. Si difficultas tanta est, ut ne unus quidem eam vincat, adesse dicitur impossibilitas stricta; si non est tanta, ut ne unus quidem eam vincat, impossibilitas vocatur lata. Jam si non quaereremus, quid possit aut non possit totum genus humanum, sed quid singuli hac in re praestare possint aut non possint, diceremus, impossibilitatem moralem, quae religionis naturalis cognitioni congruae acquirendae opponitur, a nobis asseri latam, non strictam, quum minime contendamus, a nullo unquam superari posse difficultatem, qua impossibilitas illa constituitur.

96. **Probatur 1.** *ex humanae rationis debilitate respectu cognitionis requisitae.* Religionis naturalis cognitio sufficiens hominique congrua illa est, quae a. licet non omnia religionis naturalis capita complectatur, quod aliunde fieri non potest, tamen satis evoluta sit quoad veritates tum speculativas tum practicas, nec prima tantum quaedam principia complectatur; quae b. tam certa sit, ut munere suo fungi possit; quae c. immunis sit a foedis erroribus praesertim circa Deum Deique cultum. Atqui neque ad illum evolutionis, neque ad istum certitudinis gradum, neque ad hanc a foedis erroribus immunitatem absque revelatione provehetur religionis cognitio; ergo absque revelatione generi humano impossibilis est illa quam diximus religionis naturalis cognitio. Haec vero impossibilitas non est physica, sed moralis, quum ipsa religionem naturalem cognoscendi facultas homini ratione praedito insit quidem, minore tamen gradu.

A. Diximus *α.*, religionis cognitionem, ut sufficiens sit et congrua, ad aliquem evolutionis gradum pertingere debere, et quidem quoad veritates tum speculativas tum practicas. Patet hoc *α.* e religionis munere, quod in cultu numini supremo deferendo consistit. Cultus ille ut congruus sit, homo nosse debet, quis sit colendus, videlicet Deus unus et verus; praeterea ob quam rationem et quomodo colendus sit. Patet idem *β.* e religionis munere hominem ducendi ad finem ultimum, non quomodocunque, sed ordinate et modo naturae rationali congruo consequendum. Certe homo finem ultimum obtinere potest, licet rerum plurimarum, quas maxime nosse deceret, ignorantia invincibili laboret. Nemo autem dixerit, hominem talem modo congruo pertingere ad finem suum. Patet idem *γ.* e religionis munere hominem docendi, quae erga supremum legislatorem officia implere debeat. Necesse igitur est, ut legis naturalis cognitionem habeat, quae non ad prima tantum maximeque vaga principia, sed

ad alia etiam extendatur, saltem illa, quae cujusque conditioni sunt propria. Etiam hic prae oculis habendum est, congruam nondum esse praeceptorum cognitionem illam, quae sufficiat ad talem legis observationem, qua homo ad finem ultimum quomodocunque pertingat. Plurimorum praeceptorum ignorantia invincibilis non quidem est finis absolute obtinendi impedimentum; est autem impedimentum hujusmodi legum observationis, quae creaturam rationalem et legislatori supremo submissam deceat.

Diximus *b.*, eandem cognitionem, ut sufficiens sit et congrua, tam certam esse debere, ut munere suo apte fungi i. e. hominis cogitationes, desideria, operationes dirigere possit. Non asserimus, homini ut moraliter et modo naturae suae congruo operetur, in omnibus circa quae versatur ejus actio, cognitione certa opus esse; asserimus tantum, in quibusdam certitudine illa opus esse si non ad hoc, ut moraliter operari possit, tamen ad hoc, ut cum debita constantia operetur. Imprimis ut Deum unum et verum cum debita constantia, etiam cupiditate pulsatus, colat, carere non potest persuasione hac certa, Deum unum existere. Colendi obligatio subsistet quidem, etiamsi non tam certa sit Dei cognitio; inexcusabilis etiam erit homo, si Deum obscure tantum nec plane certo cognitum non honoret. (Suarez, Metaph. disp. XXIX, sect. 2. n. 6. cf. Viva in prop. 4.^{m} damn. ab Innocent. XI. 2. Mart. 1679.) Si autem mens fluctuat, nimis facile, sua quidem culpa, colendi officio deerit vel ad falsa numina transferet cultum uni Deo debitum. Idem suo modo applicandum est ad finis in altera vita obtinendi studium. Nimis facile, sua iterum culpa, in hoc studio torpescet homo, qui dubiis seriis de animae immortalitate pulsatur: nimiisque etiam cruciatibus torqueretur, qui dubius semper haereret, sitne revera vita altera beata, quam naturale quoddam et innatum animo desiderium exposcere videtur. Potissimum autem advertendum est, hominem, ut in omni occasione omnique difficultate ad legem observandam sufficienter et efficaciter impellatur, certo nosse debere, legis sanctionem constitutam esse in poena aeterna; hanc enim Deus etiam ideo instituit, quia alia, quae non esset aeterna, non satis efficaciter hominem urgeret. Aliud est, hominem, qui de poenae aeternitate certus non sit, reum tamen fieri posse poenae aeternae sic, ut Deus juste eam infligat; aliud est, hominem, qui de poenae aeternitate certus non sit, ad legem observandam in omni occasione sufficienter impelli. Reus erit poenae aeternae justeque a Deo punietur homo, modo sciat, quod ignorare non potest, grave scelus puniendum esse gravi poena; neque enim in republica requiritur, ut civis sciat, quot annorum poena gravia quaedam delicta puniantur. Minus tamen efficaciter ad legem observandam impelletur, qui de poenae aeternitate dubitat, licet quod suspicatur periculum aeternam poenam incurrendi, absolute sufficere posset, ut in officio se contineat.

Diximus *c.*, cognitionem illam immunem esse debere a foedis erroribus. Religio enim, quae Deo tribuit falsa, Deum dedecet facileque hominum mores corrumpit, quippe qui Deum ipsum habeant pro ultima sua norma. Etsi non proxime circa Deum versetur error, dedecens sane est religio, quae superstitiosa aut vana exercenda praescribit aut in divinae legis interpretatione errores foedos inducit. Praeterea fieri non potest, quin errores hujusmodi aliquando detegantur. Quod si evenit, etiam illorum, quae vera sunt, persuasio destruetur omniaque nutare incipient.

B. Absque revelatione genus humanum moraliter impar est, ut ad illam religionis cognitionem evolutam, certam et ab erroribus immunem pertingat; idque verum est non tantum quatenus agitur de veritate per singulos primum invenienda, sed etiam de eadem per aliorum auctoritatem humanam et institutionem haurienda. Moraliter impar erit, si impedimenta obsistunt tam gravia, ut nonnisi maximo et constante conatu vinci possint, a quo natura humana ut plurimum refugit, licet illa impedimenta non aeque magna sint in singulis.

97. a. Fieri nequit, ut cognitio, quam descripsimus, a singulis proprio conatu comparetur.

Nam *α.* alii ad hujusmodi studia ingenio ipso non sunt dispositi, alii ab iisdem impedirentur propter occupationes terrenas et necessarias, alii naturali segnitie desidiaque detinerentur, quae vincenda quidem esset, aegrius tamen vincitur a plerisque.

β. Etiam illi, in quibus haec impedimenta non essent, nonnisi longo post tempore ad cognitionem illam evolutam et congruam pertingerent, tum quia evoluta haec cognitio in se est difficilis multasque alias cognitiones supponit, tum quia juventus hujusmodi studiis minus est idonea; atque ita magna generis humani pars, juventus videlicet, quae religione maxime indiget, ab ejusdem cognitione esset exclusa.

γ. Demum neque in paucis illis cognitio evolutior, ad quam demum pertingerent, immunis esset ab errore. Haec enim sors est hominis, ut in disquisitionibus praesertim longioribus errores miscere soleat veris, quae multo demum labore cognovit. Abunde id patet e philosophiae historia, quam errorum historiam vere dixeris. Cf. s. Thom. c. gent. l. I, c. 4. Super Boëth. de Trin. l. I, q. 1, a. 1.

Celso philosopho reprehendenti Christianos, quod auctoritate, non rerum intelligentia moti doctrinas suas tenerent, *Origenes* respondet: „Si id (ut in rerum intelligentiam comparandam incumbant) ab hominibus impetrari nequit, sive propter hujus vitae necessitates, sive propter eorum infirmitatem, quae in causa sunt, cur perpauci huic se studio dedant; quae ratio in majori hominum parte excogitari potest commodior illa, quam Jesus gentibus tradidit? . . . . Manifestum est, perpaucis exceptis, reliquos ne id quidem assecuturos, quod alii simplice fide consecuti sunt, sed in corruptissima sua vita remansuros.“ Cont. Cels. I, n. 9.

98. b. Fieri pariter nequit, ut genus humanum doceatur a paucioribus illis, qui ad evolutiorem religionis cognitionem tandem pervenisse supponuntur.

Nam *α.* pauciores illi et peritiores non possunt doctrinam ita proponere, ut ob solam eorum auctoritatem admittatur a reliquis, quum auctoritate altiore sive divina careant, eorum vero auctoritas humana ob doctrinarum diversitatem et pugnam nimis sit exigua.

β. Neque docere possunt rationibus internis demonstrando, vera esse quae tradunt. Ut enim maxima hominum multitudo ob difficultates supra expositas a veritate invenienda, ita etiam plurimi ob easdem difficultates a doctrina per disciplinam haurienda impediuntur. Quod pueri nunc per talem disciplinam in doctrina revelata institui possunt, auctoritati divinae, qua primum inducta est religio, tribuendum est.

Omnia haec impedimenta perspexit hisque verbis fassus est *Cicero:* „Est enim philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique et ipsa suspecta et invisa: ut vel, si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit, vel si eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere possit auxilia reliquorum philosophorum disciplinis.“ Tusc. Quaest. l. II, n. 4. — Id sentientes philosophi ne conati quidem sunt doctrinas suas inter homines rudiores spargere. Quin imo quae paucioribus tradiderunt, vita moribusque non raro palam negarunt. Qua de re *Eusebius:* „Philosophi, inquit, post speciosas de rebus sive coelestibus sive naturalibus disputationes, ex illo culmine tamquam ex altissimo quodam montis vertice prolapsi, humi deinceps cum ipsa plebecula volutari, promiscue ad veterum de pluribus diis errorem sese aggregare, denique eadem se quae vulgus ipsum opinari, partim sacrificiis, partim simulacrorum cultu simulare; quo quidem exemplo vulgarem hominum de fabulosis deorum narrationibus sensum

et existimationem augebant simul ac magis magisque roborabant." Praep. evang. l. III, c. 14. P. gr. t. 21, 219.

γ. Demum quae pauci illi feliciores et fortunatiores philosophica hujusmodi institutione haurirent, non sufficerent ad congruam religionis cognitionem pariendam, quia ob rationes ante allatas ab erroribus non essent immunia nec satis certa.

Ex ipsa igitur hominis natura, qualem usu quotidiano novimus, liquet, genus humanum moraliter impar esse ad religionis naturalis cognitionem sufficientem et congruam sibi comparandam.

99. **2.** *ex historia testante conatus irritos.* Imprimis nullus exhiberi potest populus, qui absque revelationis ope ad religionis naturalis cognitionem illam, quam diximus, pervenerit. E solo hoc facto certe non continuo inferimus, moraliter impossibilem esse cognitionem illam sive necessitate quadam morali populos defecisse ad ignorantiam et errores. Defectiones enim et vitia quam plurima sunt communia, nec tamen illico concludere licet, moraliter impossibile esse ea devitare. Factum autem illud primo ad hoc proferre licet, ut ostendatur, non esse causam adversariis, cur religionis cognitionem absque revelatione possibilem esse dicant.

Si autem factum illud conjungitur cum naturali hominis sciendi aeternamque suam sortem noscendi desiderio, positive etiam ostenditur, genus humanum impotentia morali quam diximus laborare. Ita enim argumentari licet: Moraliter impossibilis est generi humano cognitio illa, ad quam, licet omnes aliquo ejus desiderio teneantur, pauci tantum, hique ipsi, licet maxime eidem studeant, non sine multis erroribus perpetuaque haesitatione pertingunt. Atqui id dicendum est de sufficiente decenteque religionis cognitione; ergo haec moraliter impossibilis est generi humano.

Verum est, quod hac in re animadvertere non omittit s. Thomas: „scientiae mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum". Cont. gent. l. I, c. 4. Valet id potissimum de scientia sive cognitione religionis, quum haec sola possit solvere quaestiones duas, quas omnis homo etiam invitus sibi proponit: unde venio? quo vado? Ex hoc desiderio est, quod populi omnes numen aliquod coluerunt, religionem exercuerunt, de futura animae sorte aliquid tenuerunt. Religio nullo unquam tempore a populis inter res exigui momenti amandata est; leges quam plurimae latae pro cultu patrio servando, peregrino amandando vel etiam exstirpando id demonstrant. Imo anxiam curam et sollicitudinem Romani religionem vocare solebant, indicantes, quae ad cultum divinum pertinent, summa sollicitudine haberi digna. Ardentius etiam religionis cognoscendae studium in multis philosophis emicuit, ut eorum scripta testantur. Verum igitur est, religionis studium ab ipsa natura insertum esse homini.

Verum pariter est, populum nullum ad religionis cognitionem, quae satis evoluta, certa et ab erroribus foedissimis immunis sit, absque revelationis ope pervenisse. In duplice quasi cardine vertitur religio: in doctrina de Deo et de animae immortalitate. Neutra doctrina absque revelatione talis invenitur, qualem esse oportet.

100. a. Quod doctrinam de *Deo* ejusque cultu attinet, possumus hic provocare ad primorum saeculorum apologetas aliosque Patres, qui ut gentilibus religionis revelatae utilitatem et necessitatem demonstrent, cultum insanum, turpem et scelestum, quem diis suis illi deferebant, describere non cessant. Eminent inter illos s. Justinus, Tatianus, Tertullianus. Arnobius, Minucius Felix, Lactantius, Eusebius, s. Augustinus (de civit. l. I—X).

Neque tamen ex foedis illis erroribus concludere licet, genus humanum suis viribus pertingere non potuisse nisi ad cultum tam multis erroribus foedatum; imo novimus, idololatriam et quae ei affinia sunt, potissimum pravae hominum voluntati originem debere. Unde suo modo de populis integris intelligendum est, quod s. Paulus imprimis de sapientioribus scribit: „Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam etc.“ Rom. 1, 21—24. Id tantum concludere sufficit, etsi facile est ad unius verique Dei pertingere notitiam rudem, minus tamen facile esse, hanc notitiam rudem et imperfectam, a natura quodammodo insitam, absque errore evolvere; imo difficile esse, notitiae illius lumen ita custodire, ut animi cupiditatibus non obruatur. Lumen autem mentis, quod tam facile obruitur, per se exiguum et instabile sit necesse est.

Quanta fuerit populorum ignorantia facilius patet, si qualis vel ipsorum Philosophorum fuerit, expendimus. Tam vaga et mutila eorum erat de Deo cognitio, ut apostolus modo dicat, eos Deum novisse (Rom. 1, 21), modo eos, ut gentes passim, Deum ignorasse. I. Thess. 4, 5. Gal. 4, 8. Eodem sensu Patres loquuntur, a quibus non recedit *Clemens* Alex., cui opinio contraria quandoque tribuitur. Cf. Strom. V, c. 14. p. 198. ed. Migne. Vaga etiam erat Dei unius cognitio, ut ipse loquendi modus, quo uti solent Philosophi, „Deos“ passim nominantes, satis ostendit. Fatebantur Deum omnipotentem; attamen verae omnipotentiae conceptu carebant, quum docerent, Deum e materia praejacente mundum condidisse. Fatebantur Deum providum; veram tamen providentiam destruebant alii admittendo fatum; alii negando, eam usque ad res sublunares extendi. Obscurabant Dei justitiam et sapientiam admittendo metempsychosin, quae verae justitiae et sapientiae adversatur. Ignorabant veram hominis originem. Ut Diodorus Siculus testatur, „de primo hominum ortu duae apud summae auctoritatis physiologos et historicos sententiae habentur. Alii enim horum, qui et ortus et interitus expertem mundum statuunt, hominum etiam genus ab aeterno sine ullo generationis principio exstitisse affirmant. Alii contra, qui et genitum hunc mundum et corruptioni obnoxium esse censent, perinde atque illum, homines quoque certo tempore ortum consecutos asseverant.“ Bibl. hist. I. I, c. 6. Hominem una cum brutis terra sponte genitum esse, horum est sententia. Posse hominem cum debito modo poenitentiam agit, a divina misericordia veniam impetrare, „vox est ista naturae“, ut observat s. Augustinus (de duab. anim. contra Manich. c. 14); nihilominus Philosophi id negarunt; unde s. *Justinus* reprehendit Platonem, qui Homerum e civitate pellat, quod dixerit: Di flectuntur et ipsi. Cohort. ad Graec. n. 25.

101. b. Idem dicendum est de altero religionis cardine, de animae *immortalitate*. Quamvis ad hanc asserendam ipsa natura rationalis vehementer impelleret, persuasio tamen de animarum immortalitate nequaquam firma erat. Patet id potissimum in philosophis, etiam illis, qui saniore doctrina eminent. *Cicero* postquam argumenta pro animae immortalitate asserenda exposuit, ita demum concludit: „Quodsi in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus, ut quidam minuti philosophi

censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut omnium aliarum rerum, sic vivendi modum.“ Cato maj. sive de senect. n. 86. Neque *Tacito* constat de animarum immortalitate, licet pias saltem et eximias immortales censere videatur. Ita enim concludit Julii Agricolae vitam: „Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae: placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est.“ Agricolae vita n. 46. Utrique praeiverat *Plato,* cujus e mente Socrates apologiam suam concludens ita se consolatur: „De duobus alterum est mors: nam aut velut in nihilum interitus est, ut ne ullum quidem ullius rei sensum retineat mortuus, aut, quod vulgo dicitur, commutatio quaedam et peregrinatio animi hac ex sede hinc in aliam sedem.“ Apol. Socr. n. 32. Omni sensu vitaque carere haud triste censet Socrates, longe tamen jucundius vitam agere cum beatis. Ad aniles fabulas opinionem de immortalitate amandabant alii, inter quos est *Plinius* Secundus ita disserens: „Post sepulturam aliae atque aliae manium ambages. Omnibus a suprema die eadem quae ante primum: nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, et in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur: alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando, et manes colendo deumque faciendo, qui jam etiam homo esse desierit“ . . . Nat. Hist. l. VIII, c. 55.

E veritate utraque speculativa, de qua egimus, quam plurimum pendent hominum mores. Deus enim qualis existimatur, talis colitur; unde gentiles non raro Deos suos illis vitiis colendos putaverunt, quibus eos infectos existimarent. Pariter vitae futurae, qualem existimat, homo vitam praesentem aptare solet, quum probe sciat, vitam hanc alterius esse praeparationem. Quam pestiferi moribus saepe sint errores, bene exponit *Lactantius.* „Nec est, inquit, difficile docere, cur Deorum cultores boni et justi esse non possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos Deos, Martem atque Bellonam? Quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam nudam et adulteram et quasi apud Deos prostitutam? . . . Possuntne inter haec justi esse homines, qui, etiamsi natura sint boni, ab ipsis tamen Diis erudiantur ad injustitiam? Ad placandum enim Deum, quem colas, iis rebus opus est, quibus illum gaudere ac delectari scias. Sic fit, ut vitam colentium Deus pro qualitate nominis sui formet; quoniam religiosissimus est cultus imitari“. Instit. V, 10.

102. c. Ut in cognitione speculativa, ita etiam in *morum doctrina* philosophi alioquin spectatissimi in errores gravissimos inciderunt, quod quam plurimis constat exemplis. Agens de republica, in qua *Plato* omnia in commune possideri voluit, *Lactantius* ita animadvertit: „Ferri hoc potest, quamdiu de pecunia dici videtur; quod ipsum quam impossibile sit et quam injustum, poteram multis rebus ostendere. Concedamus tamen, ut possit fieri: omnes enim sapientes erunt et pecuniam contemnent. Quo ergo illum communitas perduxit? Matrimonia quoque, inquit, communia esse debebunt . . . O miram Platonis aequitatem! Ubi est igitur virtus castitatis? Ubi fides conjugalis? quae si tollas, omnis justitia sublata est. At idem dixit, beatas civitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent aut reges philosopharentur“. Inst. III, 21. Neque scopulos in re, quae nobis nunc satis aperta videtur, effugit *Cicero,* cujus hanc sententiam idem Lactantius refert: „At vero, si quis voluerit, inquit, animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit: noceat nemini, nisi lacessitus injuria“. De off. III, 19. Pergit ita Lactantius: „O quam simplicem veramque sententiam duorum verborum adjectione corrupit! Quid enim opus fuerat adjungere *nisi lacessitus injuria?*“ Inst. VI, 18.

Vide quae de toto argumento disputat *Baltus,* Jugement des ss. Pères sur la morale de la Philosophie païenne. Strasbourg 1719.

103. Unum est, quod *objici* possit contra doctrinam expositam: Si generi humano necessaria est revelatio, sequi videtur, aut Deum non satis providisse creaturae rationali, quae videlicet, aliis creaturis longe miserior, in ipsa sua natura non contineat, quibus expedite et cum aliqua facilitate ad finem suum pertingat: aut saltem debitam homini esse revelationem, unde sequitur, eam non esse beneficium gratuitum et supernaturale.

Facilius quidem difficultati propositae satisfit e doctrina revelata de statu primitivo et lapsu humani generis. Ne vero hic attingamus quaestiones alio loco agitandas, haec sufficit habere prae oculis:

a. Doctrina exposita non dicit, hominibus singulis moraliter impossibile fore ad *finem* naturalem pertingere; neque dicit, hominibus simul sumptis sive humano generi moraliter impossibile esse ad *finem* eundem pertingere. Distinximus enim inter cognitionem ad finem ultimum consequendum necessariam, et doctrinam evolutiorem, certam, ab erroribus immunem. Ostendi nequit, statum ignorantiae et infirmitatis, in quo hominem nasci conspicimus, pugnare cum Dei bonitate et sapientia: tenenda potius s. *Augustini* doctrina: „Ignorantia et difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus". Retract. l. I, c. 9. n 6.

b. Summus ille ignorantiae et moralis miseriae status, qua populos revelatione certa carentes conspicimus oppressos, non est in solam naturae infirmitatem refundendus. Magna etiam ex parte originem trahit tum e propria singulorum malitia, tum e majorum et aequalium perversitate.

Falsum igitur est dicere, Deum in naturae ordine non satis providisse homini, ut ad finem naturalem possit pertingere, falsumque pariter est, Deum ad revelationis beneficium conferendum teneri.

c. Concedunt Theologi, si homo conditus fuisset ut nunc nascitur, i. e. non ornatus donis supernaturalibus, quibus propter lapsum primitivum privatus est, minoribus eidem difficultatibus, quam nunc, colluctandum fuisse. Etsi enim facultates naturae propriae in tali statu eaedem fuissent quae nunc sunt, minores tamen futurae fuissent difficultates externae, impugnationes videlicet daemonis, cui per lapsum primitivum sese submisit genus humanum: majora fortasse etiam futura fuissent auxilia providentiae naturalis, quam nunc sunt, quum genus humanum lapsum ob eandem causam minus dignum sit providentia speciali. Unde inferunt Theologi, hominem, si in statu naturae purae conditus fuisset, expeditius cognoscere potuisse illa, ob quorum ignorantiam revelatio nunc moraliter necessaria est. Suarez de grat. proleg. IV. De gr. l. I, c. 1 et 2. Bellarm. de grat. et lib. arb. l. IV, c. 2; l. V, c. 2.

Propositio 25. *Ad religionis positivae cognitionem comparandam et ad finem supernaturalem pro rationalis naturae conditione attingendum revelatio simpliciter sive absolute necessaria est.*

104. Necessitas absoluta hic opponitur necessitati morali. Absolute sive simpliciter necessarium est illud, sine quo opus omnino perfici non potest, quia nimirum vires sive media ad illud perficiendum simpliciter desunt. Necessitas absoluta de qua agimus, tunc tantum exoritur, si Deus religionem positivam ab homine exerceri vult aut finem supernaturalem eidem praestituit.

105. Pars I. Positivae religionis cognitio nonnisi revelatione comparari potest. *Positiva* potest esse religio, quae hominem supra naturae ordinem non elevet, sive quae non sit supernaturalis quoad substantiam. Prolegom. §. VII. At sive naturalis sive supernaturalis quoad substantiam sit religio, necessario erit supernaturalis quoad modum, cum revelatio, sine qua esse non potest, sit supernaturalis.

Probatur *e conceptu religionis positivae.* Religio positiva complectitur instituta, praecepta ad cultum spectantia, quae speciali Dei voluntate nituntur sive quae aliquid amplius continent, quam quod naturae ordo praescribit et determinat. Quod autem nititur voluntate Dei speciali distinctaque ab illa, quam creando expressit, id speciali tantum modo, qui a creatione consideranda distinctus sit, cognosci potest. Specialis hic modus est revelatio. — Et vero, ut exemplo utamur, quamvis ratione cognosci possit, tempus aliquod cultui divino esse consecrandum ac proinde abstinendum esse ab occupationibus, quae cultum illum turbent; tamen revelatione sola cognosci poterat, cultui huic e Dei voluntate diem septimum et quidem integrum destinatum esse et per diem integrum ab operibus servilibus esse abstinendum.

106. Pars II. Homine ad finem supernaturalem ordinato revelatio absolute necessaria est. Quum de revelatione ad finem *supernaturalem* attingendum necessaria agitur, de eo sermo est, quod spectata Dei potentia ordinata requiratur, sive de eo, quod Dei potentia exequi possit spectatis simul reliquis attributis, imprimis sapientia. Haec autem exigit, ut homo eo modo, qui naturae rationali conveniat, finem suum assequatur. Id sine revelatione absolute fieri non potest.

Probatur 1. *e necessitate appetendi finem.* Ut homo modo naturae suae congruo finem assequatur, necesse est, ut eum appetat; ergo ut finem supernaturalem modo congruo assequatur, necesse pariter est, ut eum appetat tamquam supernaturalem. Porro appetere nequit ut finem supernaturalem omnemque naturale debitum excedentem, nisi ut supernaturalem aliquo saltem modo, licet confuso tantum, cognoscat Quomodo autem cognoscet, destinatum se esse ad finem, qui excedat omnia, quae natura rationalis jure quodam suo appetere potest? sive quomodo cognoscet, destinatum se esse ad finem, qui naturae suae non sit debitus? Ex ipsa sua rationali natura deducere id non potest. Haec enim nihil aliud dicit, nisi destinatam se esse ad finem sibi accommodatum, i. e. ad beatitudinem in abstractiva quadam Dei cognitione sitam.

Ergo nonnisi e revelatione discere potest, destinatum se esse ad finem supernaturalem, et ad hunc finem modo conveniente attingendum revelatio absolute necessaria est. S. Thom. c. gent. l. I, c. 5.

Object. praevenitur. Diximus, ut homo pro naturae rationalis conditione finem assequatur, necesse esse, ut eum appetat. Omnis enim res pro suae naturae modo finem assequitur: creaturae cognitione praeditae appetendo et cognoscendo, creaturae rationales volendo et intelligendo: ipsae ad finem suum se dirigunt, dum creaturae inanimatae non se ipsae movent, sed naturae pondere et inclinatione moventur. Ex hoc etiam intelligitur, infantem, qui nondum rationis usu pollet, alio modo ad finem posse pertingere, atque hominem adultum. Quid autem naturae hominis congruat, quid non congruat, dijudicandum non est e statu ejus imperfecto vel infantili, sed e statu perfecto et a natura intento. Unde quod infantibus finis assequendi medium provisum est non exigens in ipsis finis intentionem, nihil officit doctrinae in se spectatae.

2. *e necessitate cultum et obedientiam praestandi beatitudinis auctori.* Homo ad finem suum supernaturalem modo naturae congruo pertingere non potest, nisi Deum ut finis illius auctorem colendo eique obedientiam praestando. Ut enim cultus Deo debitus est, quia est naturae auctor, ita cultus debitus est, quia est gratiae auctor. Et sicuti obedientia debetur ut legis naturae auctori, ita etiam obedientia ei debetur ut auctori legis gratiae. Haec enim lex gratiae quasi connaturalis eo ipso existit, quod Deus ut auctor gratiae vult coli et appeti. Quomodo autem homo Deum colet ut gratiae et legis gratiae auctorem, si eum non novit esse gratiae et legis gratiae auctorem? Et quomodo discit esse nisi revelatione? Unde revelatio absolute necessaria est, ut homo Deum ut auctorem gratiae colat et ita convenienti modo finem attingat.

107. *Objici* potest, etiam sine revelatione cognosci posse, hominem destinari ad beatitudinem in Dei visione intuitiva sitam. Homo enim naturaliter desiderat beatitudinem perfectam; sed sola illa beatitudo, quae in Deo immediate intuendo consistit, perfecta est; ergo hanc naturaliter desiderat homo. Naturae autem desiderium inane esse non potest; ergo talem beatitudinem existere et homini praeparatam esse etiam ratione concludimus.

Resp. Nullo argumento probatur, visionem intuitivam esse finem homini naturaliter debitum. Verum est, hominem naturaliter desiderare beatitudinem perfectam, sed quod bene notandum, perfectam illo perfectionis genere, quod homini convenit, non vero perfectam perfectione absoluta. Alio et alio sensu beatitudo perfecta dici potest. Perfecte beatus est, qui possidet bona omnia, quae possidere potest, sive is cujus possidendi facultas expleta est. Alia autem est possidendi sive Deum cognoscendi facultas in homine elevato, alia in non elevato. Uterque perfecte beatus est, si Deum cognoscit pro illo meritorum gradu, quae in terra vivens comparavit. Sed cognitionis genus in utroque diversum est. Homo elevatus Deum cognoscit cognitione intuitiva, homo non elevatus Deum cognovisset cognitione abstractiva, quae sola naturaliter

competit creaturae rationali. Beatitudo sita in cognitione abstractiva, licet, ut diximus, alia ratione sit beatitudo perfecta et hominem non elevatum vere satiasset, tamen imperfecta dici potest spectato cognitionis genere; nam cognitio abstractiva est cognitio imperfecta, si comparatur cum cognitione intuitiva. Unde ut respondeatur in forma: Homo naturaliter desiderat beatitudinem perfectam *dist. Maj.* beatitudinem perfectam respectu ejus facultatis, quam vere expleat, *conc. M.:* beatitudinem perfectam genere i. e. sitam in cognitione intuitiva, *subd.* hanc naturaliter i. e. natura inclinante desiderat homo, postquam per revelationem cognovit, se ad illam et non ad aliam destinari, *conc. M.:* hanc naturaliter desiderat non doctus revelatione, se ad illam destinari, *neg. M.* Dici potest, hominem naturaliter vel potius connaturaliter desiderare beatitudinem supernaturalem, quatenus homo, natura duce aliquam beatitudinem desiderans, etiam natura duce illam desiderare dicendus est, quam solam sibi propositam e revelatione novit.

Caput III.

De religionis revelatae hominibusque oblatae demonstratione.

Ostendimus quidem, Deum hominibus ita loqui posse, ut simul cognoscant, Deum esse, qui sibi loquitur. At de revelatione a Deo homini ipsi exhibita agebatur i. e. de immediata. Ostendendum superest, illos per quos Deus religionem communicare intendit, ut Dei legatos agnosci, hinc revelationem mediatam veram a falsa distingui posse. Distingui autem potest criteriis partim internis partim externis; unde de utrisque agendum. Prius autem inquirendi et amplectendi obligatio demonstranda est.

Articulus I.

De obligatione in revelationem inquirendi cognitamque amplectendi.

108. Hanc obligationem negat tum indifferentismus tum tolerantismus dogmaticus. Indifferentismi est hoc axioma duplex: *a.* Religio revelata non est inquirenda nec curandum sitne aliqua religio revelata; *b.* e cognitis revelationis formis aliqua eligenda est pro libitu aut pro temporum et locorum conditione. Indifferentismi sectatores laxiores haec de omni revelationis forma, minus laxi nonnisi de revelationis christianae formis intelligere consueverunt. — Tolerantismi religiosi sive dogmatici hoc est axioma: Opiniones religiosae omnes jure aliquo suo nituntur. A tolerantismo religioso sive dogmatico distinguendus est tolerantismus politicus, qui omnibus aut pluribus opinionibus religiosis jus vindicat existendi politicum. Hic tolerantismus iterum duplex est: aut enim jus existendi politicum ex hominibus individuis repetit, qui habeant jus civitatis eoque privandi non sint propter suas opiniones religiosas discrepantes: aut jus illud repetit ex ipsis opinionibus ut sic, asserendo, opinionibus omnibus, utut falsis, competere idem jus existendi eandemque deberi protectionem. Cf. Hergenröther, Kath. Kirche u. christl. Staat. XII. n. 18—21.

Nobis hic de solo religionis ordine agendum est atque demonstrandum, quam obligationem pariat ipsum revelationis factum, sive veritates naturaliter jam cognitas, sive novas proponat, sive religionem naturalem sive positivam contineat, sive hominem ad ordinem supernaturalem evectum, sive in ordine pure naturali relictum exhibeat.

Propositio 26. *Religio revelata amplectenda est ab illis, quibus destinatur et sufficienter proponitur.*

109. Quaecumque demonstrant exercendam ab homine esse religionem, eadem etiam demonstrant, amplectendam et exercendam esse religionem, quam Deus forte reve-

lavit, sive haec de se i. e. ipsa substantia supernaturalis sit sive non sit. Agimus interim de hoc solo, quod per se requiritur, non de illo, quod per accidens fieri possit, si nimirum religio revelata a quibusdam non cognoscitur aut non sufficienter cognoscitur. Quae sit cognitio sufficiens, postea dicendum. Amplectenda autem religio est ab illis solis, quibus est destinata, ut mosaica a solis Israelitis erat exercenda. Id imprimis intelligendum est de praeceptis positivis. Si qui alii etiam veritates a Deo revelatas esse norunt, easdem negare aut in dubium vocare iis minime licet, quum id veracitatis divinae negationem involveret; non tamen ad easdem publico et communi aliquo cultu profitendas adigerentur, quum Deus earum revelationem ad hunc finem non destinaverit. Neque per obedientiam ad eas positive credendas obligantur: Deus enim obedientiam ab illo solo exigit, cui aliquid mandat seu ad quem loquitur; obligantur tamen per reverentiam, quia Dei veracitas, quum se manifestat, honore digna est, isque non satis defertur cohibendo tantum dissensum. Cf. *Suarez* de fide disp. III, s. 10, n. 7. *Lugo* de fide disp. I, s. 11, n. 231.

Probatur 1. *ex excellentia novo modo cognita et exhibita.* Deo cultum ostendimus deberi ob infinitam excellentiam naturae supremae, patris nostri et domini. At excellentia absoluta non minuitur, imo magis innotescit, si Deus novo omnino modo hominibus se revelat; respectiva excellentia augescit, si non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis ordinis auctor Deus existit, et non tantum naturalium, sed etiam supernaturalium bonorum dominium exercet. Et vero qui fatetur, Deo ut auctori naturae deberi cultum, ut gratiae autem sive ut supernaturalium bonorum auctori cultum deberi negat, similis est filio, maximis beneficiis affecto, qui parentem ut vitae suae, non vero ut reliquorum beneficiorum auctorem honorandum existimaret. Verbo, si quis cultus Deo debetur ob excellentiam natura duce a nobis cognitam, novus cultus debetur ob excellentiam novo modo a Deo exercitam aut novo modo a nobis cognitam.

2. *e finis supernaturalis indole.* Religionem exercendam ostendimus, quia Deus sit ultimus hominis finis. Unde rationi finis accommodandum est religionis exercitium. Sed alio modo Deus finis hominis constituitur in religione supernaturali, quae Deum clara visione aliquando possidendum statuit; ergo supposito fine supernaturali Deus alio modo colendus est et alio modo exercenda religio. Et vero quaecumque complectitur religionis exercitium, media sunt, quae hominem ad finem suum obtinendum disponant. Disponere non possunt, nisi fini accommodata sint. Accommodata non sunt nisi supernaturalia sint, si finis ipse est supernaturalis. Ergo qui religionem revelatam respuit, quum respuat complexum eorum, quibus homo ad finem ultimum supernaturalem pervenit, ad finem jam pertingere nequit.

3. *e legis positivae ratione.* Religioni hominem subesse deduximus e legis naturalis existentia, qua nimirum Deus naturali vinculo hominem sibi adstringit. Ultimam hujus legis causam in eo reperimus, quod Deus, utpote ordinis necessario amans, non possit non praecipere, ut quod rectus ordo requirit, ab homine praestetur, et quod rectum ordinem turbat, ab homine evitetur. At rectus ordo sane requirit, ut, si Deus legem positivam statuit, a singulis, quibus statuit, impleatur, et si voluntate positiva aliquid prohibuit, a singulis, quibus prohibuit, evitetur. Religio positiva est lex positiva; unde sicuti ad illa quae per se bona et ad finem ultimum necessaria sunt, lege naturali homines obligantur, ita etiam ad illa, quae religione positiva praescribuntur, homines Dei voluntate adstringuntur. Et vero qui ad solam religionem naturalem, non autem ad positivam homines obligari diceret, similis illi esset, qui contenderet, cives quidem adstringi ad facienda illa, quae reipublicae salus et conservatio natura sua sive necessario postulat, non autem ad servandas leges illas, quas supremus legislator voluntate positiva constituit.

4. *e populorum sensu.* Religionis necessitatem ex eo deduximus, quod genus humanum ipsa natura duce religionem exercendam duxerit ad duplicem modum, quo homo a Deo pendeat, in vita nimirum tum privata tum sociali, attestandum. Homines autem non consueverunt existimare, religionem mere naturalem profitendam esse. Religiones quas profitebantur gentiles, e diis ipsis aut per legislatores quosdam divinitus inspiratos, aut per oracula derivatas esse existimabant. Vario quidem ducebantur errore in eo, quod factum ipsum attinet; at persuasio, qua censebant, admittendam esse religionem a Deo revelatam, tam communis erat quam illa, qua universe religionem aliquam exercendam judicabant, ac proin non minus vera quam illa.

5. *e revelatione formaliter spectata.* Denique accedit titulus omnino specialis, quo caret religio naturalis, et hic titulus in revelatione formaliter spectata situs est. Deus testimonio suo aliquid verum esse affirmans exigit, ut verum existimemus, quod affirmat. Ut enim omnis homo qui loquitur, affirmat se habere in mente quae profert, ita etiam Deus; id enim in locutionis natura situm est. Ergo quicunque assensum denegat, cum aut ideo denegat, quia judicat, Deum non habere in mente, quae in mente se habere affirmat; aut ideo, quia judicat, quae in mente habet, vera non esse; aut denique quia existimat, sibi licere non attendere illis, quae Deus ipsi revelat. Si homo primo effugio utitur, Deum

mendacem dicit; si altero, ignorantiae accusat; si tertio, obedientiam denegat tum voluntatis tum intellectus; ad fidem enim concurrunt tum intellectus, assentiendi actum eliciens, tum voluntas, intellectum ad assentiendum inclinans. S. Thom. 2, 2, q. 2, a. 1.

Manifestum praeterea est, Deum ut summe sapientem et veracem dignum esse omni reverentia. Haec autem reverentia non exhibetur, imo irreverenter habetur Deus, si illis quae revelat, homo denegat assensum. In ipsa vita humana si viro gravi et probo rem aliquam testanti assensus denegatur, ignominia affectus esse creditur.[1])

110. Ab hoc obedientiae et reverentiae laesae crimine sese eximere nituntur increduli dicentes, assensum potius ideo negari, quia Deum locutum esse negetur; at hoc solo negato, nec obedientiam laedi nec reverentiam.

Verum si revelatio ut satis demonstrata proponitur (de modo quo id fiat, postea ex instituto agendum est), etiamsi homo explicite et diserte solum factum revelationis neget, simul tamen obedientiae et reverentiae laesae reus est. Nam in ordine divino obtinet, quod in ordine humano fieri rerum natura ostendit. Inter homines obedientia principi debita non tunc solum laeditur, si quis mandatum non implet confitens esse principis mandatum, sed etiam quando imprudenter negat esse principis mandatum. Ratio est, quia homo lege naturali tenetur ad principis mandatum sibi notum et caeteroquin justum implendum, neque ab hac obligatione eximitur, si imprudenti niteus judicio ipsum mandatum negat. Ergo et obedientia Deo debita infringitur, si homo, revelatione satis sibi nota, fidem denegat nonnisi imprudenter judicans, Deum non esse locutum. Idem de reverentia dicendum. Subditus ad principem satis sibi notum honorandum obligatur, etsi imprudenter judicat, quem videt, non esse principem. Ita et homo ad Deum modo congruo honorandum obligatur, quoties morali certitudine constat, Deum per legatos esse locutum: modo autem congruo Deus loquens non honoratur, si assensus ei denegatur. Caeterum hic gravior etiam urget ratio, cum de religione et salutis via divinitus disposita agatur. Nemini enim licet animae aeternam salutem periculo exponere. Cf. *Suarez* de fide disp. XIII, s. 1. *Lugo* de fide disp. XIII, s. 1.

---

[1]) Ex argumentis allatis patet, non tantum impium et blasphemum, sed etiam multipliciter absurdum esse quod scripsit *Lessing:* Nicht die Wahrheit, in deren Besitz irgend ein Mensch ist oder zu seyn vermeint, sondern die aufrichtige Mühe, die er angewandt hat, hinter die Wahrheit zu kommen, macht den Werth des Menschen. Denn nicht durch den Besitz, sondern durch die Nachforschung der Wahrheit erweitern sich seine Kräfte, worin allein seine immer wachsende Vollkommenheit besteht. Der Besitz macht ruhig, träge, stolz. Wenn Gott in seiner Rechten alle Wahrheit, und in seiner Linken den einzigen immer regen Trieb nach Wahrheit, obschon mit dem Zusatze, mich immer und ewig zu irren, verschlossen hielte und spräche zu mir: Wähle! Ich fiele ihm mit Demuth in seine Linke und sagte: Vater, gieb! Die reine Wahrheit ist ja doch nur für dich allein!! Theologische Streitschriften. Eine Duplik. Sämmtliche Werke Leipzig 1841. p. 862.

Propositio 27. *In religionem quae ut revelatam cum aliqua veri specie se offert, inquirendum est tum ab illo, qui revelatione omni caret, tum ab illo, qui de suae religionis, quam ut revelatam hucusque exercuit, veritate prudenter dubitat.*

111. Inquirendum est in illam solam religionem revelatam, quae aliquam veri speciem exhibet. Si enim evidenter falsa aut absurda esset, inutilis foret inquisitio. Quodsi autem absurdi quidem nihil primum intuenti exhiberet, nullam tamen verisimilitudinem prae se ferret, ab inquisitione ideo abstinere liceret, quia nullam veritatis spem excitare valeret. Inquirendi obligatio non tantum infidéli incumbit, sed etiam illi, qui prudenter dubitat, sitne vere revelata religio, quam hucusque tenuit; pariter illi, qui aliquam religionis revelatae partem ita tenet, ut de ea prudenter dubitare non possit, de alia autem parte prudenter dubitat. Fieri enim potest, ut non sit revelata religio, quae ut revelata a quibusdam tradita est, et ut revelatio primum integra postea imminuta fuerit aut ex parte jam sit corrupta.

Probatur 1. *e rei gravitate.* Ex antea demonstratis religio revelata amplectenda est ab illis, quibus destinatur et sufficienter proponitur. Religionis propositio duo includit: legati a Deo missi praedicationem, et illorum, ad quos mittitur, evocatam attentionem. Haec autem attentio accommodata esse debet rei, de qua agitur, gravitati; accommodata non est, nisi accedat diligens inquisitio.

Et vero si in lege humana promulganda non requiritur, ut lex in singulorum manus tradatur, sed sufficit, ut civium attentio ad eam legendam evocetur, multo minus necesse est, religionem revelatam ita offerri hominibus, ut eam sine ullo labore ullaque inquisitione cognoscant. Agitur enim de lege summi regis; unde quo major est reverentia, quae ei debetur, tanto etiam majus sit oportet studium legis cognoscendae.

2. *e dubiis gravibus necessario orturis in infidelibus.* Ad has rationes communes accedunt, quum de homine infideli agitur, rationes omnino speciales. Unusquisque enim lege naturali obligatur naturalem Dei cognitionem pectori quasi insertam animaeque dotem ita perficere, ut Deo cultum debitum offerre ejusque voluntatem implere possit. At ratio sola tam perfectam Dei cognitionem non exhibet. Ipsis igitur dubiis gravibus, quibus non poterit non angi infidelis, monetur et adigitur, ut eorum solutionem et veritatis participationem quaerat in religione illa, quae se ut revelatam forte offert. Hac ratione infideles quam plurimos omni tempore motos esse, ut in religionem revelatam inquirerent, historia testatur. Non pauci gentiles, ut dubia sibi eximerent, ultimis judaicae reipublicae temporibus adnumerari voluerunt proselytis.

3. *e dubii prudentis natura.* In religionem quae ut revelatam modo exposito se offert, inquirendum pariter est ab illo, qui prudenter dubitat, sitne spuria tota vel ex parte religio, quam ut

revelatam hucusque tenuit. Unica enim ratio ab illa inquirendi obligatione se eximendi haec esset, quod revelationis jam sit particeps. At haec ratio locum non habet in illo, qui de religione sua prudenter dubitat. Dubium hoc prudens quia prohibet, quominus in sua religione conquiescat, simul etiam praecipit, ut in veritatem revelationis, quae se offert, inquirat. Et vero reverentia quae Deo debetur, exigit, ut homo attendat, quid Deus promulget et praecipiat; cura quam animae suae saluti debet, exigit, ut media illa usurpet, quibus finis ultimus est attingendus, et ut participem se reddat institutorum, quae aeternae salutis viam constituunt. Fieri enim potest, ut revelatio, quae offertur, contineat quaedam, sine quibus obtineri non potest finis homini praefixus. Unde quicunque revelationem sibi oblatam ita spernit, ut in ejusdem veritatem nolit inquirere, gravis negligentiae gravisque culpae reus efficitur.

112. ***Scholion.*** *Revelatio probabilius vera.* Ab hac inquirendi obligatione eximere se non potest homo dicendo, religionem, quam tenet, cum aliqua probabilitate veram judicari, licet alia, quae ut revelata offertur, potioribus fortasse fundamentis nitatur. Obligatur enim ut meliore qua potest via saluti suae prospiciat, quia sola probabilitas non efficit, ut malum avertatur, quod vera religione carendo incurrit. Quis aegrotus inter duo sanitatis recuperandae et mortis arcendae remedia, quae praesto sunt, non eligeret certum prae dubio, probabilius prae minus probabili? Cf. Viva, Damn. thes. in prop. 4. damn. ab Innoc. XI. Porro qui serio inquirit in revelationem, quam interim nonnisi probabiliter aut probabilius veram existimavit, mox certo veram cognoscet illam, quae indubiis veritatis argumentis undique fulget, atque sic ad illum statum mentis pertinget, qui fidem praecedere debet, id est, attinget certitudinem moralem de revelationis existentia. Prop. 28.

Objic. Contra hanc inquirendi obligationem nonnulli ita argumentantur: Deus ipsa sua providentia, qua hominem in religione quacunque nasci et educari disposuit, satis indicavit, sese velle, ut homo in illa qualicunque religione permaneat; ergo homo aliam religionem suscipiendo rebellis in Deum existit. Addunt, hominem saltem tamdiu obligari ad persistendum in religione, in qua natus est, donec sibi persuaserit, se aliam religionem suscipiendo melius obsequi divinae voluntati quam antea.

Resp. Verum non omnia, quae fiunt, divina providentia ordinante fiunt; plurima enim fiunt Deo tantum permittente. Plurima committuntur peccata: blasphemum esset dicere, Deum eadem intendere. Unde falsum est, Deum eo ipso, quod homo in religione falsa natus et educatus sit, velle ut eam amplectatur aut retineat. Neque dici potest, hominem vel brevi tempore obligari ad religionem retinendam hac sola ratione, quod in ea natus et educatus sit. Quis enim dixerit, Deum velle ut homo faciat, quidquid eum facere solum permittit sive non impedit? Certe qui inter gentiles vel Judaeos vel Mahometanos educatus est, Dei voluntate non obligatur ad blasphemandum Christum. Ratio plane sufficiens, cur revelatio ut divina amplectenda sit, ex ipsius revelationis divina origine petitur. Ad hanc divinam originem inquirendam obligatur homo; ab ea autem inquirenda impeditur opinione vel persuasione illa inani, se, in quacunque religione constitutus sit, a Deo ipso constitutum esse; et quamdiu hac falsa opinione tenetur, vix aut ne vix quidem fieri poterit, ut sibi persuadeat, se aliam religionem suscipiendo melius obsecuturum esse voluntati divinae quam antea.

Articulus II.

De certitudine per revelationis demonstrationem comparanda.

113. *Praenotanda de certitudine ejusque divisione.* In obligatione religionem revelatam complectendi continetur obligatio credendi, ut alio tractatu uberius exponendum est. Hinc oritur quaestio, quo certitudinis genere revelatio praevie cognoscenda sit, ut fidei assensu illo, qui Deo revelanti debetur, amplecti possit. Ex illo autem certitudinis genere comparando definienda est ratio argumentorum, quibus demonstretur revelatio. Aliis enim argumentis comparatur assensus, qui opinionis limites non excedit, aliis, qui est moralis certitudinis, aliis, qui est evidentiae.

Duplice de causa quaestionem, quae fortasse tota ad tractatum de fide potius amandanda videri possit, hic non omnino praetereundam censemus. Altera in revelationis demonstratione absolute spectata continetur: revelatio enim ideo demonstratur, ut obtineatur et exhibeatur certitudo illa, quae ad fidem concipiendam requiritur et sufficit. Altera ex adversariorum impugnatione petitur. Multi enim supponunt, requiri revelationis demonstrationem talem, quae pariat non tantum veram certitudinem, sed etiam evidentiam, dum alii assensum, qui nonnisi opinio sit, sufficere existimant.

Certitudo est status mentis, quo intellectus veritati cognitae firmo assensu adhaeret. Includit igitur cognitionem veritatis sive necessarium subjecti et praedicati nexum; nam firma adhaesio ad sententiam, cujus veritatem non percepi, non esset certitudo. Veritatem certo non percepi, quamdiu non cognosco, rem non posse aliter se habere. Includit praeterea assensum ad veritatem; nam sola veritatis perceptio sine assensu sive actuali adhaesione est quidem via ad certitudinem, sed non plena certitudo, quae praeterea dicit quietem in veritate cognita. Includit assensum sive adhaesionem non qualemcunque, sed firmam; nam qui fluctuat sive dubitat, formidans errorem, nondum quiescit in veritate cognita. (*Lugo* de fide disp. 6, s. 1, n. 14. S. *Thom.* 2, 2, q. 2, a. 1.)

Spectata *claritate,* qua necessarium praedicati et subjecti nexum percipio, et spectata dubitandi impossibilitate, certitudo dividitur in evidentiam et certitudinem communem, quae etiam, ut postea exponetur, moralis appellari consuevit.

Evidentia est certitudo orta e tam clara perceptione objecti sive necessarii inter praedicatum et subjectum nexus, quae intellectus assensum etiam invita voluntate rapiat omneque dubium, etiam imprudens, excludat.

Certitudo *communis sive* moralis vocatur illa, quae oritur e perceptione objecti minus quidem clara, attamen sufficiente ad pariendum assensum firmum omneque dubium prudens excludentem ac permittentem nonnisi dubium imprudens sive imprudentem errandi formidinem.

Dubitatio est status mentis inter utramque contradictionis partem fluctuantis, sic ut neutri parti simpliciter adhaereat, idque evenire potest vel propter defectum rationum moventium vel propter aequalitatem: est proin suspensio firmae adhaesionis.

Dubium imprudens est illud, quod nititur ratione levi, quae proin hominem gravem movere non debeat ad cohibendum assensum: dubium prudens est, quod nititur ratione quae mereatur attentionem, quum intellectum errandi periculo exponere videatur.

Opinio est intellectus ad alterutram partem inclinatio sive assensus, non tamen firmus, quum non excludat possibilitatem et formidinem erroris. *Formido* est judicium explicitum aut implicitum dicens, cum assensu conjunctum esse errandi periculum. Rationes ad talem assensum moventes possunt esse magis minusve probabiles. Assensus ob maximam probabilitatem praestitus vocatur quandoque moralis certitudo,

impropria tamen, quum ratio probabilissima non sit ratio infallibilis, hinc nec merito excludat formidinem aliquam erroris.

114. Spectata *necessitate* objectiva, qua praedicatum cum subjecto nectitur, evidentia et certitudo communis dividuntur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*, prout videlicet illa necessitas fundatur aut ipsis naturis rerum conceptu exhibitis, aut legibus physicis, aut legibus moralibus. In certitudine metaphysica reperitur metaphysica necessitas connexionis praedicati cum subjecto, hinc metaphysica impotentia ad falsitatem, in physica solum physica impotentia, in morali habetur physica potentia ad falsitatem, quae autem nunquam reducitur ad actum et quidem propter summam difficultatem. Metaphysice et absolute repugnat, ut circulus non sit rotundus, ut homo non sit rationalis, quia praedicatum in ipso subjecto includitur. Physice repugnat, ut homo mortuus resurgat vivus, quia id fieri nequit servato ordine legum physicarum. Physice quidem non repugnat, ut tot homines testantes Americam existere, omnes mentiantur et in idem mendacium consentiant; sed repugnat moraliter propter summam falso testandi et decipiendi difficultatem. Illi, qui hujus summae difficultatis rationes considerat et penetrat, non tantum moraliter certum, sed etiam moraliter evidens est, Americam existere, quamvis alia multa facta, quae testimonio minus universali nituntur, non moraliter evidentia, sed tantum moraliter certa evadant. (*Lugo* de fide disp. 1. s. 13. n. 317.)

Sunt enim in hac morali certitudine gradus prout magis minusve difficile est, ut homines a veritate testanda declinent.

Ad analogiam certitudinis, quae in principiis moralibus nititur et propterea ad ipsam evidentiam saepe non pertingit, etiam certitudo in metaphysicis vel physicis principiis fundata quandoque vocatur certitudo moralis, videlicet quoties agitur de re, quae ea certitudine cognoscitur, ut imprudenter quidem, non vero prudenter negari possit. Ratio, cur nonnisi imprudenter negari possit, quandoque est *objectiva;* tunc videlicet, quando veritatis assertae contrarium maximis laborat difficultatibus. Hoc modo moraliter certum est, e cumulo characterum typographicorum casu projectorum non posse formari carmen Aeneidos. Alias ratio est *subjectiva,* tunc videlicet, quando veritas quaecunque sive metaphysica sive physica non summa claritate percepta est. Hoc modo moraliter tantum certi sumus, hanc vel illam esse problematis mathematici veram solutionem, hunc vel illum, quem e longinquo venientem conspicimus, esse Petrum. Hoc igitur sensu accepta certitudo in re physica vel metaphysica eadem est cum certitudine communiter dicta et opponitur evidentiae. Cf. Jos. *Mendive,* Inst. phil. Log. (Vallisoleti 1886) p. 132. J. Jos. *Urraburu.* Inst. phil. Log. (Vallisoleti 1890) p. 477.

115. Certitudo omnis spectata ejus natura propria habet *gradus*, sic ut certitudo sit major aut minor. Propria ejus natura in perfectione positiva consistit, non in negativo, licet per aliquid negativum, ut errandi impossibilitatem vel infallibilitatem, explicari soleat. Positiva illa perfectio certitudinis, quum haec non sit nisi cognitio certa, repetenda est ex elementis illis, quibus generatim efficitur et perficitur cognitio. Haec ex parte cognoscentis sunt potentia et lumen, quo cognoscitur i. e. major minorve claritas; ex parte objecti nexus necessarius inter subjectum et praedicatum, i. e. rationum moventium pondus. Intellectus percipientis adhaesio respondet tum rationum ponderi, tum claritati qua percipitur; ergo cum claritate et rationum pondere crescit certitudo. Major minorve igitur est pro parte sua positiva, non pro negativa i. e. pro exclusione formidinis errandi formaliter spectata, quum in negatione non sint gradus, licet gradus esse possint in illo, quo exclusio illa efficitur i. e. in rationibus moventibus. Cf. *Schiffini,* S. J. Principia philosophica ad mentem

Aquinatis. (Augustae Taur. 1886). Log. maj. disp. 1, s. 5. Tilmannus *Pesch*, Logica, I, n. 477. Valet igitur de certitudine, licet describatur tamquam cognitio excludens errandi periculum, idem quod de substantia spirituali, quae definitur substantia immaterialis. Ut talis substantia, licet nonnisi materialitas negari videatur, magis minusve perfecta esse potest, ita etiam cognitio certa. (Suarez de fide disp. 6, s. 5, n. 8.)

Philosophi qui docent, omne judicium certum, quamvis ipsum non sit evidens, tamen reduci ad aliquod judicium evidens, sive ultimato niti in alio judicio evidenti, quia reddentes rationem, cur assentiamur, tandem recurramus ad aliquam veritatem evidenter perceptam, v. g. principium contradictionis, intelligendi sunt loqui de certitudine naturali, non de fide divina; haec enim, ut suo loco ostendendum est, resolvitur tandem in Dei auctoritatem creditam et quidem creditam ipso actu, quo mysterium (speciale) revelatum credimus. Unde Suarez docet: „certitudinem fidei per se non pendere etiam ex primis principiis ut lumine naturali notis, quia non pendet per se ex discursu proprio". De fide disp. 6, s. 5, n. 13.

Propositio 28. *Ad revelationem actu fidei firmo et prudente suscipiendam requiritur et sufficit talis ejusdem demonstratio, quae moralem praebeat certitudinem.*

116. Fidei divinae actus firmissimus sit oportet, quum necessario talis sit, qualem auctoritas divina meretur; haec autem meretur actum firmissimum. Est circa res divinas etiam fides humana, quae non est absolute firma; humana ideo vocatur, quia non solius Dei, sed hominum testimonio vel naturali demonstratione nititur. Haec fides humana et naturalis rationibus probabilibus inniti potest.

Mirum non est quod illi, qui revelationis supernaturalis, quam cum naturali confundunt, conceptum pervertunt, non aliam in eam inquirendi obligationem norunt, nisi quam desiderium vel obligatio, naturalis religionis cognitionem perficiendi, fortasse pariat. Rejecta autem Dei auctoritate per revelationem sese manifestante ipsa fides pereat necesse est.

Revelationis conceptui perverso accommodatur et ratio inquirendi in id, quod revelationis nomine vocant. Secundum complures revelationis existentia demonstratur per ejusdem effectum tum internum tum externum. Effectus internus in eo est, ut totus homo et intellectu et voluntate modo singulari elevetur ad sapientiam et ad virtutem; effectus externus in hoc consistit, ut, quod homo singulari modo elevatus sentit, id desiderio plurimorum et animorum dispositioni congruum sit et ad multos propagetur. Addunt quidem, ex hac religionis per aliquem allatae diffusione sola non posse certum ferri judicium „de absoluta ejusdem indole"; attamen qua tandem ratione revelatio genuina a falsa distingui possit, id quidem indicare omittunt. (*Pfleiderer*, l. c. §. 18.)

117. Pars I. Requiritur certitudo praevia moralis, qua constet, Deum esse locutum. Hac certitudine per demonstrationem parta, voluntas intellectui imperare potest, ut jam propter Dei loquentis auctoritatem ipsam eliciat actum fidei, et quidem absolute firmum, ut alio loco uberius demonstrandum est.

Probatur 1. *e timore adversante firmitati.* Assensus fidei firmus tamdiu praestari prudenter non potest, quamdiu merito timetur, ne Deus non sit locutus, hinc ne in errorem incidatur. At

quamdiu revelationis existentia non ita est demonstrata, ut habeatur certitudo moralis, quae videlicet omne dubium prudens excludit, merito timetur, ne Deus non sit locutus et ne error committatur credendo; ergo tamdiu praestari non potest assensus fidei firmus. Si nihilominus homo ad rationes prudenter dubitandi non attendens assensum firmum praestaret, hic non esset prudens, ideoque talis, ut postea, ordinaria accedente consideratione, facile destruatur.

2. *ex errandi periculo adversante prudentiae.* Prudens non est assensus, quo intellectus errandi periculo exponitur; error enim est malum intellectus. Huic autem periculo se exponeret homo, qui assensum firmum praestaret ad rem tamquam a Deo revelatam, quae fortasse non est revelata, et quam fortasse revelatam non esse ipse perspicit. Errandi periculum tunc solum effugeret, si assensum praestaret consonum argumentis, quibus existentia revelationis non certo demonstratur, sed probabiliter tantum suadetur; at talis assensus non est firmus; unde iterum patet, aut firmitatem aut prudentiam exulare a fide illa, quam non praecedit revelationis cognitio certa.

118. *Obj.* His obstare videtur, quod saepe obligamur ad agendum, dum non habetur certitudo moralis, et quod saepe prudenter agimus, dum est sola probabilitas. Liberi ad parentes honorandos obligantur, etsi quandoque non sunt moraliter certi, esse suos parentes, qui parentes feruntur. Prudenter agimus, Christum in Eucharistia adorantes, etsi non sumus moraliter certi, panis consecrationem esse rite peractam. Unde concludendum videtur, religionem christianam fide divina credi posse, etsi tantum probabilius censeatur, eam esse revelatam.

Resp. Attamen aliud est de fide divina sive de re assensu firmo credenda, aliud de re agenda. Quum liberi ad parentes honorandos tenentur, non obligantur ad credendum assensu firmo, eosdem esse suos parentes; hinc ad nullum intellectus abusum adstringuntur. Pariter dum Christum in hac hostia adoramus, credimus quidem assensu firmo, Christum in Eucharistia generatim esse praesentem; non autem exigitur, ut firmissimo fidei assensu credamus, eum in hac singillatim hostia praesentem esse. Ut virtutum moralium actus prudenter exerceatur, non requiritur eadem certitudo, quae ad firmum fidei actum eliciendum requiritur. Qui homini quem existimat egenum, stipem praebet, prudenter agit, etsi non est moraliter certus, eum revera esse egenum. Ratio in eo sita est, quod actionis bonitas pendet „e bonitate voliti", hinc ex intentione finis. (S. Thom. 1, 2, q. 19, a. 7.) Patet autem, ab illo, qui egeno succurrit, bonum intendi posse, etsi non sit certus, eum revera egenum esse: nec tenetur certo judicare, eum esse egenum. Aliud est in fide divina: tenemur firma fide credere, Deum hoc vel illud revelasse; hic autem fidei actus foret imprudens, quamdiu prudenter dubitatur, sitne Deus locutus nec ne. Fides quae conciperetur praevia solum probabilitate de revelationis existentia, non esset fides divina, sed humana. Cf. *Vita* in Prop. 4 et 21. damnatas ab Innocent. XI. Infidelis, qui oblatam sibi revelationem probabilius veram judicans ab infidelitate recedit, prout recedere et quod in negotio salutis futius est, eligere tenetur, is, si sibi non deest, a Deo ita illustrabitur, ut revelationem etiam certo veram judicet et fide divina eam credere possit. n. 112.

119. Pars II. Certitudo moralis sufficit, nec requiritur certitudo talis, quae dubium etiam imprudens excludat, et quam demonstrationes mathematicae parere valent.

Probatur 1. *e revelatione ut lege.* Lex divina admittenda et singillatim fidei praeceptum implendum est, quando de Dei voluntate manifestata dubium prudens moveri non potest. Si enim legislatori humano injuria infertur ab illis, qui quamvis de lege promulgata prudenter dubitari non possit, tamen legem non exequuntur, multo magis injuria infertur Deo, quum revelatio, de cujus existentia prudenter dubitari non potest, non admittitur. At certitudine morali omne dubium prudens excluditur; ergo haec ad fidem concipiendam sufficit.

2. *ex errandi periculo excluso.* Unica ratio, quae suadere posset, certitudinem moralem non sufficere, haec foret, quod homo, dum tali certitudine praevia assensum fidei certissimum elicit, errandi periculo se exponit. At haec ratio nullius momenti est. Nam errandi periculum nonnisi imprudenter timeri posset, quum moralis certitudo sit vera certitudo, ideoque contrarii possibilitatem, omne dubium prudens omnemque timorem prudentem excludat. Si autem homo cum tali certitudine praevia revelationem credere i. e. ob Dei auctoritatem assensu firmissimo amplecti potest, etiam amplecti tenetur; omnis enim principis mandatum non injustum, quod certo cognoscitur et quod impleri potest, implendum est, et quidem eo modo, quem rei natura requirit. Cf. *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit II. Th. IV. Abhandl. III. Hauptst.

Propositio 29. *Argumentis quibus certo demonstratur revelatio, recte adduntur alia, quibus eadem tantum probabiliter suadetur.*

120. Argumentum probabiliter tantum suadens illud est, quod quidem idoneum est ad intellectum inclinandum in alterutram partem, ita tamen, ut non omne dubium prudens de parte opposita removeat. Praestatur ob hujusmodi argumentum aliquis assensus, attamen non certus, sed haesitans. Argumenta quae probabilem tantum efficiunt assensum, si sola sint, non sufficiunt, certis addita non parum juvant.

Probatur 1. *ex intellectus adhaesione aucta.* Argumentis certis recte adduntur alia, quibus intellectus adhaesio ad veritatem jam cognitam, in qua adhaesione formaliter consistit certitudo, directe augetur; nam adhaesio ad veritatem cognitam est finis internus et perfectio cognitionis; unde quidquid ad hanc perfectionem confert, recte adhibetur. Atqui argumentis probabiliter suadentibus adhaesio ad veritatem augetur. Si enim intellectus propter argumentum probabile, quum solum agit, aliquatenus jam adhaerere

potest objecto cognito, magis etiam adhaerebit, quando hujusmodi argumenta vim suam suadendi addunt argumentis persuadentibus.

Existimandum non est, argumentis certis et probabilibus, quum simul agunt, gigni assensus distinctos, alterum certum, probabilem alterum. Sicut enim argumentis pluribus certis gignitur assensus unus, ita etiam certis et probabilibus unus gignitur assensus, à quo per argumenta certa exclusum est omne dubium prudens. Assensus enim est intellectus quies in objecto cognito; haec una est, licet producta sit rationibus multis ad eam impellentibus.

2. *e voluntatis imperio facilius admisso.* Recte adduntur argumenta, quibus intellectus movetur, ut facilius admittat voluntatis imperium, quod justum esse jam aliunde constet. Id locum habet in argumentis probabilibus, quae adduntur certis. Hisce quidem constat de imperii aequitate et justitia, quum lumen plane sufficiens objecto affundant et omne serium errandi periculum excludi ostendant. Argumenta autem probabilia aliquid etiam luminis afferunt. Unde quum intellectus, quo plus luminis objecto inest, eo facilius in illud moveatur, facilius etiam voluntatis imperium admittit, si novis rationibus imperii aequitas suadetur. Hinc est quod in vita humana, quo verisimiliora in se ipsis sunt, quae narrantur, eo facilius admittuntur, licet propria admittendi ratio non sit rerum narratarum verisimilitudo, sed hominum testantium auctoritas.

3. *e faciliore refutatione objectionum.* Quaecunque apta sunt ad refellendas objectiones, quae contra doctrinam revelatam fieri consueverunt, utilissime afferuntur. Adversariorum objectiones plurimae id sibi propositum habent, ut ostendant, revelationem ipsam aut doctrinas revelatas particulares rectae rationi adversari. Haec assertio nulla re efficacius refellitur quam adducendo rationes congruas i. e. tales, quibus ostenditur, revelationem vel doctrinam revelatam particularem perfectionibus divinis et providentiae ordini etiam positive congruere. Hujusmodi rationes ad revelationis existentiam vel ad doctrinae revelatae veritatem demonstrandam non quidem sufficiunt; nam ex eo quod divinae providentiae aliquid congruit, non sequitur, Deum id instituisse; eatenus igitur sunt rationes tantum probabiles. Efficaces auten sunt ad refellendas adversariorum objectiones, et ideo ad revelationis existentiam vel doctrinae revelatae veritatem confirmandam et intellectui commendandam recte afferuntur.

4. *e probabilibus tanquam via ducente ad certa.* Denique recte adduntur, imo et primo loco ponuntur argumenta, quae quamvis ipsa ad certitudinem pariendam non sufficiant, tamen viam sternunt ad invenienda argumenta penitus sufficientia. Id

per argumenta probabilia fieri potest duplice modo. Imprimis enim accidit, ut oblata interim ratione, quae probabilem tantum persuasionem pariat, inveniatur altera, qua illa compleatur ita, ut jam constituat argumentum certum: exhibito uno teste qui probabilem tantum adhaesionem excitare possit, fortasse detegetur et alter et tertius, qui simul auctoritatem sufficientem constituant. Dein argumentum probabile oblatum mentem excitare et impellere potest ad quaerenda et detegenda argumenta alia penitus certa: bonis paucorum Christianorum moribus non raro gentiles commoti sunt, ut de religione, quam illi profiterentur, inquirentes, argumentis certis illam divinitus revelatam esse docerentur.

Merito igitur Melchior *Canus:* „In veteribus, inquit, Theologis, in summis Ecclesiae Pontificibus, in conciliis tandem quaedam argumenta invenias, quae suadeant quidem, non cogant; ac certis aliis exploratisque permixta non modo totum disputationis corpus exornent, verum etiam confirment. Probabilia igitur argumenta necessariis adjuncta tantum abest ut reprehendenda sint, ut sint etiam commendanda". De loc. theol. l. XII, c. 13. pag. 441. (Patav. 1734.)

121. Hinc illis, qui *objiciunt,* imprudenter agere illum, qui ob rationes probabiles certo existimat, revelationem existere, facile *respondetur.* — Imprudenter sane agit, qui ob solas rationes probabiles certo existimat esse revelationem; is enim se exponit errandi periculo. Qui autem, per argumenta certa errandi periculo jam excluso, ob rationes probabiles non seorsim sumptas, sed additas certis, tum promptius tum tenacius adhaeret veritati cognitae, is nulli se exponit errandi periculo dum ejus adhaesio augetur. Et sane assensus, qui jam est, augetur, non novus elicitur.

Facile quoque *respondetur* aliis, quibus, miscendo rationes probabiles tantum et infirmas rationibus certis, rationum certarum vis infringi videtur; certae enim, ajunt, ab adversariis pares judicabuntur incertis. — In seipsis sive objective rationes certae non imminuuntur; imminui tamen earum vis potest subjective, et per accidens, i. e. in auditoribus, sed tunc solum, si ut certae et concludentes proferuntur, aut auditores existimant, proferri ut certas, illis solis probari revelationis existentiam vel doctrinae revelatae veritatem. Quod ne fiat, docentis est cavere. Unde saepe alio modo cum fidelibus agendum, alio modo cum revelationis adversariis. Applicari hic potest, quod in alia quidem re, sed tamen simili docet s. *Thomas:* „Sunt tamen ad hujusmodi veritatem (mysteriorum) manifestandam rationes aliquae verisimiles inducendae, ad fidelium quidem exercitium et solatium, non autem ad adversarios conveniendos; quia ipsa rationum insufficientia eos magis in suo errore confirmaret, dum aestimarent, nos propter tam debiles rationes veritati fidei consentire." Cont. g. l. I, c. 9. Caeterum quod s. Doctor per omnia sua opera praestat, miscendo rationes vere demonstrantes cum probabilibus, id ipso loco adducto profitetur ita prosequens: „Primum nitemur ad manifestationem illius veritatis, quam fides profitetur et ratio investigat, inducendo rationes demonstrativas et probabiles." Quem in locum Franciscus de Sylvestris scribit: „Apparet, non esse omnes rationes in hoc libro a s. Thoma positas pro demonstrativis defendendas, cum ipse dicat, se velle aliquas probabiles inducere".

Articulus III.

De criteriorum scopo proprio eorundemque ad illum attingendum vi et efficacia.

122. Criterium est via et ratio sive signum, quo ad rem cognoscendam et verum a falso distinguendum pertingimus. Si haec signa rei cognoscendae inhaerent aut saltem ut inhaerentia sive ut unum aliquod cum re cognoscenda constituentia cogitantur, etiam notae vocari solent. Criteria in se spectata dici possunt fontes sive sedes argumentorum, quibus revelatio demonstretur.

Varia sunt criteria.

a. Criteria sunt aut *interna* aut *externa*. De revelatione enim valet, quod de omni re cognoscenda: res omnis cognoscitur aut per seipsam i. e. per rationem internam eique propriam, aut per rationem externam sive per aliquod eidem non proprium. Ratio externa constituitur testimonio sive divino sive humano; ratio interna saltem sensu latiore constituitur doctrinae propositae sive natura sive effectibus. Unde criterio externo revelationem cognoscimus, si testimonio ad eam admittendam inducimur. Criterio interno eandem cognoscimus, si ob rationes ab ipsis rebus revelatis petitas eidem assentimus. Valet hic quod de omni eventu, qui ab aliis ob hominum testimonium, ab aliis propter rationes in ipso sitas admittitur.

b. Criteria revelationis sunt aut *positiva* aut *negativa*. Criteria positiva sunt illa, quae quomodocunque nos movent ut judicemus, revelationem locum habuisse; criteria negativa sunt illa, quae ipsa nonnisi removent, quae revelationis credibilitati obsistere possunt. Doctrinarum propositarum excellentia, earum cum ratione in omnibus concentus, doctrinae moralis puritas et sanctitas eximia sunt criteria positiva, quia movere nos possunt ad judicandum, eas non esse rationis humanae fructum. Unius alteriusve doctrinae a contradictione cum ratione immunitas non est nisi criterium negativum, cum haec immunitas sola nondum suadeat, doctrinam illam necessario esse revelatam. E contrario autem doctrinae cum ratione pugna evincit, eam non esse revelatam.

Criteria negativa quandoque vocantur non illa, quibus revelationis admittendae impedimentum removetur sive negatur, sed quibus ipsius revelationis, quae sese offert, veritas negatur, tunc videlicet, cum demonstratur, adesse, quod ejus credibilitati adversetur.

c. Revelationis criteria aut *sensibilia* sunt aut *insensibilia*. Sensibilia vocamus illa, quae sensibus externis attinguntur; insensibilia illa, quae sensus externos effugiunt. In revelatione indaganda et admittenda locum habere possunt et habent motiones divinae, quae in se ipsis sensui externo inaccessae sunt, licet in effectibus, quos producunt, sensibus externis obviae esse possint.

Patet, aliud esse criterium externum, aliud criterium externe sensibile. Motiones illae divinae, licet externe sensibiles non sint, vocari possunt criterium externum, quatenus a veritate revelata ipsa distinguuntur eique accedunt; internae sunt, quatenus in hominis mente peraguntur.

Quum revelatio modo pro facto historico sive revelandi actu, modo pro revelatis doctrinis, praeceptis et institutionibus divinis usurpetur, inquirendum imprimis est, ad quid proprie demonstrandum inservire debeant criteria. Quum porro non ejusdem efficaciae sint criteria singula, inquirendum simul est, quaenam ad scopum illum attingendum magis sint accommodata.

Propositio 30. *Inquisitio et demonstratio eo spectare debet, ut de ipso revelationis facto historico constet; unde varia criteria, quo magis ad hunc finem conducunt, eo potiora sunt habenda.*

De revelationis facto demonstrando parum laborandum censent, qui revelationem in qualecunque magisterium convertunt. Si enim totus revelationis scopus ille est, quem magister prosequitur docendo, ut videlicet discipulus aliquando illa sola admittat, quae ipse intelligit, minus sane refert, qua ratione humanum genus doctrinam religiosam primum hauserit. Aliud vero censendum est de revelatione proprie dicta, quae fit auctoritate divina interposita et fidem exigit.

123. Pars I. Inquisitionis et demonstrationis finis primarius ipso revelationis facto cognoscendo constituitur.

Factum revelationis est ipsa Dei locutio formaliter spectata. Veritates revelatae constituunt partem revelationis materialem. Unde revelatio concrete spectata constituitur tum locutione tum veritatibus communicatis.

Probatur 1. *e revelationis facto tamquam omnia complectente et determinante.* Tamquam inquisitionis et demonstrationis finis primarius considerandum est illud, quo reliqua omnia, quae quaerimus, implicite comprehenduntur et propria sua luce donantur. Id autem est ipsum factum revelationis seu ipsa locutio. Nam locutione sive manifestatione comprehenduntur, quae Deus locutus est sive manifestavit, simulque propria sua luce donantur sive nota speciali vestiuntur, quia exhibentur tamquam divinitus vera. Ergo locutio divina sive factum revelationis ipsum primo loco inquirendum et demonstrandum est.

Dicimus, locutione divina comprehendi quaecunque Deus revelavit; non dicimus, locutione comprehendi ita, ut a quolibet singula certo cognosci et distingui possint. Fortasse opus erit alia auctoritate (viva), quae dubiis occurrentibus certo declarare possit, quid comprehendatur sive quid revelatum sit.

2. *e defectu essentiali alias orituro.* Revelationis facto non demonstrato, licet e supposito gratuito de doctrinarum omnium veritate, de praeceptorum et institutorum sanctitate constaret, plura et principalia deessent ex illis, quae Deus revelando intendit. Deus enim non solum vult, ut veritates quaedam cognoscantur, sed etiam ut tamquam ab ipso revelatae credantur. Prop. 19. 21. Praeterea si leges fert positivas, vult, ut tamquam ab ipso latae, tamquam divinae, non tamquam humanae observentur. Demum religionis

revelatae indoles et dignitas tamdiu non innotescit, neque totam suam vim exercere potest (Prop. 26), quamdiu de revelationis facto non constat.

Confirmatur exemplo Christi, Apostolorum, Apologetarum. Ad ipsum revelationis factum provocabat Christus: „Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.“ Joan. 8, 38. Ad idem factum provocant Apostoli: „Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.“ Joan. 1, 18. Provocant et Apologetae, ut *Justinus:* „Hi (prophetae) verum soli et viderunt et hominibus nunciarunt — ea tantum praedicantes, quae audierant et viderant, Spiritu Sancto repleti . . . Neque tunc demonstrationibus in disserendo utebantur; quippe cum supra demonstrationem omnem gravissimi testes fuerint veritatis.“ Dial. n. 7. Etsi vero internam rerum veritatem Prophetae non demonstrabant, ipsum tamen revelationis factum, ut Justinus ibidem docet, vaticiniis et miraculis demonstrabant. His non obstat, quod Apologetae quandoque ad alios etiam quarundam veritatum fontes provocant, ut ad testimonium animae. Tertul. Apol. c. 17. Abundantius enim illustratur doctrina, quae non tantum supernaturali sive divino, sed naturali etiam et humano testimonio vera declaratur.

124. Pars II. Criteria *potiora* sunt illa, quae ad ipsum revelationis factum certo cognoscendum sive demonstrandum magis conducunt. Veritas haec probatione non indigeret, nisi negaretur ab illis, qui revelationem in nudum magisterium convertunt.

Probatur 1. *e ratione instrumenti.* Criterium est eo excellentius, quo magis participat rationem criterii, et eo imperfectius est, quo magis a ratione criterii deficit. Ratio autem criterii eo perfectius participatur, quo magis accommodatum est ad factum revelationis demonstrandum. Criterium enim est medium sive instrumentum; instrumenti autem essentia constituitur habitudine ad finem, unde etiam omne instrumentum definitur ex suo fine. Hinc fit, ut instrumentum perfectius non sit illud, quod perfectiore materia construitur, sed illud, quod ad finem suum attingendum magis est idoneum. Ergo criterium, quo magis accommodatum est ad factum revelationis demonstrandum, eo excellentius est.

2. *e comparatione cum aliis factis historicis.* Cum revelatio divina sit factum historicum, de ejus probandi ratione idem dicendum est, quod et de aliis factis. Constat autem, cum de facto historico probando agitur, argumentis singulis, quae ad id probandum afferri solent, non idem sed varium omnino pro eorum natura et indole pondus tribui; aliis factum ipsum nonnisi possibile, aliis verosimile, aliis denique certum demonstrari. Ergo idem etiam de argumentis sive criteriis pro revelatione divina afferri solitis dicendum est.

Articulus IV.

De criteriis internis tum positivis tum negativis.

125. Religionis revelatae criteria interna omnia revocari possunt ad triplicem classem. Imprimis agi potest de doctrinae interna veritate et honestate per rationem indaganda. Quaeri dein potest de ejusdem doctrinae cum hominis natura aut indigentia congruitate per sensum et experientiam internam percipienda. Demum considerari possunt effectus, quos doctrinae propositae in se ipsis spectatae in hominum moribus producere possint aut producant. Dicimus: doctrinae in se ipsis spectatae. Non enim effectus omnes, quos religio aliqua producere consuevit, ipsius doctrinis aut institutionibus tamquam causae debentur. A doctrina distinguendi sunt motus divini sive gratiae influxus, qui quum a Deo ipso in anima producantur, spectata origine, ut diximus, inter criteria externa sunt referendi.

§. I. Doctrinae veritas et honestas ratione perspecta.

Propositio 31. *Doctrinae falsitas aut ejusdem cum morum honestate pugna certo demonstrat istiusmodi doctrinam a Deo non esse revelatam; non tamen opus est inquisitione praevia in omnium doctrinarum, quae ut revelatae exhibentur, veritatem internam aut honestatem.*

126. Pars I. Revelationi non potest subesse falsum, sive quod idem est, fieri non potest, ut Deus testimonio suo confirmet doctrinam falsam.

Quum agatur de revelatione quae per legatum nobis offertur, hinc de mediata, haec autem, ut supra ostendimus (Prop. 19), semper Dei testimonio proprie dicto nitatur, demonstrandum solum est, Deum testimonio suo confirmare non posse errorem. Nonnihil diversa est quaestio, an Deus alio modo causa possit esse erroris, v. g. interne hominem movendo, ut errori consentiat. Haec quaestio loco opportuniore (Prop. 41) attingetur.

Probatur 1. *e conceptu Dei ut veritatis primae et summae.* Sicut Deus est ens summum et summa bonitas, ita etiam est prima et summa veritas. Sub veritate summa non potest esse ulla falsitas sive ulla a veritate defectio, sicuti sub ente summo et summa bonitate non potest esse ulla ab entitate et bonitate defectio. Atqui posset esse a veritate defectio, si Deus aut in cognoscendo falli aut in loquendo fallere posset, sive si non esset necessario verus tum in cognoscendo tum in loquendo.

Et vero, facile patet, Deum congnoscendo non posse deficere a veritate. Sed eadem ratio militat pro divina veracitate. Ens enim quod etiam loquendo a veritate deficere non potest, sensu perfectiore vocaretur veritas prima et summa, quam ens, quod sola cognitione a veritate deficere non posset, loquendo sive attestando deficere falsique causa esse posset. Cf. s. Thom. 2, 2, q. 1, a. 3. Joannes a s. Thom. in 2, 2, q. 1. disp. 2, a. 4.

2. *e locutionis natura.* Quicunque aliquid affirmat, vult ut alter credat, se verum existimare, quod affirmat; verba enim sunt conceptuum, sententiae judiciorum signa. Ergo etiam Deus loquendo exigit, ut homines existiment, se verum judicare quod affirmat; ac proinde si falsum affirmaret, vellet, ut homines existimarent, se verum judicare, quod in se falsum est. At insignis committeretur blasphemia ab hominibus id existimantibus; ergo etiam Deus in se ipsum blasphemus esset tantam blasphemiam injungens hominibus.

3. *e mendacii malitia interna.* Quod ipsa natura sua est malum, id etiam in Deo esse non potest. At hujusmodi est mendacium i. e. locutio contra mentem. Adversatur enim ipsi naturae verbi externi, quod ad hoc a natura institutum est, ut sit signum verbi interni; adversatur societati, quae inter homines subsistere non potest, sublata fide mutua. Ergo absolute repugnat, ut Deus mentiatur sive falsum testatur. Cf. s. *Thom.* 2, 2, q. 110, a. 2. *Suarez* de fid. disp. 3, s. 5. *Lugo* de fid. disp. 4, s. 2.

Priscillianistae haeretici asseruerunt, Deum et mentiri posse et mentitum esse. Et alii nonnulli censuerunt, Deum mentiri quidem non posse potentia ordinaria, quia videlicet legem sibi statuerit non mentiendi; at posse mentiri potentia absoluta. Existimarunt, a mendacio separari posse malitiam, quae tunc solum adsit, si sit locutio *inordinata* contra mentem. Attamen etsi a mendacio malitia abesse posset, non sequeretur quod intendunt, quum aliis etiam rationibus, ut vidimus, eorum sententia falsa demonstretur.

127. Pars II. Doctrina cum morum honestate pugnans non potest Deum habere auctorem; unde istiusmodi doctrina revelationis spuriae agumentum est.

Probatur 1. *e conceptu Dei ut summae sanctitatis.* Ut Deus est summa veritas, ita etiam est summa sanctitas sive summa bonitas moralis i. e. summus amor ordinis, qui in eo consistit, ut Deus ab omni natura intelligente super omnia ametur omniaque ad Deum referantur. Sed non esset summa sanctitas, summus amor ordinis, si quid vellet aut approbaret quod huic ordini adversatur, i. e. actionem inhonestam; ergo qua summe sanctus quidquid inhonestum est tantum abest ut approbet, ut etiam necessario reprobet.

2. *ex amore necessario divinae bonitatis.* Qui necessario amat actionum regulam et normam, is necessario amat actionem regulae conformem, necessario odit et detestatur actionem regulae difformem. Atqui Deus necessario amat suam ipsius essentiam et bonitatem, quae non minus omnis entitatis moralis quam omnis entitatis physicae regula et norma est; ergo necessario amat omnem actionem moralem sibi conformem i. e. honestam, et necessario odit omnem actionem sibi difformem sive inhonestam, ac proinde necessario eam prohibet.

3. *e pugna oritura in homine.* Si Deus actionem inhonestam lege positiva posset praecipere aut approbare, homini jus competeret obedientiam Deo recusandi aut improbandi, quod Deus approbat. Nam jure suo homo se conformat legi naturali, quae legis aeternae sive aeternae et necessariae Dei ordinationis participatio est. At impium esset dicere, homini competere jus obedientiam detrectandi aut improbandi, quod Deus approbat; ergo necessario censendum est, Deum non posse praecipere aut approbare actionem inhonestam. Cf. Lessius, De perfect. moribusque divin. l. VIII. *Bellarm.* de amiss. grat. l. II. De causa pecc.

His non obstat, quod Deus in aliquibus, quae ad legem naturalem aliquo modo pertinent, dispensare possit aut dispensaverit. Dispensando enim non permittit peccatum, sed efficit, ut actio, quae caeteroquin esset mala, jam mutatis circumstantiis mala esse cesset. Cf. supra Prop. 11. n. 53.

128. Pars III. Omnium doctrinarum examen praevium non requiritur.

Si quando Theologi examen praevium doctrinarum necessarium aut opportunum dicunt, examinandi necessitatem non ad omnes homines nec ad doctrinas omnes extendunt. Suarez de fide disp. III, s. 1, n. 2.

Probatur 1. *e conditione illorum qui fidem suscipiunt.* Non potest exigi ab omnibus examen praevium, ad quod instituendum pauci tantum et hi ipsi plerumque nonnisi post fidem susceptam sunt idonei.

a. Plerosque ad hoc examen, etiamsi tantum circa doctrinas, quae naturalem hominis intelligentiam non superant, versari deberet, minime esse idoneos, facile colligitur e conditione hominum non tantum illorum, qui revelationis integrae lumine carent, sed etiam eorum, qui illo perfruuntur. Si enim doctrinarum omnium veritas interna aut saltem possibilitas examinanda esset, quotquot ad fidem volunt pertingere, ante omnia idonei esse deberent ad percipienda et dijudicanda illa omnia, quae Philosophi de Deo morumque honestate docent. Paucos tantum ad hoc idoneos esse

constat; ad fidem autem non illos paucos tantum, sed omnes, etiam rudiores Deus pertingere voluit.

b. Plerique eorum, qui ad examen illud aliquatenus idonei sunt, nonnisi post fidem susceptam idonei redditi sunt. Si enim est revelatio, ideo concessa a Deo est hominibus, ut ignorantiae eorum remedium offerretur: ergo quam nonnisi e revelatione hauserunt eruditionem, ad examinandas doctrinas revelationis suscipiendae adhibere non possunt.

Manichaeis, qui a scientia ad fidem homines perducere vellent, merito opponit s. *Augustinus:* „Ego credere ante rationem [scientiam], cum percipiendae rationi non sis idoneus, et ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solum saluberrimum judico, sed tale omnino, sine quo aegris animis salus redire non possit". De utilitate cred. c. XIV, n. 31.

Ad examen hoc praevium instituendum utiliter provocari poterant doctiores inter gentiles, praesertim illi, qui philosophicis disciplinis delectabantur; unde etiam legimus, in Alexandrina catechetarum schola primis saeculis methodum hanc fuisse usurpatam. Quod vero paucis tantum congruere potest, id existimandum non est Deum ab omnibus usurpari voluisse. Quod et diserte effert *Origenes* c. Cels. l. I, n. 9.

2. *e conditione doctrinarum.* Non potest universe exigi examen praevium, quod doctrinis nonnullis repugnat. Repugnat autem, ut vidimus, omnibus mysteriis proprie dictis; unde si revelatio hujusmodi mysteria contineat, eorum interna possibilitas perspici non potest. Inquiri tantum potest, utrum illud, quod tamquam mysterium proponitur, rationem tantum transcendat, an eidem contradicat, videlicet contradictoria in se complectendo.

3. *e revelatione tamquam facto historico.* Non potest necessarium generatim esse examen praevium, sine quo ipsum factum revelationis, de quo solo proprie est quaestio, demonstrari satis potest; posse autem, interim facile colligitur ex analogia factorum ordinis naturalis, de quibus refert historia. Quam prudenter ille agit, qui historiam impossibilia referentem contemnit, tam imprudenter ageret ille, qui praeciperet, narrationem nullam recipiendam esse, nisi singulorum quae referuntur, possibilitas interna primum demonstrata fuerit. In factis historicis admittendis praecipue testantium auctoritas submittenda est examini: quo major haec esse deprehenditur, eo minus rerum narratarum possibilitas examinanda est; nam si de facto constat, constat etiam de facti possibilitate. Atqui Dei testantis summa est auctoritas; ergo Dei testimonio demonstrato minime examinanda est rei, quam testatur, possibilitas.

129. *Objici* potest, 1. credibilem esse illam solam revelationem, quae omnibus verae revelationis characteribus est insignita: sed insignitam esse non cognoscitur nisi instituto examine notarum tum externarum tum internarum. 2. Et vero, quamdiu vel unam doctrinam rationi perviam examini non submisi, suspicari merito possum, pugnam

involvi. Hac autem suspicione vel dubio hoc perdurante assensus fidei sane non foret prudens. 3. Quinimo ipsa miracula pro genuinis habenda aut ad revelationem confirmandam facta esse constare quandoque non potest, nisi praevie certum sit, doctrinam, ad quam probandam facta esse feruntur, et veram esse et sanctam. Unde omnium et singularum doctrinarum examen praevium penitus necessarium esse videtur.

Resp. ad 1. Distinguendum imprimis est inter revelationem, quae in se credibilis sit, et revelationem, quae credibilis sit quoad nos sive quae a nobis credibilis judicetur et judicanda sit. Revelatio divina in seipsa spectata sine dubio secundum omnes suas partes et secundum omnia, quae continet, divinae originis exhibet vestigia; omnis enim effectus causam suam refert et manifestat. Sed quoad nos credibilis potest esse revelatio, etiamsi non omnes illos characteres et divinae originis vestigia perlustremus. Sufficit ut nonnulla noverimus. Simili modo mundus visibilis sine dubio per omnia finitum et mutabilem se exhibet; at vero ut mundum universum singulasque ejus partes mutabiles et finitas dicamus, necesse non est, ut singulas mutabilitatis notas inspexerimus. Mundi totius ordinem sapientissime institutum merito judicamus, etsi non creaturas omnes omnino, sed plures earumque nexum inspeximus. Hominem olim nobis cognitum e notis nonnullis agnoscimus, neque necesse est inquirere, utrum omnes omnino notae, quibus distinguitur, in ipso reperiantur.

ad 2. Una alterave doctrina, quam examini nondum submisi, pugnam involvi, id merito tamdiu suspicor, quamdiu aliis argumentis, factum ipsum testantibus, mihi non constat, revelationem esse vere divinam. Haec vero argumenta possunt esse tam certa, ut omne dubium prudens excludant; tunc certe non est ratio ulterius inquirendi in doctrinae veritatem internam, praesertim si nihil sese offert, quod pugnae speciem gerat.

ad 3. Miraculorum indoles divina ut et finis non raro per se satis innotescunt. Quod si non fit, facilius innotescunt ex hominis miracula patrantis conditione et ex effectibus productis. Verum quidem est, miracula genuina esse non posse, quae ad confirmandam doctrinam falsam allegantur; unde si de doctrinae falsitate aliunde constaret, pro spuriis habenda essent miracula. Attamen ut revelatio sese divinam per varias notas exhibere potest non examinatis omnibus doctrinis, ita etiam miraculum e diversis circumstantiis cognosci potest esse genuinum, singulis doctrinae capitibus examini non submissis. De modo miracula genuina a spuriis distinguendi infra uberius agetur.

Propositio 32. *Interna doctrinarum veritas et cum lege naturali conformitas, earumque inter se nexus et harmonia ratione perspecta, potest esse revelationis criterium positivum; non tamen primarium est.*

130. Pars I. Haec doctrinarum veritas et honestas vel concentus esse potest, non necessario est revelationis argumentum positivum. Et quidem eo potiore jure pro argumento habetur, quo plures doctrinas religio aliqua complectitur; eo autem minus argumenti loco esse potest, quo pauciora sunt, quae complectitur.

Probatur 1. *ex impossibilitate morali exhibendi per solius rationis vim complexum doctrinarum ampliorem excluso omni errore.* E revelatione aut saltem e supernaturali magisterio haustus est doctrinarum complexus, qui humanae inventionis esse non potest. Atqui doctrinarum ad religionem spectantium complexus saltem

paulo amplior, qui errore careat, ab hominibus inveniri non potuit. Nam, ut alias demonstratum est (Prop. 24), humana ratio tam infirma est, ut, sibi soli commissa, in veritate inquirenda aliquando deficiat et errorem pro veritate complectatur; philosophorum id exemplo abunde demonstratur. Ergo talis complexus quomodocunque ad Deum tamquam ejus auctorem reducendus est. Cf. Suarez De fide disp. 4, s. 3, n. 2 et 3.

2. *e facto agnito.* Revelationis quoddam criterium sane est illud, quo tamquam privilegio religio revelata a non revelata distinguitur et quod ab ejusdem cultoribus tamquam revelationis argumentum semper invocari potuit. Hujusmodi omnino est doctrinarum veritas, honestas et inter se harmonia. Sola enim religio, quae se revelatam demonstrabat aliis etiam argumentis, privilegio illo fuit insignis ejusque cultores ad illud tamquam revelationis argumentum omni tempore provocare potuerunt. Familiare hoc argumentum erat apologetis, praesertim cum contra philosophos gentiles christianae revelationis causam agerent. Cf. *Minuc. Fel.* Octav. c. 18. *Tertull.* Apol. c. 18. *Cyprian.* De idol. vanit. n. 8.

131. Pars II. Criterium illud nihilominus primarium dici non potest.

Primarium dicitur Rationalistis, qui adoptant, quae *Spinoza* scripsit: „Ad miracula, inquit, quod attinet, mihi contra persuasum est, divinae revelationis certitudinem sola doctrinae sapientia, non autem miraculis, hoc est, ignorantia adstrui posse". Epist. 21. ad Henric. Oldenburg. Novimus, a Rationalistis nonnullis doctrinam revelatam dici illam, quae propagata sit per virum, qui latiore sensu dici possit legatus divinus, quum beneficio divino sapientia insignis fuerit. Hi quia Deo magistri tantum partes concedunt, homini tamquam discipulo jus tribuunt, doctrinas illas, quas primum ob magistri auctoritatem admiserit, postea eatenus tantum adoptandi et pro veris habendi, quatenus eas interne veras aut rationi saltem positive consonas repererit. Ipsis interna doctrinae veritas criterium est saltem praecipuum, quo ejusdem si non revelatio proprie dicta, saltem origo divina agnoscatur. Hoc sensu *Bretschneider* doctrinae revelatae ab imperfectioribus ad perfectiora progressum, quo factum sit, ut genus humanum ad summam demum perfectionem sensim pervenerit, dicit revelationis divinae argumentum aut unicum aut saltem primarium. Dogm. I. §. 27. Cf. §. 24 et 25.

Probatur 1. *e difficultate cognoscendi doctrinarum veritatem internam.* Criterium generatim hujusmodi esse debet, ut a plerisque facile applicari possit ad revelationis factum cognoscendum; signum enim notius magisque obvium sit oportet re illa, cujus est signum; unde quo facilius applicari potest criterium, eo est hoc quidem respectu praestantius. Interna autem doctrinae veritas et cum lege naturali conformitas difficillime, ut vidimus, a plerisque cognoscitur et dijudicatur, n. 128; imo si revelatio continet mysteria, cognosci absolute non potest. Prop. 23. Cf. n. 84. Ergo spectata imprimis hominum

multitudine, quae ad revelationem cognoscendam pertingere debet, minus saltem idoneum est criterium.

Objici quidem potest, eruditorum esse judicare de interna doctrinae veritate; rudiorum esse, sequi illorum sententiam. Sed, omissis reliquis, quae hanc veritatis investigandae viam minus tutam redderent, id certe incommodi nasceretur, quod oriturum fuisset, si philosophi munus genus humanum docendi in se assumpsissent. Videlicet nulla constituta auctoritate homines ignorassent, cujus potissimum doctrinam sequi deberent, summaque oritura fuissent dissidia. Cf. Prop. 24. n. 100—102.

2. *e difficultate dijudicandi, nonnisi Deum posse esse doctrinae verae auctorem.* Quam difficile plerisque est de interna doctrinarum veritate ferre judicium, tam difficile etiam fuisset, e cognita illa veritate concludere, doctrinas hujusmodi non humanae rationi invenienti, sed Deo quomodocunque communicanti attribuendas esse. Ut legitime concludam, doctrinarum complexum a ratione humana detegi non potuisse, necesse est ut norim, humana intelligentia quo pertingere possit, quo non possit. Atqui id certo determinare difficillimum sane est vulgo, etsi gratis concederetur, facile esse eruditis. Probe enim notandum est, ex eo, quod, ut supra ostendimus, genus humanum per se solum ad religionis cognitionem congruam pertingere non potest, non sequi illico, viros quosdam praestantiores ad illam pertingere non posse. Poterit fortasse theologus vel alius vir in veterum doctrinis versatus cum probabilitate aliqua concludere, doctrinarum complexum, qui exhibetur religione christiana, rationis humanae inventum esse non posse; non poterunt homines vulgares. Id autem sufficit ut dicatur, hujusmodi criterium, quum paucioribus tantum congruat, non posse censeri inter praecipua.

Argumentationis difficultatem sentiebant apologetae. Etsi enim doctrinae christianae veritatem in multis perspicuam gentilium philosophorum erroribus cum fructu opponebant, tamen e doctrinae veritate non illico inferebant ejusdem divinam originem. *Athenagoras* postquam doctrinae christianae praestantiam exposuit, ita concludit: „Si ejusmodi tantum rationibus niteremur, doctrina nostra nonnullis humana videretur. Sed prophetarum vocibus argumenta nostra confirmantur“. Legat. pro Chr. n. 9.

Etiam theologi non parum laborant, quum de figendis rationis humanae limitibus agitur. Certum quidem illis est, hominem solis naturae viribus, ut veritates aliquas cognoscere potest, ita omnes saltem collective sumptas sine errore cognoscere non posse. Suarez de grat. l. I, c. 1. Ex hoc autem nondum constat, quis sit determinatus ille complexus, cui cognoscendo impar sit. Etiam veritates maxime sublimes a nonnullis rationis lumine cognitas fuisse, negare non audebat s. *Augustinus*, ita scribens: „Hanc etiam Plato causam condendi mundi justissimam dicit, ut a bono Deo bona opera fierent: sive ista (Gen. 1, 4) legerit, sive ab his qui legerant, forte cognoverit, sive acerrimo ingenio invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspexerit, sive ab his, qui ista conspexerant, et ipse didicerit“. De civ. XI, 21.

3. *e difficultate demonstrandi Deum esse auctorem per revelationem.* Etiamsi ex interna doctrinae tum speculativae tum practicae veritate colligeretur, eandem non humano ingenio soli, sed Dei speciali auxilio deberi, nondum certo constaret, auxilium illud constitui revelatione. Agimus de doctrinis illis, quarum interna veritas pervia est rationi humanae. In hujusmodi doctrinarum inventione Deus alia et alia ratione intervenire poterat. Poterat quidem eas revelare; sed poterat etiam mentem illustrare sive ita juvare et dirigere, ut ipsa eas detegeret; demum poterat, etiamsi non proprie dirigeret, ita tamen protegere mentem, ut non laberetur in errorem. (Suarez De gr. l. I, c. 1, n. 9.) Quodnam ex omnibus illis auxiliis intervenerit, e veritatum indole, si naturalis sunt ordinis, non constat. Ergo ex eo, quod doctrinae illae ab intellectu humano detegi non potuerint, concludere non licet, eas esse revelatas ac proinde fide divina credendas.

132. *Obj.* Quid vero si quis veritatum naturalis ordinis complexum amplum exhiberet, qui, utpote ab omni errore immunis, Dei argueret auxilium speciale, simulque mysteria adderet, quae si vera sunt, nonnisi revelatione proprie dicta patefieri poterant homini: nonne concludendum foret, totum illum veritatum complexum haustum fuisse e revelatione divina? Amplus enim ille complexus veritatum naturalis ordinis, quum opus sit divinum, demonstrare primum videtur, etiam mysteria, quae traduntur, Dei auxilio esse cognita; porro quum hoc auxilium esse non potuerit nisi revelatio, legitime concludi videtur, omnia quae traduntur, niti revelatione.

Resp. Sed imprimis inquirendum foret, ille, qui integrum hunc doctrinarum complexum profert, utrum ut suum an ut undecumque collectum exhibeat. Si suis addidit aliena, per aliena aeque parum conciliatur auctoritas doctrinae ejus propriae, ac Platonis doctrinae auctoritas conciliatur per illa, quae juxta Augustini quidem sententiam e sacris litteris aut ex aliis fortasse hauserat, vel ac Mahumetis doctrinis auctoritas conciliatur per illa, quae sive e vetere sive e novo Testamento deprompta suis inseruit. Si vero ille, qui integrum hunc complexum exhibet, simul se Dei asserit legatum aliisque argumentis probat, concedendum sane est, e doctrinarum naturalis ordinis veritate et puritate perspecta momentum aliquod accedere ejus assertioni, qua se Dei legatum dicit, ac proinde mysteriorum, quae proponit, revelationem eatenus fieri credibilem, quatenus reliquarum doctrinarum veritate perspecta credibilis primum facta est earum e Deo origo qualiscunque et insuper ejus, qui illas tradit, missio divina. Hoc sensu e Christi doctrina perspecta ut vera, quum ipse unus sit doctrinae totius auctor, credibilitatis momentum ipsis, quae tradit, mysteriis accedere sentiebant apologetae et fatentur theologi. Cf. *Arnob.* adv. Nat. l. II, c. 2. *Suarez* de fide disp. IV, s. III, n. 2.

Quum vero *Suarez* (ib.) docet, „primum motivum (credibilitatis) principale sumi posse ex conditionibus vel qualitatibus ipsius doctrinae“, et doctrinae veritatem internam vocat „primam“ qualitatem vel conditionem, minime eam dicit primam efficacia. Patet hoc inde, quod eam dicit „magnum argumentum“, dum miraculis, quae sunt inter criteria externa, id tribuit, ut doctrinam reddant „ plane credibilem tamquam veram et a Deo dictam“. n. 8. Itaque doctrinae veritas interna vel sanctitas dicitur qualitas vel conditio prima, non dignitate, sed examinandi ordine.

§. II. Doctrinae cum hominis natura congruitas sensu et experientia percepta.

Propositio 33. *Doctrinae institutionumque convenientia et congruitas cum hominis natura, conditione aut indigentia sensu et experientia interiore percepta quamvis aliquod veritatis indicium esse possit, tamen non est computanda inter revelationis divinae criteria praecipua.*

133. Huc spectat Concilii Vaticani definitio: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusvis experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, a. s." Const. I. de fide, in cap. III. can. 3.

De doctrinarum et institutionum actione propria potissimum sermo est, non de gratiae sive Dei immediato influxu, quamquam influxum alterum ab altero dignoscere saepe difficillimum est et nonnulli utrumque permiscent. De gratiae motibus, quatenus credibilitatis motivum constituere possint, infra (Prop. 46) sermo erit. Quod internae doctrinarum veritati ratione percipiendae tribuunt Rationalistae, id doctrinarum cum hominis natura aut indigentia congruitati sensu interiore percipiendae tribuunt Mystici i. e. Pseudomystici, dum rationi clare percipienti substituunt sensum quendam obscurum: utrique in ipsis doctrinis in nos agentibus criterium ultimum reponunt. Juxta nonnullos fides saltem christiana olim ita concepta est et adhuc concipitur, ut ad Christum accedere tantum illi possent, qui sibi intime conscii erant, sese indigere redemptione, simulque certi erant, redimendi potestatem Christo competere. (*Schleiermacher,* Der christl. Glaube n. 21.) Porro asserunt, totam Evangelii demonstrationem propriam semper in eo sitam fuisse, ut experientia interna sive internus sensus excitaretur et ad hunc provocaretur; incredulos esse vituperandos non ideo, quod signis et miraculis ad fidem non fuerint adducti, aut non adducantur, sed ideo, quod experientiam illam internam in se non excitarint. Admittunt quidem, ad alia credibilitatis argumenta provocatum fuisse, quum ageretur de rebellibus revincendis. Nonnulli ipsum hunc, quem vocant, cum doctrinis „contactum" interiorem docent esse fidem, principiis innixi F. H. *Jacobi*, omnemque rerum spiritualium primam cognitionem sive sensum internum vocitantes fidem. (*Dorner,* System der christl. Glaubensl. I. p. 3. 60.) Quinimo sunt qui interna experientia primo christianae religionis veritatem universae certissime cognosci dictitent, dein eadem experientia singulos novi Testamenti libros tamquam authenticos cognosci existiment. Inter hos est Heinr. W. J. *Thiersch.* Versuch zur Herstellung des historischen Standpunktes für die Kritik der neut. Schriften. Erlangen 1845.

134. Pars I. E religionis cum hominis natura convenientia ejusdem origo divina aliquatenus dignosci potest.

Probatur 1. *e recta hominis ordinatione.* Religione vera homo recte ordinatur et disponitur tum Dei tum rerum omnium respectu, ut e religionis conceptu et necessitate facile patet. Prop. 1—5. Haec autem debita ejusdem ordinatio non potest non excitare sensum gratum, quo omne eus vivum bene dispositum afficitur; ergo homo e grato illo sensu jure aliquo concludit, veram esse religionem, quae est ejusdem causa. Si autem doctrinae, quas re-

ligio continet, jure aliquo verae judicantur, recte saltem id concluditur, ex hac quidem parte nihil obstare, quominus revelatae censeantur.

2. *ex auxilio praestito.* Sensu aliquo grato non potest non affici homo, qui dubiis solutis nactus est cognitionem certam rerum illarum, quas nosse omnium quam maxime interest; qui officia sua non solum novit, sed in iisdem implendis ratione varia juvatur; qui in peccata lapsus eadem abolendi Deumque placandi rationem certam novit atque sic conscientiae remorsibus eximitur. Verbo, religio vera, eo ipso quod justa hominis desideria implet rectosque conatus adjuvat, eundem non potest non afficere sensu grato. Ergo vicissim homo, dum religione desideria sua impleri sibique in quacunque conditione constituto satisfieri sentit, merito judicat, hanc religionem veram et divinitus institutam esse.

Voluptatem, quam vera religio progignat, *Tertullianus* ita depingit: „Quid jucundius, quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quae major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam saeculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus? quod calcas Deos nationum? quod daemonia expellis? quod medicinas facis? quod revelationes petis? quod Deo vivis? Hae voluptates, haec spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita". De spect. c. 29.

3. *Historia teste* inter gentiles quam plurimi suae religioni ideo renunciarunt, quia nec dubia solvere nec animae vulneribus mederi posset, et in religione quam revelatam esse aliis indiciis postea cognorant, etiam ideo perseverarunt, quod et intellectui et voluntati in ea satisfieri experti fuerant. Quod dicimus, locum habuit in multis revelationis mosaicae proselytis et postea in longe pluribus Christianis inter gentiles ortis. Ita *Justinus* philosophus christianae religioni se addixit. Dial. cum Tryph. n. 2 seqq. Christianorum jam hac in terra felicitatem gentilibus praedicabant apologetae. Cf. *Minuc. Fel.* Octav. n. 36.

135. Pars II. Congruitas illa sensu et experientia interiore percepta male reponitur inter praecipua criteria, pejus etiam a nonnullis statuitur omnium certissimum, vel unicum.

Probatur 1. *ex eo, quod sensus fide posterior.* Inter primaria criteria certe referri non potest signum illud, quod revelatione jam suscepta est posterius; criteriorum enim praecipue est, revelationem suscipiendam suadere. At ut homo sensu illo grato e religionis congruitate afficiatur, necesse praevie est, ut eam jam susceperit et quidem ut certo revelatam, eique vitam suam totam et intellectualem et moralem jam conformaverit. Et vero, e do-

ctrinis et institutionibus delectationem tunc solum hauriet, quum nullo de iisdem dubio pulsatur; cessabit delectatio, quam primum certa de earum veritate persuasio cessaverit. Ergo aliis opus est criteriis, quae revelationem divinam demonstrent; sensus autem ille gratus criteriis illis postea subsidii loco esse potest.

2. *ex alio criterio requisito.* Non potest esse primarium aut inter primaria criterium illud, quod per se non est infallibile, imo saepissime in errorem ducit, et ne ducat in errorem, alio criterio dirigendum et corrigendum est. Jam vero experientia interna, qua judicetur aut potius gustetur, quid naturae humanae conveniat aut repugnet, saepissime fallit, et quidem ideo, quia sensus ille, quamvis testetur, quid sit jucundum, quid injucundum, tamen ipse non judicat de subjecto proximo, cui doctrina placet aut displicet. Videlicet doctrina aliqua placere et displicere potest tum rectae rationi et homini recte constituto, tum rationi cupiditatibus abductae et homini male disposito. Placere et displicere potest homini praejudiciis vacuo, aut homini praejudiciis occupato. Generatim homo a rebus afficitur, prout ipse constitutus aut dispositus est. Alio modo afficitur homo vitae integrae, alio modo homo moribus corruptis. Itaque ex eo, quod doctrina aliqua hominem delectet, nondum sequitur, eam congruere naturae humanae i. e. rationali. Alio criterio opus est, quo distinguatur inter hominis naturam recte dispositam et naturam cupiditatibus servientem, inter naturam ipsam et naturam praejudiciis variisque habitibus affectam.

3. *e mutabilitate.* Inter praecipua criteria non potest reponi, quod natura sua maxime est mutabile et pro hominis dispositione et affectione variat. Id locum habere solet in sensu illo interiore. Quod enim hodie devotionis sensum excitat, idem cras taedio afficit. Unde si non suppetunt alia criteria, quae homini persuadere possint, facillime accidit, ut quam doctrinam hodie ob sensum gratum excitatum tenendam judicat, eandem cras ob taedium quo afficitur, abjiciendam ducat.

Adversarii provocant ad illud: „Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.“ Joan. 7, 16. 17. Unde concludunt, Christum voluisse, ut Judaei prius ipsius doctrinam crederent et dein ejusdem veritatem perciperent.

At falso hoc concluditur ex illis verbis. Christus enim dicit, qui Patris voluntatem faciant ejusque mandata observent, cognituros esse, ipsum a Deo esse missum. Profecto, si Judaei mandata observassent, facile ad fidem in Christum adducti fuissent, non interna tantum doctrinarum experientia, sed aliis etiam argumentis, imprimis miraculis, quorum vim prava animorum dispositione impediti minus percipiebant.

§. III. Doctrinarum fructus.

Propositio 34. *Doctrinae et institutiones morum depravationem per se inducentes Deum auctorem habere non possunt; doctrinae vero et institutiones morum tam privatorum quam publicorum honestatem insigniter et constanter promoventes aliquod quidem sunt revelationis divinae argumentum, quod tamen inter praecipua computandum non sit.*

Sermo est de religionis vel doctrinae religiosae fructibus, qui sane tamquam effectus distincti sunt tum a doctrinarum veritate et falsitate, tum a praeceptorum honestate et pravitate. De illis autem effectibus solis agimus, qui per se e doctrina oriuntur, non de illis, qui per accidens ex illa fluunt, dum videlicet, qui eam profitentur, eandem alio modo applicant, quam ipsa exigit.

136. Pars I. Dei auctoritate niti non posse doctrinas et institutiones morum pravitatem inducentes, facile patet.

Probatur 1. *e pravorum morum cum religione pugna.* Religio eo ipso, quod debitum Deo cultum deferre intendit, etiam id sibi propositum habet, ut mores emendet ac perficiat; Dei enim cultus exigit, ut supremo legislatori obsequium praestetur. At morum pravitate, quum obsequium illud denegetur, cultus Deo debitus imminuitur potius et tollitur; ergo religio doctrinis suis morum depravationem inducens Deum auctorem habere nequit.

2. *ex effectu pravo causae pravae indice.* Doctrinae et institutiones morum pravitatem per se inducentes ipsae in se pravae et legi naturali adversantes sint necesse est; prava enim est doctrina, quae non tantum, quod mores pravos reddit, permittit, sed etiam promovet. At doctrina aut institutio morum honestati adversans, quum Dei sanctitati adversetur, Deum auctorem habere non potest.

137. Pars II. Doctrinarum et institutionum fructus, qui insigniter boni sunt simulque constantes, aliquod quidem revelationis divinae argumentum sunt.

Fructus sive majores supponimus non vulgari, sed insigni modo bonos, non tamen modo penitus extraordinario sive gradu heroico bonos. Fructus enim sive mores adeo eximii naturae conditionem manifesto excedunt, et manifesto non solius doctrinae, sed simul gratiae divinae effectus sunt et propterea inter criteria externa recensendi. Dum mores gradu extraordinario bonos gratiae fructus manifestos dicimus, minime negamus, in moribus gradu inferiore bonis gratiae auxilia intervenire; aliud enim est, haec auxilia negare, aliud ex iisdem non argumentari.

Probatur 1. *e moribus insigniter bonis solius religionis fructibus.* Universe loquendo nonnisi religio utpote sola hominem totum Deo mancipans, mores insigniter et constanter bonos progignere potest; Dei cultus, etsi ipse formaliter in bonis moribus non consistit, tamen bonos mores exigit. Ergo e moribus insigniter bonis

concludere licet, homines profiteri religionem aut in omnibus aut saltem in praecipuis partibus naturae congruam ac proinde veram. Sed si vera est, conjicitur, eam esse revelatam; nam, ut alias ostendimus, ratio humana sola ad religionem per omnia veram inveniendam non sufficit, multo autem minus auctoritas mere humana ad eandem inducendam. Prop. 24.

2. *e fructu arguente arborem.* Historia docet, e fructibus, quos religio quaecunque producit, semper judicatum esse de ipsius religionis indole; e fructibus enim dijudicanda videbatur arbor; ergo concludendum est, religionem quae bonis moribus promovendis emineat, veram esse ac revelatam.

Hebraeos, si cum gentilibus comparentur, bonis moribus eminuisse, *Flavius Josephus* contra ipsos gentiles tueri non veretur. (Cont. Apion. n. 17.) Apologetae facile ostendebant idem evenire in Christianis. Gentiles de Christianis ita testantes inducit *Tertullianus:* „Vide, inquiunt, ut invicem se diligant: ipsi enim invicem oderunt: et ut pro alterutro mori sint parati; ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt.“ Apol. c. 39. „De vestris semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si et aliud, jam non Christianus.“ Ibid. c. 44. Christianorum et gentilium coetuum mores comparans *Origenes* ad vulgi etiam ut in re notissima judicium provocabat. „Ecclesiae Dei, inquit, a Christo edoctae, si cum populorum conciliis, quibuscum habitant, comparentur, in mundo tamquam lumina sunt. Ecquis enim non fateatur, eos, qui in Ecclesia deteriores sunt et in meliorum comparatione pejores, praestantiores esse multis eorum, qui in popularibus coetibus vivunt.“

138. Pars III. Attamen criterium hoc pluribus de causis computandum non est inter praecipua.

Probatur 1. *ex eo quod non potest esse tempore primum.* Inter praecipua computandum non est criterium, a quo revelationis demonstratio absolute prima non potest sumere exordium sive quo prima religionis agnitio et diffusio niti non potest. Id evenit in criterio nostro. Nam religio fructus insignes producere non potest, nisi jam agnita sit et recepta. Necessario igitur ante criterium nostrum aliud criterium supponendum est, quo revelatio primum demonstretur.

2. *e possibilitate cum veritatibus miscendi errores.* Praecipuum criterium non est, quo quamvis plurium, tamen non omnium doctrinarum, quas religio aliqua profitetur, veritas et origo divina demonstratur. Hoc iterum vitio laborat criterium nostrum. Fieri enim potest et fit, ut societas aliqua religiosa revelationis divinae partem abjecerit, partem retinuerit, huicque nonnullos addiderit errores; societas haec, quum revelationis emolumento ex parte gaudeat, bonis moribus vincet societatem alteram revelatione penitus caren-

tem. Criterium nostrum erroris fieret occasio, si e moribus melioribus concluderetur, religionem totam, quam profitetur illa societas, veram esse et revelatam; ergo concludere tantum licet, aliquas illarum doctrinarum esse veras et revelatas. Sed quaenam sint verae quaenam falsae, nostro criterio solo definiri non poterit; mancum igitur est et propterea non computandum inter praecipua.

Ex eo quod criterium hoc mancum est et doctrinas veras non satis discernit a falsis, non sequitur, esse inutile. Nam manifesto valde utile est signum, quo quis monetur, ut aliis etiam mediis in veritatem inquirat.

3. *non obvium nec certum.* Criteria praecipua hujusmodi sint oportet, ut saltem a plerisque facile ita applicari possint, ut iisdem ad revelationem certo cognoscendam ducantur. Revelatio enim, quum ab omnibus sit admittenda, ab omnibus certo cognoscenda est. At criterium nostrum non facile ita applicatur, ut certam demonstrationem pariat. Imprimis enim nosse oporteret, quem influxum religio exerceat in cultorum suorum vitam totam et publicam et privatam. Non enim sufficit, ut religio sub uno tantum respectu mores formet bonosque fructus producat. Si indigentium penuriam sublevare docet, actiones autem impuras permittit; si justitiam magnopere urget, intemperantiam vero non curat, aut temperantiam urget, injustitiam vero permittit; si virtutes sociales commendat, Dei tamen cultum non attendit: dici non potest, religionis fructus esse insigniter aut in universum bonos. At saepe valde difficile est, hominum vitam totam ita habere perspectam, ut statui possit, quantus in eam sit religionis influxus. Praeterea etiamsi vitam hominis totam perspectam haberemus, difficile esset statuere, actiones singulas, quae videntur bonae, esse bonas, quum ob finem perversum perversae esse possint. Demum quum de religionis fructibus dijudicandis agitur, non sufficit, observare tantum paucos; multos et in variis vitae conditionibus viventes nosse oportet, ut dijudicari possit, quid communiter et quasi lege et regula fiat, quid sit exceptio a lege, quid religioni ipsi debeatur, quid variis vitae conditionibus prosperis virtutique faventibus, aut sinistris et virtuti adversis debeatur. Patet igitur, criterium hoc saepissime nonnisi probabilis persuasionis fundamentum fore.

139. Contra haec *objici* possit, quod monet Christus: „Attendite a falsis prophetis . . a fructibus eorum cognoscetis eos.“ Matth. 7, 15. 16. Ultima enim ratio de eorum missione divina judicandi e moribus peti videtur.

Notandum est 1. hic non agi de eodem argumento; non enim dicitur, ex eorum vita judicandum proxime esse de doctrina; judicandum dicitur proxime de eorum missione divina. 2. Nec dicitur, vitam bonam esse argumentum positivum

divinae missionis; dicitur, e vita mala cognoscendum esse prophetam sive doctorem falsum aut saltem suspectum. 3. Non dicitur, certo distingui posse, quorum vita sit mala aut bona; ad falsos prophetas sive doctores rejiciendos sufficit prudens de eorum moribus suspicio, dum ad prophetam tamquam verum admittendum non sufficit prudens opinio, sed certitudo requiritur. 4. Demum nec alia criteria his excluduntur, nec quod affertur, omnium praestantissimum declaratur.

Articulus V.

De criteriis externis tum sensibilibus tum insensibilibus.

140. Criteriorum externorum triplex distingui potest ordo. Ad primum pertinent facta supernaturalia et sensibilia revelationem comitantia, miracula videlicet et vaticinia. Alter constituitur item factis supernaturalibus et sensibilibus, manifestantibus influxum, quo Deus animas interne et singulari modo impellit et adjuvat in religione revelata suscipienda, retinenda, profitenda, exercenda. Huc referuntur celerrima religionis propagatio, martyrum constantia, vitae sanctitas operibus manifestata. Effectus hi singulares, quum circa hominum animas sive in ordine morali versentur, vocari etiam solent miracula moralia, ut distinguantur ab effectibus supernaturalibus in ordine physico productis. Tertia classis complectitur effectus supernaturales et insensibiles, quibus Deus ad complectendam et retinendam revelationem interne impellit, et ita quidem, ut impulsus illi reflexione percepti pro assentiendi motivo etiam objectivo habeantur. Patet, singula quae enumeravimus, distingui a revelatione cognoscenda, sive hac voce revelandi actus sive veritas revelata designetur, ac propterea esse criteria externa.

§. I. De miraculis et vaticiniis.

A. Miraculi definitio et divisio.

141. I. *Notio genuina.* „Nomen miraculi, ut s. Thomas animadvertit, ab admiratione sumitur. Admiratio autem consurgit, quum effectus sunt manifesti, et causa occulta; sicut aliquis miratur, quum videt eclipsin solis et ignorat causam. Potest autem causa effectus alicujus apparentis alicui esse nota, quae tamen aliis est incognita: unde aliquid est mirum uni, quod non est mirum alteri: sicut eclipsin solis miratur rusticus, non autem astrologus. Miraculum autem dicitur quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter et omnibus occultam. Hoc autem est Deus. Unde illa, quae a Deo fiunt praeter causas nobis notas, miracula dicuntur.“ 1, q. 105, a. 7. Eandem definitionem s. doctor et alibi tradit: „quae praeter ordinem communiter in rebus statutum quandoque divinitus fiunt, miracula dici solent.“ Cont. gent. l. III, c. 101.

Unde 1. miraculum est effectus productus in *ordine sensibili* sive effectus, qui sensibiliter se manifestat. Miramur enim, quum effectum conspicimus, cujus nobis

occulta est causa. Miraculum erat, quod rubus ardere nec comburi conspiciebatur, quum causa, cur non combureretur, lateret. Ex. 3. Scientia in Apostolis subito producta miraculum erat, non quod scientia in se ipsa fuerit sensibilis, sed quod sensibiliter manifestabatur: haec enim manifestatio admirationem excitabat. Conversio aquae in vinum per Christum facta miraculum erat, utpote sensibus percepta. Propter rationem contrariam conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi non est miraculum; non enim conspicitur ipsa conversio.

2. Miraculum est effectus sensibilis, qui *a Deo* producitur.

Nam miraculum est opus, quod non ob ignorantiam hominum, sed absolute et ratione sui admirationem excitat, quod proin producitur a causa quae absolute occulta est. Causa autem absolute occulta illa sola est, quae operatur supra omnes naturae leges et praeter modum connaturalem effectui producto. Hujusmodi causa est solus Deus. Et vero spiritus, licet producere possint effectus sensibiles, qui transcendunt naturae *ordinem*, seu licet producere possint effectus, quos natura sensibilis sibi relicta non produceret, tamen non possunt producere effectus, qui transcendant totius naturae virtutem. Effectus, qui naturae ordinem transcendit, ab illis tunc producitur, si motu rebus impresso efficiunt, ut causae naturales, quae existunt, agere possint, quemadmodum in magorum prodigiis factum esse existimatur. Neque tamen effectus illi praeter totius naturae visibilis virtutem producuntur, quia non ad nutum spirituum, sed per ipsas causas naturales, quas applicant, producuntur. Spiritus enim creati, quum rerum sensibilium leges non statuerint, easdem immutare non possunt, sed illis sese submittant oportet. S. Thom. 1, q. 110. a. 2.[1])

Ad rationem miraculi non requiritur, Deum ita esse ejusdem causam, ut *causa creata instrumentalis* excludatur. Duplice modo creatura instrumentum esse potest, quo Deus ad miracula facienda utatur: primo ita ut creatura sub Dei actione constituta realiter influat in effectum producendum sive ut sit causa instrumentalis physica; secundo ita, ut non physice, sed solum moraliter influat, Deum videlicet precibus et meritis movendo, ut ipse producat effectum. Etiam haec causa moraliter agens vocari potest et vere est instrumentalis, quatenus Deus creaturam excitat, ut intercedat. Priori modo Christi naturam humanam ad miracula patranda concurrisse et angelos concurrere posse, a plurimis admittitur, imprimis a s. Thoma scribente: „Si loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habet instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt.“ 3, q. 13, a. 2. Eandem doctrinam extendit ad angelos et ad sanctos homines dicens: „Nihil prohibet, substantias spirituales, in quantum agunt virtute divina, miracula facere; quod etiam ex hoc videtur, quod unus ordo angelorum specialiter deputatur, ut s. Gregor. dicit (hom. 34 in Evang.), ad miracula facienda, qui etiam dicit (dial. l. II, c. 31), quod quidam sancti interdum miracula

[1]) Juvat afferre Suarezii verba, e quibus aliquando, nimirum truncando, doctrina contraria male elicitur. „Recte, inquit, concluditur, de ratione miraculi esse, ut sit supra virtutem omnium causarum naturalium. In quo etiam considerandum est, in praesenti sermonem esse de operibus sensibilibus, quae hominibus miraculosa apparent, de quibus concedi potest et debet, ut sint vera miracula necessarium et sufficiens esse, ut superent omnem naturalem virtutem causarum naturalium visibilium et corporalium. *Quia* hinc evidenter concluditur, etiam esse supra omnem virtutem angelicam, cum haec non possit, nisi applicando naturales et corporeas causas activas passivis, hujusmodi effectus sensibiles efficere.“ De angelis l. IV, c. 39, n. 10.

faciunt ex potestate, non solum ex intercessione.“ Cont. g. l. III, c. 103. Cf. Suarez in 3. part. disp. 31, s. 3.

3. Ad miraculi conceptum requiritur, ut effectus, qui a Deo producitur, *insolitus* sit. Hic autem notandum est cum s. Thoma: „Insolitum, quod in definitione miraculi ponitur, non dicit raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturae; unde si quotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret.“ In 2. sent. d. 18, q. 1, a. 3, ad 2. Rerum creatarum conservatio Deo soli debetur; non est miraculum, quia haec conservatio, spectato naturae cursu, non est insolita, quum Deus quae creavit, conservet. Animae rationalis, per corpus quod informat sese manifestantis, productio, licet Deus solus ejus sit causa efficiens, non est miraculum, quia consuetus rerum ordo illam exigit. Miraculum vero erat mannae pluvia in deserto, licet Israelitae per quadraginta annos eidem essent assueti; erat miraculum, quia spectato naturae cursu pluvia haec insolita erat.

Hoc sensu intelligendum quod scripsit s. *Augustinus:* „Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; et tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homines non quia majus est, sed quia rarum est.“ In Jo. tract. 24, n. 1. Gubernatio totius mundi, quia quamplurimos divinae potentiae effectus complectitur, est *opus* majus quam saturatio ista hominum, quae nonnisi unus divinae potentiae effectus erat. Illam non mirantur homines, quia gubernatio divina a rerum natura exigitur; saturatio quinque millium hominum de quinque panibus non solum in se sive absolute insolita erat, sed imprimis spectato naturae ordine; et quia hoc ordine spectato insolita est, etiam insolita est absolute sive tamquam effectus. Itaque s. Augustino gubernatio mundi est majus miraculum, quam saturatio illa hominum, si spectatur sola Dei potentia; sed nullum est miraculum, si spectatur solitus naturae cursus, cui non opponitur; unde nec hominum admirationem excitat. Male igitur ex illis verbis inferunt nonnulli, ut *Dorner* (Glaubensl. I. §. 54), juxta s. Augustinum operationem Dei omnem esse miraculum.

4. Necesse denique est, ut effectus ille sensibilis, a Deo productus et insolitus, sit etiam *contra* sive *praeter naturam* i. e. naturae *ordinem*. Insolitus enim dici non posset, nisi naturam certis legibus administratam respiceret eique adversaretur. Neque mirabilis sensu pleno foret. Nam ut s. Thomas bene advertit, „secundum se aliquid est mirum vel admirabile, cujus causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet, et ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula, quasi habentia in se administrationis causam . . et ideo illa, quae sola virtute divina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula.“ Qq. disp. d. potent. q. VI, a. 2. Unde infert, coeli et terrae et animarum rationalium creationem non esse dicendam miraculum, quia haec non contingunt praeter ordinem naturae, „cum haec ad ordinem naturae non pertineant.“ S. 1, q. 105, a. 7, ad 1.

Si effectus naturam tantum excedit nec praeter ejus ordinem est, mirabilis dicitur, non miraculum. Ita s. Bonaventura: „Aliquando Deus facit contra naturam, aliquando supra naturam. Tunc facit contra naturam, quando facit aliquid, cujus simile in natura et a natura produci habet, tamen alio modo omnino diverso, ut patet in hoc, quod natura dat alicui visum et successive in primaria generatione, similiter et dat vitam, nunquam tamen caecum reducit ad visum, nec mortuum ad vitam. Si ergo Deus sua virtute hoc faciat, ut alicui caeco visum restituat et mortuo vitam, tunc dicitur facere contra naturam, i. e. contra solitum cursum naturae, et tunc dicitur miraculum. Quando vero Deus facit aliquid, cujus simile natura facere non potest,

et ad quod natura non habet ordinem secundum propriam virtutem, sicut quando Deus factus est homo, vel quando corpus mortale factum est gloriosum, tunc facit supra naturam, et illud opus proprie dicitur mirabile, non miraculum.“ Eventus illi naturae vim superantes non vocantur miracula, quia non respiciunt leges naturae proprias ac proinde eis non derogant. In II. sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 5. Cf. Alex. Hal. Sum. II, q. 42, memb. 2. — Aloys. van Weddingen, De miraculo, Lovan. 1869.

142. II. *Notiones falsae.* 1. Miraculi notionem nullatenus plenam exhibent illi, quibus miracula sunt eventus sensibiles, quorum causa non est natura in se spectata, sed nonnisi Dei actio libera. Unde inferunt, mundi creationem esse „miraculum primitivum“, miraculum pariter esse animae rationalis creationem et quidquid Deus ipse in rebus creatis agat. Ita *Dorner,* Glaubensl. I. §. 55. Magnopere verentur dicere, miraculum esse praeter naturae ordinem. Rationes, cur hic ad naturam respectus in miraculi notione omnino exigatur, modo attulimus.

2. Miraculi notio pervertitur ab illis, a quibus definitur eventus rarus, productus quidem causarum naturalium concursu, quem Deus ab initio statuerit, qui tamen nobis ignotus et intellectui creato impervius sit. Houtteville, La Religion chrét. L. I, ch. 5 (al. 6). Aliud enim est eventus in se supernaturalis, qui a Dei omnipotentia sola produci possit; aliud eventus naturalis, cujus tamen causa ab intellectu humano cognosci non possit. Effectio illa miraculum constituit, praevisio haec ad prophetiam pertinet. Praeterea in hac sententia finguntur causae naturales, quae effectibus producendis certo non sunt accommodatae; fingitur enim, panis multiplicationem, ipsam mortuorum resurrectionem produci causis naturalibus, quae nobis sint occultae, a Deo autem praestabilitae. Quod demum sacros fontes attinet, ab his miraculum non in hominis praevisione supernaturali, sed in speciali Dei operatione, quam diximus, reponitur.

3. Magis etiam miraculi notio pervertitur ab illis, a quibus definitur opus rarum et insolitum, ac supra spem mirantis, productum causis naturalibus, quae intellectui creato non sint absolute imperviae. Fatentur quidem plerique, scriptura sacra hunc miraculi conceptum non tradi; sed ad s. *Augustini* quosdam locos provocant, quibus diversae miraculi notiones proponi videntur. (*Wegscheider,* Instit. §. 47. *Hagenbach,* Dogmengesch. 6. Aufl. §. 118.)

143. a. Etenim s. doctor videtur dicere, miraculum esse, quidquid excedit facultatem hominis mirantis. Ait enim: „Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. . . Haec in duo dividuntur. Quaedam enim sunt quae solam faciunt admirationem, quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant.“ De util. credend. c. 16. Horum exempla affert miracula a Christo Domino patrata.

b. Alias miracula contra naturam esse negat. „Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique conditoris conditae cujusque rei natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura.“ De civ. XXI, 8. „Nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturae cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit.“ De gen. ad litt. VI, 13.

c. Alias docere videtur, viribus naturae insitis produci miracula; admittit enim occulta quaedam semina sive rationes seminales, quae evolvi possint. „Omnium rerum, quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. . . Neque enim tunc [in principio rerum] in hujusmodi foetus ita producta sunt, ut in eis, quae producta sunt, vis illa consumpta sit, sed plerumque desunt congruae temperamentorum occasiones, quibus erumpant

et species suas peragant.“ De trin. III, 8. Agit hoc loco s. doctor de magis, qui per malos angelos serpentes et ranas produxerint.

At perperam provocant ad s. Augustini doctrinam. Voces nonnullae, quibus s. doctor in miraculis describendis utitur, si in se spectatae possint esse dubiae, per contextum satis explicantur.

a. Definitio illa prima miraculi tantum abest, ut miraculum in ordinem effectuum naturalium redigat, ut Scholasticis percommoda visa sit ad miraculi indolem indicandam. Brevissime Alexander Halensis: „Arduum dicitur supra potestatem naturae; insolitum, quod est contra cursum naturae. Quando haec duo concurrunt, tunc dicitur res miraculi secundum veritatem. Cum autem est supra spem ex parte affectivae, et facultatem mirantis ex parte cognoscitivae et operativae, tunc est in ratione miraculi. Ratio enim miraculi dicitur in comparatione ad nos.“ Sum. II, q. 42, memb. I. Simili modo Albertus Magnus, Sum. theol. Part. II, q. 31, M. 2, art. 1.

b. Vox natura vario modo accipi potest. Quandoque significat legem naturae, quae est ipsa ordinatio et voluntas divina. Contra naturam hoc sensu acceptam Deus nunquam agit, quia non agit contra suam voluntatem. Eodem etiam sensu Deus dici potest nunquam aliquid facere contra ordinem rebus inditum; „si enim sic faceret, faceret contra suam praescientiam aut bonitatem aut voluntatem.“ S. Thom. 1, q. 105, a. 6. Sensu exposito s. Augustinus naturam accipit loco priore, ut ipsa verba indicant.

Quandoque natura designat quidquid Deus quomodocunque producit, quo sensu s. doctor altero loco eam intelligit.

Alias natura significat totam rei potentiam non tantum respectu causarum secundarum, sed etiam causae primae i. e. significat totum illud, quod de re fieri potest non tantum per vim creatam, sed etiam per Deum. Aptitudo sive potentia passiva quae rei inest respectu solius Dei, a theologis vocatur potentia obedientiae. (S. Thom. 3, q. 11, a. 1.) Si vox naturae hoc sensu accipitur, Deus miracula non operatur contra naturam, sed secundum rei naturam sive aptitudinem, qua fit, ut secundum beneplacitum per eam operari possit.

At natura significat etiam id, quod in re fieri potest per causas naturales; haec aptitudo naturalis vocatur et nobis nota est per effectus. Nam actione mutua causarum naturalium constituitur id, quod vocatur cursus naturae. S. Bonaventura rem ita illustrat: „Uno modo dicitur natura omne illud, quod competit rei a sua naturali origine; et sic competit creaturae, ut ex ea producatur omne quod Deus vult; opus enim respectu sui artificis habet in se potentiam perfectae obedientiae, cum per omnia subjaceat ejus voluntati. Contra hanc naturam Deus numquam facit, imo quidquid facit de creatura, secundum hanc naturam facit. Alio modo dicitur natura propria vis insita rebus, secundum quam res naturales peragant cursus suos et motus solitos. Et hoc modo accipiendo naturam, aliquando Deus facit contra naturam, aliquando supra naturam.“ In II. Sent. d. 18, a. 1, q. 2, ad 5. Cf. Alex. Hal. II, q. 42, memb. 2, a. 2.

Recte s. Augustinus dicit, portentum fieri non contra naturam, sed contra quam est nota natura. Absolute enim dicenda est natura esse nota, si naturae vox designat vires rebus inditas et per effectum necessario se manifestantes. Ignota autem est potentia obedientiae, quum se non manifestet, utpote per causas creatas non producenda in actum.

c. Ratio seminalis s. Augustino est potentia activa materiae indita, qua effectus producuntur; unde secundum rationem seminalem ab agente produci dicitur illud, quod e rei potentia activa evolvitur. Semen et ratio seminalis insunt rebus, quae semine effectus producunt, hinc secundum rationes seminales ut regulam internam

agunt. V. S. Bonav. in II, Sent. d. 18, a. 1. q. 2. et 3. Miraculum proprie dictum non producitur secundum rationes seminales; nam producitur virtute, quae est extra res, in quibus aliquid fit. Propterea secundum s. Augustinum effectus a magis producti non erant miracula proprie dicta; censet enim illos quomodocunque productos esse per rationes seminales sive per virtutem rebus creatis propriam. In praecedentibus distinxerat duplicem Dei operationem, alteram naturalem, supernaturalem alteram: „Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum et vinum facit, nisi Deus, qui et homine plantante et rigante incrementum dat? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est.“ De trinit. l. III, c. 5. Objicit dicens: „Hic video, quid infirmae cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant.“ c. 7. Respondet: „Nec ideo putandum est istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo haec potestas datur.“ c. 8. Continuo exponit, quomodo angeli effectus miros producant non solo nutu, ut Deus, sed utendo viribus materiae insitis sive agendo secundum rationes seminales. Patet igitur, hoc loco quam maxime explicari et illustrari miraculi proprie dicti notionem.

144. 4. A genuino miraculi conceptu non minus recedunt illi, quibus quidquid Deus per omnipotentiam suam et sapientiam in hominis gratiam operatur, miraculum est. Secundum ipsos fides de Dei providentia parit persuasionem de miraculis, et quicumque Dei providentiam credit, etiam agnoscit in se ipso fieri miracula, quum singularem Dei providentiam non raro experiatur. Si autem scripturae sacrae quandoque agunt de eventibus, qui contra naturae leges evenerint, de his secundum ipsos non est anxie inquirendum, cum ex illis non pendeat fides[1]). Non attenta miraculorum indole, quae ipsis factis proditur, fingere sane licet quidquid placet.

5. Longissime a genuina miraculi notione aberrant illi, secundum quos homini miraculum est, quidquid virium ejus limites excedit, sicut vaticinium reputatur,

---

[1]) Albrecht *Ritschl*. Unterricht in der christl. Rel. 4. Aufl. Bonn 1890. §. 17. Die religiöse Betrachtung der Welt ist darauf gestellt, dass alle Naturereignisse zur Verfügung Gottes stehen, wenn er den Menschen helfen will. Demgemäss gelten als Wunder solche auffallende Naturerscheinungen, mit welchen die Erfahrung besonderer Gnadenhilfe verbunden ist, welche also als besondere Zeichen seiner Gnadenbereitschaft für die Gläubigen zu betrachten sind. Deshalb steht die Vorstellung von Wundern in nothwendiger Wechselbeziehung zu dem besondern Glauben an Gottes Vorsehung, und ist ausserhalb dieser Beziehung gar nicht möglich. Man begeht eine vollständige Verschiebung der religiösen Vorstellung vom Wunder, wenn man sie von vornherein an der wissenschaftlichen Annahme von dem gesetzlichen Zusammenhang aller Naturvorgänge misst . . Deshalb ist der Glaube an Wunder in dem oben bezeichneten Sinne der gnädigen Vorsehung Gottes durchaus vereinbar mit der Wahrscheinlichkeit des naturgesetzlichen Zusammenhanges der ganzen Welt. Wenn jedoch gewisse Erzählungen von Wundern in den biblischen Büchern gegen diese Regel zu verstossen scheinen, so ist es weder eine wissenschaftliche Aufgabe, diesen Schein zu lösen, oder ihn als Thatsache festzustellen, noch ist es eine religiöse Aufgabe, jene erzählten Ereignisse als göttliche Wirkungen gegen die Naturgesetze anzuerkennen. Man soll auch nicht seinen religiösen Glauben an Gott und Christus aus einem vorausgehenden Urtheil der Art schöpfen, zumal da jede Wundererfahrung schon den Glauben voraussetzt. Aus dem religiösen Glauben wird jeder an sich selbst Wunder erleben, und im Vergleich damit ist nichts weniger nothwendig, als dass man über die Wunder grübele, welche Andere erfahren haben. (!!)

quidquid de ulteriore ipsius destinatione eundem edocet. *Bender*, Das Wesen der Rel. S. 206. Hujusmodi miraculi conceptus non e rerum natura hauritur, sed fingitur et conformatur systemati, quod ex indigentiae sensu religionem omnem repetit et cum eo confundit.

145. III. *Divisio:* 1. *pro triplice modo quo sunt insolita.* Triplice modo opera, quae a Deo producuntur, spectato naturae cursu insolita esse possunt, ut exponit s. Thomas: „Quandoque sunt supra naturam, quandoque praeter naturam, quandoque contra naturam. Supra naturam dicitur esse miraculum, quando natura non potest in ipsam substantiam facti, sicut divisio maris rubri, suscitatio mortui et hujusmodi. Illa vero dicuntur praeter naturam fieri, in quae quidem natura potest quantum ad substantiam facti, sed tamen praeter naturam fiunt jussu divino . . Contra naturam autem dicuntur fieri, quando in re est aliquid contrarium ei, quod fit, sicut si grave sursum moveretur, ita quod miraculose sequatur actus manente contraria natura, quae scilicet est principium contrarii actus.“ In II. sent. dist. 18, q. 1, a. 3. Conf. de pot. q. 6, a. 2. Patet, miracula aliqua dici supra naturam non respectu virtutis, qua producuntur; hoc enim respectu miracula omnia sunt supra naturam, quum omnia producantur virtute supernaturali sive divina; pariter non dici supra naturam respectu effectus quatenus hic et nunc sive in concreto producitur; nam eatenus omnia iterum sunt supra naturam, quum effectus omnis, qui dicitur miraculum, virtute divina producatur. Dicuntur supra vel praeter vel contra naturam respectu effectus in se solo sive abstracte considerati, qui modo talis est, ut virtute creata produci non possit, modo talis, ut virtute creata produci possit, modo denique talis, ut existat simul existente dispositione naturali ad oppositum.

2. *pro modo quo facultatem naturae excedunt.* Respectu potentiae absolute sive in se ipsa consideratae, qua effectus produci possit aut non possit, alio modo dividi miracula et alia aliis majora dici possunt, ut iterum exponit s. Thomas: „Dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturae quam excedit. Et ideo secundum quod magis excedit facultatem naturae, secundum hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturae tripliciter. Uno modo quantum ad substantiam facti: sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur: quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturae non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id in quo fit: sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio caecorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; et potest praestare visum, sed non caeco. Et haec tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturae quantum ad modum et ordinem faciendi, sicut quum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus, et quum aër divina virtute in pluvias condensatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliae. Et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis. Quaelibet tamen horum habent diversos gradus, secundum quod diversimode excedunt facultatem naturae.“ 1, q. 105, a. 8. Cont. gent. l. III, c. 101. Patet, divisionis regulam hic non esse penitus eandem, quae erat in divisione praecedente, et propterea laborandum non esse, ut illa divisio ad hanc reducatur.

3. *quoad substantiam et quoad modum.* Frequentissime dividuntur in miracula quoad substantiam et miracula quoad modum. Miracula quoad substantiam vocantur effectus illi, qui in seipsis spectati a nulla vi creata produci possunt, ut sunt compenetratio duorum corporum, aut suscitatio mortui. Miracula quoad modum sunt effectus illi, qui in seipsis spectati vim creatam non excedunt, attamen per vim creatam non eo modo produci possunt, ut a Deo producuntur, e. g. restitutio visus solo jussu aut applicato medio naturaliter inepto.

B. Miraculi possibilitas.

Propositio 35. *Miracula a Deo patrari possunt.*

146. Concilium Vaticanum non abs re esse duxit doctrinam catholicam confirmare definiendo: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse . . aut miracula certo cognosci nunquam posse . . a. s.“ Const. I. de fide in cap. III, can. 4.

Quum possibilia dicimus miracula, possibilia intelligenda sunt sensu concreto sive spectata Dei omnipotentia prout cum reliquis ejus attributis, sapientia imprimis, sanctitate et bonitate, conjungitur. Hoc etiam potissimum sensu miraculi possibilitatem negarunt et negant increduli et Rationalistae, nimirum quia ordinis physici non minus quam moralis ordinis immutatio Deo repugnet, vel quia legis mutatio etiam voluntatis divinae mutationem arguat, vel quia sublata legum physicarum constantia cesset omnis praevisio humana, hinc Dei providentia minuatur, vel denique quia Deum dedeceat, naturae ordinem instituisse, qui miraculis corrigendus sit. Quae rationes quam sint infirmae, ex ipsis argumentis pro doctrina catholica afferendis patebit.

Probatur 1. *e Dei potentia et libertate.* Miraculum est effectus virtutem creatam rerumque inter se ordinem naturalem et consuetum transcendens. Jam vero Deus ut infinite potens amplius agere potest quam virtus creata, et ut liber in agendo in rebus creatis effectum producere potest, quem rerum creatarum natura non exigit et ad quem recipiendum non est naturaliter disposita. Ita Deus ageret, si e lapidibus produceret „filios Abrahae“, sive si lapides ipse ita immutaret, ut ad animam rationalem recipiendam disponerentur, quam dein Deus infunderet; ita pariter agit, cum mortuum ad vitam reducit. Nam neuter effectus a causa creata produci potest, et neuter effectus a re sive materia, in qua producitur, exigitur, quemadmodum a materia generatione apte disposita exigitur animae rationalis infusio; denique uterque effectus esset praeter vel contra ordinem naturae, quae lapides aut cadavera humana numquam ita disponit, ut animae rationalis infusionem exigant.

Porro ut per divinam potentiam in se spectatam, ita per eamdem ut cum reliquis attributis conjunctam hujusmodi effectus possibilis dicendus est. Nam divina sapientia et sanctitas hoc tantum exigit, ut in operibus per divinam potentiam producendis rectus ad Deum ordo servetur. Hic vero ordo servatur, quum effectus praeter naturae particularis cursum productus ex Deo pendeat, Deique attributa exhibeat non minus, quam effectus secundum ordinem consuetum producti; homo enim ad vitam revocatus non minus, imo etiam magis Dei attributa manifestaret Deoque esset mancipatus quam homo generatus.

Ex Dei potentia et libertate miraculi possibilitatem ita infert s. *Augustinus*: „Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit instituere; sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas.“ De civ. XXI, 8, n. 5.

E legum *physicarum* et legis *naturalis discrimine* intelligitur, cur Deus leges physicas sive consuetum agendi modum, qui in rerum naturis fundatur, immutare possit, legem moralem, quae in hominum natura rationali fundatur sive legem naturalem immutare non possit. Lege naturali homo refertur ad Deum ut finem suum ultimum, illaque abrogata non amplius refertur; Deus autem qua sapiens et sanctus nec efficere nec permittere potest, ut homo ad Deum finem suum non referatur aut eum amare et quaerere non teneatur. Res naturales legibus illis particularibus quibus reguntur, sive modo agendi ipsis proprio et consueto referuntur proxime ad se mutuo, nec ad Deum referri cessant, quum aliter inter se referuntur; unde abrogatis his legibus non tollitur Dei sapientia aut sanctitas, tolleretur autem obrogata lege naturali. S. Thom. de potent. q. 6, a. 1, ad 3.

2. *e rerum natura ad Deum relata.* Miraculum obtinet locum, quum Deus in rebus producit effectum, ad quem producendum spectatis viribus naturalibus accommodatae non sunt, aut quum inhibet effectum, qui pro rerum ordinario cursu oriri deberet. Illud evenit, quum Deus mortuum revocat ad vitam, istud, quum igni urendi vim adimit.

Jam vero Deus a. in rebus effectus producere potest, ad quos ipsae proportionatae non sunt. Nam quod potest causa finita modo sibi determinato agens, id multo magis potest causa infinita modo quo sibi placuerit. Atqui causae finitae modo sibi determinato agentes producunt quosdam effectus, ut homo generando materiam disponit ad animam rationalem recipiendam; ergo Deus, causa infinita, modo quo sibi placuerit, materiam quamcunque, etiam cadaver, ad eundem finem disponere atque ita mortuum ad vitam revocare potest. Praeterea rerum naturae ita sunt dispositae, ut, prout aliis et perfectioribus agentibus subjiciuntur, aliam perfectionem acquirant vel alios et perfectiores effectus ipsae producant. Hinc est, quod planta corpora anorganica, quae in se assumit, nova perfectione i. e. vita vegetativa donat. Deus vero perfectius et efficacius quam ulla causa finita in res influere potest; ergo etiam effectus in iisdem producere potest, quos nulla vis in rerum naturis sita producit. Potest ergo Deus corpus vivum natura sua dissolutioni et morti obnoxium perpetuo a morte praeservare. S. Thom. de pot. q. 6, a. 1, ad 18. Demum haec est rerum natura, ut, quo perfectiori causae principali qua instrumenta subjiciuntur, tanto perfectius agant; unde quo perfectior est artifex, tanto excellentiores effectus producit instrumento licet vulgari. Deus est causa principalis infinite perfecta; potest igitur caecum curare luto ut instrumento assumpto.

b. Pariter potest Deus inhibere effectum, qui pro rerum cursu ordinario locum habere deberet. Quum enim res omnes omni modo Deo subjiciantur, potest „retinere operationes rerum naturalium,

ne agant, quod natae sunt agere, sicut quod ignis non comburat, ut patet Dan. 3, vel quod aqua non fluat, ut patet de aqua Jordanis, Josue 5". S. Thom. de pot. q. 9, a. 1, in c. Quod enim alias fit causis naturalibus, id Deus per se facere potest; corporum actionem per causas creatas impediri posse, experientia constat; impediri igitur potest per Deum ipsum. Duplici modo impediri potest: aut ita, ut actio quidem existat, ejus vero effectus impediatur, quemadmodum ignis effectus naturaliter impeditur corpore interposito; aut ita, ut ipsa actio cesset; cessabit autem, si Deus rem agentem quidem conservat, cum ejus vero actione non concurrit, ut Suarez miraculum saepe explicat.

Neque potest *objici,* concursum hunc rebus esse debitum, Deumque sibi contradicere, si rebus vires impertiat, virium autem actionem impediat. Voluit sane Deus, ut res naturales plerumque modo sibi proprio agant et ideo generatim cum earum actione concurrit. Res autem naturales reguntur etiam fine altiore; unde earum actio merito impeditur, quum altior ille finis id requirit. Quod enim de corpore humano vitaque corporali, id multo magis de natura physica sentiendum est. Vult Deus, ut corpus humanum perfectionem acquirat suam, attamen eo gradu qui congruit animae rationali; unde etiam homo corporis sui perfectionem non omni quo potest modo, sed eo tantum gradu, qui altioribus finibus inserviat, procurare debet. Praeterea alicujus creaturae actione impedita non destruitur totus ordo universi, sed unius tantum creaturae ad alteram ordo et habitudo; pro hoc autem defectu, si ita vocetur, creatura illa novam et excellentiorem acquirit perfectionem, quae in eo est sita, quod modo plane novo Dei omnipotentiam manifestat; imo et reliquae creaturae, quae non immutantur, Dei potentiam perfectius manifestare incipiunt, quum, una immutata, omnes Dei dominio subesse evidentius jam eluceat. Et vero ut ordo civilis, si quis a lege ob causam aliquam dispensetur, non perit, nec legis existentia negatur, sed affirmatur, ita etiam si Deus quandoque praeter consuetum ordinem effectum aliquem aut impedit aut producit, ordo ipse subsistit et perfectius etiam finem suum altiorem attingit.

3. *principia applicando ad singulas classes.* Miraculorum possibilitas physica et moralis magis etiam patet, si variis eorum classibus, prout videlicet vario modo a consueto rerum cursu recedunt, ea quae dicta sunt, applicantur.

Nonnulla miracula a consueto naturae cursu recedunt hoc sensu, quod sunt supra naturam seu quod nulla vis creata effectum producere potest, ut suscitatio mortui. Effectus hic produci potest ab infinita Dei potentia, si in se sive metaphysice est possibilis et per reliqua Dei attributa non repugnat. Novam animae cum corpore unionem esse metaphysice possibilem, patet ex ipsa hominis sive compositi humani existentia. Non repugnare per reliqua attributa, patet ex eo, quod si Deus mortuum suscitat, ejus attributa, bonitas nimirum et sapientia, saltem non minus exhibentur, quam dum hominem conservat.

Alia miracula sunt praeter operationem naturae, quia effectus, licet a natura produci possit, tamen hic et nunc ab ea non producitur. Manifestum est, effectum, qui in certis circumstantiis et conditionibus produci potest a causa finita, a causa infinita produci posse independenter ab illis conditionibus, quum operatio divina nullius conditionis vel causae cooperationem exigat.

Alia demum miracula sunt contra naturam illius rei in qua effectus producitur, ut quum lapis sine fulcro in aere suspensus haeret aut corpus solidum alteri corpori solido non resistit aut ignis refrigerat. Hujusmodi effectus ideo produci possunt a Deo, quia ipse, utpote rerum omnium causa, dispositionem earum contrariam tollere et actionem oppositam impedire potest. Quamvis concederetur, quasdam dispositiones vel vires rebus aliquo sensu esse essentiales ita, ut tali natura posita necessario talis in ea resultaret dispositio aut vis, tamen non sequeretur, dispositionem aut vim illam impediri non posse. Distinguendum enim est inter ipsam vim vel potentiam ejusque actionem; hinc ut posito intellectu non sequitur necessario ejus operatio, ita etiam posita licet gravitate vel resistendi vi, a Deo impediri potest potentiae exercitium sive actio.

Hac autem ordinis consueti immutatione *praevisio humana* non redditur impossibilis. Praevisio natura sua hanc involvit conditionem, effectum e causis naturalibus oriturum esse, nisi altiore vi impediatur. Haec autem conditio rarissime locum habet. Unde sicuti praevisio humana, quatenus necessaria est ad vitam socialem, non tollitur per hoc, quod homines creare possunt impedimenta, ita multo minus per hoc tollitur, quod Deus quandoque miracula patrat.

4. *e virium physicarum mutabilitate.* Vires elementis inditae non eodem semper modo agunt, sed pro vario quem ab alia vi recipiunt influxu, alios effectus perducunt. Elementorum anorganicorum vires alio modo se habent, quum, in plantam receptae, viribus vegetativis subduntur; alio iterum modo, quum, in animal receptae, vita sensentiva afficiuntur. Idem patet in corporibus anorganicis; elementa enim quum varias subeunt combinationes sive aliorum elementorum vi afficiuntur, alio modo agere incipiunt. Jam vero si vires creatae elementa immutare et ad novum agendi modum elevare possunt, multo magis potentia Dei infinita eadem elementa vel generatim res naturales ad novum agendi modum elevare poterit. Cf. s. Thom. c. g. l. III, c. 99, n. 7. *Gutberlet,* Naturphilosophie, 2. Aufl. Münster 1864, S. 77. — Allgem. Metaphysik, 2. Aufl. Münster 1890, S. 210 ff.

5. *e divino dominio.* Dei excellentiae congruit, ut sese exhibeat mundi auctorem libere agentem rerumque omnium supre-

mum dominum. Atqui, ut s. Thomas animadvertit, „nullo modo melius manifestari potest, quod tota natura divinae subjecta sit voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operatur; ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit a Deo, non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem.“ C. g. l. III, c. 99, n. 7. Itaque miraculum, quod sub aliquo respectu est contra ordinem naturae, quatenus nimirum res creatae in se ipsis considerantur, alio respectu est maxime juxta ordinem naturae, quatenus nimirum haec spectatur ut ad Deum relata et ut divinae providentiae instrumentum. Pariter miraculo rerum ordo non corrigitur, quasi sine miraculo laboret defectu, sed ad altiorem finem minime debitum assumitur, ut videlicet altiore quodam modo Deum demonstret.

6. *e miraculo ut medio revelationi maxime accommodato.* Eadem possibilitas concreta deducitur e revelationis supernaturalis et publicae possibilitate antea probata. Revelatione hujusmodi id intenditur, ut Deus tamquam ordinis supernaturalis auctor ab hominibus cognoscatur. Medium vero, quo homo ad Deum ita cognoscendum pertingat, tum fini tum homini, qui eo ducatur, accommodatum sit oportet. Fini supernaturali supernaturale medium, homini ex anima et corpore composito medium sensibile maxime accommodatum est; ac proinde homo, cujus cognitio incipit a sensibilibus, per miracula, utpote effectus supernaturales et sensibiles, primam ordinis supernaturalis cognitionem modo maxime congruo hauriet. Quod autem rebus maxime congruit, id Deus facere posse censendus est. S. Thom. 2, 2, q. 178, a. 1.

Hic autem ita *objici* potest: miraculum non potest adhiberi tamquam medium ad demonstrandam revelationem divinam, nisi tamquam miraculum cognoscatur; atqui nondum demonstravimus, miraculum posse cognosci; ergo argumentum nostrum caret fundamento.

Verum est, miraculo non posse demonstrari revelationis existentiam, nisi miraculum cognoscatur et ab effectu naturali distinguatur. Verum pariter est, de miraculo ut cognoscibili diserte agi non solere nisi demonstrata ejusdem possibilitate. At verum quoque est, argumentis nonnullis, quibus miraculum possibile probatur explicite, simul cognoscibile probari implicite, et hujusmodi sunt argumenta quibus utimur. Si porro miraculum est medium quam maxime accommodatum ad demonstrandam revelationem, quilibet concludere debet, hominem esse ita constitutum aut saltem divino auxilio ita disponi posse, ut miraculum dignoscat. Si secus esset, Deus hominum inscitia impediri posset, quominus id agat, quod ejus sapientiae quam maxime congruit. Hoc autem admisso, negaretur Dei omnipotentia.

7. *e daemonum potentia.* Denique miraculi et veri quidem possibilitas tum physica tum moralis deducitur ex ipsa daemonum potentia patrandi mira et altiora quaedam ac vera miracula imitandi. Si enim daemones, quia perfectionis altioris sunt quam

homines, in natura sensibili patrare quaedam possunt, quae humanam potentiam excedunt, Deus in eadem natura efficere potest, quae omnem totius naturae potentiam et activam et passivam superant. Porro si daemones mira hujusmodi producendo gloriam quandam captant, aequum, imo necessarium est, ut Deus longe altiorem potentiam manifestando gloriam suam externam provehere possit.

Argumentum est *Origenis* contra Celsum, qui magorum praestigia miraculis Christi opponebat, ita scribentis: „An mali daemones praestigiis res miras insolitasque faciunt, et divina beataque natura nullum poterit efficere miraculum? Vita hominum infestatur malis, et bona non accepit? Atque id de omnibus videtur dici debere, ubi quid malum est boni fucatum similitudine, ibi necessario bonum esse malo contrarium. Sic cum per praestigias aliqua fiant, divina virtute aliqua fieri in vita necesse est. Alterum ex altero sequitur: proinde aut utrumque tollendum est, negandumque bona et mala esse; aut admisso altero maximoque malo, bonum quoque admissum oportet. Si quis autem ponat quaedam per praestigias effici, id autem de divina potestate negaverit, is mihi videtur similis esse illi, qui concedens esse sophismata rationesque probabiles, quae, tametsi veritate vacuae, veritatis tamen speciem prae se ferant, nullam apud homines veritatem esse contenderet, nullamque dialecticam, quae sophismatis abhorreat." Cont. Cels. II, n. 51. Ut Origenis, ita etiam nostro tempore argumentum hoc magni momenti est, quum pristini temporis artes magicae nunc revixisse videantur. Cf. *Wilh. Schneider*, Der neuere Geisterglaube. Thatsachen, Täuschungen und Theorien. 2. Aufl. Paderb. 1885.

147. ***Scholion.*** *Quae daemonum potentia?* Daemones in ordine physico effectus quosdam producere posse, quos homo non potest, minime negandum est. Censentur autem eosdem producere utendo viribus et potentiis, quae rebus naturaliter insitae sunt, dum etiam res ipsas motu locali transferunt. Ut enim seipsos, ita etiam corpora motu locali transferre spiritus tum boni tum mali possunt. Cf. Suarez Met. disp. 35, sect. 6, n. 15. Notanda sunt, quae docet s. Thomas. „Considerandum est, inquit, quod, quum res aliquas naturales vel angeli vel daemones adhibent ad aliquos determinatos effectus, utuntur eis quasi instrumentis quibusdam, sicut medicus utitur ut instrumentis aliquibus herbis ad sanandum. Ex instrumento autem procedit non solum suae virtuti correspondens effectus, sed etiam aliquid ultra propriam virtutem, in quantum agit in virtute principalis agentis; serra enim et securis non possunt *facere* lectum, nisi in quantum agunt ut motae ab arte ad talem effectum: nec calor naturalis posset carnem generare, nisi virtute animae vegetabilis, quae utitur ipso quasi quodam instrumento. Conveniens est igitur, quod ex ipsis rebus naturalibus proveniant aliqui altiores effectus, ex hoc, quod spirituales substantiae eis utuntur quasi instrumentis quibusdam. Si ergo, licet tales effectus simpliciter miracula dici non possint, quia ex naturalibus causis proveniunt, mirabiles tamen redduntur nobis dupliciter: uno modo ex hoc, quod per spirituales substantias tales causae, modo nobis insueto, ad proprios effectus apponuntur; unde ingeniosorum artificum opera mira redduntur, quum ab aliis non percipitur, qualiter operantur; alio modo ex hoc, quod causae naturales, appositae ad effectus aliquos producendos, aliquid virtutis sortiuntur ex hoc, quod sunt instrumenta spiritualium substantiarum: et hoc magis accedit ad rationem miraculi." Cont. g. l. III, c. 103. Simili modo de magorum in Aegypto praestigiis loquitur s. Augustinus. De trinit. l. III, c. 8, n. 13. Nulla tamen est ratio existimandi, a spiritibus res absolute novas, aut novas earum vires vel qualitates produci posse; uti tantum possunt viribus, quae a mundi auctore rebus sunt inditae, nec alio modo iis uti possunt, nisi qui ab eodem auctore est

determinatus. Suarez de ang. l. 4, c. 25. S. Bonav. II. Sent. dist. VII, p. 2, a. 2, q. 2. S. Thom. 1, q. 110, a. 4.

Quae contra omnem spirituum in corpora influxum, etiam illum, qui motu locali exerceatur, a nonnullis objiciuntur, exigui sunt momenti minusque cohaerent sive cum s. Scriptura sive cum Patrum et Theologorum doctrina, sive denique cum ratione. Confundunt complures vim motricem cum nudo voluntatis imperio, dum concludunt, spiritum, qui effectum unum sola voluntate producere possit, omnem omnino effectum posse producere. Non enim asserimus, solo voluntatis imperio spiritum effectus, de quibus sermo est, producere. Alii confundunt effectus absolute supernaturales cum effectibus secundum quid supernaturalibus, et dein concludunt, Deum non posse daemonibus delegare potentiam, qua finis miraculorum, quae Deus ad revelationem distinguendam operetur, destruatur. Non agitur de effectibus absolute supernaturalibus, nec de potentia daemonibus delegata, sed iisdem propria et naturaliter insita. Aliud est potentia, aliud facultas potentiam in usum convertendi, quam facultatem Deus quandoque concedere, quandoque adimere daemonibus potest. (Job, 1, 11. 12; 2, 5. 6.) Neque privatur finibus suis Deus, quum quae ipse operatur miracula, distingui possint ab effectibus per daemones productis, ut mox ostendendum erit. Cf. *J. B. Heinrich*, Dogmatische Theol. I. §. 41—43.

C. Prophetiae definitio.

148. Prophetia est cognitio supernaturalis sive in mente divinitus elevata existens et elocutio eorum, quae procul et remota sunt ab humana cognitione. Primario igitur consistit in cognitione, secundario in manifestatione sive elocutione eorum, quae, ab hominum cognitione remota, divinitus cognoscuntur. Prophetia quum ad ea referatur, quae ab humana cognitione sunt remota, pro objecto habet etiam illa, quae loco sunt separata, attamen potissimum illa, quae sunt quam maxime sive absolute remota ab omni finita cognitione; haec autem illa sunt, quae necdum in se ipsis neque in suis causis existunt, videlicet futura contingentia. S. Thom. 2, 2, q. 171, a. 1 et 3. Suarez de fid. disp. 8, s. 4, n. 1. Prophetae igitur quae loquuntur, cognoscunt, unde et in Scriptura videntes vocantur. Si, quod Montanus voluit, prophetae mente turbata loquerentur atque ita, ut, quae dicunt, non intelligerent, prophetiae donum mentem non perficeret, sed deprimeret atque in amentium et somniantium conditionem prophetam abjiceret.

D. Prophetiae possibilitas.

Propositio 36. *Prophetia est possibilis.*

149. Prophetiam hic intelligimus potissimum, quatenus circa illa, quae sensu absoluto abscondita sunt, sive circa futura contingentia versatur; hoc enim prophetiae genus potissimum ut revelationis argumentum occurrit et facilius cognosci potest. Qui ejus possibilitatem negarunt, hac fere sola ratione usi sunt, quod rei libere futurae praedictio libertatem tollere et fatum inducere videatur. Haec autem objectio pariter Dei praevisionem tangit.

Probatur 1. *e possibilitate utriusque elementi.* Ut prophetia sit possibilis, requiritur et sufficit, ut Deus futura contingentia certo cognoscat, eorumque cognitionem communicare possit homini. Utrumque fieri posse, facile patet.

a. Deum futura contingentia, etiam quae e libera hominis voluntate pendent, certo cognoscere, indubium est, quum ut ejus essentia, ita etiam scientia infinita nullisque terminis sit constricta. Unde merito s. Augustinus: „Confiteri, Deum esse et negare praescientiam futurorum, apertissima insania est . . . [Cicero] negavit praescientiam futurorum, atque ita dum vult [homines] facere liberos, facit sacrilegos.“ De civ. V, 9. Sane liber manet homo, cujus actiones liberae praeviden tur, quia praescientia actiones illas non efficit, sed ut terminum cognitionis supponit. Actiones illae in se liberae, si a Deo praeviden tur, non possunt non evenire, non tamen ideo, quia praeviden tur, sed ideo, quia quod est, non potest simul non esse; sive evenient non necessitate actionem praecedente, sed consequente. Quod idem s. doctor insinuat scribens: „Si ille, qui praescivit quid futurum esset in nostra voluntate [libera], non utique nihil, sed aliquid praescivit; profecto et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate [libera]. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare paescium futurorum.“ De civ. V, 10, n. 2.

b. Cognitionem hanc Deus homini communicare potest, et quidem omnibus illis modis, quibus revelationem immediatam fieri posse ostendimus. Prop. 15—17.

2. *e persuasione communi.* Quantopere generi humano persuasum semper fuerit de vaticiniorum possibilitate, colligitur ex eo, quod non solum Christiani et Israelitae vaticinia existere crediderint, sed gentiles quoque vaticiniis Christi eventu completis ad religionem christianam admittendam adducti sint. Neque a suis diis expetere potuissent oracula et vaticinia, nisi de eorum possibilitate persuasum illis fuisset.

E. Miraculi cognoscibilitas.

150. Duplice via homo pertingere eo potest, ut miraculum tamquam effectum insolitum et a Deo productum cognoscat, videlicet aut duce revelatione jam cognita, aut sola ratione duce. Illa via facilior est eaque simul utimur, quum de eventibus miris et mirabilibus, qui religione christiana jam sparsa et credita quandoque contingunt, dijudicandis agitur; sed non patet illis, quibus religio reve-

lata primum offertur. De his, qui ad revelationem cognoscendam adducuntur, valet, quod Concilium Vaticanum pronunciat: „Si quis dixerit, miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, a. s.“ Const. I. de fide in cap. III. can. 4. Ostendendum igitur est, etiam solo rationis lumine miracula quaedam posse cognosci tamquam effectus supernaturales.

Propositio 37. *Miracula ut effectus divini cognosci et tum ab effectibus naturalibus tum a daemoniorum praestigiis distingui quandoque possunt.*

151. Qui miracula cognosci posse negant, duplice fundamento niti solent, quod nimirum ignoremus, quousque vires naturae sensibilis pertingant, et quod effectus vim naturae sensibilis vere excedentes eodem jure spirituum ac Dei operationi tribui possint.

Non asserimus, miracula semper tamquam Dei operationes dignosci posse; accidere potest, ut mens in illis dijudicandis quandoque dubia haereat; sufficit, si quandoque possint dignosci, quatenus nimirum necesse est, ut homo miraculis non-nullis ad veram religionem complectendam prudenter perducatur, nullis autem daemoniorum praestigiis ad religionem falsam complectendam prudenter moveatur. Sententia, quae statuit, miracula cognosci posse, vera est, si quandoque cognosci possunt. Ex eo autem, quod quandoque dignosci non possunt, non sequitur, veram esse sententiam, quae absolute statueret, miracula dignosci non posse. Negatio enim pro sua natura excluderet omnis miraculi cognoscibilitatem. Neque necesse est, ut semper cognosci possint. Nonnullorum miraculorum finis, v. g. hominem singulariter juvandi et e periculo liberandi, obtineri a Deo potest, etsi homo certus non sit, per miraculum sibi exhibitum esse auxilium. Prop. 40.

Daemonis praestigias intelligimus non solum sensuum illusiones, sed etiam corporum quasdam immutationes, quas motu externo et vires corporum naturales aliorum corporum potentiae passivae applicando a daemonibus produci posse diximus (Prop. 36, Scholion).

Prae oculis habendum imprimis est, quod supra (Prop. 29) diximus de certitudinis genere, quod in revelatione demonstranda et cognoscenda requiratur et sufficiat. Quum moralis certitudo sufficiat, necesse non est, ut miraculum cognoscatur tanta certitudine, ut omne omnino dubium, etiam imprudens, excludatur. Adversarii vane gloriari solent, quum ostenderunt, de miraculis saltem plerisque foveri posse dubium imprudens ab illis, qui non ipsi fuerunt testes. Doctrinam de certitudinis requisitae genere supra expositam ad daemonum praestigias applicans s. Bonaventura: „Sic, inquit, Deus temperat potentiam et astutiam diabolicam, ut sic patiatur eum perverse imitari, ut in ipsa imitatione possint seducere malos juxta eorum merita mala, possint etiam deprehendi a bonis, et ut fides simul cum miraculis habeat locum. Si enim solus Deus et ejus servi miracula facerent, quis non credidisset in Deum miraculis compulsus? Nunc autem cum mali faciunt et boni faciunt; qui divinitus illustrantur, ut inter haec possint discernere, per vera miracula adjuvantur, et per daemonum miracula exercentur et probantur.“ II. Sent. dist. VII, p. II, a. 2, q. 2.

152. **Probatur 1.** *e limitibus virium naturae negative cognitis et indole effectus supernaturalis.* Experientia perpetua docti novimus, quosdam effectus saltem certis conditionibus certisque in adjunctis produci non posse natura physica; quum enim res naturales ne-

cessario agant sive necessario exerant vires suas, ex eo, quod quosdam effectus certis in adjunctis numquam producant, merito concludimus, earum vires ad illos effectus eisdem in adjunctis non pertingere. Unde si hujusmodi effectus illis in adjunctis producuntur, concludendum ulterius est, eosdem produci potentia altiore, videlicet aut divina aut daemoniaca. Saepe constare potest, potentiam illam non esse divinam, quum scilicet operibus illis promoventur fines, quos ratio ipsa perversos esse evidenter perspicit, ut quum polytheismus aut vitia iisdem promoventur. Pariter saepe constare potest, potentiam illam non esse daemoniacam, quum videlicet daemonum cultus iisdem destruitur et virtus constanter promovetur. Ergo saepe constare nobis certo potest, effectus quosdam produci causa altiore, et cujusmodi haec causa sit, divina an daemoniaca.

Diximus: certis conditionibus certisque in adjunctis quosdam effectus produci non posse; mutatis conditionibus et alia virium combinatione et applicatione sine dubio produci possunt effectus antea ignoti, ut inventiones recentiores plurimae testantur.

Hac ratione miracula vera a daemonum praestigiis distinguenda esse Celsum monet *Origenes* scribens: „Quod si quia magorum et praestigiatorum artes aliquid efficiunt ope malorum daemonum . . . cur non eorum, qui miracula pollicentur, vitam, mores aliaque ex miraculis consequentia accurate pensitabimus, afferantne perniciem hominibus, an ad corrigendos mores conferant; quis daemonibus operam navans per incantationes arcanaque magica patret miracula; quis contra sanctiori in loco ac puro consistens, edat prodigia, et utilitatis hominum causa, et ut ad credendum vero Deo animos inflammet?“ Contra Cels. II, n. 51. Revelationis adversarii hunc ratiocinandi modum apud Patres et apologetas frequentem circulo vitioso moveri dictitant, quia origo divina doctrinarum probetur per miracula divina, origo divina miraculorum per doctrinas divinas. (Dr. David Friedrich Strauss, Christl. Glaubenslehre, allgemein fasslich dargestellt von Philalethus. I. Konstanz 1841. p. 127.) Verum origo divina miraculorum non probatur per doctrinas ut divinitus sanctas seu ut fide cognitas, sed ut humana ratione cognitas legi naturali conformes; postquam hac ratione miraculorum veritas sive origo divina cognita est, recte per miracula divina probatur revelatio, hinc origo divina doctrinarum. Aliis verbis: a doctrinis ratione cognitis proceditur ad cognoscenda miracula tamquam opera divina: per miracula tamquam opera divina cognita demonstratur divina revelatio.

De hac inter vera miracula et daemonum artes distinguendi ratione fusius etiam agit s. Augustinus (de civ. X, 16); cf. s. Bonaventura (Centiloq. Part. III, sect. 14); Suarez de fid. disp. IV, s. 3, n. 9.

2. *e natura quorundam operum.* Opera nonnulla ex ipsa eorum natura tamquam effectus divini dignosci possunt. Huc imprimis spectat mortui suscitatio sive nova animae cum corpore unio. Anima enim a corpore separata, quum terminum sit assequuta, ad corpus denuo informandum revocari et in via constitui sive merendi et demerendi facultate donari ab illo solo potest, qui ordinis moralis auctor est et custos. Et vero, daemoni neque in

beatos, neque in damnatos competere potest talis potestas, ut eos Deo eripiat; Deo enim remuneratori eriperet beatos, Deo vindici damnatos. Quum igitur rectus ordo sive ipsa Dei sanctitas vetet, quominus hujusmodi potestatem unquam exerceant spiritus, eisdem naturaliter insitam esse negandum est. Ex hoc tamen non sequitur, nullam omnino etiam in mundum visibilem daemoni collatam esse potestatem. Non enim omni rerum particularium immutatione destruitur rectus ad Deum ordo, ut antea diximus, qui tamen destrueretur, si spiritus animas ad vitam revocare possent. Destrueretur sane etiam visibilis mundi rectus ad Deum ordo, si omnem omnino effectum producere possent; ita enim divina subverteretur providentia.

Itaque mortui ad vitam vera revocatio non potest non esse miraculum. Dicimus: vera revocatio, non revocationis quoddam simulacrum. Revocatio vera ab ejusdem simulatione per artes daemonis facta distinguitur imprimis effectus perduratione et constantia, ut in Lazaro. Mera simulatio ideo non potest esse diuturna, quia diuturnitas errorem necessarium gigneret, qui cum divina providentia componi non potest. Huic enim repugnat, daemoni talem tribuere potestatem, qua se Deo parem constituat. Cf. Prop. 41 et 42.

3. *ex unius effectus indole concludendo ad alios.* Ex unius effectus indole divina certo cognita etiam aliorum effectuum supernaturalium, qui in eadem causa et ad eundem finem patrantur, indoles divina innotescit. Hac ratione Christi Domini miracula omnia, etsi spiritus creatus quaedam illorum absolute producere potuisset, opera divina esse declarantur. Quum enim mortuos revocaverit ad vitam, quod nulla vis creata, sed solus Deus potest, etiam reliquos effectus, utpote ad eundem finem tendentes, potentia et auctoritate divina operatus cognoscitur.

Pariter ex uno vel pluribus miraculis certo cognitis saepe aliorum miraculorum falsitas certo cognosci potest. Si enim revelatio confirmata est miraculis a Deo editis, doctrina opposita veris miraculis jam confirmari non potest; unde si quis veritati divinitus confirmatae contradicens legationem suam vel doctrinae suae veritatem prodigiis confirmare tentet, haec genuina non esse deprehenduntur.

Idem dicendum de vaticiniis. Unde Moyses Israelitis statuit hanc legem: „Si surrexerit in medio tui Prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est et dixerit tibi: Eamus et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis: non audies verba prophetae illius.“ Deut. 13, 1—3. Praeterquam quod prodigia, quibus confirmatur error ipsi rationi manifestus, ut est plurium Deorum cultus, vera esse non possunt, ab Israelitis etiam propterea falsa deprehendebantur, quia miraculis veris per Moysen factis opponebantur. E regula a Moyse statuta judicium ferendum est de Antichristi prodigiis, quae Christi aliorumque miraculis certis opponentur. Erit enim illius „ad-

ventus secundum operationem satanae, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus.“ 2. Thess. 2, 9.

4. *e Dei in intellectum influxu.* Etsi suis tantum viribus sibique soli commissus homo inter effectum naturalem et supernaturalem certo distinguere non posset, Dei tamen singulare in hominem dominium omnino exigit, ut intellectus sive naturalibus sive supernaturalibus auxiliis ita dirigi possit, ut certo distinguat. Quod enim praestat magister quilibet, id etiam Deus praestare potest et quidem hujusmodi quoque auxiliis, quae naturalem providentiam non excedunt. Quum omni rei illa providentiae auxilia, quae ejus naturae accommodata sint, debeantur, intellectui humano debentur auxilia, quae naturae irrationalis ambitum excedunt, hinc non ad concursum physicum solum restringuntur. Potest igitur Deus naturae cursum ita dirigere et ita influere in intellectum, ut is, quod caeteroquin difficilius et nonnisi dubitando cognosceret, jam facile et certo deprehendat. Ut patet, hic non agitur de revelatione proprie dicta, neque supponendus necessario est influxus supernaturalis, quem tamen saepissime adesse indubium est. Caeterum etiamsi supponeretur sive illustratio supernaturalis sive revelatio interna propria dicta, nullus incurreretur circulus vitiosus, quum, ut antea ostendimus, revelatio immediata absque miraculis locum habere possit. Prop. 16—18.

153. *Obj.* 1. Miracula certo cognosci non posse nonnullis ex eo demonstrari videtur, quod facta quaedam Mesmerismi sive Magnetismi animalis miraculis sint simillima, nihilominus tamen solis viribus naturae inditis nitantur. Alii e Spiritismi quibusdam factis concludunt, saltem distingui non posse inter miracula proprie dicta et eventus sensu latiore supernaturales, qui videlicet vires naturae physicae aut humanae excedunt.

Resp. Universe notandum est, a. ante omnia inquirendum esse in singula facta, quae narrantur; plurima enim eorum fraude niti, multorum est sententia.

b. Inter facta quae auctoritate aliqua nituntur, nullum est, quod ipsa natura sua vim creatam omnem excedat. Nullibi mortui ad vitam revocantur, nullibi morbi omnes sanantur. Ipse modus, quo effectus varii producuntur, arguit multiplicem causarum creatarum influxum palamque ostendit, eosdem non produci solo voluntatis imperio, quo miracula evangelica producta esse legimus. Unde aut mere naturales sunt aut sensu tantum latiore supernaturales.

c. Effectus naturam physicam aut humanam vere excedentes semper istiusmodi sunt, ut e circumstantiis ac praesertim e finibus, quos promovent, suspecte reddantur daemonum praestigiae. *Wilhelm Schneider*, Der Geisterglaube, VIII. Theorien.

Obj. 2. Miracula certo cognosci non posse nonnullis probari videtur ipsius Ecclesiae auctoritate, quum praesules identidem prohibuerint etiam „presbyteris et aliis personis ecclesiasticis, ne miracula, quae de novo dicunt evenire, in suis locis vel ecclesiis solemnizent in publico, ordinario suo super hoc inconsulto:“ Conc. Noviom. a. 1344. can. 12.

Resp. Aliud est, eventum judicare esse miraculum, aliud populo publice declarare esse miraculum. Illud non prohibuit Ecclesia, quae tamen ad errores vitandos

miraculorum praesertim publicam promulgationem certis conditionibus adstrinxit, ut, cum Concilium Tridentinum statuit: „nulla admittenda esse nova miracula . . . nisi recognoscente et approbante episcopo.“ Sess. 25. de invocatione SS.

Propositio 38. *Factum sensibile, quod supernaturale esse judicatur, testimonio humano ita transmitti potest, ut aliis quoque, qui non ipsi fuerunt testes, certo de eo constet; unde et hi ex facto ipso ejusque circumstantiis ejusdem causam certo cognoscere possunt.*

154. Nonnulli a quaestione, utrum miraculum certo dignosci possit necne, abstinentes id unum contendunt, certam eventus supernaturalis notitiam saltem propagari non posse ad alios; unde ulterius inferunt, quod unice volunt, miracula omnia, quae ut revelatae religionis argumenta afferantur, nullius esse momenti. Viam hanc iniit David Hume, promittens, argumento a se reperto, „si sit legitimum“, „superstitionem omnem“ i. e. omnem religionem revelatam, „necessario everti.“ An inquiry concerning the human understanding. Lect. 10. Of Miracles. Argumentum autem illud novum ex eo petitur, quod judicium, quo censetur, leges physicas immutatas non esse, certiore experientia constet, quam judicium, quo censetur, testimonium humanum, quod illas immutatas fuisse asserat, non fallere; unde concluditur, certitudinem testimonii everti certitudine, qua de legum physicarum constantia nobis persuasum est. Simili modo Reimarus (Zweites Fragment eines Ungenannten) demonstrare nititur, revelationem mediatam esse impossibilem, quia de ipsa sive de factis, quibus primum probata esse dicitur, posteri cognitionem certam acquirere non possint.

155. Pars. I. Facta certo transmitti possunt.

Probatur 1. *e miraculo ut facto sensibili.* Quod de omnis eventus sensibilis per idoneum testimonium propagatione, id etiam de miraculi propagatione dicendum est; nam etiam miraculum est eventus sensibilis. Omnis autem eventus sensibilis, in se spectatus, per testimonium humanum idoneum aliis referri potest; id enim qui negat, omnem etiam historiam neget necesse est. Ergo per testes idoneos referri etiam potest miraculum. Porro homo non difficilius est idoneus, ut de eventu sensibili supernaturali testetur, quam ut de eventu sensibili naturali referat. Nam testis tantum est recte testari eventum sensibilem; nec tenetur ad ferendum judicium de eventus sensibilis indole. Illorum, qui per testimonium idoneum eventus sensibilis notitiam accipiunt, esse potest, eventus indolem examini submittere.

2. *ex indole eventus insoliti.* Sub quodam respectu miraculum aptius est ut testimonio propagetur et certo cognoscatur quam plerique alii eventus sensibiles. Etenim eventus sensibilis quo magis intuentium attentionem acuit et audientium inquisitionem provocat, eo aptior est ut testimonio fideliter transmittatur et ab audientibus diligenter excipiatur. Utrumque accidit in miraculo, quod, utpote eventus insolitus minimeque vulgaris, non potest non acuere intuentium attentionem, simulque audientium

provocare dubia solersque examen. Quorundum nimia forte credulitas aliorum incredulitate plene compensabitur et corrigetur.

156. *Obj.* 1. Ut David Hume aliique volunt, eadem experientia, propter quam censemus, homines universe vera dicere, testatur pariter, naturae cursum esse constantem ac proinde non fieri miracula; unde concludunt, inter oppositas illas experientias et quasi vires magis confidendum illi, quae est potior. At potior est experientia, testans naturae cursum non interrumpi; nam homines quandoque mentiri, experientia satis frequenti novimus. Ergo semper admittendum est, non esse factum miraculum, nisi aliquando occurrat hominum testimonium gravissimum simile illi, quo princeps quidam Indiae tandem commotus est ut crederet, aquam mutari posse in glaciem. Nonnulli simili fere modo argumentantes asserunt, certitudine physica constare, leges esse constantes, quum morali tantum ac proinde inferiore certitudine constet, factum esse miraculum sive exceptionem a lege physica.

Resp. At a. falso supponit Hume, sola experientia vel ut ipse intelligit, assuetudine nobis constare, homines universe vera dicere. Nam ut Philosophi demonstrare solent, ex humana indole, testium multitudine, testimonii consensu saepe concludere possumus, testes verum dicere voluisse nec potuisse dicere falsum ita, ut falsitas non deprehendatur. Neque sola assuetudine, sed ipsa etiam rerum physicarum natura discimus, eas sibi ipsis permissas semper eodem modo agere.

b. Non sibi opponuntur experientia, qua docemur, leges physicas esse constantes, et testimonium humanum, quod refert, aliquando miraculum esse factum. Nam experientia illa tantum docet, leges physicas esse constantes, quamdiu vis altior iisdem non deroget; non docet, vim altiorem numquam intercedere aut numquam intercedere posse. At testimonium humanum docet, aliquando legibus illis derogatum esse et vim altiorem intervenisse; refert igitur de exceptione, de qua experientia, tantum docens leges universe constantes esse, nihil refert. Male igitur quod Physici de oppositione virium docent, David Hume ad experientiam de legum constantia et ad testimonium humanum applicat.

c. Idem dicendum de certitudine physica et morali. Certitudine physica constat tantum, leges physicas universe esse constantes, nec tamen physice certum est, numquam aliquid fieri legibus illis adversans. Certitudine morali constat de miraculo sive de exceptione, circa quam certitudo physica non versatur. Nulla ergo est pugna inter utramque certitudinem.

2. Alii *objiciunt,* miracula, quae spectatoribus fuerint certo cognita, a posteris ideo non posse certo cognosci, quia successu temporis necessario imminuatur certitudo et sic demum in meram probabilitatem abeat; unde inferunt, miracula, quae pro divina revelatione confirmanda afferantur, vi sua jam carere. Cf. Bretschneider, Dogm. I, §. 26. 6. Hagenbach, Dogmengesch. §. 29. Anm. 11.

Verumtamen a. si in miraculis hoc necessario accideret, eadem necessitate accideret in omni eventu historico, quum utrimque par sit ratio; tunc autem sequeretur, nos de temporibus praeteritis nihil certi scire, quod nemo serio contendet.

b. Etsi quum illos, qui miraculi testes immediati fuerunt, coram intuemur et ipsos narrantes audimus, vividius affici solemus, tamen quum monumenta, quibus testes immediati de miraculis referunt, serio perpendimus, ex iisdem eandem in se certitudinem haurire possumus, quam alii e vivorum narratione hauserunt: videlicet quum perspicimus, eosdem falsa referre non potuisse.

157. Pars II. Ex facto ejusque circumstantiis per testes fideliter relatis alii dijudicare possunt, fueritne ejus causa Deus necne;

idque etiam tunc possunt, si qui factum testantur. de ejus causa judicare forte non possunt.

Miracula omnia in dubium vocare tentant nonnulli dicentes, homines coram quibus patrata dicuntur, plerosque non fuisse satis idoneos, ut de effectuum indole judicarent. Ernestus Renan profitetur, se non asserere, miracula esse impossibilia: sed tantum, de nullo miraculo hucusque certo constare. Causa haec affertur, quod miraculorum, quae referantur, nullum evenerit „in conditionibus a scientia requisitis." Omnia enim facta sunt temporibus et locis, quibus credebantur miracula, et coram hominibus, qui ad illa credenda propendebant. Miraculum nullum factum est coram societate hominum, qui de miraculi indole judicare possent. De miraculis judicare non potest, nisi qui disquisitionibus scientificis assuetus sit. Si quis thaumaturgus surgeret qui profiteretur, se ad vitam revocare posse mortuos, ante omnia constituendum esset collegium hominum, qui in physiologia, physica, chemia, arte critica versati essent: hi seligerent cadaver, quod ante omnia examinarent, designarent conclave, in quo tentamen fieret, conditiones praescriberent. Si hujusmodi conditionibus constitutis resurrectio locum haberet, „obtenta esset probabilitas, quae fere aequalis esset certitudini." Attamen quum quis quod semel fecit, iterum facere possit, „thaumaturgus invitaretur, ut opus mirabile repeteret in aliis circumstantiis, in aliis cadaveribus et coram aliis hominibus. Si singulis vicibus miraculum prospere procederet, duo demonstrata forent: primum, in mundo effectus supernaturales locum habere; alterum, potestatem eos producendi competere vel delegatam esse certis hominibus." (Vie de Jésus, Introduction LII.)

158. At non ita Deus aut thaumaturgus divinus ageret; magus aut hariolus artes suas ita venditare posset. Neque opus est istiusmodi ambagibus.

Probatur 1. *e paritate cum aliorum eventuum causa.* De mirabilium eventuum, qui per alios referuntur, causa cognoscenda idem omnino valet, quod de inquirendis causis phaenomenorum physicorum vel eventuum historicorum, qui per alios referuntur. Saepissime accidit, ut qui eventum testantur, ejus causam absconditam ignorent, illi autem qui eventum solo testimonio norunt, ejus causam absconditam detegant. Compertum id satis est rerum naturalium scriptoribus, qui explicant phaenomena, quorum ipsi testes minime fuerunt. Quid quod ipse Ernestus Renan eventuum evangelicorum, quos solo testimonio novit, causam occultam deprehendisse sibi videtur: ex humana natura, Palaestinensium moribus et opinionibus concludit, „potentiam moralem", quam alii Christo tribuerint, fuisse causam sanationum, quas operatus est et imperii in daemones, quod exercuit. Ch. XVI. Si Ernestus Renan horum effectuum causam deprehendere potuit solus, Pharisaeorum, qui illos examinabant, collegio non adjutus, alii multiplicioribus subsidiis instructi, pariter eorum causam, et quidem veriorem, detegent.

2. *e rerum natura.* Si qui non ipsi fuerunt testes, de eventus indole judicium ferre non possent, causa cur id non possent, aut

esset, quod eventum non potest satis nosse nisi qui ipse conspexit, aut quod nullius miraculi testes fide sunt digni. Atqui imprimis nemo serio contenderit, nos eventum, quem ipsi non conspeximus, nosse non posse. Dein nimis levis foret qui assereret, eventus supernaturales omnes accidisse coram testibus, qui non fuerint fide digni. Facillime inveniuntur homines, qui testari possint factum ipsum, licet ad nonnullorum factorum causam dijudicandam non omnes sint idonei. Frequentissime miracula acciderunt coram hominibus, qui nullatenus propenderent ad ea admittenda. Frequentissime etiam acciderunt coram hominibus, qui quam maxime idonei essent ad dijudicandum, quid in rerum ordine, in quo miracula accidebant, per naturae vires fieri posset, quid non posset, ut postea, quum de Jesu miraculis agetur, indicabitur.

F. Prophetiae cognoscibilitas.

Propositio 39. *Prophetia proprie dicta ab humana praevisione et a divinatione distingui, hinc certo cognosci potest.*

159. Fini nostro sufficit dicere, prophetiam eventu jam completam posse dignosci; agimus enim de prophetiis, prout sunt revelationis argumentum; sunt quidem prophetiae quaedam, quae eventu nondum completae ut verae cognosci possunt et quae postquam completae fuerint, novam constituent revelationis probationem. Quod de miraculis, id etiam de prophetiis notandum est, videlicet sufficere, si aliquae tamquam verae prophetiae dignosci possint, nec requiri, ut quaelibet certo possit dignosci.

Ut aliqui effectus naturam sensibilem excedentes daemonum potentia, ita etiam praedictiones nonnullae, quae humanam praevisionem superant, majore daemonum sagacitate niti possunt; unde ostendendum, quomodo hujusmodi vaticinia a prophetiis divinis distingui possint. Etenim, ut notat s. Thomas, „maligni spiritus, veritatem fidei corrumpere molientes, sicut abutuntur operatione miraculorum, ut errorem inducant et argumentum verae fidei debilitent, tamen non vere miracula faciendo, sed ea quae hominibus miraculosa apparent; ita etiam abutuntur prophetica praenunciatione, non quidem vere prophetando, sed praenunciando aliqua secundum ordinem causarum homini occultarum, ut videantur futura praecognoscere in seipsis.“ Cont. g. l. III, c. 154. Rerum futurarum praedictionem, quae a daemonibus fieri possit, causae quadruplici s. *Augustinus* assignat: imprimis majori intellectus excellentiae, qua e causis naturalibus occultioribus effectus quosdam concludunt, qui hominibus videntur contingentes, licet sint necessarii; dein majori illi experientiae, quam diuturna exercitatione collegerunt. His accedit praedictio effectuum, quos aut ipsi aut alii ipsis instigantibus producturi sunt. Demum quum mobilitate magna praediti sint, e loco in locum delati nunciare possunt absentia, quae hominibus necessario abscondita sunt, imo tamquam futura ea exhibere possunt, licet non tempore, sed solo loco sint remota. De divinat. daemon. c. 3 et 5.

160. Pars I. Prophetia distingui potest a praevisione et praedictione mere humana.

Probatur 1. *e cognoscibilitate duplicis elementi.* Ut de prophetia eventu jam completa constet, duo nobis certa esse debent: a. pro-

phetam eventum illum praedixisse tamquam certo futurum, ideoque etiam certo praevidisse; b. eundem cognitionem illam certam divinitus accepisse, hinc imprimis non comparasse sagacitate humana. De utroque constare saltem quandoque potest e praedictionis modo et eventus praedicti natura.

a. Cognosci potest, praedictionem et quidem ut certam minimeque dubiam fuisse prolatam. Est enim, in se spectata, factum sensibile. Non fuisse prolatam ut dubiam, constare potest partim ex ipsis verbis, partim e personae indole aliisque circumstantiis. Verba ipsa praedictionem exhibent ut certam, si non sunt ambigua, ita ut varium sensum admittant, sed determinata et ad unum tantum sensum accommodata. Sensu ambiguo, quem involvebant, tamquam ab incerto et dubitante prolata cognosci poterant plura oraculorum vaticinia, ut illud: „Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse"; vel illud: „Croesus Halim penetrans magnam pervertet opum vim". Pluribus exemplis id demonstrat Eusebius Praepar. ev. l. V, c. 20 seqq. Prophetantis indoles et probitas passim nota verbis, quibus de certa sua persuasione testatur, fidem in hac re non minus conciliare potest quam in aliis, quas hominis licet unius testimonio admittimus. Praeterea homo gravis et probus, qui ut divinam suam missionem demonstret, ad eventus a se praedictos tamquam argumenta provocat, se certum esse et ut certam proferre praedictionem suam satis indicat. Nollet enim praedictione incerta tempus non adeo remotum respiciente totam suam auctoritatem discrimini committere.

b. Dignosci potest, eventum, quem propheta praedixit, divinitus fuisse cognitum. Eventus enim futurus, qui ex libera Dei vel aliorum hominum voluntate pendet, nulla intelligentia creata certo praevideri potest. Nam creata intelligentia, ut rem quampiam cognoscat, ab ea affici sive determinari debet, solusque Deus, cujus intelligentia infinita per seipsam ad omnia cognoscenda est determinata, non indiget objecto, quo moveatur: sufficit ei objectum, quod sit merus terminus. Atqui eventus futurus ex libera Dei vel hominum voluntate pendens intellectum finitum determinare non potest. Ut enim intellectum determinaret, existere deberet aut in se aut in suis causis. Non existit in se, ut patet. Neque existit in causis creatis; etsi enim homo, cujus actio libera praedicitur, ipse existat, actus ejus liber, utpote liber, in ejus voluntate nondum existit ita, ut necessario ex ea prodeat tamquam fructus ex arbore, sive ut, qui cognoscit intimam naturam illius hominis omnesque circumstantias, jam cognoscat certo ejus actus

futuros. Ergo in voluntate humana propheta praevidere non poterat actum liberum quem praedicit. Neque praevidere eum poterat in Dei voluntate absque speciali revelatione, ut per se patet, quum nemo fuerit Dei consiliarius. Cf. s. Thom. 2, 2, q. 172, a. 1.

Neque obstat, quod homines prudentiores naturali vi praevidere et praedicere videantur, quid aliquis in his vel illis circumstantiis, si contingant, libere acturus sit. Hi enim eventum futurum non in ipso eventu, sed in ejus causa, videlicet in hominis indole, praevident, nec omnino certo, sed conjiciendo; unde et non raro falluntur. Praeterea nec omnes circumstantias, quum et hae saepe ab aliorum voluntate pendeant, praevident; unde eorum praevisio plerumque non attingit, quid homo ille sit acturus, sed quid, si tales circumstantiae adsint, pro sua indole verisimillime sit acturus. Denique nec impedimenta, quae pariter a libera aliorum voluntate pendent, certo praevident; unde actionis, praesertim tempore remotioris, qualiscunque praevisio non absoluta, sed conditionata esse solet.

2. *e sensu generis humani.* Prophetiam ut possibilem, ita etiam cognoscibilem esse testatur genus humanum, quod inde ab initio ad nostra usque tempora agnovit prophetas sive vates, quibus res futurae aperirentur sive per Deum verum sive per naturas, quae hominem intelligentia superarent. Eo ipso enim quod homines quosdam prophetandi vel divinandi dono insignes credidit, hoc donum ac proinde praedictionem et praevisionem quomodocunque supernaturalem a naturali distingui posse credidit.

161. Pars II. Prophetia distingui pariter potest a divinatione sive a praevisione per daemonem homini impertita.

Probatur 1. *e natura eventus praevisi.* Prophetia versari potest circa eventus futuros, qui etiam a daemone non possunt certo praevideri, videlicet circa res e libera sive hominis sive Dei voluntate pendentes. Ergo quoties constat, hujusmodi eventus fuisse certo praedictos et praevisos, pariter constat, a Deo, non a daemone horum eventuum cognitionem impertitam esse.

2. *e prophetantis indole et praedictionis fine.* Saepe e prophetantis indole et prophetiae fine cognosci certo potest, vaticinium non esse divinum. Praedictio quae vanam hominis curiositatem pascit aut ad damna aliis inferenda, aut ad mores corrumpendos, aut ad conciliandam falsis numinibus auctoritatem quomodocunque inservit, ex ipso ejus fine deprehenditur non esse divina, ac proinde si versatur circa res, quae humanam praevisionem latent, nisi casu attigerit verum, daemonum actioni tribuenda est. Divinum enim esse non potest opus, quod non tendit ad fines Dei sapientiae et sanctitati congruos.

Hoc argumento nititur *Origenes* scribens: „Nullius praestigiator per ea, quae facit, spectatores ad morum emendationem excitat aut Dei timorem docet, qui spectaculis stupent, aut studet persuadere, ut vivant quasi Deo rationem reddituri.“ Cont.

Cels. l. II, n. 68. Facile est ex eodem principio concludere, quid sentiendum sit de necromantia et animarum evocatione sive de spiritismo nostris etiam temporibus usurpato.

3. *e varietate praedictorum.* Vaticinia eventu completa, quae circa res contingentes plurimas versantur et quidem ita, ut fines Deo digni constanter iisdem promoveantur, nec solida reperiatur ratio, qua aut fraudis aut interventus diabolici suspicio foveatur, merito censentur esse divina. Quum enim res contingentes plurimae praedicuntur, supponi non potest, casu praedictos esse eventus contingentes, cum casus non sit constans. Neque maligni spiritus praedictionibus suis constanter promovebunt fines Deo dignos, et si constanter promoverent, eos jam non sua sed Dei voluntate res praedicere existimandum esset. Denique Deus non talem daemonibus potest permittere actionem, ut eorum opera a Dei operibus distinguere non possit homo ratione licet optime utens.

4. *ex aliquorum vaticiniorum falsitate perspecta.* Vates, qui eandem auctoritatem, videlicet Dei, obtendens praedicit, quae partim eveniunt, partim non eveniunt, a Deo etiam illa non docetur. Deus enim, utpote ejus ministerio utens, fidem ei haberi vellet, simulque, quum vates mentiendo auctoritatem sibi ademerit, fidem haberi nollet, ideoque Deus sibi contradiceret. Unde concludendum est, pseudoprophetam, si qua vaticinia implentur, aut casu aut daemonis interventu attingere verum.

Hoc falsas prophetas distinguendi signum Israelitis insinuatur Deut. 18, 21. „Si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta illé praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.“

162. ***Scholion I.*** *Deus utens pseudoprophetis.* Diximus, hanc regulam valere, quum vates pro omnibus quae praedicit, eandem auctoritatem obtendit. Ut enim Deus daemones potest cogere, ut verum dicant, ita etiam per daemonum prophetas verum praedicere potest, quemadmodum egit in Balaam ariolo. Num. 22. In rem s. Thomas: „Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenunciat, tum ut credibilior fiat veritas, quae etiam ex adversariis testimonium habet, tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur.“ Sum. 2, 2, q. 172, a. 6, ad 1. Id autem si accidit, dignosci poterit, non daemonis, sed Dei auctoritate loqui vatem, ut etiam dignosci potuit in Balaam, qui divina virtute prohibitus est maledicere Israelitis, simulque idololatriam et pristinam suam divinationem detestatus est dicens: „Non est idolum in Jacob, nec videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est. Non est augurium in Jacob nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli, quid operatus sit Deus.“ Num. 23, 21—23. Rejicienda igitur est sententia illorum, qui recenti tempore Balaam pseudoprophetae historia demonstrare conati sunt. Deum quandoque tolerasse i. e. aliquatenus approbasse idololatriam et gentilium auguria. Cogendo pseudoprophetam ut Messiam vel invitus annunciaret, tam parum

ejus artes probavit, quam hominum aut daemonum probat malitiam, dum illis ad gloriam suam promovendam utitur.

163. ***Scholion II.*** *Prophetae error.* Eadem regulae limitatione praevenimus objectionem ex eo petitam, quod prophetae, quando tantum instinctu divino moventur, falli possunt in ejusdem instinctus explicatione, ita ut a Deo sibi inditum existiment, quod ex eorum tantum mente prodiit. S. Thom. 2, 2, q. 171, a. 5. Exemplum affertur Nathan propheta, qui David dicenti, velle se aedificare templum Domino, respondit: „Vade et omne quod est in tuo corde fac, quia Dominus tecum est“ (2. Reg. 7, 3,), sed nocte insequente a Deo doctus est, nolle Dominum, ut David sibi templum exstrueret. Itaque quum et veri prophetae falli posse videantur, concludendum videtur, prophetia falsa non infringi prophetae auctoritatem.

Verumtamen aliud est, rem futuram praenunciare interposita Dei revelantis auctoritate, aliud sua tantum interposita auctoritate declarare, aliquid sibi videri verum aut Deo placens, ut fecit Nathan. Qui vero licet prophetae sua tantum auctoritate declaranti, aliquid verum vel esse vel videri, fidem habet, eidem fidem habet ut homini tantum; qui autem eidem prophetae ad Dei auctoritatem provocanti credit, is eidem ut Dei legato et ipsi Deo credit. Praeterea ne ex fide Nathan prophetae habita error oriretur, Deus ipse illius sententiam mox correxit, quod in simili eventu semper futurum esse merito existimat s. Gregorius M., ita scribens: „Aliquando prophetae sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per sanctum Spiritum citius correcti ab eo, quae vera sunt, audiunt, et seipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt.“ Affert exemplum Nathan prophetae. In Ezech. l. I, hom. I, n. 16. Cf. Suarez de fid. disp. 8, s. 4, n. 5.

G. Miraculorum et prophetiarum ad probandum efficacia.

164. Rationalistae omni vi contendere solent, miraculis confirmari non posse religionis veritatem. Ad id demonstrandum non raro pervertunt ipsum quaestionis statum, fingentes, a nobis Christo aut Dei legato cuivis ideo tribui miracula, ut ejus personae vel etiam religioni major accedat dignitas et excellentia. Non de excellentia aut dignitate majore agitur, sed de modo, quo cognoscatur, illum, qui Dei se legatum dicit, vere esse Dei legatum. Caeterum subesse quandoque rationes omnino speciales, cur Protestantes in criteriorum numerum non admittant miracula, fatetur Wegscheider, qui, explicans, cur religionis dignitas existimanda non sit e miraculis, ita demum concludit: „Et nos quidem ecclesiae Protestantium addicti, sane non haberemus, quod sacrorum reformationem divino consilio tribuendam esse gloriaremur, quum ejus initia et incrementa naturali via ac ratione perfecta esse satis constet.“ Instit. theol. § 121. a. Neque soli Protestantes recentiores in hac fuere opinione; Lutherus ipse et proxime eum subsequentes exiguum momentum posuerunt in miraculis. Hodie qui claris Scripturae testimoniis contradicere verentur, miracula et vaticinia, quae quidem pars sint religionis christianae nascentis, pro illis tantum, qui fidem jam susceperunt, veritatis ajunt esse argumentum. (Schleiermacher apud Luthardt, Kompendium der [lutherischen] Dogmatik. 8. Aufl. Leipz. 1889. p. 88.) Hanc autem religionis christianae nascentis et omnis revelationis partem nonnulli, ut *Pfleiderer,* in meram fidem sive persuasionem de miraculis et vaticiniis impletis convertunt, et hanc fidem vocant signum sive argumentum illius excitationis illiusque enthusiasmi, in quo revelationem constituunt. (Grundriss der christl. Glaubens- und Sittenlehre, 3. Aufl. Berlin 1886. p. 23.)

Quum de miraculorum et vaticiniorum ad demonstrandum efficacia agitur, non sufficit nude docere, revelationem, quam Deus miraculis et vaticiniis confirmat, esse revera divinam. Id enim facile patet, quum quidquid Deus testimonio suo confirmat, eo ipso divinitus verum sit. Ostendendum potius est, quando miracula et vaticinia sint revelationis confirmatio, sive quando Deus, qui miraculorum et vaticiniorum est auctor, eadem ad revelationem confirmandam edat. Oritur enim quaestio, an Deus, qui per malos miracula patrare potest, eadem patrare etiam possit per pseudoprophetas.

Nonnulli difficultatem hanc superasse vel effugisse sibi videntur asserendo, nullum miraculum fieri posse nisi praevia declaratione, id fieri ad doctrinam aliquam vel hominis missionem divinam confirmandam; unde hunc finem ejusque declarationem ad miraculi genuini essentiam requirunt. Alii, paulo latius finem extendentes, docent, miraculum a Deo edi non posse nisi ad religionis veritatem aut hominis sanctitatem demonstrandam; atque hoc sensu omne miraculum vocari signum, videlicet non tantum naturale, sed pro arbitrio statutum. Pro hac sententia afferri potest *Estius*, scribens: „Quum rerum naturam Deus semel instituerit, ab ejus ordine non recedit, nisi per opus extraordinarium et supernaturale velit aliquid loqui et significare hominibus. Censetur autem illud loqui velle, quod loquitur angelus vel homo, per cujus ministerium tale opus hominibus ostendit.“ Attamen paulo post de potentia Dei absolute dicitur: „Non necesse est, miracula ad hoc esse instituta, ut sint signa et testimonia, sed potest Deus ea facere simpliciter et absque omni testificatione, sicut facit opera naturae.“ In II. sent. d. 7. § 19. *Septimum* et *Postremum*. Loquitur Deus sane per miracula ut et per opera naturae, i. e. saltem potentiam suam per eadem manifestat.

Propositio 40. *Deus miracula patrare eventusque futuros praedicere potest hoc solo fine, omnibus divinis operationibus communi et interno, manifestandi suas perfectiones, non addito fine externo et secundario, veritatem revelatam confirmandi aut hominis sanctitatem manifestandi.*

165. **Probatur 1.** *ex analogia cum opere creationis.* Quod Deus mediis naturalibus, id etiam supernaturalibus intendere potest, praesertim si haec fini illi non minus, imo magis accommodata sunt quam illa. Atqui mediis naturalibus, videlicet mundo aspectabili, et naturalis providentiae subsidiis suorum attributorum manifestationem et exercitium intendit. Miracula et vaticinia ad eundem finem non minus, imo magis sunt accommodata, quia Deus extraordinariis his subsidiis omnipotentiam suam ac libertatem, dominium supremum, sapientiam denique et bonitatem apertius etiam manifestat. n. 146, 5. Ergo miracula et vaticinia Deus ad finem, quem diximus, internum, non addito externo, edere potest.

Hoc modo miraculum omne est signum et quidem naturale, i. e. ipsa sua natura manifestans. Signum enim „est res, quae praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire.“ Ita s. Aug. de doct. christ. c. 1. Est signum naturale, quia natura sua, nulla supposita conventione, cum re significata connectitur. Miraculo magis quam mundo aspectabili signi ratio competit, quia, cum rarum sit, magis quam ille attentionem excitat. Signi etiam naturalis rationem in Christi miraculis attendens s. Augustinus docet: „Miracula quae fecit

Christus, sunt quidem divina opera et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantiae, quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut paene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano, secundum suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant." In Joan. tract. 24. n. 1.

2. *refellendo rationes oppositas.* Si Deus miracula et vaticinia edere non posset nisi cum fine eisdem naturali et interno alium externum conjungendo, id a. aut ideo foret, quod finis ille internus Deo non esset dignus, aut b. ideo, quod idem finis non sufficeret ad inducendam exceptionem a naturae legibus, aut denique c. quia libere statuisset, nunquam edere miracula nisi ad veritatem aliam confirmandam aut hominis sanctitatem demonstrandam. Atqui nulla ex his rationibus praetendi potest.

a. Finis miraculis et vaticiniis internus Deo sane dignus est. Si enim Deo dignum est mundum totum creare et conservare propter hominem, et cursum naturae ita dirigere, ut homini inserviat, sine dubio propter eundem hominem apertius etiam docendum, custodiendum et remunerandum Deus extraordinario quoque modo operari potest.

Unde s. *Thomas*, agens de miraculis: „Nec debet haec ratio frivola reputari, quod Deus aliquid facit in natura ad hoc, quod Deus se mentibus hominum manifestet, quum ostensum sit, quod omnes creaturae corporales ad naturam intellectualem ordinantur quodammodo sicut in finem. Non est ergo mirum, si ad cognitionem de Deo intellectuali naturae praebendam fit aliqua mutatio in natura corporali." Cont. gent. l. III, c. 99. Cf. supr. Prop. 36.

b. Finis ille internus plane sufficiens est. Finis enim, qui mundo visibili per creationem producto sufficit, etiam miraculis sufficere dicendus est. Atqui quae perfectionum divinarum manifestio cum mundo creato connexa est, eadem et amplior manifestatio cum miraculis tamquam finis per se conjungitur. Prop. 36.

c. Nulla est ratio asserendi, Deum statuisse, nunquam operari miracula nisi ad veritatem revelatam confirmandam aut ad hominis sanctitatem manifestandam. Est potius ratio existimandi, Deum hanc sibi regulam non statuisse, quum miraculum adeo sit accommodatum ad alios quoque fines obtinendos. Ex eo quod pleraque miracula, quae in sacra scriptura narrantur, ad divinam revelationem demonstrandam operatus sit, non sequitur, ad alium finem patrari non posse aut numquam esse patrata. Imo sunt miracula, quorum finis non erat, ut iisdem confirmaretur revelatio;

inter haec referuntur Christi incarnatio et ortus e virgine matre, Noë liberatio e diluvio, Sodomorum incendium.

166. *Communis* dici potest *Theologorum sententia* statuens, Deum ad illos quos diximus fines miracula patrare et vaticinia edere posse.

S. Bonaventura docet, exigi tantummodo, ut miracula fiant „ad utilitatem et divinam gloriam“ (II. sent. d. VII, p. II, a. 2, q. 2). *S. Thomas* finem omnibus miraculis communem in eo reponit, „ut homines inducantur in Dei notitiam“ (2, 2, q. 78, a. 1, ad 4). Spectato fine miracula bifariam dividit: „Miraculorum quaedam sunt de quibus est fides, sicut miraculum virginei partus et resurrectionis Domini, et etiam Sacramenti altaris; et ideo Dominus voluit ista occultiora esse, ut fides eorum magis meritoria esset. Quaedam vero miracula sunt ad fidei comprobationem, et ista debent esse manifesta.“ Sum. 3, q. 29, a. 1, ad 2. Alii utrumque finem apertius etiam distinguunt, ut *Suarez* docens: „Duobus modis posse fieri miraculum: primum, sine ullo respectu ad veritatem per illud confirmandam, sed solum propter illius (hominis) utilitatem, ut ad conferendam sanitatem vel quid simile; secundo fit miraculum in testimonium alicujus doctrinae, ut veram esse confirmet.“ De fid. disp. IV, s. 3, n. 10. Similiter *Salmanticenses:* „Etiam supposita evidenti cognitione veri miraculi adhuc potest relinqui dubietas circa finem, propter quem fit, an ad confirmandam aliquam doctrinam, an ad manifestandam alicujus sanctitatem, an ob solam utilitatem in eo miraculo inventam, an denique ob alios fines nobis occultos.“ Tract. de fid. disp. II, dub. 2, n. 54. *Brancatus* ex eo, quod docente s. Paulo (1. Cor. 12) „unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem“, idem infert: „Ergo nedum propter bonum infidelium convertendorum, vel ob comprobationem sanctitatis viventium aut defunctorum, sed ob fidelium firmiter credentium utilitatem spiritualem aut corporalem, ordinatam ad spiritualem, Deus facit miracula aliquando.“ Comment. in 3. sent. tom. IV, disp. XX, a. 8, n. 188. Tandem *Benedictus* XIV. agens de miraculorum fine, postquam dixit, finem communem et primarium esse Dei gloriam, ita prosequitur: „Inter fines miraculorum secundarios, qui tamen ad primarium ordinantur, recensentur tum confirmatio pro ostendenda veritate doctrinae fidei et morum, tum attestatio verae sanctitatis alicujus . . . Inter fines secundarios memorari quoque debent beneficia corpori vel animae praestita, necnon ultio divina.“ De canoniz. l. IV, p. I, c. 4, n. 1.

Non potest in contrarium afferri auctoritas *Alexandri Halensis* dicentis: „Potest sic definiri miraculum ex parte rei: Miraculum est opus, occultas naturas in actum reducens ad ostensionem sapientiae virtuosae.“ Sum. II, q. 41, memb. IV, a. 1. Non enim intelligitur „ostensio sapientiae“ ab ipso opere distincta, sed operi interna, quum natura miraculi per se Dei sapientiam manifestet. „Ostensionem sapientiae virtuosae“ doctor anglus irrefragabilis distinguit a revelationis confirmatione, quam „hominis utilitatem“ a Deo intentam vocat. Sic enim ait: „Sed quum miracula sint ad hanc utilitatem hominis [de qua in praecedentibus locutus fuerat], principaliter et primo sunt ad ostensionem virtuosae sapientiae“.

Propositio 41. *Miracula et vaticinia a Deo ipso revelante sive loquente edita Deum esse, qui loquitur, certo demonstrant; unde ad eundem revelationis immediatae auctorem demonstrandum imprimis idonea sunt.*

167. De illa interim revelatione agimus, qua Deus ipse loquitur, sicuti ipse locutus est Patriarchis, Moysi, Prophetis, populo israelitico legem excipienti, populo Christum ad Jordanem comitanti. Neque excluditur revelatio illa, qua angelus, ut Dei personam gerens, Dei nomine loquitur: haec enim revelatio, quum angelus non suo sed Dei

nomine et ut Dei partes agens loquatur, differt ab illa, qua sive homo sine angelus a Deo missus, Dei legatum sese dicens, Dei mandata defert. Illa saltem respectu hominum, ad quos defertur, recte immediata vocatur, quum inter Deum et homines nemo se medium exhibeat.

Inter locutionem humanam et divinam hoc imprimis interest, quod humanae locutionis auctor aut evidenter cognoscitur et conspicitur, aut saltem conspici et evidenter cognosci plerumque potest, dum de ejus scientia et veracitate minus constare solet; e contrario divinae locutionis auctor non conspicitur nec in universum evidenter cognoscitur, dum tamen de ejusdem scientia et veracitate ambigi non potest. Hinc fit, ut homo nobis loquens scientiam suam et veracitatem nobis demonstrare nitatur, dum se locutionis auctorem ipsa rerum evidentia exhibet, Deus vero potissimum persuadere nobis studeat, seipsum esse qui aut immediate aut mediate nobis loquitur; hoc enim demonstrato, intellectui humano per se quidem evidens est, quae revelantur, non posse non esse vera. Dei testimonium simile est testimonio hominis nobis adhuc ignoti, cujus quidem testimonium est irrefragabile, quamprimum constat, eum esse illum quem se esse dicit. Miraculis et prodigiis Deus se demonstrat esse, quem verbis se esse affirmat.

Probatur 1. *e potestate miraculorum et vaticiniis ut signo distinctivo.* Eodem modo, quo homo nobis adhuc ignotus sese exhibet illum, quem se esse affirmat, etiam Deus sese demonstrare potest illum, quem hominibus loquens sese esse affirmat. Homo adhuc ignotus tamquam illum, quem se esse affirmat, revera se demonstrat exhibendo quaedam signa, quae illi soli competere novimus, quem se esse dicit; ergo etiam Deus exhibendo signa, quae ipsi soli competunt, Deum se esse demonstrat. Porro signa hujusmodi sunt miracula et vaticinia, utpote omnipotentiae et scientiae infinitae argumenta. Quum igitur qui hominibus loquens Deum sese esse affirmat, patrat miracula et edit vaticinia, quae eventu complentur, indubie Deum se esse demonstrat. — Et vero si quis post 50 annos ad suos redux iisque de visu non amplius notus referre potest eventus, quibus ante 50 annos in domo paterna interfuit, si notas quasdam particulares corpori impressas exhibere potest, his argumentis fidem faciet; ergo etiam qui se Deum dicit, si exhibere potest, quae solius Dei sunt, pro Deo habendus est. Solius Dei sunt miracula et vaticinia.

Deus in rubo apparens Moysi miraculis in ipso momento patratis et vaticiniis postea impletis sese Deum esse demonstravit (Exod. 3 et 4); apparens Abrahamo Deum se demonstravit vaticiniis proxime implendis. Gen. 18.

2. *e supremo Dei dominio.* Sine dubio Deus illo, qui humanae naturae magis congruit modo quique apud homines in usu est quotidiano, homines alloqui eisque nova revelare novaque mandata imponere potest; Deus enim, si id non posset, infirmior esset ipsis hominibus. Atqui si miracula et vaticinia Deum loquentem non demonstrarent, homines eo quo diximus modo alloqui non

posset. Nec juvat reponere, Deum aliis modis, v. g. illustratione interna homines docere posse atque ita dominium ejus integrum permanere. Non maneret integrum, si Dei cum hominibus agendi potentia restringeretur ad modum, qui naturae humanae non aeque congruus est.

3. *ex impossibilitate abusus.* Si, qui Deum se esse affirmat et miraculis demonstrat, non esset Deus, necessario sequitur, aut miracula non esse genuina, aut hominem vel spiritum miraculis genuinis abuti ad Dei ipsius auctoritatem et nomen sibi vindicandum. Sed miracula spuria a genuinis distingui possunt, ut antea demonstravimus. Prop. 38. Ad miraculorum vero abusum talem Deus cooperari non potest. Nam tali cooperatione Deus efficeret, ut si ipse forma visibili hominibus appareret seseque Deum esse affirmaret et miraculis id demonstraret, tamen merito tamquam fallax rejiceretur. Sic autem privaretur medio efficacissimo et imprimis congruo sese aperiendi hominibus, et inferioris conditionis esset quam homines, qui mutuo colloqui possunt. Cf. Prop. 42.

Propositio 42. *Miraculis et vaticiniis Deus ut legatum suum exhibet illum, qui miraculorum vel prophetiae dono praeditus ad miracula et vaticinia provocat tamquam divinae suae missionis argumenta, dum nulla est ratio prudenter suspicandi, miracula et vaticinia a Deo edi excluso fine missionem et doctrinam propositam confirmandi.*

168. De miraculorum et vaticiniorum ad revelationem demonstrandam efficacia Concilium Vaticanum ita pronunciat: „Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.“ Const. de fide cap. 3.

Duplicem conditionem exigimus, ut miraculis et vaticiniis eventu impletis, quae Deus per hominem aliquem edit, ejusdem legatio tamquam divina, hinc etiam doctrina, quam ut legatus tradit, tamquam vera confirmetur: altera est, ut homo ad illa aut explicite aut implicite provocet tamquam legationis divinae argumenta; altera, ut nulla sit ratio solida existimandi, Deum ad miracula illa et vaticinia opem suam non exhibere hoc fine, ut confirmet legationem hominis illius utut ad illa provocantis, sed exhibere fine plane diverso.

Fuerunt qui contenderent, Deum posse permittere, ut miraculo, quod ipse ad alios fines operatur, homo, cui Deus revelasset, se miraculum esse operaturum, abutatur ad errorem persuadendum. Ita *Durandus* Prolog. in sent. q. 1, n. 47. Quum enim ut miraculorum, ita etiam prophetiae donum malis conferri possit, sequi videtur, abusum hujusmodi esse possibilem. Et propter hanc rationem Durandus existimat, etiam apostolos, licet Christi miracula conspicerent, non evidenter cognovisse, Christum esse Deum; „quamvis, ut addit, ex concursu talium miraculorum cum fide habuerint quandam perfectiorem notitiam quam nos“.

Quod alteram conditionem attinet, sunt qui existimant, eam esse inutilem, quia Deus nunquam miracula patrare possit per hominem, qui falsam doctrinam praedicat; nituntur auctoritate s. Thomae dicentis: „Nullus contra fidem facit vera miracula, quia Deus non est testis falsitatis. Unde aliquis praedicans falsam doctrinam non potest facere miracula, licet aliquis habens malam vitam posset.“ In II. ep. ad Thess. lect. 2. Cf. 2, 2, q. 178, a. 2. Alii tamen hypothesin existimant non aperte impossibilem, inter quos Suarez (de incarn. disp. 31, sect. 2, n. 7. 8.), Lugo (de fid. disp. 2, sect. 1, n. 24.), Salmant. (de fid. disp. 2, n. 63.), Jacob. Granado in s. Thom. 2, 2, Controv. I, tr. 1, disp. 8, n. 10. Neque adversatur s. Thomas, ut ratio, quam affert, probat. Docet enim, Deum non posse facere miracula per hominem, qui tradit doctrinam falsam, quia Deus non est testis falsitatis; sed testis falsitatis tunc solum esset, si constaret, miracula fieri ad comprobandam doctrinam, non ad alium finem. Si non aperte impossibilis est illa hypothesis, sequitur, eam prae oculis esse habendam in probanda revelatione, etsi, prout videbimus, miracula et vaticinia nulla afferri possint, quibus revelatio aliqua spuria confirmari videretur.

Probatur 1. *e paritate cum miraculis pro immediata revelatione patratis.* Si pro Deo habendus est, qui se Deum declarans miraculis id confirmat (Prop. 41), etiam pro Dei legato habendus est ille, cui legatum se esse asserenti Deus miraculis adstipulatur. Nam si in priori casu, ut probavimus, miraculum est attestatio divina, etiam in altero casu attestatio esse non cessat. Et vero peregrinus a patrefamilias mandata deferens et attestationi scriptae sigillo, quod nonnisi paterfamilias imprimere potuit, fidem faciens, certo tamquam patrisfamilias legatus agnosceretur, quamdiu aliunde non occurrunt graves suspicandi rationes. Ergo etiam simili modo legatus divinus agnoscendus est ille, qui miraculis et vaticiniis, sigillo Deo soli proprio, suam missionem confirmat, dum non apparet ratio suspicandi, miraculorum donum nonnisi ad alium finem a Deo esse collatum.

2. *e populorum persuasione.* Miraculorum ad probandum efficacia colligitur e communi populorum persuasione: semper enim Dei legatum crediderunt illum, cujus legationem miraculis confirmatam existimarunt. Ipsi etiam falsarum religionum auctores, quamvis nonnulli eorum, ut Mahometes, Zoroaster et Buddha miracula patrare recusarent, effectus tamen quosdam supernaturales jactarunt, qui miraculorum tenerent locum. Mahometes Alcorarum, quo islamismi summa continetur, miraculum maximum esse dicebat. Zoroaster interrogatus, quibus signis missionem suam divinam demonstraret, respondit, Zendavestam eodem titulo omnium miraculorum instar esse (Eduard Roth, Die Aegyptische u. Zoroastrische Glaubensl. p. 381). Buddha discipulorum suorum modestia, qua bonas suas actiones occultarent, peccata vero aperta redderent, miracula suppleri dicebat. Neque tamen hujusmodi miraculorum vices sive Mahometis, sive Zoroastri, sive Buddhae asseclis suffecerunt, quum magistris suis miracula plurima tribuerint. (Max. Müller,

Introduction to the science of Religion. London 1873. p. 27.) Ratio in illis populis subobscure sensit, quod argumentis certis eadem ratio demonstrat.

3. *e Dei sanctitate.* Deus quamvis possit permittere, tamen qua sanctus non potest ipse producere in hominibus errorem necessarium et communem in rebus ad ipsius cultum, mores et hominum salutem spectantibus; nam non potest intendere sui ipsius contemptum, peccatum et hominum perniciem. Atqui hujusmodi errorem Deus efficeret et intenderet in hominibus, si homini ad religionem falsam spargendam miraculorum donum concederet aut miraculorum dono ad alios quidem fines concesso eum abuti permitteret, dum homines dignoscere non possent, non fuisse concessum ad finem, ad quem propheta falsus concessum esse mentitur. Deus enim nullo modo certius quam ad illius nutum miracula operando declarat, suum legatum sibique quasi substitutum esse illum, cui omnipotentiam suam et divinum illud insigne tradidit, quo seipsum hominibus manifestat. Ut enim ille, qui regio sigillo uti et regis personam gerere permittitur, pro regis ministro habendus est, ita etiam pro Dei ministro et legato habendus est, cui miraculorum donum concessum est. Et vero; nam contra illum, qui regio sigillo utitur, suspicio fortasse moveri possit, quod sigillum furatus sit aut inscio rege abutatur sigillo. Neutra suspicio moveri potest contra illum, cui miraculorum donum concessum est. Cf. S. Thom. 3, q. 43, a. 1. Prop. 41.

Nec juvat dicere, Deum fortasse ad alios fines nobis ignotos miraculorum donum homini illi concessisse. Sola intentio interna contraria non sufficit, ut aliquis non constituatur auctor malorum illorum, quae ex ejus operatione non possunt non sequi, quamdiu ejus intentio occulta est.

4. *e sapientia.* Deus qua sapiens non potest se privare medio omnium saltem efficacissimo ad revelationem attestandam, religionem spargendam et confirmandam. Hoc autem se privaret ipse, si permitteret, ut modo, quo dictum est, pseudopropheta miraculorum aut prophetiae dono abuteretur. Nam quamprimum constat, miraculis illo modo religionem falsam fuisse confirmatam, miracula omni efficacia ad veram religionem aut spargendam aut confirmandam carent.

5. *e providentia.* Deus qua providus permittere non potest, ut falsa doctrina argumentis aeque efficacibus suadeatur ac vera. Quum enim homo revelationem veram prae spuria amplecti teneatur, necesse est, ut illa potioribus argumentis credibilis demonstretur, quam ista. Nihilominus Deus illud permitteret, si homini,

quem miraculis et vaticiniis ad doctrinam falsam confirmandam abusurum praevidet, miraculorum donum concederet aut futura revelaret, et ita quidem, ut reliqui dignoscere non possent, miraculis et vaticiniis illis a Deo intendi non doctrinae confirmationem, sed alios quoscunque fines. Cf. *Suarez* de incarn. disp. 31, s. 2, n. 7.

169. Contra doctrinam expositam *objiciuntur* 1. miracula, quae patrata leguntur inter gentiles vel a gentilibus vel quibus cultus superstitiosus confirmatus esse videatur: unde concluditur, miracula non esse argumenta certa ad confirmandam revelationem divinam.

Resp. 1. Multa, quae inter gentiles vel a gentilibus patrata leguntur, carent fide historica, qua non carent, quae a scriptoribus sacris referuntur. Plurima, quae apud Livium aliosque leguntur, e populi rumoribus hausta, alia a privatis hominibus conficta nec ullo idoneo teste confirmata sunt.

Fide historica etiam carent, quae de miraculis et vaticiniis Apollonii Tyanaei, primo p. C. saeculo exeunte mortui, Philostratus, saeculo tertio, Julia Marci Aurelii conjuge mandante, conscripsit. Alia enim hausta sunt e populi rumoribus, alia e solius Damidis, qui Apollonii discipulus et comes fuerat, commentario multis fabulis, ut Philostratus ipse fatetur et rerum narratarum indoles docet, intermixto.[1])

2. Alia quae tamquam mirabilia narrantur a gentilibus, fraude nituntur, ut et vaticinia. Huc merito referenda sunt miracula, quae, procurantibus sacerdotibus, in Aegypto patrasse legitur Vespasianus, caeco visum, debili manus vel pedis usum restituendo. Tacit. hist. l. IV, n. 8. Sueton. in Vespas. Nec refert, quod addit Tacitus: „Utrumque qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium".

---

[1]) Juvat notare, quae Philostratus de fontibus, e quibus hausit, narrat. „Collegi, inquit, haec partim ex urbibus, quae eum (Apollonium) adamarunt, partim ex templis jam absoluto ritu ab eo instauratis, partim ex eis, quae alii de eo narraverunt, partim ex epistolis ipsius . . . Certiora autem nactus sum hoc modo. Erat quidam Damis, haud indoctus vir, veterem Ninum quondam incolens. Hic Apollonio duce philosophatus ejus peregrinationes, in quibus ei socium se fuisse ait, ejusque placita et sermones et divinationes descripsit. Quos commentarios hucusque ignotos Damidis cognatus quidam in Juliae Augustae notitiam pertulit. In cujus circulo *(περὶ ἀυτὴν κύκλου)* quum et ipse versarer (etenim rhetorica studia omnia probabat atque adamabat), me istas narrationes refingere simulque locutioni operam dare jussit. Nimius ille enim dicendi genere plano quidem, sed parum culto usus erat. Incidi etiam in Maximi Aegyensis librum, qui Apollonii res Aegis gestas omnes continebat. Praeterea testamentum ab Apollonio scriptum exstat, ex quo cognosci potest, quam divino spiritu ductus philosophatus sit. Non enim audiendus est Moerogenes, qui quatuor quidem libros de Apollonio composuit, sed multas res viri gestas ignoravit." Philostrati de Apoll. libri (Paris. 1849), l. I, c. 2 et 3. Quam incerta sint pleraque, etiam ex eo patet, quod de Apollonii morte refert Philostratus. „De mortis, inquit, genere, si mortuus est, complures verba fecerunt, Damis autem nihil retulit. Neque de aetate viri a Damide quidquam traditum est. Verum alii ad octogesimum, alii ultra nonogesimum, alii ultra centesimum annum pervenisse dicunt . . . Decessisse eum Ephesi quidam ajunt . . . Alii Lindi decessisse ajunt Minervae templum ingressum, atque intus e conspectu hominum ereptum: alii in Creta modo magis quam Lindi mirando". L. VIII. c. 29—31. Patrum de Apollonii miraculis judicia vid. infra Prop. 82.

Provocat ad testes viventes, qui viderint membrorum usum redditum, non ad testes viventes, qui norint, eundem antea revera fuisse ademptum. Fraude nituntur Hadriani caecos curantis miracula, ut vel ipse insinuat, qui ea refert, Ael. Spartianus, dum addit: „Quamvis Marius Maximus haec per simulationem facta commemoret.“ Spartiani Hadrianus c. 25. Ed. Bipont.

3. Effectus nonnulli, si, prout referuntur, locum habuerunt, quamvis ordinem sensibilem, non tamen spirituum vim excedunt; e fine autem et circumstantiis ut malorum spirituum opera deprehenduntur. Quod Scriptura sacra de magorum in Aegypto artibus et praestigiis narrat, id etiam alias accidisse tum a s. Augustino (de civ. l. X, c. 16.) tum ab aliis Patribus admittitur.

4. Si apud gentiles aliosve superstitionum cultores Deus ipse quandoque miracula patravit, haec nunquam in vani cultus aut superstitionis commendationem, sed ad alios fines patrata sunt. Pythonissa Endorea agente quidem, sed Deo ipso jubente Samuel defunctus quum vere, ut communior est sententia, comparuisset (I. Reg. 18), cultus superstitiosus minime commendabatur, ut vel ex terrore, quo mulier corripiebatur, innotescit, sed Dei veri justitia, a quo Sauli poenam infligendam esse praedicabat propheta. Unde quod de virgine Vestali, in testimonium servatae pudicitiae cribro aquam hauriente, legitur, s. Thomas Dei pudicitiam commendantis interventu fieri potuisse non abnuit, „quia, inquit, si qua bona in gentilibus fuerunt, a Deo fuerunt“. De pot. q. 6, a. 5, ad 5.

Neque in Novatianorum sectae commendationem cesserunt miracula, quae a Paulo Novatianorum episcopo facta esse narrat Socrates, in hac tamen re propter suam in Novatianos propensionem non parum suspectus. Illo enim narrante (hist. VII, 17) Judaeus pluries jam baptizatus, quum denuo se baptizandum Paulo exhibuisset, aqua baptismo conferendo destinata identidem evanuit. Miraculo, si locum habuit, commendabatur baptismi sanctitas, non sectae veritas. Pariter si eodem referente (VII, 39) Novatianorum ecclesia in urbis constantinopolitanae incendio Paulo orante a Deo mirabiliter servata est, loci quidem, non episcopi aut sectae sanctitas commendata est. Cf. Bened. XIV. de canon. l. IV, p. I, c. 4, n. 3.

170. *Objiciunt* 2. Deus alia dona etiam supernaturalia conferre hoc fine potest, ut homo recte iisdem utatur, nihilominus tamen permittere eorum abusum; ergo miraculorum aut prophetiae donum conferre potest, ut homo illo utatur ad aliorum utilitatem, nihilominus permittere abusum, qui est in deceptione.

Resp. Potest Deus permittere et permittit aliquos donorum abusus, non potest permittere omnem abusum, videlicet non potest permittere abusum illa incommoda post se trahentem, quae, ut in argumentis exposuimus, e dono miraculorum aut prophetiae, quo homo ratione indicata abuteretur, necessario orirentur. Etiam verus propheta miraculorum dono abuti potest ad vanitatem fovendam; hujusmodi tamen abusus nec recideret ullo modo in Deum, nec Deum testem falsum constitueret, nec ordinem divinae providentiae perverteret, nec revelationem redderet impossibilem; quae omnia eventura esse ostendimus, si miraculis doctrina falsa confirmari videretur.

Instant 1. Princeps ministro tradens sigillum, quo eum aliquando abuti posse aut abusurum praevidet, non fit reus mendacii, dum minister illo abutitur: ergo etiam Deus donum miraculorum aut prophetiae conferens homini, qui eo abutitur, non fit testis falsitatis; et vero uterque prohibet abusum.

Resp. Neganda est paritas. Minor est obligatio praecavendi abusum, quae principi, quam quae Deo incumbit. Minus enim facile subditi principis abusu sigilli in errorem invincibilem inducentur, quam homines abusu doni miraculorum vel prophetiae. Illi enim quum principis ignorationem supponere possint, facilius fraudem supponere possunt quam isti. Unde etiam sequitur, Deum non posse permittere, ut

propheta cognitione rei futurae, quam hodie accepit, post annum abutatur nullo dato signo, quod in fraudis suspicionem inducat.

Quod singillatim attinet miracula, alio modo rex ministro tradit sigillum, alio modo Deus homini confert donum miraculorum. Rex tradito sigillo, quo minister abutitur, in ipso abutendi actu non operatur; si operaretur, sine dubio fierit particeps mendacii. Deus etiam tunc operatur, quum dono miraculorum concesso homo abutitur; non enim fit miraculum nisi Deo operante; unde homine mentiente Deus ad mendacium cooperaretur.

Instant 2. Deus cum homine quovis mentiente cooperatur praestando concursum physicum; ergo cooperari etiam potest praestando concursum supernaturalem per donum miraculorum.

Resp. Neganda est paritas. Deus enim quando physice concurrit cum actu mentiendi, nec approbat mendacium, quod potius reprobat, nec impellit alios, ut mentienti fidem praestent, quum constet, eum non alia ratione concurrere, nisi quia omnis actus physicus necessario pendet a prima causa. Impelleret autem, ut ostendimus, ad assensum falsum, si pseudoprophetae miraculum postulanti annueret ejusque doctrinae suum adderet sigillum.

171. *Objiciunt* 3. quosdam s. Patrum locos, quibus videntur profiteri, miracula ad doctrinae veritatem confirmandam non sufficere.

Resp. S. Patres agunt de miraculis, quae a nonnullis proferebantur ad confirmandam doctrinam, quae veritati revelatae et miraculis confirmatae opponebatur; hujusmodi sane miraculis nulla persuadendi vis inesse potest, cum nec ipsa vera miracula esse possint. Contra Donatistas, miracula sua jactantes, dum agit s. *Augustinus*, sectae falsitatem et Ecclesiae catholicae veritatem argumentis aliunde certis et obviis demonstrare nititur. Refellit eos ex hoc, quod solverint Ecclesiae unitatem; quum enim recesserint ab Ecclesia, miraculis veris inchoata et confirmata, patet, quae jactant miracula, esse falsa. „Nemo, inquit, vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum, et Donatus oravit et respondit ei Deus de coelo. Primo aut falluntur aut fallunt. Postremo fac illum montes transferre . . . Videamus, utrum habuerit charitatem. Crederem, si non divisisset unitatem. Nam et contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens: in novissimis temporibus exurgent pseudoprophetae, facientes signa et prodigia . . . Teneamus ergo unitatem, fratres mei; praeter unitatem et qui facit miracula, nihil est.“ In Joan. tract. 13, n. 17. Et vero, Donatistarum miracula contemnenda erant, tum quia non erant vera miracula, tum quia, si fuissent, a Deo non fuisset facta ad confirmandam illorum sectam, quae aliunde deprehendebatur falsa. — Eodem argumentandi genere utitur, quum, postquam miraculis Donatistarum falsis vera in Ecclesia catholica miracula opposuit, ita concludit: „Quaecunque talia in Ecclesia catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt.“ De unit. Eccl. c. 19. Nolebat s. doctor catholicae Ecclesiae veritatem, quasi de ea aliunde non constaret, probare e miraculis, quae in ea fiunt; imo quia de Ecclesiae divina origine constabat, facile etiam constare poterat de veritate miraculorum, quae in ea fiunt, tum quia pro fine habent veritatis aliunde notae confirmationem, tum quia donum miraculorum Ecclesiae promissum est. Ita miracula haec auctoritatem accipiunt ab Ecclesia, non accipit Ecclesia auctoritatem a miraculis, quasi prius illa caruerit. Caeterum s. doctor non uno in loco aperte docet, et miraculis vim persuadendi inesse, et ad religionem christianam inducendam miraculis opus fuisse. Vid. de civ. l. XX, c. 8.

Propositio 43. *Dei legatus habendus est quicunque ab alio, cujus missio divina miraculis aut vaticiniis jam demonstrata est, Dei legatus esse declaratur aut futurus praedicitur.*

172. Doctrinae nexus requirit, ut ostendatur, quomodo Dei legati esse possint, qui ipsi miraculis missionem suam divinam non demonstrarunt, aut quomodo, qui prophetarum munere functi sunt, tamquam veri prophetae agnosci possent, antequam vaticinia ulla ab ipsis edita eventu complerentur. Reperiuntur enim veri Dei legati, qui missionem suam miraculis aut vaticiniis ipsi probasse non videntur, ut Joannes B., de quo „multi dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum". Joan. 10, 41. Nihilominus crediderunt Joanni. Unde nonnulli in universum inferunt, opus non esse, ut legatus divinus signis suam probet missionem. Necesse sane non est, ut signa aut vaticinia edat ille, cui aliorum signa et vaticinia conciliant auctoritatem.

Probatur 1. *e missione ut comprehensa in doctrinae complexu.* Ex dictis doctrina integra, quam proponit Dei legatus, qui miraculis et vaticiniis suam demonstravit missionem, divinitus vera est. Ad doctrinam autem pertinet, si ille hominem quemcunque jam viventem aut aliquando venturum Dei legatum declarat; ergo de hominis hujusmodi divina missione non minus Dei auctoritate constat, quam de missione illius, qui ipse signa edit.

2. *e paritate locutionis mediatae cum immediata.* Si Deus ipse manifesto loquens hominem quemcunque viventem aut aliquando oriturum, quem notis certis designaret, suum declararet legatum, sine dubio ille homo Dei legatus constitueretur et habendus esset. Quod autem Deus per hominem, quem miraculis et vaticiniis legatum suum exhibuit, declarat, eadem fulcitur auctoritate et eodem habendum est loco ac quod Deus declarat ipse. Ergo qui a legato divino e miraculis et vaticiniis jam agnito Dei legatus declaratur aut futurus praedicitur, Dei legatus habendus est.

Patet, de Joannis Baptistae divina missione, etiam antequam Christus testimonium ei redderet, satis constare potuisse ex illis, quae Zachariae divinitus obtigisse et praedicta fuisse passim notum erat. Luc. 1, 17. 65. Male igitur Franc. *Turretinus* dum ostendere nititur, etiam extraordinariam vocationem, qualis fuerit Lutheri et Calvini, miraculis confirmandam non esse, ad Joannis B. exemplum provocat, qui miracula nulla fecerit. Instit. theol. P. III, Locus 18, q. 25, n. 17.

Cf. *Gutberlet,* Lehrb. d. Apologetik, 2. Bd. 2. Aufl. (Münst. 1895) §§. 11—13. *J. r. Bonniot,* S. J., Wunder u. Scheinwunder. Autorisierte Uebersetzung. Mainz 1889.

§. II. De miraculis moralibus sensibilibus.

173. Hac voce designamus influxum illum supernaturalem et extraordinarium simulque per effectus sensibiles se prodentem, quem Deus in favorem religionis revelatae suscipiendae aut retinendae aut profitendae in hominum animis exercet. Impulsus ille divinus ab effectu, quem miracula physica proxime intendunt, etiam in hoc differt, quod dum haec auctoritatem conciliant legato, impulsus ipsam doctrinam commendat.

Propositio 44. *Facta supernaturalia et sensibilia, a miraculis proprie dictis distincta, quibus Dei ad religionem, quae se revelatam profitetur, amplectendam, exercendam, retinendam impulsus internus manifestatur, eandem veram esse demonstrant.*

De sola religione, quae se divinitus veram profitetur, hic agimus, tum quia in universum de revelatione cognoscenda et demonstranda sermo est, tum quia ita circumscripta quaestione argumentis certioribus uti licet. Facta sensibilia, quae tamquam criteria statuuntur, ut celerrima religionis diffusio, Martyrum in tormentis constantia etc. supernaturalia dicimus, quatenus e causa supernaturali sive Dei in animam influxu oriuntur. Unde etiam sequitur, vim probandi, quae eis competit, ex eodem illo influxu interno oriri. Attamen quum de revelatione publica argumentis congruis demonstranda agatur, non solus ille internus influxus, sed simul ejusdem effectus manifestus attendendus est.

Probatur 1. *e malitia falsae attestationis.* Deus mentiri nequit, quum mendacium, utpote malum morale sive peccatum, divinae sanctitati per se repugnet. At mentiretur, si interne impelleret ad credendam doctrinam, quam pseudopropheta ut divinitus veram proponit. Nam ad eam ut divinitus veram amplectendam impellens implicite diceret, eam divinitus veram sive a se revelatam esse. Ergo quamprimum constat, Deum interne impellere ad amplectendam aut retinendam doctrinam, quae tamquam divinitus revelata proponitur, pariter constat, doctrinam illam esse talem, qualis proponitur, i. e. divinitus veram.

Merito hic praetermittimus paucorum antiquiorum Theologorum sententiam quae statuit, Deum saltem potentia absoluta falsum revelare posse, quia mendacium ideo malum sit, quod lege positiva sit prohibitum. Verum non ideo malum est mendacium, quia lege est prohibitum, sed prohibitum est, quia in se est malum. Cf. s. Thom. 2, 2, q. 110, a. 3. De divina veracitate alibi copiosius agendum erit. Vide interim Suarez de fid. disp. 3, s. 5.

2. *e malitia cultus falsi.* Deus utpote sanctus non potest impellere ad id, quod in se moraliter malum est. Omnis autem doctrina religiosa, quae se tamquam revelatam exhibet, dum revelata non est, continet malitiam moralem. Cultus enim falsus in se moraliter malus est; omnis autem doctrina religiosa falsa eo ipso quod falsa est, quia fidem exigit, simul exigit cultum falsum, quum fides omnis sit quaedam erga Deum submissio, hinc cultus.

Argumentatione instituta declinamus necessitatem tangendi plurium Theologorum sententiam, alibi expendendam, quae docet, Deum, etsi loquendo seu attestando errorem gignere non possit, aliis tamen modis in re quidem indifferente errorem intendere et producere posse. Nobis enim non de re indifferente, sed de rebus ad mores spectantibus sermo est.

Objicitur nihilominus, Deum quandoque ad errorem etiam in rebus moralibus fovendum obligare. Praecipit enim sequi conscientiam invincibiliter erroneam. Si autem non repugnat, Deum praecipere, ut errori inhaereamus, neque repugnat, eundem ad errorem fovendum impellere.

Notandum est, in judicio erroneo occurrere duo judicia distincta. Altero judicatur, hoc vel illud lege praecipi vel prohiberi; altero censetur, quod lege praeceptum existimatur, esse faciendum; quod prohibitum existimatur, esse omittendum. Illud judicium est falsum, nec Deum, sed hominem habet auctorem; istud est verum et exprimit legem, cujus auctor est Deus.

3. *ex apologetarum et gentilium exemplis.* Miraculis illis moralibus aliquam probandi vim inesse, patet tum ex apologetarum consuetudine ad eadem tamquam revelationis argumenta provocandi, tum e gentilium conversione, quae cum iisdem frequenter non minus connectebatur, quam cum miraculis proprie dictis. Utriusque rei exempla facile occurrent, quum de mediis, quibus religio christiana disseminata est, singillatim agetur. Supponere sane non licet, apologetas tam frequenter usos fuisse armis ineptis, aut gentiles argumentis cessisse imbecillis.

Propositio 45. *Prae factis supernaturalibus, quae miracula moralia dicuntur, ad revelationem demonstrandam, absolute loquendo, excellentius accommodata sunt miracula proprie dicta et vaticinia.*

174. Singulari ad quorundam dispositiones habito respectu criteria nonnulla, quae in se sive absolute loquendo efficacissima sunt, minus opportuna esse possunt, dum alia, in se minus efficacia, ob respectus particulares opportuniora sunt. Nos hic id solum attendimus, quod absolute sive e rerum natura fieri consuevit.

Quod asserimus, recentiore tempore negatum est a multis, qui miracula imprimis deprimunt. Admittunt quidem, posse eadem haberi pro „argumentis subsidiariis“, quibus hominum, praesertim rudiorum, saltem attentio excitatur, dum religionis christianae effectus insignes vereque divini ejusdem demonstrationem proprie dictam constituere censentur. Cf. Bretschneider, Dogm. I. §. 26. b. §. 31. Hagenbach, Dogmengesch. §. 29. Ulterius etiam progreditur Wegscheider, miracula infra naturalia quoque religionis propagandae et stabiliendae praesidia deprimens. Haec enim summam vim divinae sapientiae testari existimat, dum qui miracula magni faciunt, „quasi ad unum omnipotentiae actum provocent, ad quem Deus dicitur, ubi ejus sapientia haud suffecerit, tamquam ad extremum quoddam praesidium confugisse.“ Instit. §. 41. c. Hanc ultimam sententiam adoptant, qui principii loco statuunt, Deum quamdiu alia praesidia sufficiant, numquam operari miracula.

Probatur 1. *e miraculo attentionem excitante et obvio.* Inter argumenta aeque certa excellentius est illud, quod attentionem magis excitat simulque omni hominum classi magis est obvium. Prior illa proprietas maximi momenti est in negotio religionis, quam homines, nisi singulari modo monentur, indagare non solent. Miraculo maxime excitari attentionem, ipsum nomen indicat, idque fateri solent adversarii. Et merito quidem. Miraculum non tantum quia rarius evenit, sed etiam quia potentiae et sapientiae divinae manifestatio insignis est, attentionem excitat. Potentiae manifestatio singularis ideo est, quia totius naturae vires excedit. Sapientiae manifestationem insignem esse, Alexander Halensis ita demonstrat:

„Sicut dicimus hominem sapientem, qui novit occultas naturas reducere in actum, ita Deum summe sapientem dicimus, qui novit occultissimam potentiam obedientiae ratione finis optati in actum reducere.“ Sum. II. q. 41. memb. 4. a. 1. Vaticiniis Dei sapientiam et scientiam singulari modo manifestari per se patet.

Argumentum, quod miraculo et vaticinio continetur, magis esse obvium, ipsa religionum, etiam superstitionum historia testatur, quum earum auctores iisdem missionem suam divinam omnibus demonstrare niterentur. Et vero, accuratiore inquisitione, cujus non omnes sunt capaces, opus est, ut pateat, religionis christianae diffusionem non naturalibus, sed supernaturalibus causis deberi, et martyrum constantiam differre a fortitudine eximia quorundam hominum pro gloria temporali mortem obeuntium.

2. *e miraculo finem immediate attingente.* Argumentum eo excellentius est, quo apertius demonstrat id, ad quod demonstrandum argumenta omnia dirigenda sunt, videlicet ipsum factum revelationis. Finis hic manifesto attingitur miraculis et vaticiniis, quae demonstrant divinam legationem illius, in cujus gratiam fiunt. In miraculis moralibus hic finis quandoque aut non attingitur, aut minus manifesto attingitur. Proxime enim demonstrant tantum, bonum et sanctum esse, ad quod Deus impellit; revelatam esse religionem, ad quam amplectendam vel exercendam movet, non immediate, sed ulteriore tantum ratiocinio evincitur. Cf. Prop. 44.

3. *ex universaliore applicatione.* Excellentius prae aliis est argumentum, quo omnium doctrinarum veritas et sanctitas aperte demonstratur, dum aliis argumentis doctrinae nonnullae aut penitus non demonstrantur verae, aut non ita, ut omne dubium prudens tollatur. Miraculis et vaticiniis, quia iisdem legati divini auctoritas demonstratur, simul demonstratur veritas doctrinarum omnium, quas Dei nomine tradit At Deus absolute movere potest ad admittendam aut retinendam unam doctrinam veram v. g. doctrinam de Dei unitate, quae cum aliis doctrinis falsis sociatur; unde si aperte constaret, divino auxilio hominem pro illa veritate martyrium subiisse, nondum demonstratum esset, religionem integram, quam homo ille profitebatur, veram esse. Caeterum hac de re infra sermo recurret.

4. *e congruitate cum omni religionis epocha.* Argumentum quod usui est tum primo religionis institutae tempore tum temporibus subsequentibus, praestantius est illo, quo commode saltem uti non licet nisi religione aliis argumentis jam stabilita. Miracula proprie dicta et vaticinia demonstrant religionem nondum

stabilitam, quia ejusdem sive auctorem sive propagatorem divinitus missum exhibent: neque vi sua privantur tempore insequenti. Miracula moralia pleraque religionem jam stabilitam sequuntur, videlicet illa, quae testantur Dei impulsum ad religionem aut exercendam aut retinendam aut profitendam. Impellit quidem Deus etiam ad religionem primum admittendam et credendam, ut mirabiliter impulit Judaeos ad Petri de Christo redivivo orationem audiendam et credendam. Verum hujusmodi impulsus miracula aut vaticinia impleta consequi solet, quum hominis naturae congruat, ut a sensibilibus ejus incipiat cognitio.

5. *ex historia.* Si supposita jam revelatione christiana historiam consulimus, miraculis et vaticiniis merito primas partes deferimus propterea, quod Christus et Apostoli iisdem potissimum usi sunt ad religionem plantandam; quorum exemplum secuti sunt apologetae contra infideles eandem defendentes. Usi quoque sunt aliis argumentis et quidem potissimum, si ob rationes speciales argumentum e miraculis petitum minus opportunum videretur aut longiore indigeret explicatione. Falsum autem est, quod adversarii asserunt, ab ipsis apologetis vim huic argumento denegatam fuisse.

Quadratus, apologetarum antiquissimus, qui Hadriano defensionem obtulit, e miraculis Jesu Nazareni christianae religionis veritatem demonstrat, ut patet ex illo loco, quem unum servatum nunc legimus apud Eusebium (h. e. l. IV, c. 3).

Apud *Justinum* senex prophetarum divinam missionem commonstrans: „Exstitere, inquit, longe ab hoc tempore viri quidam istis omnibus, qui philosophi existimantur, antiquiores . . . Neque tunc demonstrationibus in disserendo utebantur: quippe cum supra demonstrationem omnem gravissimi testes fuerint veritatis; sed quae evenerunt et eveniunt, assentiri cogunt eorum vaticiniis. Quamquam vel ob miracula quae ediderunt, digni fuerunt, quibus crederetur.“ Dial. n. 7.

Argumento utroque s. *Theophilus* utitur. De prophetarum vaticiniis agens: „Cum, inquit, ea quae eveniunt et praedicta sunt, demonstrationem mihi exhibeant, non sum incredulus, sed credo, obtemperans Deo“. Ad Autol. I, n. 14. Gentilium vates non a Deo, sed a daemone agi, Christianorum miraculis demonstratur. „Profecto poetae, Homerus scilicet et Hesiodus, a musis, ut ipsi dicunt, afflati, ex falsis animi visis loquebantur, nec ex puro spiritu, sed fallaci. Quod quidem clare ex eo demonstratur, quod qui a daemonibus interdum corripiuntur, ii etiamnum adjurentur per nomen veri Dei, tumque fallaces ipsi illi spiritus daemones se esse fateantur, qui olim in istis scriptoribus operabantur“. Ib. l. II, n. 8.

Tum miraculis tum vaticiniis religionis veritatem pluribus in locis s. *Irenaeus* demonstrat. Si quandoque quum gentiles aut haeretici Christi miracula tamquam artes magicas traducere tentant, relictis miraculis ad vaticinia provocat, non negat probandi vim miraculis propriam, sed ut et alii apologetae viam breviorem prae longiore eligit. Alias vero ex indole diversa operum, quae Christus et Apostoli operati sunt et quae operantur haeretici, ostendit, illa esse vera miracula, ista fraudes magicas. Cont. haer. l. II, c. 31, n. 2; c. 32, n. 3—5.

Origenes postquam rationes internas sive internam doctrinae veritatem attigit, ita prosequitur: „Sed adjicio, doctrinam christianam sua quadam propria ratione demonstrari. Divina est haec ratio, et ad eam graecorum dialectica ne comparari quidem potest. Illam sitam esse docet Apostolus ‚in ostensione Spiritus et virtutis' [1. Cor. 2, 4]; Spiritus quidem, propter prophetias, quarum omnium perspicuitas et evidentia quemvis lectorem persuadere potest, ut ea praesertim credat, quae ad Christum pertinent; virtutis autem propter miracula". Cont. Cels. I, n. 2. Ex eo, quod de gentilium quibusdam, quae ferebantur, miris et miraculis agens, morborum sanationem et rerum futurarum praedictionem „aliquid indifferens" *(μέσον)* dicit (ib. III. 25), male concludunt nonnulli (Hagenbach l. c.), Origenem miraculis plenam probandi vim denegasse. Neque nos omni prorsus, quod fertur, miraculo vim illam tribuimus, ut jam diximus.

Arnobius christianae religionis veritatem e Christi divinitate probaturus: „Postulabit, inquit, forsitan insanior et furiosior factus, an se ita res habeat, comprobari. Nulla major est comprobatio, quam gestarum ab eo fides rerum, quam virtutum novitas." Adv. nat. l. I, c. 42. Ostendit deinceps miracula Christi esse genuina.

Caeterum quid apologetae et Patres de miraculorum et vaticiniorum probandi vi praecipua senserint, magis etiam patebit, quum de revelatione sive per Moysen sive per Christum facta singillatim sermo erit.

§. III. De motionibus divinis reflexione et experientia interiori perceptis.

175. Ad fidem in homine generandam cum signis et argumentis externis et visibilibus, quae factum revelationis per se demonstrant, concurrit gratia homini interna intellectum illuminans et voluntatem movens. Signa illa et argumenta agunt objective sive tamquam aliquid perceptum; gratia agit subjective, tamquam vis et potentia ipsum intellectum et voluntatem afficiens. Argumenta illa sunt lumen *quod* videmus, gratia cum potentiis nostris concurrens est lumen *quo* videmus et affectus, quo volumus. Lumen enim vocatur non solum illud, quod ab oculis percipitur, sed ipsa etiam potentia videndi lumen vocari potest; hoc sensu loquimur de lumine sive acie oculorum. Gratiae auxilium cum potentiis nostris concurrens efficit, ut actus, qui, si e solo intellectu aut voluntate prodiisset, naturalis fuisset, jam ex iisdem potentiis per gratiam elevatis et adjutis progrediens sit supernaturalis. Cf. Suarez de fide disp. 3, s. 3, n. 9.

Gratiae auxilia esse criterium revelationis duplice sensu dici potest. Aliqui dixerunt, gratiae lumine veritatem revelationis nobis ita exhiberi et conspici, ut oculorum lumine exhibentur et conspiciuntur corpora. Secundum hos gratiae lumen non tantum elevat et adjuvat naturalem potentiam, sed constituit potentiam novam, aut saltem efficit, ut videri jam possit, quod antea nullo modo poterat videri. Applicant ad revelationem cognoscendam, quod Protestantes veteres docebant de modo, quo Scriptura tamquam sacra sive inspirata cognosci possit. Calvin. Instit. l. I, c. 7, n. 4; c. 8, n. 13. Recidit haec sententia in illud Pseudomysticorum dogma de revelatione immediata, quod nulla experientia fulcitur, potius communi experientiae adversatur. Cf. Prop. 13.

Alio sensu motiones divinae sunt revelationis argumentum, si ex iisdem reflexe perceptis concludere possumus, revelatam esse religionem, ad quam credendam impellimur. Hominem voluntatis motum reflexe percipere posse, indubium est, licet saepissime dubitare possit, motus, quem reflexe percipit, sitne naturalis an supernaturalis. Duo inquirenda sunt: motiones illae possintne esse revelationis argumentum, et si possint, quo loco criterium hoc sit habendum.

Propositio 46. *Motus divini, hominem ad revelationem credendam interne impellentes, quum reflexione et experientia interiore percipiuntur, constituere possunt aliquod revelationis divinae criterium; quod tamen inter praecipua collocandum non est.*

176. Pars I. Motus illi aliquod criterium etiam tunc constituunt, si cum aliis criteriis concurrunt eisque indigent, quia soli ad revelationem certo dignoscendam non sufficiunt. Non sufficiunt soli, quamdiu eorum origo divina nonnisi verisimilis est.

Probatur 1. *illatione.* Quod antea in universum possibile esse demonstravimus, id demonstratum etiam est possibile respectu revelationis particularis. Demonstravimus (Prop. 18), Deum instinctu sive impulsu interno inclinare mentem posse ad veritatem quamlibet agnoscendam; ergo inclinare quoque mentem potest ad revelationem particularem, v. g. mosaicam aut christianam cognoscendam.

2. *ex origine cognoscibili.* Etiam motione illa prorsus extraordinaria sive prophetico illo instinctu non supposito motus gratiae communiores criterium aliquod constituere possunt, si homo eosdem percipere et tamquam divinos a naturalibus distinguere potest. Utrumque potest, licet non eadem certitudine. Certo quidem reflexione in se ipsum percipere potest motus vehementiores sive inclinationes vividiores, quibus ad revelationem admittendam fertur. Saepe etiam ex horum motuum effectibus saltem cum aliqua verisimilitudine concludere potest, eosdem non natura sive naturalium rerum actione, sed a Deo ipso excitari. Quodsi evenit, homo, ut antea probavimus (Prop. 44), jure merito concludit, divinam esse revelationem, ad quam ut divinam admittendam a Deo impellitur.

3. *ex analogia cum miraculorum moralium causa.* Quod saltem quum manifestius patet, in aliis hominibus e quibusdam effectibus certo cognoscere et in revelationis argumentum certum convertere possumus, id in nobis ipsis, quum effectus similes, licet minus manifestos producit, cum aliqua verisimilitudine deprehendere et in revelationis argumentum probabile convertere possumus. Motus quosdam divinos in aliis saepe certo cognoscimus, e. g. in illis, qui miro modo conversi sunt, in martyribus aliisque. Prop. 44. Ergo etiam in nobis motus similes ex effectibus similibus saltem cum aliquo fundamento agnoscere iisque tamquam argumento uti licet.

Confirmatur auctoritate. Argumento hoc *Origenes* utitur testans, „multos ad religionem christianam accessisse velut invitos, spiritu quodam repente sive per visum sive per somnium in illorum animos agente atque ita illos immutante, ut

quod in illam conceperunt odium, deponerent, et pro illo mortem oppetere statuerent". Cont. Cels. l. I, n. 46. Ex hoc sane non sequitur, eos non esse simul inductos et aliis credibilitatis motivis. Argumenti hujus saltem aliis conjuncti efficacia agnoscitur a Theologis. *Suarez* ita docet: „Homo potest in se experiri has divinas motiones, et ex effectibus earum vehementissime conjectare, illas esse divinas et a bono spiritu; et ideo recte numerantur inter motiva, quae conferunt ad fidei credibilitatem". De fide disp. 4, s. 6, n. 4. Secundum s. *Thomam* „adjuvatur a Deo aliquis ad credendum tripliciter: Primo per interiorem vocationem, de qua dicitur Joan. VI, 45: ‚Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me'. Secundo per doctrinam et praedicationem exteriorem. Tertio per exteriora miracula". Vaticinia s. doctor ad doctrinam refert. Unde ad quaestionem, utrum homines credere debuissent Christo non facienti miracula, respondet: „Si Christus visibilia miracula non fecisset, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad fidem, quibus homines acquiescere tenerentur. Tenebantur enim homines credere auctoritati legis et Prophetarum. Tenebantur etiam interiori vocationi non resistere". Quodlib. II, art. VI.

177. Pars II. Motus illi reflexe percepti non possunt inter praecipua revelationis criteria reponi.

Probatur 1. *e difficultate distinguendi motuum originem.* Criterium debet esse signum hujusmodi, quod facile applicetur ab omnibus, qui ad fidem concipiendam obligantur. Sed difficillimum saepe est de motuum internorum origine, utrum ex Deo sit an aliunde, certum aliquid cognoscere. De spiritibus i. e. de motibus internis distinguendis agere solent ascetae, nec monere omittunt, materiam hanc in se valde esse obscuram multisque obnoxiam deceptionibus, praesertim si homo suo ipsius judicio confidat nec alterius magisterio sese submittat.

Et vero quum motus nostros vitales per sensum et reflexionem tamquam supernaturales distinguere a naturalibus non possimus, restat, ut ratione judicemus, motio aliqua sitne supernaturalis an naturalis. Quomodo id dijudicabimus? Homo fide jam praeditus saepe certo concludet, motum aliquem, quo ad doctrinam aliquam allicitur, divinum esse non posse, videlicet quoties per revelationem illi constat, doctrinam illam, ad quam credendam se attrahi sentit, esse falsam, utpote revelationi certae oppositam. Hoc autem medio caret, qui de revelatione suscipienda deliberat. Pariter homo fide edoctus et internis motibus observandis assuetus e revelatis principiis saepe cum majore aut minore probabilitate judicabit, utrum motus, quem experitur, ex Deo sit nec ne; hac regula iterum caret qui de fide suscipienda deliberat. Sensus igitur ille internus, quum plerumque sit tam ambiguus, statutus certe a Deo non est tamquam praecipuum revelationis criterium.[1])

[1]) Neque contrarium dicit s. Thomas, quum ad objectionem, hominem qui credit, si non habeat sufficiens inductivum, leviter credere, si autem habeat, fidem esse necessariam ac proin non meritoriam, respondens ait: „Ille qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et quod plus est, interiore instinctu Dei invitantis. Unde non leviter credit, cum habet sufficiens inductivum ad credendum; et ideo non tollitur ratio meriti." 2, 2, q. 2, a. 9, ad 3. Ob duplex principium secundum s. doctorem homo non leviter credit: videlicet tum propter principium objectivum et cognitum, quod in doctrina divina miraculis confirmata consistit et ad judicium speculativum de

2. *e defectu actionis communis.* Revelationis argumenta praecipua hujusmodi esse debent, ut communem aliquam actionem exercere, communem de revelationis veritate persuasionem parere possint. Convocandi enim et colligendi homines sunt in societatem unam; in societatem unam convocari tunc solum commode possunt, si omnes percipiunt unam eandemque colligentis vocem. At vero motus ille internus non constituit vocem aliquam communem ab omnibus in commune percipiendam; unusquisque enim suum tantum motum internum percipit. Ergo quum ad finem criterii plene obtinendum accommodatus non sit, saltem inter praecipua criteria referendus non est.

3. *e defectu aptitudinis ad refellendum.* Argumenta revelationis fini obtinendo plene accommodata illa sola sunt, quibus et homo ad fidem adduci et adversarius seu quilibet fidem impugnans refelli possit; non enim sufficit, ut revelatio ab hominibus bonae voluntatis prudenter suscipi possit, sed insuper requiritur, ut invicte possit defendi. Motus autem illi interni etsi de se plane idonei essent ad fidem persuadendam, minus tamen idonei sunt ad eandem defendendam: parum enim movebitur adversarius, cui ille, qui credit, dicere tantum potest: hoc vel illud sentio! Requiritur, ut argumenta, quibus ad fidem inductus est, adversario possit exhibere et quasi ob oculos ponere. Cf. Suarez de fid. disp. III. S. 3.

Inter Protestantes recentiores nonnulli, qui probationem per miracula antiquis quidem temporibus, minime vero nostris accommodatam censent, provocant ad illud: „Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.“ 1. Cor. 2, 5. Virtutem Dei interpretantur internum gratiae auxilium.

Non advertunt, fidem vel maxime „in virtute Dei“ niti tunc, si Deus duplice modo cooperatur ad fidem generandam, operibus nimirum externis, quae homo consideret, et gratiae auxiliis internis, quibus intellectus illustratur et voluntas movetur.

Alii provocant ad verba: „Non necesse habetis ut aliquis doceat vos . . . unctio ejus docet vos de omnibus.“ I. Joan. 2, 24—27.

At jam susceperant fidem, ad quos scribit Apostolus. Ex eo, quod fideles motibus internis reflexe perceptis aliqua ratione in vera fide confirmari possunt, minime sequitur, iisdem motibus constitui criterium tum praecipuum tum omnibus commune.

revelationis existentia impellit, tum propter principium subjectivum non cognitum, saltem non necessario cognitum, quod est gratia divina impellens ad judicium practicum, quo judicatur, esse credendum. Quamvis homo hoc principio *efficiente* non utatur ut principio *objectivo* (i. e. reflexe cognito), tamen ipsum est ratio, cur homo non sit dicendus leviter credere; nam leviter non credit, qui Deo impellente credit. Recte etiam principio huic *efficienti* partes tribuuntur primae, non inter principia *objectiva*, sed inter principia absolute considerata; nam gratia et judicium *practicum* utpote supernaturale altioris ordinis est, quam judicium speculativum signis credibilitatis insistens, quod non est necessario supernaturale.

Liber II.

De religionis christianae per religionem revelatam praeviam praeparatione.

178. *Disputationis scopus.* Religio christiana praeparata est veteris testamenti religione, imprimis lege mosaica: „Finis legis Christus.“ Rom. 10, 4. Unde si totius revelationis origo divina demonstranda est, etiam de Vis. Ti. revelatione est agendum. Duplice ratione agi de ea potest. Altera quae multis placet, in eo est, ut primo demonstretur religionis christianae divina origo, deinde e Christi vetus Testamentum approbantis auctoritate ejusdem origo divina inferatur. Hanc viam sua commendat brevitas. Altera in eo est, ut temporis ordine servato primum veteris Testamenti, dein et novi sive religionis christianae origo divina demonstretur. Hac via, quum e causis ad effectus procedatur, veteri Testamenti lumen abundantius affunditur, divinae revelationis et providentiae oeconomia clarius ob oculos ponitur, rerum nexus magis aperitur simulque adversariorum tela directe et validius retunduntur. Praecipuum vero emolumentum, quod ex hoc ordine enascitur, in eo est, quod, demonstrata origine divina veteris legis, qua lex nova promittitur et praeparatur, novum exurgit argumentum pro religionis christianae origine divina. Recte enim concluditur: promissus et descriptus est novae religionis auctor: atqui hic esse non potest nisi Jesus Nazarenus.

Constat, tum veteres tum recentes revelationis hostes mosaicam revelationem imprimis oppugnare solitos. De Celso *Origenes* ita scribit: „Quia putavit (Celsus), falsi convicturum se facilius christianismum, si judaicam religionem, cui suam originem debet, falsam esse ostenderet; funditus everti oportet, quidquid calumniarum in illam religionem fudit“. Cont. Cels. I, 22. Atque illis eversis Origenes ad religionem christianam defendendam gradum facit. Celsi exemplum secutus est Porphyrius, „qui,“ ut scribit *Eusebius*, „eo in opere, quod nostros in homines vis ejus odii magnitudoque vulgavit, non modo nos, sed Hebraeos etiam ipsos nec non et Moysem prophetasque post illum caeteros iisdem contumeliis oneravit.“ Praepar. evang. X, 9. Celsum et Porphyrium imitatus est Julianus apostata, passim congerens in Moysem convicia, quae studiose repelluntur a S. *Cyrillo* Alexandrino.

Rationalistae non pauci revelationem veteris Testamenti, praesertim quatenus Pentateucho continetur, impugnare allaborant. Immanuel *Kant* „Judaismum“ primitivum religionem esse negat, quum sit tantum institutio politica ac nullatenus moralis et Deus non exhibeatur nisi tamquam rex

sive caput politicum populi judaici. Annexa quidem esse postmodum praecepta moralia aliunde petita, et ex hoc Judaismo, non jam primitivo et sincero, sed ideis religiosis et graeca sapientia interpolato, exortam esse religionem christianam. (Religion in den Grenzen der blossen Vernunft. 2. Abth. Ausg. von Rosenkranz, X. p. 150—153.) Cf. *Selbst*, Die Bibelwissenschaft des Protestantismus im Kampfe gegen das Alte Testament, Katholik 1896.

Tempore recentiore inveniuntur, qui Moysem celebrando intendunt idem, quod alii eundem vituperando. Laudem ejus praecipuam reponunt in eo, quod christianismum praeparaverit et islamismum, simulque insinuant, Moysis legationem eodem fundamento quo Mahometis legationem suffultam fuisse.[1]) Verum nec islamismum praeparavit Moyses, nec christianismum eo quidem modo, quo isti volunt.

Non pauci illorum, qui de scientia religionum comparativa, ut loquuntur, scripserunt, religioni, de qua Moyses in Pentateucho agit, non aliam tribuunt originem quam cujuscunque populi religioni, videlicet humanam. Cum porro christiana religio suo modo pro fundamento habeat religionem mosaicam, originem eandem tribuunt religioni christianae. Ita inter alios Rud. *Seydel*. Die Religion und die Religionen. Vorträge gehalten im Deutschen Protestanten-Verein zu Leipzig. Leipz. 1872. Unde nova accedit ratio, ut nostro tempore de religionis mosaicae origine singillatim agatur ejusque ut et religionis primitivae divina revelatio demonstretur. Alii religionis christianae originem ex idea et expectatione cujusdam magni ducis sive Messiae repetunt, quae autem non nitatur illius promissione divina, sed octo circiter saeculis ante Christi ortum per prophetas ad arbitrium excitata sit. Ita A. *Kuenen*, Prof. in Leiden, Volksreligion und Weltreligion. Fünf Hibbert-Vorlesungen. Berlin 1883. Unde sane opportunum est, ut divina reparatoris promissio demonstretur.

Divinae revelationis indoles Deique circa humanum genus consilium ut clarius cognoscatur, agendum nobis etiam est de defectione a revelatione primitiva sive de ethnicismo.

[1]) *Barthélemy St. Hilaire,* Moysem et Mahometem comparans, ita censet: „Mais quelle grandeur n'a-t-elle pas (la domination de Moïse)? Avoir préparé par le judaïsme les germes essentiels de la foi chrétienne et du Mahométisme, sans se confondre ni dans l'une ni dans l'autre, où trouver dans l'histoire des hommes tant de bienfaits, tant d'orginalité, tant de constance?“ Mahomet et le Coran (Paris 1865) p. 212.

Caput I.

De revelationis christianam praecedentis veritate.

Articulus I.

De revelationis christianam praecedentis fontibus.

179. Revelatio quae christianam praecessit, libris qui veteris Testamenti esse sive vetus Testamentum constituere dicuntur, continetur. Inter hos loco praecipuo nobis sunt illi, qui Pentateuchus sive quinque libri Moysis vocantur, quum et revelationem primitivam et patriarchalem et revelationis mosaicae summam contineant. Proxime accedunt Prophetarum libri.

Auctoritate praeditum vocamus librum, qui, utpote vera referens, fidem meretur. Liber qui fide publica dignus est, authenticus vocari solet, quamquam hac voce alias liber genuinus designatur. Pentateuchus potissimum pro parte historica hic nobis spectandus est, quum ex eventuum, quos narrat, veritate omnia reliqua pendeant.

A. Historia testimonium scriptum est; unde quotuplex auctoritas testimonio verbis prolato, totuplex et scriptis prolato competere potest. Pro re nostra triplex distinguitur auctoritas, quae libro alicui possit competere.

180. I. *Auctoritas ex inspiratione.* Summa, utpote omni sub respectu divina, auctoritas inesset libro, cujus auctor saltem principalis Deus ipse est, qui videlicet, homine utens tamquam instrumento vivo et rationali, per eundem, quem ad scribendum movet et inter scribendum dirigit, alios alloquitur. Liber ita conscriptus hominis quidem est ut auctoris proximi et instrumentalis, Dei autem est ut auctoris principalis tum quia eum modo indicato per hominem condidit, tum quia eodem ut verbo sive testimonio suo ad alios docendos utitur. Liber ita conscriptus vocatur inspiratus, et quum in omnibus suis partibus inspiratus est, in omnibus etiam divina auctoritate pollet. Pentateuchum inspiratum esse, hoc loco demonstrandum nobis non est.

181. **II.** *e testimonio divino.* Infallibilis in rebus omnibus ad religionem spectantibus auctoritas competeret etiam libro, qui quidem a Deo inspiratus non esset, attamen in rebus religionem spectantibus veritatem continere a Deo postea declararetur. Posset sane Deus attestari, libro generatim et universe contineri verum; unde sane sequeretur, nihil in ulla re falsum eodem contineri. Attamen assertum nostrum ad veritates religionem spectantes hic interim restringimus, prouti suo tempore applicandum erit. Auctoritas hac ratione divinitus infallibilis competeret Pentateucho, si Deus signis et miraculis declararet, Moysem tum loquentem tum scribentem suum esse legatum. Competeret pariter tunc, si legatus divinus, ut Christus et Apostoli, declararet, vera esse quae Pentateucho continentur. Patet, etiam libro inspirato plenaque auctoritate jam pollenti accedere posse novum hoc auctoritatis momentum, ut Moysis libris, quod postea demonstrandum est, revera accessit.

182. **III.** *e testimonio humano.* Auctoritate ad fidem faciendam sive ad assensum certum producendum pollere potest liber, qui tum humana solum ope conscriptus est, tum humano tantum testimonio verax declaratur. Homo enim saepe et eventum, quem scribendo transmittat, certo cognoscere, et ita affectus esse potest, ut quod cognovit, sincere transmittere velit. Duplex autem esse potest testimonium illud, quo liber hujusmodi verax declaretur, videlicet tum ipsius scriptoris, tum aliorum. Scriptoris testimonium, ut et hominis verbo testantis, eo majoris est momenti, quo magis nobis constat ejusdem scientia et veracitas. Accidere potest, ut scriptor penitus nobis ignotus sit, nihilominus de libri auctoritate certo nobis constet; idque ideo, quia alii qui aut scriptorem aut eventus, qui libro referuntur, certo noverunt, libri veracitatem testantur. Et vero e testimonio, quod magistratus civiles tabulis publicis reddunt, earum veracitas nobis indubia est, licet qui easdem conscripsit, penitus nobis sit ignotus. Major tamen libro auctoritas competit, si ejusdem veracitas tum e scriptoris indole et persona nobis nota, tum ex aliorum testimonio colligitur.

183. ***Scholion.*** *Auctoritate divina non excluditur humana.* Liber, cujus veracitas ex humanis tantum momentis eruitur, quoad nos humana tantam pollet auctoritate, licet illa in seipsa sit divina. Etiam in ordine objectivo, ut ad auctoritatis rationem unam divinam accedere potest et altera divina, dum videlicet ad inspirationem accedit attestatio divina, ita etiam ad rationes divinas accedere possunt humanae. Imprimis enim ad Dei testimonium accedere potest testimonium, quo homines librum veracem esse confirmant. Dein scriptor ipse, dum Dei impulsui et directioni scribens obsequitur, scribere potest quae ipse vidit et rationis lumine vera cognovit, simulque naturali etiam affectu ita dispositus esse potest, ut nonnisi vera

scribere velit. Ut enim gratia, ita etiam inspiratio non perimit, sed evehit et adjuvat naturam. Demum etiamsi scriptor soli lumini et impulsui divino sive supernaturali obsequeretur, dum quae naturaliter cognovit, scribit, in hac tamen veracitate supernaturali et altiore eminenter et virtualiter contineretur naturalis et humana, sicuti in hominis fine supernaturali et morum honestate supernaturali virtualiter continetur finis et honestas naturalis. Patet ergo in libro divinitus inspirato, cujusmodi Pentateuchum esse aliunde constat alioque loco demonstrandum est, merito distingui auctoritatem humanam.

184. B. Humana Pentateuchi veracitas ab exegetis in introductione in Scripturam sacram data opera evinci solet postquam demonstrarunt, eundem esse authenticum sive genuinum Moysis librum (non spurium) et substantialiter integrum (non corruptum) ad nos pervenisse. Unde hanc veracitatem nos merito hic supponimus jam demonstratam. Eaque nobis sufficit ad demonstrandam Moysis legationem divinam; qua demonstrata ad altiorem quoque Pentateuchi auctoritatem probandam progrediemur. Quod de Pentateuchi, idem de prophetarum libris dicendum est.

Summa argumentorum, quibus exegetae sacrorum librorum vel universe vel pentateuchi singillatim veracitatem probare consueverunt, ad haec fere capita revocari potest.

Qua ratione aliorum quorumlibet librorum origo et veracitas historica, eadem etiam sacrorum, hinc et hebraeorum librorum origo et veracitas historica comprobatur, videlicet indole ipsis propria et potissimum testimonio illorum, qui eorum originem et auctoritatem nosse poterant et debebant. Merito s. *Augustinus:* „Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?“ Cont. Faust. l. 33, c. 6.

Cujusmodi sit testimonium, quod Judaei libris suis „contestatione continua“ reddiderint, quantaque cura eos servaverint, quam certo de eorundem auctoritate etiam plusquam humana eis persuasum fuerit, imprimis e *Flavio Josepho* constat, qui saeculo primo exeunte ita scripsit: „Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo, dissentientium atque inter se pugnantium; sed duo duntaxat et viginti libri, totius praeteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent, et seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius interitum. Atque hoc spatium temporis tria fere annorum millia comprehendit. A Moysis autem interitu ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, prophetae, qui Moysi successerunt, res sua aetate gestas tredecim libris complexi sunt: quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae hominum exhibent utilissima. Caeterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata; sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum. Quanta vero veneratione libros nostros prosequamur, reipsa apparet. Cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo adhuc nec adjicere quidquam illis nec

demere aut mutare aliquid est ausus. Sed omnibus Judaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut praecepta haec esse credamus, iisdemque constanter adhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus. Jam itaque multi captivorum frequenter et tormenta et omnis generis mortem in theatris sustinere conspecti sunt, ne ullum verbum contra legem admitterent, scriptasque de illis traditiones." Cont. Apion. l. 1, c. 8. Flavius Josephus hic exhibet canonem Judaeorum palaestinensium, in quem libri nonnulli, apud Alexandrinos auctoritate pollentes, nondum recepti erant, quia de eorum indole sacra nondum satis constabat. Haec cura novum est indicium summae illius vigilantiae circa libros sacros versantis.

Flavii Josephi testimonio prius est *Christianorum* testimonium, qui e Judaeis conversi libros eorum sacros omnes receperunt, ut novi Testamenti scripta passim testantur.

„Contestatio illa continua", de qua Augustinus, monumento insigni denuo manifestata est tribus ante Christum saeculis, quum Ptolemaei II. Philadelphi tempore primum Pentateuchus (286 a. C.), dein et reliqui libri Alexandriae in *linguam graecam* conversi sunt.

Manifestata pariter est saeculo V. a. C., cum *Esdrae* tempore Nehemias post exilium cultum divinum instaurando libros collegit. 2. Mach. 2, 13.

Pentateucho testimonium redditur a *Samaritanis*, qui eundem et quidem characteribus antiquis ante exilium apud Hebraeos usurpatis descriptum conservarunt. Quum inde a quarto ante Christum saeculo suum in monte Garizim templum habuerint, cultus autem publicus in templo junctam sibi requireret legis publicam lectionem, saltem ab illo tempore Pentateuchum apud illos fuisse censendum est. Verosimilius autem est, eundem longe prius illis jam notum fuisse, et quidem tunc saltem allatum esse, quum, abductis decem tribubus, gentes quae in earum locum successerant, a sacerdote per regem Assyriorum misso cultum Dei Israel docerentur. Fieri vix poterat, ut sacerdos ille, sicut jussus erat, „doceret eos legitima Dei terrae", nisi praesto esset liber, quo „legitima" illa plurima describerentur. 4. Reg. 17, 28. Cf. *Kaulen*, Einleitung n. 89. *Herbst*, Einleitung I, §. 31 seq. *Cornely*, Historica et crit. introd. I, p. 249. *Haneberg*, Geschichte der Offenb. IV. K. 13. § 4.

Gens judaica tota, cujus institutio, jura, promissiones et onera omnia Pentateucho nitebantur, quam maxime urgebatur, ut in illius originem et auctoritatem inquireret, si dubio vel levissimo tangebatur. Constat e libris Pentateucho recentioribus, populo certo persuasum semper fuisse, Moysen legum suarum, hinc et codicis quo continebantur, esse auctorem. 1. Reg. 12, 6; Mich. 6, 5; Jud. 3, 4; Jud. 3, 4; Josue 4, 14; 11, 20. Neque id ignotum erat aliis gentibus. *Flavius Josephus* c. Apion. l. 2. n. 15; s. *Justin.* Cohort. ad gent. n. 9. Ritus etiam et usus, quibus populus israeliticus distinguebatur, festa communia et monumenta publica Moysem proclamabant populi legislatorem et institutorem.

Nihil demum difficilius vel minus verosimile cogitatur, quum ab Esdra vel Nehemia vel aliis quibuscunque impostoribus confictum et obtrusum esse vel Pentateuchum vel integram librorum seriem, qui suis singuli temporibus congruunt, suorum etiam remotissimorum temporum produnt vestigia. Accurata annorum, locorum, itinerum, castrorum mutatorum de-

scriptio, quae in Pentateucho reperitur, satis demonstrat, librum hunc ab auctore recentiore fingi non potuisse.

Neque supponi potest, paucis quibusdam a Moyse institutis et vel scripto vel traditione transmissis postea plura esse inserta, ita ut legum codex ipse non sit Moysis, sed recentioris scriptoris. Codex potius exhibetur tamquam unus, conscriptus ab uno eodemque et quidem eo ordine chronologico, quo ejus auctor a Deo leges condere jussus est. Historiam ipsam neget necesse est, qui hypothesim illam temere conceptam tueri velit. Neque de re quapiam abscondita vel paucissimis nota agebatur. Legimus enim in Deuteronomio (31, 9—11): „Scripsit itaque Moyses legem hanc et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel. Praecepitque eis dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis etc."

Neque populus legum codicem, qui non esset Moysis, tamquam Moysis legislationem sibi obtrudi permisisset, neque quisquam eidem obtrudere ausus fuisset. Constabat enim omnibus, prophetas, qui legis mosaicae observationi invigilabant, summo ardore invecturos fuisse in illos, qui ipsarum legum fontem corrumperent. Cf. *Reusch,* Lehrb. der Einleit. i. d. A. T. 3. Aufl. Freib. 1868, §. 9—12. *Schanz,* Apologie des Christenthums, II, §. 5. Das Volk Israel. *Cornely,* Introductio special. Diss. I, s. 1, c. 1. Compend. Dissert. IV. c. 1. *Glaire,* Abrégé d'introduction. II^me^ partie, I^re^ section. *Ubaldi,* Introductio in s. Script. Rev. W. *Smith,* The Book of Moses. London 1868.

185. Si Moyses est Pentateuchi auctor, ejusdem veracitati historicae praeter populi israelitici testimonium omnibus veteris Testamenti libris commune etiam novum accedit argumentum ex ejusdem persona nobis nota petitum. Manifestum enim est, eum nosse potuisse eventus illos, quibus interfuit; et hi quidem sunt potissimum illi, quibus ejus missio divina demonstratur. Nosse etiam poterat eventus tempore priores, quos quidem pauciores refert et quidem stilo breviore. Sive enim monumentis scriptis usus fuerit sive e sola traditione hauserit, propter vitam longaevam patriarcharum facta illa et facilius et certius transmittebantur et scripta ipsa testimonio vivo confirmabantur. Traditione viva veritates revelatas ad posteros propagari consuevisse, intelligitur e verbis Domini: „Scio, quod (Abraham) praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini et faciant judicium et justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia quae locutus est ad eum." Gen. 18, 19. Facta quidem nonnulla creationem et primitivam generis humani conditionem attingentia e revelatione primitiva hausta erant; attamen et haec ipsa compluribus nota erant, quum ipsius religionis revelatae fundamentum constituerent.

Moysen nonnisi vera narrare voluisse, e sincero ejus narrandi modo satis apparet. Praeterea non poterat eum fugere, a veritate narranda discedi non posse, quum ageretur de eventibus manifestis et res ei esset cum populo difficili et saepe reluctante. Unde etiam eventus ille, qui legationis ejus erat fundamentum, videlicet Dei apparitio in rubo ardente, signis manifestis probandus erat et probatus est.

Illa quae Moyses narrat ut gesta sive in Aegyto et in deserto, sive patriarcharum sive primorum parentum aetate, non esse habenda pro

mythis vel historicis i. e. eventibus exiguis narratione mirabiliter exaggeratis, vel philosophicis i. e. doctrinis in res gestas commutatis, intelligitur facile e Moysis veracitate. Nihil enim est, quo vel leviter indicet, illa nonnisi mythos esse, omnia narrat eodem i. e. historico modo; itaque sciens et volens in errorem induceret legentes, si quae ut facta historica narrat, non essent vere facta.

Articulus II.

De legationis divinae, quam Moyses sibi tribuit, fundamentis.

Religionis, quae christianam praecessit, divina origo partim e Moysis missione pendet, partim cum ea ita connectitur, ut Moysis missione demonstrata de totius revelationis eam praecedentis divina origine simul constet. Unde Moysis divina missio ante omnia demonstranda est.

Propositio 47. *Moyses vera miracula patravit et vera vaticinia edidit.*

186. Pars I. Quum Moysem *miraculorum* auctorem vocamus, eo sensu loquimur, quo antea diximus hominem in miraculis patrandis intervenire posse, videlicet ut causam moralem, dum ad miraculum efficiendum Deum suis precibus movet, aut ut causam instrumentalem, dum Deus quocunque modo hominis ope ad miraculum patrandum utitur.

Miraculorum *causa moralis* Moyses erat tum in Aegypto, tum in transitu maris rubri, tum in elicienda aqua e petra percussa. Ut miraculorum causa Moyses a Deo ipso exhibetur, qui „dicit revertenti in Aegyptum: Vide ut omnia ostenta, quae posui in manu tua, facias coram Pharaone.“ Ex. 4, 21. Et vero, non tantum praedixit eventus supernaturales, sed in eis producendis intervenit. Ad virgae enim extensionem, qua innotescebat Moysis miraculum petentis voluntas, Deus ipse patrabat miraculum. „Dixit Dominus ad Moysem: Extende manum tuam in coelum, ut fiat grando in universa terra Aegypti . . . Extenditque Moyses virgam in coelum, et Dominus dedit tonitrua et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram.“ Ex. 9, 22. 23.

Ad Moysis pariter voluntatem plagae cessabant. „Clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi et mortuae sunt ranae de domibus et de villis et de agris.“ Ex. 8, 12. 13. Ad Moysis nutum generatim et universe plagae et incipiebant et cessabant. Momentum, quo plaga cessaret, etiam a Pharaone, poenitentiam promittente, statui poterat, et Moyse orante cessabat tempore assignato a Pharaone. „Dixit Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi, quando deprecer pro te . . . ut abigantur ranae a te et a domo tua et a servis tuis et a populo tuo; et tantum in flumine remaneant. Qui respondit: Cras. At ille: juxta, inquit, verbum tuum faciam, ut scias, quoniam non est sicut Dominus Deus noster. Et recedent a te ranae.“ Ex. 8, 9—11. Atque ex his aperte constat, a Scriptura Moysem exhiberi

tamquam miraculorum auctorem, non solum ut vatem, qui eventus praedixerit, ut *Eichhorn* aliique voluerunt. Patet hoc etiam e Magorum agendi modo, qui Moysis miracula imitabantur agendo, non praedicendo. Ita rem intellexerat Pharao, qui rogabat Moysem et Aaronem, ut plagam, quam adduxerant, cessare facerent. Hanc Pharaonis persuasionem non corrigebat, sed fovebat Moyses. „Misit Pharao et vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc ... Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei et grando ... Ait Moyses: Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua." Ex. 9, 27—29. Tandem etiam in N. T. eventuum illorum indoles supernaturalis asseritur et Moyses eorum auctor, non vates tantum, exhibetur. S. *Stephanus* Moysis miracula ita complectitur: „Hic (Moyses) eduxit illos (Israelitas) faciens prodigia et signa *(ποιήσας τέρατα καὶ σημεῖα)* in terra Aegypti et in rubro mari et in deserto annis quadraginta". Act. 7, 36. Prodigia et signa designant eventus supernaturales, horumque auctor exhibetur Moyses. Hac igitur miraculorum potentia collata impletum est, quod Dominus Moysi promiserat: „Ecce constitui te Deum Pharaonis." Ex. 7, 1. S. Stephani verba coram Judaeis prolata saltem ostendunt, quo sensu eventus, de quibus agitur, secundum Judaeorum traditionem intelligenda sint.

187. Eventus qui in Scriptura sacra tamquam supernaturales et per Moysem adducti exhibentur, supernaturales veraque miracula fuisse, certo constat.

Probatur 1. *ex Moysis et aliorum agendi modo.* Nisi enim *Moyses* certus fuisset, veri miraculi indolem iisdem competere, ipse utpote vir prudens non potuisset toties ad illa provocare ut ad opera divina et superantia omnem virtutem naturalem; neque potuisset eadem totius suae legislationis constituere fundamentum. Constat idem ex agendi modo *populi* israelitici, qui ob illa demum prodigia Moysem ducem secutus est; nec tamen difficile eidem erat, eventus naturales, quibus videndis assuetus erat, distinguere a miraculis. Constat potissimum e testimonio *magorum* tandem fatentium: „Digitus Dei est hic". Ex. 8, 19. Horum quidem testimonium ideo gravissimum est, tum quia facillime distinguere poterant inter Moysis miracula et phaenomena in Aegypto consueta, tum quia eorum, artibus magicis miracula imitantium, clades demonstrabat, miracula Moysis niti potestate, quae naturae et daemonum vim excederet istique adversaretur. Constat e *Pharaonis* confessione, qui etsi obdurata voluntate Moysis petitioni diu restiterat, tandem animo fractus in populi egressum consensit. Denique id constat ex *aliorum* etiam populorum, ad quos fama pervenerat, testimonio. Jos. 2, 9. 10.

2. *ex eventuum natura et circumstantiis.* Eventus enim illi partim ipsorum natura, partim circumstantiis quibusdam supernaturales demonstrantur.

Plagae Aegyptiacae, quae phaenomenis quibusdam naturalibus aliquatenus similes erant, manifesto supernaturaliter incipiebant et desinebant, quum alio tempore alioque modo ac phaenomena illa, inciperent, et quidem jubente et praedicente Moyse, quumque modo inusitato brevissimoque tempore sibi succederent, solos Aegyptios affligerent ac Moyse, momento quod Pharao assignaverat, orante cessarent. Itaque non satisfaceret, qui eventus illos cum Joan. God. *Eichhorn* naturales dicens, rationem totam, cur mirabiles aut supernaturales fuerint, ad hoc reduceret, quod Moyse praedicente acciderent. Ipsa etiam Scriptura illos exhibet ut vi supernaturali productos, non tantum ut supernaturaliter praenuntiatos. Intellexerunt id vel ipsi magi, qui non praedicendo sed operando contenderunt cum Moyse. Ut naturales eventus illi dici possint, necesse est narrationi mosaicae demere omnes illas circumstantias, quibus a consuetis eventibus diversi perhibentur.[1])

Transitus per mare rubrum supernaturalis apparet ex eo, quod Moyses miraculum quod praedixerat (Ex. 14, 13) certo expectans, populum ad mare adduxerat, quum alio itinere id vitare posset. Ipse transeundi modus miraculum demonstrat; nam „divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris; erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et laeva". (Ex. 14, 21. 22). Qui finxerunt, Israelitas consueta aestus marini vicissitudine usos fretum transiisse, eademque Aegyptios fuisse submersos, scripturae verbis vim inferunt, Aegyptios illius vicissitudinis ignaros supponunt et rem fingunt, quae undequaque incredibilis apparet. Cf. *Horne*. A summary of biblical Geography and Antiquities (London 1856) art. Red Sea. — *Galloway*. Egypts record of time to the exodus of Israel (London 1869) ch. XII.

Supernaturale erat manna illud, quod Moyse pariter ministro Deus contulerat (Ex. 16, 3) et quo Israelitae per 40 annos nutriebantur, et om-

---

[1]) Exempli loco sit plagarum prima, qua Nilus versus est in sanguinem sive cruoris colorem induit. Ex. 7, 17—21. Singulis annis, quum crescere incipit, quod non accidit ante mensem Julium, fluvius rubescere conspicitur. Attamen non mense Julio Moyses Nilum convertit in sanguinem. Ultima enim plaga accidit die XIV mensis Nisan, i. e. ineunte mense Aprili (Ex. 12, 18. 29), septima plaga i. e. grando, quum „hordeum esset virens et linum jam folliculos germinaret" (Ex. 9, 31), ideoque mense Martio. Secunda sive productio ranarum locum habuit septem post primam elapsis diebus (Ex. 7, 23). Unde patet, exiguo tantum intervallo sibi successisse plagas, praesertim si attendimus ad chronologiam vitae Moysis, qui erat octoginta annorum, quando locutus est ad Pharaonem (Ex. 7, 7) et post quadraginta annorum peregrinationem per desertum, quum esset centum viginti annorum, mortuus est. Deut. 34, 7. Aqua fluminis simul ita infecta est, ut pisces morerentur et Aegyptii eam bibere non possent. Nilus rubicundus non est pestilens; male sana est tantum Nili aqua viridis sive tempore summi caloris aquam rubicundam praecedente. Nilus colorem rubicundum non induit, nisi dum crescere incipit; in plaga inducta per Moysem non est sermo de Nilo crescente vel inundante; neque supponi potest aquae incrementum, quia quamprimum crescit, noxia esse desinit. Verum has aliasque circumstantias sedulo omittunt, qui plagarum causas naturales esse contendunt; ita inter alios S. B. *Friedreich*, qui e variis scriptoribus frustra congerit testimonia, ut probet, eventus similes in Aegypto saepe habere locum. Zur Bibel I. p. 99. Cf. *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes. Paris 1879. tom. II, l. IV. ch. 4

nino diversum a succo arbusti cujusdam, qui etiam manna vocari solet. Illud enim populi admirationem excitabat, iste vix attenditur; illud inde a deserti ingressu usque ad Jordanem Israelitas comitabatur (Jos. 5, 12), iste in exiguo quodam deserti tractu reperitur; illud per 40 annos continuos nutriebat populum, iste sola aestate per sex circiter hebdomades reperitur; illud quum singulis diebus caderet et quidem pridie sabbati mensura duplice, solo sabbato cessabat, iste singulis diebus eodem modo solis ardore expellitur. Ex. 16. — Circumstantiae, quas diximus, etiam evincunt, mannae pluviam explicari non posse e pluvia „grani coelestis" sive particularum fecundarum plantae, quae vocatur sphaerothallia sive lecanora esculenta, quae particulae in Russia orientali variisque orientis praesertim regionibus per tempestates quandoque in regiones dissitas transferri solent hominibusque nutrimentum praebent.

Duplex potissimum afferri potest ratio, cur Deus miracula producere voluerit, quae eventibus quibusdam naturalibus aliquo modo essent similia. Tum Aegyptii tum Israelitae facilius distinguebant inter eventus naturales sibi notissimos et miracula supernaturaliter patrata; simulque Deus, qui supernaturalium eventuum causa erat, etiam naturalium una eademque causa exhibebatur atque ita Aegyptiorum polytheismus demonstrabatur inanis. Accedit etiam hoc emolumentum, quod perdurantibus in Aegypto illis, in quibus ut quibusdam quasi elementis naturalibus Deus miracula patravit, vividior eorum servatur memoria et difficilius jam eventuum illorum historia in dubium vocari potest. Cf. *Welte,* Freib. Kirchenl. Art. *Moses; Haneberg,* Gesch. der Offenb.; *Danko,* Histor. revelat. V. T. pag. 122. seq. *Vigouroux,* La Bible et les découvertes modernes, II. l. 4. IV. Les plaies d'Egypte, V. La sortie d'Egypte. *Kurtz.* Geschichte des A. B. II. B. Berlin 1858.

Contra supernaturalem eventuum illorum indolem quandoque *objicitur,* Aegyptios, si Moysen veri miraculi auctorem agnovissent, non tentaturos fuisse Israelitarum iter impedire. Haec vero objectio contra omne miraculum militat eodemque modo solvenda est. Videlicet non tanta claritate sive evidentia miraculi veritas affulgere solet hominibus, ut omne dubium etiam imprudens necessario excludatur. Haec una est e causis, cur fides sit libera. In Aegyptiis haec quoque ratio accedebat, quod magicis artibus assueti, Moysis miracula, licet de eorum divina origine prudenter dubitare non possent, facilius tamen fingerent arte magica fuisse producta.[1])

[1]) Non vacat, singillatim refellere, quae ad miracula Pentateuchi neganda a Rationalistis congesta sunt. Pleraque speciali refutatione non indigent. Objectionis specimen praebere potest modus, quo J. B. *Friedreich* mortem filiorum Aaron explicare nititur, quae (Lev. 10, 1—3) ita narratur: „Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum; quod eis praeceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino etc." Friedreich affert explicationem nonnullorum, qui existimant, Nadab et Abiu in tabernaculum ingressos esse ebrios, tum in loco illo, quem putat valde frigidum fuisse, subito tactos esse apoplexia; postea etiam aliorum, qui pariter existimant, eos tabernaculum ingressos esse ebrios, somno esse oppressos, et postquam evigilarint, metu poenae adeo percitos esse, ut apoplexia occubuerint. Neutra tamen explicatio ei sufficit. Affert suam, quam, et quidem serio, existimat „verisimillimam". Censet, in tabernaculo fuisse apparatum electricum, Nadab et Abiu eidem incaute appropinquasse, et, apparatu illo sese exonerante, igne emi-

188. Pars II. Ut Moyses *vaticiniorum* auctor constituatur, duo sunt probanda: eum praedixisse eventus reapse futuros, qui nulla intelligentia creata certo praevideri possent, eundemque hos eventus praedixisse non opinando tantum, sed certa et indubia scientia praelucente.

Probatur 1. Eventus, quos praedixit Moyses, nulla praevisione creata certo praevideri *potuisse,* colligitur ex eorum natura. Moyses modo initium (Ex. 10, 4), modo finem illarum plagarum (Ex. 8, 11), quas inducebat, Aegyptiorum interitum in mari (Ex. 14, 13), Mannae pluviam (Ex. 16, 8) praedixit. Hi autem eventus, utpote a causis naturalibus non profluentes, e libera Dei voluntate pendebant, ac proinde nulla intelligentia creata certo praevideri poterant. Pariter praedixerat, „omnes qui numerati erant a viginti annis et supra", non intraturos terram promissam praeter Josue et Caleb. Num. 14, 29. 30. Et vero, „nullus remansit ex eis nisi Caleb et Josue." Num. 26, 65. Illorum omnium mors et horum vita pariter e Dei nutu pendebat, et ideo creata intelligentia certo praevideri non poterat. Praedixit, Dathan et Abiron a terra dehiscente esse deglutiendos. „Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis". Num. 16, 31—33. Etiamsi quis vellet contendere, solis causis naturalibus effectum illum produci potuisse, nemo tamen serio audebit asserere, potuisse etiam naturali intelligentia ab homine praevideri. Quis unquam certo praevidit, quo loco et quo momento terrae motus effectum hujusmodi producturus esset?

Quod plagas aegyptiacas attinet, etsi causis tantum naturalibus ortae fuissent, quod non esse admittendum antea ostendimus, certum tamen est, sola intelligentia humana easdem praevideri non potuisse. Quam absurde rationalistae hac in re argumententur, exemplo suo docet J. B. *Friedreich* (Zur Bibel I, p. 95), qui ut ostendat, Moysen naturali intelligentia illas praevidisse, affert illud: „Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum." Act. 7, 22. Si Moyses rerum naturalium scientia ab Aegyptiis accepta eventus illos praevidere potuit, mirum est, Agyptios magistros illa sua scientia eosdem praevidere non potuisse.

2. Moyses effectus eosdem quos praedixit, non conjiciendo, sed scientia *certa* praeviderat. Patet hoc ex ipso praedicendi

---

cante fuisse occisos. „Am wahrscheinlichsten ist, dass Nadab und Abiu aus Unvorsichtigkeit dem electrischen Jehovafeuer zu nahe kamen, welches sich entladen und sie getödtet hat. Es ist nämlich sehr glaubbar, dass Moses im Allerheiligsten einen electrischen Apparat gehabt und dadurch Wirkungen hervorgebracht hat, wie man sie nur durch die Lehre von der Electricität erklären kann." (!!) Zur Bibel II. p. 192.

modo, qui omnem dubitationem excludit; unde saltem nulla est ratio supponendi cognitionem dubiam et incertam. Magis etiam id concluditur e praedictionum *frequentia*. Etsi enim supponere liberet, praedictionem unam alteramve conjiciendo tentatam vel temere factam aliquando impleri casu, nulla tamen ratione supponi potest, praedictiones plurimas temere factas casu impleri; unde si vatis praedictiones plurimae implentur nec ulla caret eventu, hoc ipso demonstratur, abesse casum vatemque non temere nec probabilibus tantum rationibus motum, sed certa cognitione imbutum eventus praedixisse. Demum in Moyse omnis temeritatis omnisque conjecturae suspicio potissimum ideo abesse debet, quia vir summa prudentia praeditus merae conjecturae aut casui committere non poterat *negotium illud*, quod praedictionibus fulcire intendebat. Hisce enim Pharaonem movere nitebatur, ut populum dimitteret: „si resistis, et non vis dimittere eum (populum), ecce ego inducam cras locustam in fines tuos“ (Ex. 10, 4); simulque populo hebraeo demonstrare intendebat divinam suam legationem: „si consueta hominum morte interierint (Dathan et Abiron) et visitaverit eos plaga, qua et ceteri visitari solent, non misit me Dominus.“ Num. 16, 29.

Contra Moysis miracula et vaticinia simul *objici* potest, quod teste *Origene* (c. Cels. III, 5) objecerunt Aegyptii, magicis artibus producta esse prodigia; quo supposito concluditur, quae a Moyse magicis artibus producenda erant, potuisse ab eodem praedici.

Nolumus hic inquirere, utrum ad omnia, quae Moyses effecit, producenda artes magicae sufficiant. Constat saltem, artibus magicis revera non fuisse producta. Etenim e fine, ad quem obtinendum miracula a Moyse producta tendebant, satis apparet, non daemonem, artium magicarum magistrum, sed Deum unum et verum, quem Moyses profitebatur et invocabat, eorum fuisse auctorem; unde etiam Origenes artium magicarum, quae ad nostra usque tempora in Aegypto vigent, optime gnarus, respondet paucis: „Moyses non ut praestigiator, sed ut vir pius et rerum omnium Deo devotus et divini spiritus particeps, Judaeis leges tulit.“

Propositio 48. *Moyses miraculis patratis et vaticiniis editis Dei legatus exhibitus est.*

189. Quod asserimus, tum e rerum natura tum ex ipso eventu constat.

Probatur 1. *e Moysis ad miracula et vaticinia provocatione.* Ut alias ostendimus, Dei legatus miraculis et vaticiniis exhibetur ille, qui miraculorum et prophetiae donum, quo praestat, a Deo hoc fine sibi collatum affirmat, ut ejus legatus declaretur, dum nulla est solida ratio suspicandi, donum illud, fine hoc excluso, alia de causa a Deo collatum esse. Prop. 42. Atqui Moyses miraculorum et prophetiae donum ad finem, quem diximus, col-

latum sibi esse identidem affirmavit, nec ulla erat ratio prudenter suspicandi, id locum non habere.

a. Moyses ad miracula et vaticinia ut divinae suae missionis argumenta, quemadmodum Deus ei mandaverat (Ex. 4, 1—9), provocavit identidem et primo quidem coram populo hebraeo. „Narravit Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, et signa quae mandaverat. Veneruntque simul et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. Locutusque Aaron omnia verba quae dixerat Dominus ad Moysen; et fecit signa coram populo, et credidit populus.“ Ex. 4, 28—31. Provocavit et coram Pharaone ad miracula ut signa quibus constaret, dimittendum esse populum, ut se duce sacrificium Deo offerret; in divina autem missione ad populum liberandum continebatur et altera missio ad populum lege erudiendum. De omnibus signis intelligendum, quod Deo mandante Moyses professus est in primo cum Pharaone congressu. „Dixit Dominus ad Moysen et Aaron: Cum dixerit vobis Pharao: Ostendite signa, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. Ingressi itaque Moyses et Aaron, fecerunt, sicut praeceperat Dominus.“ Ex. 7, 8—10. Ut in Aegypto, ita ad eadem provocavit in deserto, mannae pluviam praedicens: „Dixerunt Moyses et Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Aegypti, et mane videbitis gloriam Domini.“ Ex. 16, 6. 7. Solemni omnino modo ad eadem provocavit, quum Dathan et Abiron aliique ejus missionem diserte negarent. Num. 16, 28. 31.

b. Nulla ratione Israelitae existimare poterant, Deum miraculorum et vaticiniorum donum Moysi ad alios fines contulisse, ita ut Moyses dono illo ad auctoritatem sibi conciliandam solum abuteretur. Nam imprimis in doctrina, quam proponebat, detegere non poterant quidquam, quod veritati alicui aut sola ratione aut per revelationem cognitae certo contradiceret, sive quod prohiberet, quominus a Deo miraculis confirmaretur. Praeterea nulla revelatione a Deo docti erant nullaque ratione conjicere poterant, donum illud ad alios tantum fines eidem esse collatum. Denique ipsis factis constat, Deum Moysi ad donum illud ut suae missionis argumentum provocanti tam constanter et adeo ad nutum adfuisse, ut vel in maxime duris et rebellibus sive Aegyptiis sive Israelitis omne de Dei voluntate et attestatione dubium prudens pelleretur. Et vero, qui Moysis miracula attente observabat, siquidem prudenter agere vellet, non poterat non existimare, iisdem confirmari divinam Moysis legationem.

Concludendum igitur est, Deum miraculis id intendisse, quod Moyses eundem intendere asserebat, Deumque Moyse rogante miracula producendo cooperari voluisse ad fidem de divina Moysis legatione in hominibus gignendam.

2. *ex eventu.* Moysem miraculis et vaticiniis revera Dei se legatum demonstrasse, confirmari potest ipsius populi hebraici, praesertim si ad duram ejus indolem pervicaciamque maximam attendimus, fide et submissione. Rebellis ejusdem animus, repetitae murmurationes et defectiones satis demonstrant, populum non caeca credulitate, sed prodigiis eximiis, quorum nexus cum Moysis legatione negari non posset, iterum iterumque convictum

Moysi ut Dei legato sese submisisse. Si deceptus est populus, non tantum Moyses, sed Deus ipse culpandus est, qui erroris invincibilis fuit auctor. Unde quo infirmius foret argumentum, quod ex aliorum populorum in legislatores suos submissione duceretur, eo validius est argumentum e populi hebraici submissione petitum, quum impar utrimque sit conditio.

Articulus III.

De modo duplice, quo Moyses revelationem divinam promulgavit.

190. Fieri potest, ut legatus divinus sola voce doctrinas revelatas annunciet, quas dein alii aut verbo aut scripto diffundant. Ita Christus mysteria coelestia homines docuit. Doctrina revelata, quam alii sola auctoritate humana diffundunt, non desinit esse revelata et divina, quamdiu fideliter traditur. Puer primas veritates revelatas a parentibus doceri solet. Fieri etiam potest, ut legatus divinus, qua auctoritate loquendo tradit doctrinam revelatam, eadem transmittat scribendo. Quod si fit, longe certius nobis constat de doctrina, quam si sola auctoritate humana transmitteretur. Duplice modo revelationem transmisit Moyses.

Propositio 49. *Moyses legatione divina fungebatur tum loquendo, tum scribendo; unde ut Moysis verbis ore prolatis, ita etiam Pentateucho in rebus ad religionem spectantibus ex hoc capite non tantum humana, sed divina auctoritas competit.*

Distinximus supra (n. 180. 181) inter attestationem et inspirationem; non de inspiratione Pentateuchi, sed de attestatione divina sola interim sermo est. Unde etiam quod asserimus, ad res cum religione connexas restringimus.

191. Pars I. Moyses Deo mandante imprimis vocis ministerio divina legatione functus est; unde quidquid in rebus ad religionem spectantibus voce docuit, Dei testimonio confirmatum est.

Probatur 1. *e signorum testimonio explicite accedente verbis.* A Deo approbatum est legationis exercitium illud, pro quo Moyses provocavit ad signa et prodigia. Continuo autem ad signa et prodigia provocavit pro doctrinis et mandatis, quae voce tradebat populo. Ita egisse legimus, quum in Aegyptum reverteretur, populum in desertum duceret, Dei praecepta eidem inculcaret. Cf. Prop. 48, n. 189.

2. *e natura verbi ut viae maxime opportunae.* Cum homo ad homines mittitur Dei voluntatem nunciaturus, ultro intelligitur, eum usurum via et modo illo, qui quam maxime in usu positus singulisque obvius est. Hic autem modus est verbum ore pro-

latum. Unde verbis ore prolatis accedit omnis illa auctoritas divina, quae ex legatione consequitur.

192. Pars II. Pariter legatione divina functus est scribendo, ita ut quidquid in rebus ad religionem spectantibus Pentateucho consignatum est, Dei testimonio verbis scriptis non minus quam ore prolatis accedente confirmetur. Constat igitur, quaecunque in Pentateucho leguntur, divinitus vera esse; unde Pentateuchus ab aliis libris de religione revelata agentibus etiam hac ratione differt, quod hi veritatem revelatam continent, *si* fideliter, quod revelatum fuit, referunt, dum Pentateuchus veritatem revelatam continet, *quia* Deo attestante fideliter refert, quod Deus Moysi dixit.

Probatur 1. *e mandato divino.* Divina auctoritas non minus verbis scriptis quam ore prolatis adest, si Moyses, quo mandante locutus est, eodem mandante et scripsit. Deo mandante Moysen scripsisse ex ipso Pentateucho intelligimus. Ex. 17, 14; 34, 27. Ergo verbis scriptis aeque ac voce formatis ex Dei testimonio competit auctoritas.

2. *ex utrolibet medio indiscriminatim adhibito.* Verbis scriptis et verbis ore prolatis eadem competit auctoritas divina, si Moyses Dei legatum sese gerens utraque ratione ad voluntatem divinam patefaciendam indiscriminatim usus est. Id fecisse, legimus in Pentateucho. Nam „Moyses narravit plebi omnia verba Domini atque judicia . . . Scripsit Moyses universos sermones Domini . . . Assumensque volumen foederis, legit audiente populo.“ Ex. 24, 3—7. Ergo quum Moyses, sive voce sive scripto ageret cum populo, semper fuerit Dei legatus, verbis scriptis Dei attestatio non minus accedit quam verbis ore prolatis.

3. *e fine intento.* Rationi utrique adesse auctoritatem eandem, patet e fine, quem Moyses qua Dei legatus scriptis suis praefigit. Vult enim, ut ex istis omnia disponantur non minus quam e praeceptis ore traditis. Praecipit, ut singulis septenniis lex populo legatur hoc fine, „ut audientes discant impleantque omnes sermones legis hujus.“ Deut. 31, 12. Vult, ut liber in latere arcae positus „sit ibi in testimonium“ contra populum transgredientem. Deut. 31, 26.

4. *ex eventu.* Omni tempore Moysi scribenti eadem auctoritas tributa est ac Moysi loquenti; ergo eadem ei competere dicenda est, nisi supponere velimus, populum de ratione legationis duci suo delatae, tot licet modis edoctum, errasse aut potius Deum non curasse, ut error impediretur. Lecto volumine foederis in deserto populus dixit: „Omnia quae locutus est Dominus, faciemus“.

Ex. 24, 7. De Moyse scribente loquebatur Christus Judaeos incusans: „Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?“ Joan. 5, 45—47. Christi testimonio hic eatenus saltem recte utimur, quatenus ex eo populi hebraici persuasio communis confirmatur.

Articulus IV.

De aliorum Prophetarum legatione divina.

193. In populo israelitico identidem surrexerunt prophetae Moyse minores, qui non legem novam conderent, sed legis mosaicae observationem urgerent vel exponerent populumque in officio continerent atque imprimis ab idololatria averterent. De istorum etiam legatione divina constare debebat populo. Nemo enim auctoritate divina singulari et extraordinaria praeditus esse prudenter credi potest, nisi illa se praeditum demonstrat. Aliud enim censendum est de auctoritate muneri v. g. sacerdotali inhaerente, quae propria est illi, cui rite delatum est munus; aliud de auctoritate, quae non inhaeret muneri ordinario, sed a Deo ipso collata dicitur. Ministri Synagogae ordinarii erant Levitae, sacerdotes, pontifex, extraordinarii erant Prophetae. *Becan.* Analog. cap. 8.

Propositio 50. *Simili modo quo Moysis etiam aliorum prophetarum legatio comprobata est divina; unde et scriptis eorum libris in rebus ad religionem spectantibus par competit auctoritas.*

194. Pars I. Certis signis dignoscebantur prophetae falsi.

Probatur 1. *e doctrina proposita.* Pro falso propheta habendus erat quicunque veritati certo revelatae et lege mosaica stabilitae atque imprimis dogmati de Dei unitate contradiceret, quibuscunque demum signis doctrinam suam stabilire niteretur. Deus enim cum sibi contradicere non possit, non potest esse auctor doctrinae impugnantis doctrinam ab ipso revelatam, neque auctor signorum, quae patrantur ad confirmandum errorem.

Huc spectant verba: „Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat et praedixerit signum atque portentum, et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audies verba prophetae illius aut somniatoris . . . Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro“. Deut. 13, 1—5. Pariter illa: „Propheta qui loqui voluerit . . . ex nomine alienorum Deorum, interficietur“. Deut. 18, 20.

2. *e praedictione non impleta.* Pro falso propheta habendus erat, qui legationem suam probaturus praedixerat quod non evenit.

Dei enim nomine eventum praedicendo asseruerat, a Deo sibi revelatum esse quod praedixerat; Deus autem eventum non adducendo monstrabat, se non revelasse, quod propheta sibi revelatum esse asseruerat.

„Quodsi tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum." Deut. 18, 21. 22.

195. Pars II. Certis signis dignoscebantur prophetae veri.

Probatur 1. *miraculis et vaticiniis impletis.* Quod enim de Moyse, id etiam de aliis, qui se a Deo missos esse dicerent, censendum est; unde sicut Moyses miraculis et vaticiniis sese Dei legatum demonstravit, ita etiam prophetae reliqui se Dei legatos demonstrare et poterant et, nisi aliunde eorum legatio certa esset, demonstrare debebant. Miraculo Elias suam demonstravit legationem divinam. 3. Reg. 18, 23. Non raro vaticiniis brevi temporis intervallo implendis et reapse impletis eandem demonstrabant, Elisaeus praedixit, post diem unum similae modium uno statere fore in porta Samariae. 4. Reg. 7, 1. Aliunde prophetae legatio tunc erat certa, si eadem per alium prophetam, qui aut miraculis aut vaticiniis impletis se prophetam verum demonstraverat, comprobata erat. Elisaei legationem attestatus est Elias. 3. Reg. 19, 19. Prop. 43.

2. *eventu ipso.* Constat, populum israeliticum, licet aliquando per breve tempus a falsis prophetis deciperetur, serius ocius tamen veros a falsis distinxisse, illorum libros servasse atque sic eorum legationi divinae testimonium reddidisse. Neque existimandum est, aliis criteriis hac in re usum esse nisi illis, quae lege ipsa continerentur. Cf. *Becan.* Analog. vet. novique test. c. 8, q. 3. *Haneberg,* Gesch. der bibl. Offenb. 5, Absch. K. 3.

Articulus V.

De revelationis tum mosaicae tum patriarchalis tum primitivae indole divina.

196. Revelationis epocha prima inchoatur a primorum parentum creatione et usque ad Abrahami vocationem protenditur. Haec epocha revelationem primitivam complectitur, quae quamvis a Deo interdum renovata sit, non tamen magnopere aucta conspicitur. Altera epocha incipit ab electione unius familiae augendae in populum, qui a reliquis distinctus speciali providentia foveretur et repetita servatoris ex eo procreandi promissione in vera fide contineretur. Epocha utraque non raro tamquam tempus legis naturalis opponitur legi mosaicae tamquam tempori legis scriptae (s. Thom. 3, q. 1, a. 5), non quod tempus illud revelatione supernaturali ac super-

naturalibus institutis et praeceptis positivis caruerit, sed ideo, quia major praeceptorum pars legis naturalis praeceptis constituebatur. (V. *Goldhagen.* Meletema de relig. Hebr. sub lege nat. in Thes. theol. tom. VI. *Nat. Alex.* dissert. de Noach. praecept.) Quamquam alia etiam est ratio, cur tempus illud legis naturalis vocari possit. Lex enim naturalis vocatur illa, quae cum ipsa natura datur, sive haec natura spectetur nude sive prout ad finem supernaturalem destinatur. „Unde, ita *Suarez* infert, quando distingui solent status hominum per leges, scilicet in statum legis naturalis, scriptae vel gratiae, in primo statu per legem naturalem intelligenda est tam lex solius naturae, quam lex connaturalis gratiae, seu lex fidei; non potuit enim mundus umquam carere omnino hac lege secundum ordinariam providentiam." De leg. l. I, c. 3, n. 13. Lege supernaturali carere non potuit supposita hominis destinatione ad finem supernaturalem.

Tertia denique epocha continetur lege scripta sive lege mosaica. Revelatio per Moysen facta legis nomine ideo venit, quia lege tamquam praecipua sui parte constituebatur.

Triplex haec epocha modo veteris Testamenti, modo legis mosaicae nomine communi designari solet. Testamenti sive foederis ratio potissimum inde ab Abrahamo eminet; foedus involvit promissa conditioni alicui annexa. Haec foederis ratio, quae in Abrahamo inceperat (Gen. 17), legislatione mosaica magis magisque evoluta est. Legis videlicet scriptae epocha proprie cum Moyse incepit, praeparata autem est inde ab Abrahami vocatione. Quamvis tempus totum quod Christum praecessit, a parte potiore modo antiqui foederis, modo legis mosaicae nomine recte designetur, tamen distinctae sunt epochae, quia posterior semper aliquid addit priori ideoque proprium aliquid habet, quo prior caret. Hoc sensu legem sive legislationem mosaicam merito distinguimus tum a patriarchali tum a primitiva religione sive revelatione.

Propositio 51. *Revelationis sive religionis revelatae non tantum mosaicae, sed etiam patriarchalis et primitivae origo divina Pentateucho demonstratur.*

De revelationis primitivae et patriarchalis origine divina illis, quibus utraque concessa est, sine dubio argumentis propriis constabat; Israelitis autem per Moysen saltem potissimum constabat de utraque. Nobis denique tum per Moysen Pentateuchi auctorem, tum per Jesum Christum de revelationis christianam praecedentis divina origine constare potest.

197. Pars I. Revelationem mosaicam materialiter i. e. pro rebus, quas continet, spectatam sive religionem mosaicam vere esse divinam, e Pentateucho quasi sponte fluit.

Probatur 1. *e Pentateucho humanitus verace.* Revelatio sive religio mosaica sensu maxime stricto intellecta constituitur illis, quae inde ab egressu ex Aegypto Moyses docuit, praescripsit, promulgavit de cultu qui Deo ab Israelitis exhibendus esset. Atqui e Pentateucho, etsi solum ut liber humanitus verax spectetur, constat, illa esse originis divinae. Sunt enim talia, qualia Moyses Dei auctoritate interposita esse asseruit. Perpetuo asse-

ruit, illa e Deo trahere originem, idque asserenti miracula auctoritatem conciliarunt.

2. *e Pentateucho divinitus verace et comprobato.* Illa, quae diximus, originis esse divinae, certius constat e Pentateucho etiam divinitus verace. Pentateucho ipsi Dei testimonium accedit in illis omnibus, quae de religione conscripta sunt. Prop. 49. Atqui ad religionem sane quam maxime pertinent, quae ipsam mosaicam religionem constituunt, decalogus, ritus, variaque praecepta. Ergo haec omnia sive religio mosaica, quae eisdem constituitur, originis sunt divinae, utpote tradita libro, qui in rebus ad religionem spectantibus eadem auctoritate gaudet ac verba Moysis ore prolata.

3. *e religione christiana, quae etiam absolute sive non supposita mosaica revelatione probatur divina.* A Christo et Apostolis tota legislatio, cujus Moyses promulgator fuit, Deo ut auctori tribuitur. „Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem, et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur". Mtth. 15, 3. 4. Ex. 20, 12. Secunda lex, statuens poenam mortis, judicialis erat; Deus eam tulisse dicitur, licet proxime lata vel promulgata sit per Moysen. Nec officit, quod alias Moyses legem dedisse legitur, ut quum Christus dicit: „Nonne Moyses dedit vobis legem?" Joan. 7, 19. Recte dicitur dedisse, quia a Deo ad populum detulit, ut ipse ait: „Ego sequester et medius fui inter Deum et vos . . . ut annunciarem vobis veritatem ejus". Deut. 5, 5. Neque alio sensu Christus dicit: „Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras". Mtth. 19, 8. Quod hic de lege repudii, id alias de ipsa lege morali sive naturali tribuitur Moysi: „Moyses enim dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam." Marc. 7, 10. Verbo, in legislatione tota Moyses divina auctoritate suffultus exhibetur.

198. ***Scholion.*** *De angelorum in danda lege ministerio.* Deum ipsum fuisse legis auctorem ipsumque legem revelasse Moysi non negat Scriptura, dum eam per *angelos* datam affirmat, ut quum s. Stephanus dicit de Moyse: „Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo qui loquebatur ei in monte Sina" (Act. 7, 38), vel quum a s. Paulo dicitur „ordinata per angelos". Gal. 3, 19. — Angelus enim interveniens non sua auctoritate agebat nec suam, sed Dei, cujus minister erat, personam gerebat. Unde quum angelus, qui teste s. Stephano Moysi apparuit in rubo (Act. 7, 30), repraesentaret Deum, dicere poterat: „Ego sum Deus patrum tuorum". Hinc Theologi docent, „personam ministerialiter loquentem et immediate efficientem verba sermonis" fuisse angelum; personam autem repraesentatam et cujus nomine minister loquebatur, fuisse Deum, et ideo non in

sua, sed in illius persona, quam repraesentabat, potuisse angelum vere dicere: Ego sum Deus. *Suarez,* de leg. l. IX, c. 2, n. 9. S. Thom. 1, 2, q. 98, a. 3.

Nonnulli angelum illum intelligunt fuisse Dei *Filium,* qui vocatur „Angelus Testamenti". Mal. 3, 1. Duplice modo intelligi id potest: aut ita, ut Filii persona repraesentata fuerit per angelum, qui forma visibili se exhibuerit; aut ita, ut Filius ipse forma visibili se exhibuerit et locutus fuerit. Si primum intelligitur, non adversatur sententiae indeterminate dicenti, Deum exhibitum fuisse per angelum creatum et figura visibili indutum. Alterum minus probabiliter diceretur. Nam hoc loco, ubi de lege mosaica agitur, potius angelus creatus intelligendus videtur, tum quia de pluribus angelis sermo est, tum quia praestantia legis novae prae vetere ab Apostolo in eo reponitur, quod nova per Deum ipsum, vetus per angelos data sit. Heb. 2, 2. Hac etiam ratione intelligitur, cur ille qui legem dedit, modo Deus, modo angelus (creatus) dici possit: Deus videlicet propter illum, qui repraesentabatur, angelus propter illum, qui ministerium exhibebat. Cf. *Suarez,* de ang. l. VI, c. 20.

199. Pars II. Divina pariter est religio tum patriarchalis tum primitiva.

Probatur 1. *e Genesi ut libro verace.* Utraque revelatio in seipsa spectata in Genesi, licet humana tantum veracitas eidem tribuatur, nobis exhibetur vestita hujusmodi notis supernaturalibus, quae eam prudenter credibilem reddant; Deus enim refertur quandoque visibiliter apparuisse hominibus et hujusmodi signa praesentiae suae dedisse, ut dubio prudenti locus non esset. Theophaniis hujusmodi, quae in miraculorum classem referendae sunt, accedebant eventuum futurorum praedictiones a Deo ipso pariter prolatae. Locum igitur obtinuerunt illa, quae revelationis a Deo homini ipsi factae criteria maxime opportuna esse diximus. Prop. 42.

Deus tribus potissimum modis patriarchas ac primos parentes docuit et de sua revelatione certos reddidit: voce videlicet *interna,* qua et somnia comprehendimus, tum visis et eventibus *externis,* denique *praedictionibus* impletis. Certa primorum parentum de revelatione divina persuasio, quae voce interna parta erat, absolute quidem sufficiebat, ut tum in ipsis tum in filiis bene dispositis fides generaretur; nihilominus Deus facta addidit externa, videlicet forma visibili illis apparendo et cum eis colloquendo. Modus autem primarius vaticiniis continebatur; his porro usus est tum in primis parentibus, quibus praedixit poenam infligendam, in Noë ejusque coaevis, praedicendo diluvium (Gen. 6, 17), in Abrahamo, cui praedixit terrae Chanaan possessionem (Gen. 12, 7), posteritatem numerosam (13, 16), posterorum in Aegypto servitutem indeque egressum (15, 13, 16), filii ortum e Sara (17, 19), duodecim ducum ortum ex Ismaele (17, 20), Sodomorum eversionem (18, 21). Hae autem praedictiones impletae, etiamsi humana tantum Moysis veracitate de iisdem nobis constaret, certam reddunt revelationem patriarchalem et quae in eadem includitur, primitivam (Gen. 6, 7).

2. *e Genesi ut scripta a Dei legato.* Certior nobis est primitivae et patriarchalis revelationis origo divina, si liber Geneseos

spectatur non solum ut historica tantum veracitate praeditus, sed ut a Moyse Dei legato conscriptus. Quum enim Moyses, ut ostendimus, etiam qua scriptor divina legatione fungeretur, nova ratione concluditur, divinitus vera esse, quaecunque in Genesi de religione ac proin de religione tum primitiva tum patriarchali tradit.

3. *e Christi et apostolorum auctoritate.* Christus et apostoli ipsis Geneseos locis, quibus revelatio sive primitiva sive patriarchalis asseritur, ad suam doctrinam confirmandam utuntur ut testimoniis certis et quidem divinis; unde revelationi illi duplex accedit confirmatio et duplex testimonium: humanum, si Christo et apostolis non tribuitur nisi auctoritas humana; divinum, si, ut est, divina eorum auctoritas agnoscitur. Esse divinam, ostendi potest non supposita origine divina veteris testamenti, quum Jesu Nazareni divina missio etiam argumentis sibi propriis demonstretur.

Cf. Gen. 1, 27: Mtth. 19, 4; Marc. 10, 6. Gen. 2, 2; Hebr. 4, 4. Gen. 2, 7: 1. Cor. 15, 45. Gen. 2, 24: Mtth. 19, 5. 6; Marc. 10, 7. 8; 1. Cor. 6, 16; Eph. 5, 31. Gen. 12, 1: Act. 7, 3. Gen. 12, 3: Gal. 3, 8. Gen. 15, 5: Rom. 4, 18. Gen. 15, 6: Rom. 4, 3; Gal. 3, 6; Jacob. 2, 23 etc. etc.

4. *e religionis primitivae et patriarchalis respectu ad mosaicam.* Religio, quae religionis certo divinae fundamentum et quasi germen est, ipsa quoque divina sit necesse est. Fundamentum et germen religionis mosaicae proxime est religio patriarchalis; hujus autem fundamentum et germen est religio primitiva. Et vero, lex mosaica tota supponit Abrahami electionem et quae divinitus ei promissa erant; Abrahae electio supponit revelationem primitivam ab ipso servandam, a qua deflexerant caeteri, et promissionem quae primis parentibus facta erat. Ergo eo ipso quod mosaica revelatio vere divina declaratur, simul divina declaratur revelatio patriarchalis et primitiva.

200. ***Scholion.*** *Nomen Jehova (Jahve)*[1]. *Circumcisio.* Primitiva et patriarchalis revelatio est fundamentum et germen etiam illarum legis mosaicae partium, quae eidem maxime propriae sunt. Nam revelatione primitiva

[1]) Quomodo nomen quatuor consonantibus *Ihvh* designatum apud Judaeos pronunciandum fuerit (revera non pronunciabatur, videlicet propter reverentiam) sive quaenam puncta vocalia eidem adscribenda duxerint, non certo constat. Inde ab an. 1518 per Petrum Galatinum (O. S. F.) pronunciatio *Jehova* in usu est. Communius haec minus probatur ejusque in locum a multis adoptatur forma *Jahve*, quum nonnisi ex hac explicari possint formae diminutae, quae in nominibus propriis et compositis occurrunt. *Theodoreto* teste „Samaritani vocant illud (nomen Ἰαβέ". Quaest. in Gen. interrog. 15. S. *Epiphanius* inter alia Dei nomina hebraica etiam Ἰαβέ affert illudque ita explicat: „*Jabe*, qui erat et est et semper existit, quemadmodum Moysi ipse declarat". Adv. haer. I, haer. 40, n. 5. Cf. *W. Smith*. The book of Moses I. Preface X; *Himpel*, KL. Art. Jehova.

Deus unus exhibetur tamquam creator coeli et terrae, tamquam rerum omnium et imprimis hominis principium et finis. Eadem doctrina inculcatur a Moyse, et sabbati sanctificatio ejusdem professio est. Ex. 20, 11. Exhibetur Deus tamquam supernaturaliter hominem ad finem suum perducens, quod partim ipsa voce Jehova *(Jahve)*, quae e loquendi usu in scriptura usurpato Deum supernaturaliter providum significat, partim praecepto positivo imposito insinuatur. Legislatione mosaica eadem supernaturalis cura perpetuo docetur, unde numen supremum populo israelitico non tantum ut Elohim, sive ut omnipotens rerum principium, sed etiam ut Jehova, ut Dominus et ut perpetuam curam gerens manifestatur. (Cf. *Corluy*, Spicilegium dogmatico-biblicum, I, p. 101. T. J. *Lamy*, Le nom divin Jehova ou Jahve devant l'exégèse chrétienne et devant la critique rationaliste. La science catholique, Paris 1891, p. 14). Ad hanc curam supernaturalem spectat promissio seminis, a quo vincetur serpens, quae in Deut. (18, 15) tamquam prophetae eximii promissio repetitur.

In revelatione primitiva (Gen. 4, 4) et patriarchali (Gen. 15, 9; 22, 13) sacrificiorum oblatio tamquam Deo grata exhibetur. Cultus praecipuus, qui in lege mosaica praecipitur, sacrificiis constituitur et oblationibus.

Deus pactum init cum Abrahamo ejusque posteris, promittens in semine illius benedicendas esse omnes gentes. Gen. 22, 18. Quae benedictio quam vim habeat, postea inquirendum est. Pacti signaculum instituitur circumcisio. Gen. 17, 10. Nam quum generatione propagandus esset populus electus, generatio tamquam aliquid quod Dei consiliis implendis speciali modo inserviret, exhibenda et sanctificanda erat; hujus sanctificationis symbolum et quasi nota externa apte constituebatur ablatione illius, quod impuritatis physicae causa esse posset. Pactum cum Abrahamo initum totius legislationis fundamentum est, ut et circumcisio populo praecipitur. Lev. 12, 13.

Articulus VI.

De legis mosaicae subjecto.

Non de veritatibus generi humano primitus revelatis agitur, nec de praeceptis positivis Noë ejusque posteritati datis, cujusmodi illud erat, ut ab animalium sanguine abstinerent. Gen. 9, 4. Quaeritur de praeceptis, quae inde ab egressu ex Aegypto Moyse promulgatore data sunt.

Propositio 52. *Lex mosaica per se obligabat solos Israelitas; alios tunc solum, si circumcisionem suscipiendo libere se eidem submiserant; lex moralis materialiter spectata obligabat omnes.*

201. Pars I. Israelitae, videlicet illi qui per Isaac et Jacob ex Abrahamo descendunt, soli obligabantur.

Probatur 1. *e promissione legis.* Deus legem tulit illis solis, quorum patribus beneficia specialia promiserat, inter quae sane computanda est lex. Atqui beneficia illa specialia promiserat Abrahamo, Isaac et Jacob, iisque solis; ergo solis illis, qui ex

Abrahamo, Isaac et Jacob descendunt sive solis Israelitis legem tulit, eosque solos lege obligavit. Deut. 4, 8; 9, 5.

2. *e legis promulgatione.* Israelitis solis sive in Aegypto, sive in deserto per Moysem Deus legem promulgavit; ergo hos solos lege adstrinxit. Nam promulgatio est de ratione legis; lex enim regula quaedam est et mensura actionum; regula autem ut sit regula, applicanda est illi, cui regula statuitur.

3. *e modo propagandi legis notitiam.* Modus quo legis cognitio propaganda esset, indicat, eam ad solos Israelitas pertinere; per patres enim ad filios propaganda erat: „Ne excidant (verba) de corde tuo cunctis diebus vitae tuae: docebis ea filios ac nepotes tuos". Deut. 4, 9. Ergo non supponitur divulganda exteris nationibus, ut lex nova promulganda est omnibus gentibus.

4. *ex indole legis.* Non poterat e legislatoris mente aliis gentibus destinari lex, quae inter populum, cui proxime date erat, et alios populos ritibus observandis parietem extrueret, aut cujus cultores ter singulis annis, nimirum festo paschatis, pentecostes et tabernaculorum, in loco uno ad sacrificia oblationesque peragendas se congregare deberent. „Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel". Ex. 34, 23. Actum cultus divini praecipuum, sacrificii oblationem, nonnisi in uno loco designando exercere licebat: „Caveas, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum, offeres hostias et facies quaecunque praecepero tibi". Deut. 12, 13. 14. Ergo lex mosaica ad gentes alias non erat propaganda

202. Pars II. Si qui ex aliis gentibus legem mosaicam libere recipere vellent, admittebantur et quidem ita, ut circumcisione initiati ad legem servandam adstringerentur.

Probatur 1. *e facultate per Moysen enunciata.* Lege statutum erat: „Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere Phase Domini, circumcidatur prius omne masculinum ejus et tunc rite celebrabit; eritque sicut indigena terrae: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo". Ex. 12, 48. Quod de legis commodis, id etiam de incommodis censendum est; unde qui circumcisione recepta convivii sacri particeps fiebat, is eodem modo legis oneribus submittebatur. Et vero, circumcisionis ritu suscepto homo gentilis religiosae Israelitarum societati addebatur, ut baptismo homo nunc aggregatur ecclesiae; qui societati aggregatus ejusque membrum effectus est, ejus legibus pareat necesse est.

2. *e Iudaeorum, Apostolorum Christique sententia.* Haec Israelitarum fuit sententia, quam ut suam quoque refert Apostolus: „Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae". Gal. 5, 2. Eadem supponitur his Christi pharisaeos increpantis verbis: „Vae vobis scribae et pharisaei hypocritae: qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et quum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos". Mtth. 23, 15. Non ideo reprehenduntur, quod proselytos facere nitantur, sed ideo, quod eos, postquam mosaicam legem professi sunt, traditionibus suis et exemplo pervertunt eoque adducunt, ut etiam illa, quae a pharisaeis observantur, omittant, et ita pharisaeis ipsis sint pejores.

3. *e Dei bonitate beneficium speciale extendente.* Lex mosaica, etsi ad salutem non erat necessaria, insigne tamen erat auxilium ad illam facilius consequendam; unde divinae bonitati congruebat, ut et alii hujus beneficii participes fieri populoque hebraeo inseri possent; quod fiebat circumcisione suscepta. Qui autem populo esset insertus, eo ipso ad legem observandam non minus adstringebatur quam illi, qui ex Abrahamo descendebant.

203. Pars III. **Lex moralis materaliter spectata obligabat omnes.** Materialiter spectatur lex moralis, si attenduntur illa sola officia, quae sua sponte e lege naturali fluunt et quatenus Dei voluntate, prouti necessario amans est ordinis, injunguntur.

Lex mosaica distinguitur in caeremonialem, moralem et judicialem. Ad caeremonialem pertinent praecepta versantia circa modum, quo cultus Deo exhibendus esset, ut sunt praecepta de sacrificiis et de septimo die consecrando cultui divino. Ad legem judicialem spectant illa, quibus civitas et vita socialis regebatur. Deum esse colendum, lex naturalis sive moralis dictat; at colendum esse die septimo et quidem quiescendo omnino ab operibus servilibus, non dictat lex naturalis: unde quod decalogus diem septimum divino cultui designat, additum est legi naturali, nec legis moralis pars est, sed caeremonialis. Unde neque alias gentes obligabat, neque nunc obligat christianos. Dies prima sive dominica cultui divino destinata est consuetudine et lege ecclesiastica.

Probatur *ex obligatione omnium ad legem naturalem servandam.* Materia legis moralis, quam Deus Israelitis tradidit, est eadem cum lege naturali; at vero omnes obligantur ad legem naturalem servandam; ergo etiam ad materiam legis moralis mosaicae i. e. sinaiticae. Cf. s. Thom. 1, 2, q. 98, a. 5.

Gentes alias non fuisse obligatas lege morali *formaliter* spectata sive Dei voluntate positiva in Sinai manifestata, patet ex eo, quod Deus hanc voluntatem non aliis, sed solis Israelitis manifestavit.

Neque potest *objici* cum Gabriele *Vasquez* (Disp. 180, c. 3), Deum qua auctorem naturae legem moralem tradidisse, ac proinde ab omnibus voluisse observari.

Distinguenda est duplex voluntas Dei etiam ut auctoris naturae pro duplice videlicet termino et pro duplice ejus manifestatione. Dei ut auctoris naturae voluntas primo per lumen rationis manifestatur omnibus et sic obligat omnes; dein ejusdem Dei voluntas in Sinai monte solis Israelitis manifestabatur eosque solos hac ratione obligabat. Potest etiam haec voluntas dici auctoris naturae, quatenus nimirum spectatur ut imperans illa sola, quae naturae lege exigebantur.

Objicitur quidem ulterius, gentiles, qui de legislatione sinaitica casu audissent, non minus adstrictos fuisse hac Dei voluntate prohibentis mala, quam Dei revelantis auctoritate adstringebantur ad credenda, quaecunque eum revelasse casu audiverant: unde sequi videtur, tunc gentes etiam positiva Dei voluntate obligatas fuisse.

Verum distinguendum imprimis est inter actum, quo Deus *declarat* sive docet, quid sit malum aut bonum, et actum, quo *vetat* vel *imperat*. De declaratione idem dicendum est quod de revelatione, quum declaratio non sit nisi revelatio. Prop. 26. Distinguendum pariter est inter actum voluntatis, quo Deus *universe* vult, ut homines naturae legem sequantur, et actum ejusdem voluntatis, prout *dirigebatur* ad Israëlitas. Hoc posteriore actu constituebatur lex mosaica, et hoc actu non obligabantur gentes, quum ad eas non dirigeretur. Attamen quia gentes in tali hypothesi e revelatione casu cognita certius norant, quid esset de lege naturali, etiam pro hac certiore *cognitione* gravius obligabantur.

204. ***Scholion.*** *De proselytis.* Praeter proselytos, qui legem mosaicam observare tenebantur, scriptores Judaei posteriores, quorum tamen auctoritas non est maxima, distinguunt alios, qui ad sola septem praecepta Noachidarum utpote toti generi humano communia observanda obligabantur. Illos proselytos *justitiae*, istos proselytos *domicilii* sive *portae* appellabant. Septem illa praecepta jubebant: 1. abstinere ab idolorum cultu, 2. benedicere Deum, 3. servare jus publicum, 4. cavere ab incestu, 5. non fundere humanum sanguinem, 6. non rapere, 7. non tollere membrum de animali vivente. *Genebrardus*, Chronol. l. I, ad an. m. 1656. Alii ex aliis fontibus judaicis haec septem praecepta ita numerant, ut jubeantur: 1. abstinere ab idololatria, 2. a maledictione nominis divini, 3. a caede, 4. ab adulterio, 5. a furto, 6. constituere judices, 7. abstinere a sanguine. Fundamentum hujus distinctionis inter proselytos justitiae et proselytos domicilii petunt ex eo, quod Moyses distinxerit inter advenas et peregrinos. Ad septem illa praecepta servanda qui cum Israelitis commorari vellent, ideo adigebantur, ne malo exemplo Israelitas perverterent. Caeterum hujusmodi conditiones illis, qui inter Israelitas vivere volebant, solum tamdiu statui poterant, quamdiu Judaei suis tantum legibus nec alieno imperio subditi vivebant. Inter proselytos justitiae alii erant liberi, alii servi; hi quando recipiebantur in synagogam, libertate donabantur et in pristinae conditionis memoriam Libertini appellabantur. Proselytis domicilii non licebat participare in Judaeorum festis et sabbatis; unde nec ad quietem sabbati servandam tenebantur; Israelitis tamen non licebat sabbato illorum opera uti sive, si essent servi, opus iis imperare. Scriptores Judaei nomine proselytorum domicilii illos designare videntur, qui in n. T. vocantur „viri religiosi“. (Act. 2, 5). Cornelius centurio erat „vir religiosus et timens Deum“ (Act. 10, 2), non tamen proselytus sensu proprio, quum, ut e contextu patet, ad legem mosaicam de ciborum distinctione observandam non obligaretur, nec in populum judaicum receptus esset. Ipse ejusque domestici „gentiles“

vocantur. Act. 10, 45. Cf. *Döllinger*. Heidenthum und Judenthum p. 807. V. *Selden*., De jure nat. et gentium juxta disciplinam Hebraeorum, l. III, c. 12. 13. *Calmet*, Diction. bibl. ed. Mansi s. v. Proselytus. *Lardner*, Works VI, p. 526; XI, p. 305. 313. *Haneberg*, Gesch. d. Offenbar. VI, K. 4, §. 34.

Articulus VII.

De duplice religionis fundamento in revelatione christianae praevia sincere tradito.

205. Praeter Dei unius existentiam etiam animae immortalitas ejusque post mortem status aut felix aut miser recte vocatur religionis omnis fundamentum, quia veritate alterutra non cognita cultus aut falsus est aut talis esse non potest, qualem esse oportet. Alterutram aut utramque in religione primitiva aut patriarchali aut mosaica ignorari, variis rationibus ducti asseruerunt Deistae et Rationalistae complures. Unde ut revelationis, de qua agimus, origo divina sit manifestior, illorum sententiam falsam esse demonstratur.

Propositio 53. *Veri Dei notio in revelatione tum primitiva tum patriarchali tum mosaica exhibetur, verusque Deus hominibus inde ab exordio innotuit.*

Duplice potissimum de causa negatum est, veri Dei notionem tradi Pentateucho. Alii supponentes, genus humanum sensim sensimque e polytheismo ad monotheismum, e naturae ad Dei cultum emersisse, polytheismi ac naturae cultus vestigia etiam patriarcharum religioni inhaesisse existimarunt. Alii electionem populi unius cum Dei providentia universali pugnare existimantes, „Deum Abrahae, Isaac et Jacob“ sive Deum Israelitarum nonnisi ut Deum nationalem ab Israelitis cultum et a Moyse traditum fuisse dixerunt; et sunt, qui asserunt, rem esse certissimam, praeter unum Deum nationalem ab Israelitis etiam aliarum gentium deos fuisse agnitos. *Bender*. Das Wesen der Religion, 4. Aufl. 1886, p. 210. Complures utrumque errorem sociantes tenent, in Pentateucho primum tradi polytheismum sive virium naturalium vel divinarum multitudinem, quae postea in Deum nationalem convertatur. Sunt, qui monotheismum nonnisi octavo ante Christum saeculo inductum, et quidem per prophetas, existiment; si autem in Deuteronomio Dei unius fides proponatur, hunc librum nonnisi saeculo octavo conscriptum esse dictitant. (A. *Kuenen*, Prof. in Leiden, Volksreligion und Weltreligion. Fünf Hibbert-Vorlesungen. Berlin 1883, p. 316.) Similiter et alii fatentur, Deuteronomio quidem Deum Israelitarum ut unicum exhiberi, libris autem praecedentibus nonnisi ut potentissimum. (*Kolb*, Culturgeschichte der Menschheit, 3. Aufl. Leipz. 1885, I, S. 115.) Alii demum asserunt, a Moyse traditum esse Deum quendam singularis vel specialis naturae, atque ex hoc conceptu postea evolutum esse monotheismum, non tamen penitus exstincto conceptu primitivo Dei particularis et nationalis. (Otto *Pfleiderer*, Grundriss der christlichen Glaubens- und Sittenlehre. Berlin 1886. A. §. 58. Id. Religionsphilosophie, 2. Bd. 2. Aufl. Berlin 1884, S. 124.) Contrarium constat ex ipso Pentateucho, genuino Moysis libro, neque e solo Deuteronomio, sed etiam ex aliis Pentateuchi partibus.

206. Pars I. Veri Dei notio exhibetur in Pentateucho revelationem triplicem complectente.

Probatur 1. *e tradito conceptu creatoris ac domini universorum.* Pentateuchus in ipso Geneseos exordio Deum exhibet creatorem coeli et terrae ac Dominum universorum. Jam vero Dei ut rerum omnium creatoris ac Domini conceptus tum in se nonnisi Deum verum exhibet tum ab aliorum populorum diis imaginatione fictis eundem distinguit.

Discrimen ingens, quod intercedit inter Deum, quem Moyses nobis exhibet, et aliorum populorum deos, manifestum est e primis Geneseos verbis: „In principio creavit Deus coelum et terram". 1, 1. Moyses a Deo, rerum omnium et ipsius materiae causa, initium ducit, dum aliarum gentium cosmogoniae, etiam quae haud pauca primitivae revelationis vestigia servarunt, a materia formationem mundi incipiunt. In Babyloniorum Genesi, prout inscriptionibus cuneiformibus refertur, *Mummu-Tiamat* i. e. Chaos sive mare ut rerum omnium, etiam deorum principium exhibetur. *Smith-Delitzsch.* Chaldäische Genes. pag. 62—64.) Eadem ordinis inversio cernitur in eadem Genesi, quam Berosus, scriptor Babylonius, refert; non a Deo creatore, sed a tenebris et aqua incipit, e qua res prodierint. (V. *Niebuhr.* Geschichte Assurs u. Babels. Berlin 1857, pag. 482. George *Rawlinson,* The five great Monarchies vol. I. (2. edit.), pag. 144.)

2. *e conceptu Dei unius et solius.* Pentateuchus hunc Deum, qui est rerum omnium creator, tamquam unum uniceque adorandum exhibet, praeter quem non est alius Deus. „Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis deos alienos coram me. Septimo die sabbatum Domini Dei tui est. Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram . . . idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum". Ex. 20, 2—11. Atqui Deus unus, omnium rerum causa et finis, ipso suo conceptu, si evolvitur, est ens perfectissimum, simulque maxime differt ab aliarum gentium diis, quorum nullus absolute perfectus, nullus omnium perfectionum fons, nullus rerum omnium causa erat.

3. *e conceptu Dei ut explicite summe perfecti.* Pentateuchus Deum unum diserte exhibet ut omnipotentem, omniscium, justum, rerum omnium omniumque populorum curam gerentem; atque ita maxime eum distinguit a gentium diis. Hi enim credebantur invalidi, unde alter altero fingitur fortior; credebantur multarum rerum ignari, unde decipiebantur; credebantur injusti, crudeles, unde etiam illos, qui nullius criminis rei essent, odio prosequebantur; credebantur demum ad unum locum, ad unum munus, ad unam curam gerendam restricti, unde rebus diversis diversa praeerant numina et populorum singulorum singuli statuebantur dii. Deus quem Moyses profitetur, etsi curam specialem ob specialem

finem populi hebraici gerit, tamen ad genus humanum totum curam suam extendit. Patet hoc in Adamo omnium parente, in diluvio, quod generi humano primum minatur, deinde inducit; in Noë ejusque posteris servatis, quibuscum pactum novum statuit. Gen. 9. Etiam postquam Abrahamum elegit, curam aliorum populorum non dimittit. Quod fratres in Josephum egerant, „Deus vertit in bonum, ut . . . salvos faceret multos populos". Gen. 50, 20. Ipsa Abrahami electio in aliorum populorum salutem tendit: „Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae". Gen. 22, 18. Deus Israelitas in populum sibi singillatim devotum eligendo, non cessat esse aliorum hominum aut populorum Deus ac Dominus: nam „amat peregrinum et dat ei victum atque vestitum". Deut. 10, 18. Verbo, in Pentateucho traditur verus *monotheismus*, non *henotheismus* i. e. Jahve est Deus unus, sed non unus e pluribus, sed unus, praeter quem non est alius. Gentium enim dii non sunt dii. „Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum". Deut. 4, 35. „Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est". Deut. 6, 4. Cf. *Haneberg*, Gesch. d. bibl. Offenb. IV, K. 7, § 7. *Vigouroux*, Le Bible et les découvertes modernes, t. II, p. 328.

Unde patet, si quando gentium diis Jahve opponitur, illos vocari deos, quatenus a gentibus dii credebantur. Ita intelligendum illud: „Transibo per terram Aegypti nocte illa . . . et in cunctis diis Aegypti faciam judicia". Ex. 12, 12. Neque aliud insinuatur verbis Jephte, e quibus nonnulli concludunt, apud Israelitas passim Jahve nonnisi Deum nationalem habitum esse. Nam nonnisi ad hominem argumentans regi Ammonitarum dicit: „Nonne ea quae possidet Chamos Deus tuus, tibi jure debentur?. quae autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem". Jud. 11, 24.

207. Pars II. Verus Deus innotuit singillatim primis parentibus.

Probatur 1. *e Pentateuchi testimonio.* Secundum narrationem mosaicam Deus idem, de quo in Pentateucho passim est sermo, cum primis parentibus egit seque illis revelavit praecipiendo, minitando, puniendo, illisque innotuit. Atqui ille Deus est verus Deus; ergo Pentateucho teste Deus verus primis parentibus et se revelavit et ab iisdem agnitus est. — Quod de primis parentibus, idem testatur Pentateuchus de patriarchis.

2. *e modo, quo primis parentibus Deus se exhibuit.* Deus unus et verus, rerum omnium auctor, supernaturaliter providus, sanctus, qui per Pentateuchum exhibetur, reapse primis parentibus innotuit, quod temere negatur a quibusdam „scientiae religionum" cultoribus (*Reville*, Prolégomènes de l'histoire des Réligions, 3. édit. Paris 1881, p. 66). Talem enim se illis revelavit collocando Adamum in paradiso, quem condiderat (Gen. 2, 15), imponendo

praeceptum (2, 16, 17), formando Evam (2, 18), puniendo transgressores (3, 16—20), promittendo redemptorem (3, 15. Cf. Prop. 57), terram eis assignando colendam (3, 17), vitae et mortis arbitrum se declarando (3, 19). Bonarum actionum remuneratorem, malarum vindicem Deus sese exhibuit Abeli et Caino. Gen. 4, 3—15. His autem omnibus indicatur creator, rerum omnium curam gerens Deus, Deus absolute unus. Quum qui revelationem primitivam negant, ad mythicam narrationis mosaicae interpretationem confugiunt, refelluntur eisdem argumentis, quibus ejusdem narrationis et totius Pentateuchi veritas historica probatur. Quod dictum est de modo, quo Deus primis parentibus se exhibuit, facile applicatur ad modum, quo egit cum patriarchis.

208. *a.* Hominem primum a Deo doceri sive cognitionibus imbui potuisse ideo quidam negant, quia homo nimis rudis fuerit, omnis autem institutio in illo, qui instituendus sit, cognitiones quasdam, quae evolvi aut quibus aliae addi possint, jam supponat. Otto *Pfleiderer*. Religionsphilosophie II. 2. Aufl. S. 6. Verum duplice e capite argumentum peccat.

Male enim supponunt, hominem creatum esse si non bruto, saltem infanti similem, cujus facultates physicae, quarum operationes actibus intellectualibus praeviae sunt, nondum sunt evolutae. Homo non infans, sed adultus creatus a Deo est; unde sensuum cognitioni sua sponte connectebatur cognitio intellectus. Praeterea male supponunt, Deum non alio modo agere posse in hominem instituendum, nisi quo homo agit in hominem. Deus in ipsum hominis intellectum agere, ejus operationem juvare eumque vario modo docere potest, ut antea ostendimus. Cf. Prop. 15—18.

209. *b.* E narratione praecepti a Deo dati Abrahamo filium Isaac *immolandi* complures censuerunt manifesto constare, religionem Abrahami et Israelitarum ab initio unam eandemque fuisse cum religione gentium illarum, quae deo Moloch suos sacrificabant liberos. Nonnulli supponunt, juxta primam narrationis formam Isaacum revera fuisse immolatum, arietis substitutionem recentiori tantum narrationis formae deberi. Non eo usque progressi censuerunt alii, Abrahamum, quia gentium liberos immolantium usui assuetus fuerit, mente perturbata aliquando credidisse, par etiam sacrificium a se exigi, quum autem jam in eo esset, ut filium immolaret, a Deo fuisse dedoctum. Difficultatem soluturi existimant nonnulli, a Deo praeceptum Abrahamo fuisse tantum, ut filium sibi offerret eo sensu, quo primogeniti offerri consueverunt, Abrahamum vero, perperam percepto mandati sensu, existimasse, Isaac esse immolandum; errorem a Deo correctum fuisse. Sunt demum qui nodum solvisse sibi videntur dum docent, Deum non serio mandasse Isaaci immolationem, quia illam, utpote rem in se malam, praecipere non potuerit, praecepisse tamen ut exploraret, an Abrahamus ad illam perficiendam vere paratus esset — non advertentes, si immolatio in se mala erat, etiam voluntatem immolandi malam fuisse atque ideo pariter non potuisse praecipi. Cf. *Bohlen*. Genes. K. XXII. *Bertheau*, Gesch. der Israel. p. 224.

Difficultas, quae nulla est, non est solvenda narrationis immutatione pro libitu tentata. Prae oculis habendum est, Deum utpote Dominum

supremum, ut de bonis externis, ita etiam de hominis vita disponere posse: „et ideo", ita s. *Thomas* concludit, „quando filii Israel praecepto Dei tulerunt Aegyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter et Abraham cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitae et mortis; ipse enim est, qui poenam mortis infligit omnibus hominibus justis et injustis pro peccato primi parentis; cujus sententiae si homo sit executor auctoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus". Sum. 1, 2, q. 100, a. 8, ad 3. Et vero quod Deus salva sua sanctitate et justitia facere potest ipse, id potest et facere per alium; unde quum Deus qua supremus Dominus Isaaco vitam adimere posset ipse, poterat etiam adimere per Abrahamum. Cf. *Suarez*, de leg. l. II, c. 15, n. 19. Exitus autem historiae ostendit, Deum non tantum non exigere sacrificia humana, quae a gentilibus offerri consueverant, sed eadem etiam dedignari; nam pro Isaac filio substituitur aries.

Porro quamvis Genesis tradat, inter cognatos ipsius Abrahami fuisse, qui idola colerent, tamen non docet, aut cognatos omnes aut ipsum Abrahamum idola coluisse. Si causam, ob quam Deus Abrahamum e terra sua abire jussit, attendimus, dicendum est, imminens quidem fuisse perversionis periculum, non tamen exstinctam jam fuisse unius Dei cognitionem.

210. *c.* Religione primitiva *plurium deorum* cultum exercitum fuisse, nonnulli demonstrare nituntur ex eo, quod vox *Elohim*, utpote pluralis numeri, per se deos plures significet; quam vocem, polytheismi pristini vestigium et indicium, servatam fuisse affirmant, stabilito postea apud Hebraeos monotheismo.

Pluralis numerus per se non significat necessario subjectorum sive individuorum multitudinem, quibus quod substantivo exprimitur, communicetur; secundum linguae hebraicae indolem significat etiam illius, quod substantivo exprimitur, majorem gradum; verbo, praeter extensionem sive multitudinem significare etiam potest intensionem. Id fere docuerunt Rabbini statuentes numerum pluralem majestatis. Hinc imprimis potestas vel dominatio eximia numero plurali illius, cui potestas competit, denotari, et dominus eximius *dominorum* appellatione significari solet.[1]) Quod si ita est, Deus, utpote infinitas perfectiones gradu infinito complectens, aptissime designatur nomine plurali *Elohim* aut alia voce plurali, ut *Adonaï*. *Schaddaï* etc. Si esset ambiguum, utrum plures dii significentur an unus, dubium plane tollitur eo, quod nomini plurali, quum de Deo vero sermo est, verbum fere semper annecti solet numeri singularis: bara Elohim *creavit Deus*. Denique voce *Elohim* per se significari naturam unam sive unum subjectum, ex eo patet, quod inde ab antiquissimis temporibus hoc nomine designatum est id, quod natura et hominum judicio erat unum et singulare. Non

[1]) „Der Name *Elohim* bezeichnet als richtig verstandener d. h. nicht eine blosse consuetudo honoris, sondern die absolute Fülle des Begriffs ausdrückender Majestätsplural das zu *fürchtende höchste Wesen*, in welchem die unendliche Fülle von göttlichen Kräften und Vollkommenheiten vereinigt ist." *Keil*. Lehrb. der hist. Krit. Einleit. in die Schriften des A. T. §. 25. Cf. *Kurtz*, Gesch. d. A. B. I, §. 13. *Vigouroux*. La Bible et les découvertes modernes. II, p. 341. Les différents noms de Dieu dans la Bible. Cf. supra p. 190.

tantum Jehovah, qui unus est et credebatur, sed et quaecunque gentium divinitas falsa ab aliis distincta, ut Baal, Astarte, Dagon, Beelzebub vocabatur Elohim. Gen. 17, 7; Ex. 15, 2; Deut. 4, 39; Jud. 6, 31. Cf. *Vigouroux*, La Bibl. II, p. 356, *Schanz*, Apologie des Christenth. II, §. 5.

Propositio 54. *Animam humanam corpore dissoluto superstitem esse, justosque remunerationis aliquando fore participes, Pentateucho indicatur et tamquam notum supponitur.*

Deistae et Rationalistae, qui, alterutram veritatem Pentateucho non tradi existimantes, religionis mosaicae divinam originem negarunt, duces habuerunt Mohametanos quosdam, quorum unus Pentateuchum corruptum esse ita demonstrat: „Pentateuchus quem nunc habemus, indignus est qui habeat Deum auctorem: continet enim plurimas superstitiones . . . Nihil vero in eo legitur, quod pertineat ad res aeternas, ut ad paradisum, ad gehennam, ad extremum judicium, sed omnia quae in eo sunt, res terrenas et temporales respiciunt". Cf. *Marracius*, Alcoran. Prodrom. P. I, p. 13. Imm. *Kant* ex eo, quod lex mosaica nonnisi temporalem norit sanctionem, ad animae immortalitatem plane non attendat, nulla tradat verae moralitatis internae principia, concludit, judaismum, spectata ipsa ejus primitiva institutione, carere omni fide religiosa, nec esse societatem religiosam, sed mere civilem, quia sine fide vitae futurae et praeceptis moralibus religio nulla esse possit. (Religion in den Grenzen der blossen Vernunft. 2. Abtheil. Werke, Ausg. Rosenkranz, 10. Th. p. 150, 153.)

211. Pars I. Animae immortalitas in Pentateucho traditur.

A multis ad nostra usque tempora id negatum est. Quasi manifesto verum supponunt, „a Mosaismo primitivo" doctrinam immortalitatis plane alienam fuisse; eumque non novisse nisi „hunc mundum". Fried. *Kolb*, Culturgeschichte der Menschheit (3. Aufl. I, p. 117.) Quum autem aperte constet, Hebraeos ultimis ante Christum saeculis animae immortalitatem credidisse, ulterior haec additur sententia, populum in captivitate a Chaldaeis hanc fidem accepisse. Fatendum quidem est, libris post urbis excisionem conscriptis populi spem vitae futurae apertius exprimi, ut etiam post captivitatem unius Dei cultui fidelius inhaesit quam ante. Sed quemadmodum a Chaldaeis idololatris et a Persis sive idololatris sive dualismi asseclis non didicit unius Dei existentiam et cultum, ita etiam ab iisdem non didicit animae immortalitatem.

Probatur 1. *ex animae creatione ejusque cum Deo similitudine.* Animae immortalitas insinuatur ipsa hominis creatione et quidem duplice ratione. Imprimis anima humana exhibetur non producta e materia, ut res caeterae, sed solo Dei imperio corpori jam formato immissa: „Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem". Gen. 2, 7. Non agitur hic de vitae principio, quod ejusdem sit naturae cum illo, quo et bruta vivunt; istud enim principium non exhibetur solius Dei actione productum, quum etiam materia egisse exhibeatur: „Producat terra animam viventem". Gen. 1, 24. Praeterea animae humanae cum Deo similitudo effertur: „Faciamus hominem ad

imaginem et similitudinem nostram . . . et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum". Gen. 1, 26, 27. Planiore modo hic exprimitur illud, quod philosophi modo abstractiore efferunt dicentes, animam humanam non esse e materia dependentem, sed esse in se subsistentem, spiritualem, atque ideo natura sua immortalem, i. e. eam corpore dissoluto non interire, ut brutorum anima e corpore pendens eique subjecta corpore intereunte et ipsa interit.

2. *e fide patriarcharum.* Multis etiam argumentis constat, patriarchas credidisse, animam corpore dissoluto a Deo servari superstitem. Notandum vero est, eosdem alteram vitam sibi exhibuisse talem, qualis conformis erat conditioni hominum, qui etsi justi essent, beatitudinis propositae et promeritae statim a morte nondum fieri possent participes. Quod non attendentes nonnulli, imperfectum vitae alterius statum, qui patriarcharum effatis innuitur, confuderunt cum imperfecta immortalitatis cognitione ipsa, quum tamen aliud sit, rem cognoscere et exhibere ut certam, aliud eandem distincte cognoscere et exhibere ut in se sive distincte cognitam.

Qui moriuntur, „ad patres ire", „ad populum suum colligi" dicuntur, quod non ad corpus terrae mandandum, sed ad animam alicubi servandam refertur. „Jacob finitis mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum et obiit, appositusque est ad populum suum. Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens et deosculans eum." Gen. 49, 32; 50, 1. Jacob appositus dicitur ad populum suum, antequam conditus esset et sepultus; ergo alio modo quam communis sepulchri participatione, populo suo junctus est. Etiam Abraham, cui Deus dixerat: „Tu ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona" (Gen. 15, 15), „congregatus est ad populum suum; et sepelierunt eum in spelunca duplici, quae sita est in agro Ephron". Gen. 25, 8. 9. Non in terra Chanaan, sed in Syria et Chaldaea vixerant et sepulti fuerant patres ejus; ergo non sepulchro iisdem junctus est. Similia et in aliis evenerunt. Aaron ante ingressum in terram Chanaan „mortuus est in monte Hor, et appositus populis suis". Deut 32, 50. Moysi Dominus praecepit: „Ascende in montem istum Abarim i. e. transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho . . . et morere in monte; quem conscendens jungeris populis tuis". Deut. 32, 49. 50. Uterque populis suis jungitur, licet uterque in terra aliena sepeliatur.

Qui moriuntur, descendere dicuntur in *scheol* sive inferorum locum, qui a sepulchro distinguitur. Patet hoc vel maxime e verbis Jacob, qui etsi filium Joseph „a fera pessima" devoratum credebat, tamen dicebat plangens: „Descendam ad filium meum lugens in infernum". Gen. 37, 35. Non de sepulchro, quippe quo filium caruisse existimabat, sermo esse hic potest; intelligendus igitur est locus, quo sibi sociari defuncti credebantur, ut ipsa vocis derivatio significare videtur. „De etymo, pro certo habendum

est, *scheol* significare locum cavum et subterraneum ut germanice *Hölle* ejusdem originis esse videtur atque Höhle". Ita *Gesenius* in thesauro linguae heb. s. h. v.; similiterque et alii.[1]) His aliisque locis animae immortalitatem indicari, *Origeni* adeo certum erat, ut contra Celsum legis emolumenta enarrans sciberet: „Quanti fuit, vix natos et adhuc balbutientes didicisse animae immortalitatem, subterranea tribunalia, mercedem recte viventibus destinatam!" C. Cels. V, n. 42.

3. *e vulgi fide.* Etiam Hebraeorum vulgus animae immortalitatem credidisse, manifestum est e prohibito usu superstitioso a mortuis sciscitandi res absconditas. „Nec sit maleficus, nec incantator, nec qui phythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem". Deut. 18, 11. E mortuis quaerere veritatem non poterant nisi qui crederent, mortuos vivere. Hunc, quem diximus, prohibitionis esse sensum, exemplo regis Saul manifestum est, qui per mulierem in Endor Samuelem defunctum interrogari voluit. I. Reg. 28, 7. Cf. *Hanebery,* Gesch. d. Offenb. 4. Aufl. p. 109.[2])

4. *e fide populorum finitimorum.* Fieri non poterat, ut Israelitae ignorarent animae humanae immortalitatem, quam ut populi passim, ita imprimis credebant populi illi, quibuscum sive ipsis sive eorum majoribus commercium quam maxime intercesserat.

Si de populorum orientalium fide aliunde non constaret, inscriptiones cuneiformes Babyloniorum recente tempore detectae illam fidem manifestam redderent. Exhibent enim descensum deae Istar in orcum, locum defunctorum manibus destinatum. (V. George *Smith's* Chald. Genes. übers. von *Delitzsch* p. 198 n. 314.) Idem dicendum est de Aegyptiis. Eorum fides manifesta est e libro qui dicitur funebris sive qui cum mortuis sepeliri solebat, ut iis ad alteram vitam, in qua mors non esset, transeuntibus praesidio esset. (V. The funeral Ritual or Book of the Dead, translated by Samuel *Birch*, in opere: Egypt's place in univ. hist. by *Bunsen,* vol. V, p. 134.) In monumentis Aegyptiorum saepissime depingitur judicium, quod animae a corpore solutae subeundum est, ut sors ejus decernatur. (M. *Uhlemann*, Handb. der ägypt. Alterth. II, p. 220.) Animadvertere autem juvat, quum in Pentateucho animarum vita immortalis simpliciter statuitur, apud alias gentes eandem late describi et fabulis exornari: videlicet Pentateuchus liber est historicus, dum aliarum gentium narrationes mythorum indolem prae se ferunt.

Verum sane est, immortalitatem in Pentateucho minus clare proponi quam in N. T. Hujus discriminis ratio petenda potissimum est ex indole

[1]) Jul. *Fürst,* Schulwörterbuch: „Höhle, Grube; daher Hölle, Unterwelt, Schattenreich, wo die abgeschiedenen Seelen wohnen. Stamm *schaal* (fordern)". s. h. v.

[2]) Pentateucho animarum immortalitatem insinuari, confirmatur e fide Samaritanorum, qui rejectis caeteris solos Moysis libros admittebant. Samaritani videlicet, licet corporum resurrectionem negarent, animae tamen immortalitatem profitebantur; unde et pro defunctis preces fundebant. V. *Lequien* in s. Joan. Damasc. de haer. n. 9. Ed. M. I, p. 684.

tum veteris T. tum remunerationis, quae sub vetere T. viventibus obtingere poterat. Vetus T. quum esset novi T. praeparatio, non poterat tradere doctrinam illam amplam, quae novi T. tempore diffundenda erat. Quum praeterea immortalitatis doctrina intime connexa sit cum remuneratione, in vetere T. differenda erat plena doctrina de immortalitate, quia differebatur plena remuneratio.

212. Pars II. Ut vita altera, ita etiam remuneratio aliquando largienda in Pentateucho innuitur. Dicimus „aliquando" largienda; non enim innuitur statim a morte largienda justis. Non pauci illorum qui animae immortalis fidem apud Hebraeos viguisse admittunt, remunerationis tamen spem negant. Fundamentum eorum praecipuum est, quod in lege mosaica remuneratio tantum temporalis promittatur, haec autem remunerationem aeternam excludere videatur. At distinguendum est inter legislationem mosaicam et religionis principia omni aetati communia. Alia erat remuneratio statuta per legem mosaicam, alia, quae omnibus, etiam Israelitis, attamen non per legem mosaicam, sed per legem omnibus communem statuta erat. De hac sola, non de illa hic agendum.

Probatur 1. *e remunerationis fide inclusa in fide immortalitatis.* In ipsa immortalitate, quam Pentateuchus insinuat et supponit, insinuatur et supponitur remuneratio. Ut enim vel ipsa ratio docet, opus est legis moralis sanctione, quae vitam alteram respiciat; unde quum Pentateuchus vitam hanc alteram statuat, implicite etiam statuit remunerationem necessario cum ipsa connexam. Unde etiam gentiles, sive ratione sive revelatione primitiva, sive utraque simul edocti cum vita altera remunerationem jungebant.

Haec remuneratio secundum principia, quae Pentateuchus statuit, supernaturalis sit oportet; quod notare juvat, etsi id hoc loco demonstrandum non assumpsimus. Etenim remuneratio illi vivendi rationi et legis observationi, ob quam tribuitur, necessario respondet, ita ut legis observationi naturali naturalis, supernaturali etiam supernaturalis remuneratio tribuenda sit. Justorum autem vivendi ratio et legum observatio non mere naturalis, sed supernaturalis fuisse dicenda est. Non enim naturali tantum Dei cognitione, qualis e creatione hauritur, sed supernaturali, quae e revelatione proprie dicta fluit, nitebantur, neque naturalia tantum, sed et supernaturalia praecepta observabant, unde et supernaturalis gratiae auxilio juvandi erant: verbo, Deus sese illis ut supernaturaliter providum revelaverat, et tamquam supernaturaliter providus ab iisdem colendus erat. Ergo supernaturalis remuneratio in Pentateucho insinuatur.

2. *e vitae alterius conceptu tamquam patriae.* Patriarchae vitam alteram sibi exhibebant tamquam patriam, vitam praesentem tamquam peregrinationem. Patria, dum peregrinationi et exilio opponitur, statum felicitatis denotat; ergo post hanc vitam felicitatem aliquam expectabant, quae non potest non esse remuneratio juxta illa quae antea diximus.

Jacob ab Aegypti rege interrogatus: „Quot sunt dies annorum vitae tuae?“ respondit: „Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.“ Gen. 47, 9. Quamvis Jacob, Isaac et Abraham etiam in terra Chanaan peregrini fuerint, hic tamen non de sola hac peregrinatione sermo est. Nam Jacob de patrum suorum peregrinatione loquitur; patres non fuerunt illi soli, qui in terra Chanaan tamquam aliena vixerant, Abraham nimirum et Isaac. Praeterea non Mesopotamiam, quam reliquerat, Abraham ut patriam opponit terrae, quam inhabitabit; illius enim desiderio non tenebatur, ut innuit dicens servo: „Cave ne quando reducas filium meum illuc.“ Gen. 24, 6. De alia igitur patria, a qua peregrinetur et cujus desiderio teneatur, loquitur. Argumento hoc usus est Apostolus ita concludens: „Qui hoc dicunt (se peregrinos esse), significant, se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est coelestem.“ Hebr. 11, 13—16. Fatendum quidem, peregrinationem in terra Chanaan tamquam adhuc aliena Abrahamo figuram fuisse peregrinationis in hoc mundo, ut et adeptio terrae Chanaan tamquam propriae Israelitis imago erat et figura patriae coelestis. Attamen sensu etiam litterali, ut ostendimus, vita futura tamquam patria exhibetur.

Porro haec felicitas et remuneratio ut speciali Dei cura eisdem praeparata exhibebatur dicente Deo ad Abraham: „Ego protector tuus sum, merces tua magna nimis.“ Gen. 15, 1. Quamvis enim haec promissio de mercede et felicitate hujus vitae intelligatur, tamen, ut contextus probat, de mercede aliquo modo supernaturali i. e. speciali providentia adducenda agitur. Ex indole autem aliquatenus supernaturali mercedis huic vitae promissae merito concluditur, mercedem alterius vitae multo magis supernaturalem fore. Constat ergo iterum, Patriarchas remunerationem exspectasse supernaturalem.

3. *e fide maxime explicita ultimorum saeculorum.* Historia testatur, Christi imo et Machabaeorum atque ipsius exilii tempore apud Hebraeos remunerationis fidem maxime explicitam viguisse. Haec autem fides non tunc primum orta, sed a patribus transmissa servabatur, quum populus praesertim Machabaeorum tempore legi addictus esset et illi potissimum, qui legis observatione maxime eminerent, maxime etiam foverent et profiterentur illam fidem. Ergo etiam apud Hebraeorum majores remunerationis supernaturalis fidem viguisse et divina revelatione haustam fuisse constat.

Hanc fidem profitebatur qui ad Jesum accedens dixit: „Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?“ Matth. 19, 16. Vitae appellatione felicitatem designat et quidem illam, quam et christiani exspectant, quum eodem modo de utraque sit sermo; Christiani autem felicitatem exspectant supernaturalem. Eandem fidem profitetur fratrum Machabaeorum ille, qui, quum cruciaretur, dixit: „Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.“ 2. Mach. 7, 9. Remuneratio, cujus pars est gloriosa corporum resurrectio, sine dubio supernaturalis est. Remunerationem supernaturalem meritis supernaturalibus comparatam Tobias designat se suosque ita exhortans: „Filii sanctorum

sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutaverunt ab eo". Tob. 2, 8.

Flavius *Josephus* popularium suorum fidem luculenter testatur: „Qui legis ad praecepta rebus in omnibus adhaerent, iis praemium est non argentum vel aurum, non corona ant aliquid ejusmodi praeconium; sed conscientiae quisque suae testimonio freti, quod et legislator praedixit, et Deus certissimae fidei pignore confirmavit, futurum omnino credunt, ut illis, qui leges constanter servaverint, et novum deinceps ortum, et vitae vicissim alterius longeque melioris fructum Deus largiatur. Quae sane scriberem ipse nunquam, nisi ex factis cognitum id omnibus intelligerem, hominum plerosque nostrorum saepius, ne vel una sibi contra legem vocula excideret, omnia fortiter pertulisse." Contra Apion. II, 30.

Non pauci religionem mosaicam censent imperfectiorem fuisse quam decuit, praecipue ob hanc rationem, quod paucissima aut vix ulla tradiderit de altera vita ejusque remuneratione. Religionis enim omnis officium ex parte in eo est, ut homines ad alterius vitae felicitatem obtinendam disponat; disponere autem non potest, si ne mentionem quidem illius felicitatis facit.

Sine dubio religio mosaica longe imperfectior fuit quam religio christiana, at non erat imperfectior quam esse decuit. Congruebat enim hominum conditioni, quae fuit ante beatitudinis januam Christi morte apertam. Mirum non est, beatitudinem quasi de longinquo tantum commonstratam fuisse illis, qui etsi justi decederent, ejusdem participes esse nondum poterant. Imo religio mosaica, quia vera erat, non poterat falsarum religionum more beatitudinem exhibere tamquam mox a morte obtinendam. Quam congrua ob hanc quoque causam fuerit remuneratio temporalis, quae tamen aeternam non excluderet, mox dicetur.

Propositio 55. *Mosaicae legis per praemia poenasque temporales sanctio multiplice de causa summe conveniens erat.*

213. Ut praecipientis auctoritate, sic etiam ex commodo, quod ex lege impleta consequitur, homo ad eam implendam impellitur. Commodum illud potest esse consecutio boni vel utilis, vel honesti, vel delectabilis, aut etiam exemptio a malo aliquo, quod e lege non impleta oriretur. Illud bonum adispiscendum aut malum evitandum legis sanctio vocatur. Cf. s. Thom. 1, 2, q. 92, a. 2. Suarez, de leg. l. 2, c. 15, n. 13.

De duplice legum sanctione quaeri potest: tum de illa, quae, singulis legibus addita, potissimum lege violata a judice infligitur, tum de illa, quae toti legislationi addita est quamque Deus ipse exequitur. Non quaerimus hic de illa, quae in legum transgressores a judicibus infligenda erat. Agimus hic de sanctione illa, quam Deus ipse exequitur, et haec duplex erat: altera propria et specialis, altera communis.

Foedus Deum inter totamque gentem initum praemiis et poenis sanciebatur temporalibus, ut late legitur in Deuteronomio (28), et tota gentis historia testatur. Attamen populum potius integrum quam singulos cives haec sanctio spectabat. Singuli quidem partem habebant in prosperitate et calamitate, quae toti obveniebat populo; poterant autem esse saepeque erant rationes, ob quas justi singuli seorsim affligerentur, aut injusti gauderent bonis, quae multitudini obveniebant. Sufficit meminisse Tobiae, Danielis aut Jeremiae. Hac ratione fiebat, ut etiam sub lege vetere justis in hac vita non semper praemium, injustis non semper poena tribueretur. Aliud dicendum est de populo integro.

Probatur 1. *e constitutione theocratica.* Sanctio haec maxime congruebat constitutioni theocraticae. Non tantum subditis, sed etiam legislatori sanctio accommodata sit oportet. Jam vero Deus non tantum ea ratione, qua apud omnes populos, legum auctor erat apud Israelitas, largiendo videlicet auctoritatem homini legem ferenti; apud Israelitas Deus ipse regis humani personam gerere volebat. Id autem perfecte locum habere non poterat, nisi Deus leges a se latas sanciret poenis et praemiis iisdem, quibus et humani legislatores leges suas sancire solent. Ex. 19, 5. 6; Deut. 26, 17. 18.

Flavius Josephus regiminis formam apud Israelitas *theocraticam* fuisse docet. „Alii, inquit, uni tantum, paucis quibusdam alii, alii denique populo summam reipublicae potestatem commiserunt. At legislator noster, hisce neglectis omnibus, theocraticam reipublicae formam instituit; atque ita summo principatu Dei numini attributo, id egit maxime, ut in eo cunctorum oculi ac mentes acquiescerent, tamquam in eo, qui et omnium bonorum auctor et causa sit.“ Cont. Apion. II, n. 15. Theocratia in eo est, ut rerum civilium summa potiatur Deus, sive ut suprema potestas civilis non in alio nisi in Deo tamquam *subjecto* resideat et ab aliis tamquam ejus ministris ejusque nomine exerceatur. Itaque theocratia non in eo est, ut Deus sit suprema potestatis *causa* et ab eo potestas in alium tamquam in subjectum derivetur; si enim in hoc constitueretur theocratia, civitates omnes essent theocratiae, quum omnis potestas e Deo ut causa suprema sive ex Deo saltem ut naturae auctore derivetur. Deus summi principis munia apud Israelitas obiisse dicendus est, quum ipse sua auctoritate leges tulerit, principes et reges quasi proreges constituerit, in rebus dubiis voluntatem suam aperiret, etiam in bellis praeesset. Neque umquam haec regiminis forma penitus cessavit; licet ex quo tempore reges constituti sunt, sensim sit imminuta. V. *Hooke,* Relig. nat. et revel. princ. Vol. II, c. 2, a. 3.

2. *ex indole legis ut minus perfectae.* Congruebat haec sanctio indoli legis, quae erat imperfecta legemque novam perfectiorem velut figura et umbra praecedebat. Non fuisset ratione sanctionis lex vetus imperfecta, si praemia spiritualia poenasque a sensibus remotas proposuisset sive eandem cum lege nova habuisset sanctionem.

3. *ex indole populi minus provecti.* Congruebat indoli populi adhuc imperfecti et ad bona sensibilia proni. Praemiis et poenis quilibet ad legis observationem est inducendus. Non autem inducetur modo sibi maxime congruo, si proponuntur praemia, quae minus appetit, aut poenae, quibus minus terretur. Populus rudior bonis et malis praesentibus et sensibilibus quamvis minoribus magis moveri solet, quam bonis malisque futuris et a sensu remotis licet majoribus et in se ipsis maxime efficacibus.

Neque *objici* potest, cupiditatem nutritam fuisse bonorum temporalium promissione. Non enim magis nutriebatur, quam nunc nutritur in illis, qui praemiis et poenis temporalibus ad leges civiles observandas provocantur. Sanctionis illius modus imperfectus quidem erat, non tamen perversus. Nam ut notat s. *Thomas:* „Imperfectorum est, quod temporalia bona desiderent, in ordine tamen ad Deum: perversorum autem est, quod in temporalibus bonis finem constituant . . . Cupiditas qua

homo constituit finem in temporalibus bonis, est charitatis venenum; sed consecutio temporalium bonorum, quae homo desiderat in ordine ad Deum, est quaedam via inducens imperfectos ad Dei amorem secundum illud Psalmi 48, 19: Confitebitur tibi cum benefeceris illi." S. 1, 2, q. 99, a. 6.

4. *e respectu ad idololatriam.* Sanctio per bona et mala temporalia praeterquam quod maxime accommodata erat ad legis totius observationem urgendam, singillatim maxime efficax erat ad populum contra idololatriae periculum praemuniendum et in unius Dei cultu conservandum. Unus enim Deus exhibebatur bonorum omnium causa et omnium rerum, gratarum et ingratarum, administrator.

Gentiles ideo potissimum suos colebant deos, ut bona temporalia ab iisdem acciperent aut contra mala temporalia protegerentur. Deorum vero multitudinem ideo statuebant, quia putabant, unum non sufficere ad largienda omnia bona aut mala omnia removenda. *Celsus* arguens Christianos, quod a victimis, quae daemonibus oblatae essent, abstinerent, ait: „Et fruges quas edunt, vinum quod bibunt, fructus quos gustant, aqua ipsa quam hauriunt, et aer quem respirant, nonne eorum singula a quibusdam daemonibus accipiunt, quibus singulis earum rerum cura mandata est?" *Orig.* c. Cels. VIII, 28. Quam alte gentilium animis haec insideret opinio, bona singula a singulis tribui numinibus, primorum saeculorum Patres abunde testantur, quum a christianis hoc amovent crimen, quod plurium deorum cultum negligendo causa sint, cur Romanum imperium felicitate careat et malis prematur. Hanc opinionem e gentilium mentibus evellere multis allaborabat s. *Augustinus*. De civit. IV, 16. seqq. Dilata remuneratione omni in tempus futurum populus hebraeus nimis facile abreptus fuisset exemplo illorum populorum, qui a diis singulis singula bona se impetrare credebant.

Hoc Dei consilium non tantum in lege, sed in omni circa illum populum providentia eminere pulchre ostendit s. *Augustinus*. „Ut cognoscerentur, inquit, etiam illa terrena bona, quibus solis inhiant qui meliora cogitare non possunt, in ipsius unius Dei esse posita potestate, non in multorum falsorum, quos colendos Romani antea crediderunt, populum suum in Aegypto de paucissimis multiplicavit, et inde signis mirabilibus liberavit . . . Sine invocatione Neptuni mare transeuntibus divisum patuit, et sequentes eorum inimicos fluctibus in eo redeuntibus obruit. Nec consecraverunt deam aliquam Manniam, quando de coelo manna sumpserunt; nec quando sitientibus aquam percussa petra profudit, Nymphas Lymphasque coluerunt . . . . Prorsus omnia, pro quibus tantae falsorum deorum turbae Romani supplicandum putaverunt, ab uno vero Deo multo felicius obtinuerunt." De civ. IV, 34.

214. *Objicitur*, prosperitatem temporalem non semper obtigisse populo legem observanti. Nam quamvis priscis temporibus, praesertim sub judicibus, prosperitas semper secuta sit observationem, afflictio violationem legis, ultimis tamen saeculis, praesertim tempore Machabaeorum, populus, quum magna ejusdem pars legem studiose observaret, quam plurimis afflictus est malis.

Resp. Accurata illa legis observatione conspicui quidem erant multi, non tamen omnes, quum non pauci ad gentium usus delaberentur et inter Judaeos pro-

ditores existerent. Unde et ipsi Judaei malorum, quibus affligebantur, causam in peccatis „habitantium civitatem“ reponebant. 2. Mach. 5, 17. Propterea Judas Machabaeus ejusque socii purgato templo „rogabant Dominum, ne amplius talibus malis inciderent, sed et, si quando peccassent, ut ab ipso mitius tractarentur.“ 2. Mach. 10, 4. Caeterum severior illa castigatio et bonorum temporalium imminutio, Dei promissis per se non adversans, maxime congruebat populi conditioni. Ultimis enim temporibus populus, saltem melior ejusdem pars, ad novae legis statum quodammodo transire incipiebat, unde et hujus novae legis sanctioni aliquatenus assuefaciendus erat. Valet igitur aliquatenus de populo, quod de singularibus personis docet s. Thomas: „Aliquae, inquit, personae particulares etiam justitiam legis observantes in aliquas adversitates incidebant, vel quia jam erant spirituales effecti, ut per hoc magis ab affectu temporalium abstraherentur, et eorum virtus probata redderetur, aut quia opera legis exterius implentes, cor totum habebant in temporalibus defixum et a Deo elongatum“. 1, 2, q. 99, a. 6, ad 3.

Propositio 56. *Remuneratione temporali et legi mosaicae propria non excludebatur remuneratio spiritualis vitae futurae et generi humano communis, quae simul cum illa rependeretur etiam actionibus lege mosaica praescriptis.*

215. Lex mosaica formaliter spectata non promittebat mercedem nisi temporalem; nunquam enim de alia sibi propria loquitur. Statuta autem a Deo et patriarchis promissa erat remuneratio spiritualis et aeterna, quae justis omnibus esset communis, quam quidem nonnisi per novam legem adepturi essent, quatenus ipsam gratiam, sine qua justitia acquiri et augeri non potest, nonnisi per legem novam sive per redemptoris promissi merita futura obtinerent. Itaque Israelitae, dum legem mosaicam servando mercedem temporalem merebantur, simul etiam spiritualem et aeternam, lege communi pro omnibus hominibus statutam, merebantur, quoties conditiones ad supernaturaliter merendum aderant.

Probatur 1. *e respectu ad Deum creatorem et legis naturalis auctorem.* Quamdiu hominis respectus ad Deum creatorem, Dominum et legislatorem in hac vita idem manet, tamdiu idem manet ejusdem respectus ad remuneratorem et vindicem in vita futura; nam ille respectus sive illa submissio est fundamentum remunerationis vel poenae pro altera vita statutae. Atqui respectus ad Deum in hac vita manebat idem. Nam testante et promulgante Pentateucho, Israelitae lege accepta non minus Deum creatorem rerumque omnium auctorem et Dominum respiciunt eique obedire tenentur, quam ante legem; jubentur enim legem servare, quia a Deo creatore et Domino supremo lata est. Ergo etiam idem manebat respectus ad Deum remuneratorem et vindicem in altera vita.

Singillatim respectus ad Deum creatorem et legislatorem idem permanens insinuatur post tertium decalogi praeceptum: „Septimo die sabbatum Domini Dei tui est . . . Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram . . . idcirco benedixit Dominus diei Sabbati et sanctificavit eum.“ Ex. 20, 10. 11. Itaque sabbato sive quiete praescripta Israelitae colunt Deum ut creatorem coeli et terrae. Imo totam legem implere tenentur

respicientes Deum rerum omnium Dominum gratias ei referentes pro electione singulari: „Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus et diligas eum ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua custodiasque omnia mandata Domini . . . En Domini Dei tui coelum est, terra et omnia, quae in ea sunt; et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus." Deut. 10, 12—15.

2. *e natura actuum praescriptorum.* Remuneratio in altera vita sine dubio proposita erat observantibus legem, quae praescribebat actus etiam internos, quibus ob suam quasi naturam sive praestantiam in omni ordine, etiam in lege nova, competit et promissa est remuneratio aeterna. Hujusmodi autem actus praescribebat lex mosaica, falsumque est, eandem praescripsisse tantum actus externos et politicos. Praescribebat enim actus amoris Dei et proximi, et amorem hunc duplicem statuebat totius legislationis fundamentum, cum quo videlicet omnes leges particulares aut suapte natura aut voluntate Dei positiva connecterentur.

„Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua". Deut. 6, 5. „Diliges amicum tuum sicut teipsum". Lev. 19, 18. Amicus est proximus sive homo omnis; nam praecedit: „Non oderis fratrem tuum in corde tuo". Ib. 19, 18. Amorem Dei statui omnium legum hinc etiam mutui amoris fundamentum, edicitur loco (Deut. 10, 12) modo allato. Unde et Christus: „In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae". Mtth. 22, 40. Omnia reliqua praecepta eo tendunt, ut mandatum utrumque observetur.

Nihilominus lex mosaica ad *perfectionem legis novae* non accedit, idque spectatis ipsis praeceptis. Nam quamvis implicite prohiberet, quidquid natura sua est malum, et implicite praeciperet, quidquid e summo legis principio, Dei videlicet amore, sequitur, tamen non omnia haec diserte aut vetabat aut praecipiebat. Illustrari id potest e praecepto diligendi inimicos, quod est naturale, hinc etiam in V. T. obligabat. Cf. *Suarez*, de charit. disp. 5, s. 5, n. 5. Nihilominus minus urgebatur. Idem dici potest de vetanda concupiscentia; diserte quidem prohibetur concupiscere alienam uxorem, at non omnis alia concupiscentia diserte interdicitur. Praeceptum utrumque perfecit Christus apertius declarando, quid utroque comprehendatur. Praeterea perfecta lex est per Christum addendo praeceptis consilia. Cf. *Maldonat.* in Mtth. 2, 21.

Perfecta dici potest, ut supra notavimus, lex mosaica, quatenus accommodata erat statui populi; hic autem status erat imperfectus. De lege vetere valet, quod valet de praeceptis puero datis. Haec possunt dici perfecta et imperfecta: perfecta sunt, quatenus aetati puerili sunt accommodata; imperfecta, quatenus a puero non exiguntur, quae merito exiguntur ab adultis.

3. *ex utriusque sanctionis conditionibus.* Sanctione temporali excludi remunerationem alterius vitae, tunc solum affirmandum esset, si, illa statuta, conditiones istius necessariae locum habere non possent.

Atqui possunt habere locum tum ex parte Dei tum ex parte hominum. Nam remuneratio temporalis a Deo ut principe populi israelitici constituta non magis tollit remunerationem a Deo ut omnium hominum legislatore constitutam, quam remuneratio ab humano legislatore statuta remunerationem a Deo statutam tollit; pariter qui mercedem temporalem a Deo regis temporalis partes explente propositam meretur, aeque mereri potest mercedem aeternam a Deo propositam omnibus, ac qui principi temporali servit, simul servire Deo potest et revera servit, si bonis temporalibus ideo utitur, ut per ea ad bona aeterna pertingat. V. *Suarez* de leg. IX, 6, n. 31.

4. *confirmatur e nova lege.* Secundum novae legis doctrinam illi qui sub lege mosaica vivebant, legem observando mereri poterant vitam aeternam; ergo sanctione speciali non excludebatur remuneratio aeterna. Christus Dominus adolescentem rogantem, quid faciendo vitam aeternam habiturus esset, respondet: „Serva mandata", utique illa, quae adolescens norat et quibus adstringebatur, mandata legis mosaicae. Mtth. 19, 17. S. Paulus (Hebr. XI) late docet, patres etiam sub lege viventes fide obtinuisse justificationem, hinc vitam aeternam meritos fuisse, licet lege adhuc durante coelum ingredi non potuerint.

Quod de Patriarchis, id etiam de Moyse et justis sub lege mosaica viventibus docet Apostolus. De illo thesauros Aegypti cum populi afflictione commutante docet: „Aspiciebat enim in remunerationem". Hebr. 11, 26. Agitur de remuneratione spirituali et aeterna; nam de omnibus justis, qui sub lege vixerunt, dicit concludens: „Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem" (11, 39); quia videlicet usque ad tempora post Christi mortem sequuta differebatur. Repromissio haec sive remuneratio non potest esse nisi spiritualis; nam temporalem lege mosaica statutam complures receperant. V. *Estius* in h. l.

216. His non obstat, quod s. Paulus docet: „Quoniam in lege nemo justificatur apud Deum". Gal. 3, 11. Lex praecipiebat quidem actus illos, per quos obtinetur justificatio, i. e. praecipiebat actus fidei, spei, poenitentiae, charitatis: attamen quod in illis actibus requiritur, ut justificatio obtineatur, non dabat lex vetus. Actus enim illi, ut ad justificationem perducant, e gratia procedant necesse est: gratiam autem lex vetus promittebat ut obtinendam per legem novam. Conferebatur sane gratia etiam hominibus sub lege vetere constitutis; attamen non vi legis veteris, sed vi novae legis conferebatur. Aliud est statuere praeceptum; aliud dare illud, per quod praeceptum observatur. Praeceptum charitatis statuebat etiam lex vetus; gratiam actualem, quae ad actum charitatis eliciendum requiritur, et gratiam habitualem sive justificationem, quae illum actum sequitur, dabat lex nova etiam nondum constituta. Verbo: gratia et justitia erunt *cum* lege, sed non *ex* lege. *Suarez*, de leg. IX, 7, n. 14. *Becan.* Analog. c. 5, quaest. 3.

Caput II.

De generis humani reparatore in triplice revelatione praevia promisso ejusque adventu praeparato.

217. Obscurius primum Deus reparatorem futurum designavit, ut genus humanum, supernaturalis providentiae fide et reparationis spe interim concepta, ad pleniorem lucem conspiciendam sensim praepararetur. Lineamentis ad describendum Messiam adhibitis nova identidem addidit lineamenta, quae tandem populo electo unum illum notis variis insignitum exhiberent, quem ut novum salutis antea amissae et jam recuperandae auctorem complecteretur.

Articulus I.

De reparatoris promissione tempore revelationis primitivae.

Propositio 57. *Deus in paradiso generi humano lapso promisit reparatorem.*

218. „Ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa (ipse) conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus." Gen. 3, 14. 15.

Locus hic, totam salutis oeconomiam continens, merito dictus est protoevangelium. Agi de reparatore, demonstratur e singulis hujus loci momentis.

1. *Serpenti* tamquam diaboli symbolo et instrumento, hinc principaliter diabolo ipsi poena infligitur. Nam infligitur, „quia" mulierem seduxerat, hinc illi, qui seduxerat; seduxerat autem daemon, usus serpente. Praeterea poena supponit culpam; culpa autem intelligentis est sive ratione praediti. Porro ut serpens daemonis est symbolum, ita etiam humilis et despecta serpentis indoles naturalis in posterum erit symbolum humilis et despectae conditionis, quae seductorem jam sequetur.

2. *Inimicitia* quae denunciatur, non est naturalis horror, quo homo avertitur a serpente. Nam est poena, ac proin non serpen-

tem, sed daemonem respicit. Praeterea alia ratione inimicitia illa orietur, quam reliqua quae in textu referuntur. Quum dicitur: „Super pectus tuum gradieris et terram comedes", enunciatur, quod naturalis fert conditio; sed inimicitia illa a Deo inducetur i. e. positiva ratione suscitabitur: „inimicitias *ponam*".

3. *Mulier* per semen victrix, inter quam et daemonem inimicitiae ponentur, non est Eva. Huic enim in subsequentibus nonnisi poenae denunciantur legis transgressioni debitae. Neque sexus est foemineus universus; nam et huic poenae intentantur eaedem. De alia igitur quadam muliere, ob inimicitias cum daemone exercitas conspicua, sermo est. Prospici mulierem futuram, mirum non est, quum et semen prospiciatur futurum. Et quia de alia muliere victrice, non de Eva agitur, propterea nec ad Evam sermo dirigitur, ut merito notat Rupertus Tuitiensis. De victoria Verbi II, 16.

4. *Semen* sive posteritas mulieris tandem victrix sensu obvio est posteritas ex ea nata; semen serpentis est daemonis posteritas, quo sensu posteri sive filii e daemone oriri sive descendere possunt. Daemonis posteri sive filii recte vocantur, qui ab ipso edocti et incitati ejus voluntati obsequuntur et opera perficiunt. Hinc illa Christi contra Pharisaeos prolata sententia: „Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit". Joan. 8, 44. Ut et illud Joannis B.: „Progenies viperarum" (Mtth. 3, 7); „Genimina viperarum" (Luc. 3, 7).

Posteritas victrix ex muliere oritura imprimis non est genus humanum ipsum sua virtute hostem vincens. In subsequentibus enim exhibetur victum et dejectum, ad peccandum proclive. Ex eo quod semen serpentis sumatur sensu collectivo, inferri sane non potest, etiam semen mulieris sumi sensu collectivo et quidem pro toto genere humano; nam multi e mulieris posteris potius inter semen serpentis adnumerandi sunt. Neque pauci quidam, quia suggestionibus daemonis non consensuri sint, ob id designari censendi sunt hostem victuri. Describitur enim victoria plena de hoste communi, et victoria, qua serpentis caput conteratur. Hujusmodi non est paucorum a clade immunitas, dum major hominum pars vincitur. Neque generis humani victoria est paucorum aut plurium victoria, qui generis humani personam non agunt. Plena generis humani de hoste victoria, quae hic promittitur, referri non potest nisi ab illo, qui ejusdem caput sit constitutus, quemadmodum Adamus constitutus erat. Alii, qui victoriae participes

fient, eatenus erunt participes, quatenus capitis illius virtute agunt eique subduntur. Itaque dicendum non est, unius i. e. Messiae victoriam includi in victoria justorum, sed potius dicendum, justorum victoriam includi in unius illius victoria ut effectum in causa.

Ad vaticinium nostrum Scriptores N. T. pluries respiciunt. S. Joannes Christi de diabolo sive serpente seductore victoriam ita describit: „Qui facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli." 1. Joan. 3, 8. „Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem". Apoc. 12, 9. „Et apprehendit (angelus descendens de coelo, habens clavem abyssi) draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille". Ib. 20, 2. Christus ipse testatur, victoriae a se de serpente inimico reportatae fore participes discipulos. „Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem. Ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici". Luc. 10, 18. 19. Unde et Paulus: „Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter". Rom. 16, 20. Alibi hunc adversarium imagine serpentis exhibet: „Timeo autem, ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri". 2. Cor. 11, 3. Confirmatur igitur nostra explicatio, quaecunque interim Novo Testamento tribuatur auctoritas.

De Christo agi vaticinio nostro *Patres* intellexerunt antiquissimi. Secundum s. *Justinum* scriptura docet, Filium Dei „ex virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim quum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit. Maria autem virgo . . . respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum. Ex hac ille genitus est, per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat". Dial. cum Tryph. n. 100. Pluries de loco nostro s. *Irenaeus* agit. „Scriptura ait, dixisse serpenti Deum: *Et inimicitiam ponam etc.* Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit *(ἀνεκεφαλαιώσατο)*, de muliere factus homo, et calcans ejus caput". Cont. haer. IV, 40, 3. In seipsum hanc inimicitiam „recapitulavit" i. e. contractam sive totam assumpsit. Cf. V, 19, 1. Nec minus aperte s. *Cyprianus:* „Hoc semen (hominis et Dei filium) praedixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli." Testim. II, 9.

Rationem, cur nonnisi de Maria et de Christo exponi possit vaticinium, s. *Epiphanius* exponit: „Deus serpentem ita alloquitur: Inimicitiam ponam etc. Atqui nusquam ejusmodi semen mulieris (Evae) inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum hujus stirpe serpens ille et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus, exercet. Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam universa nequeunt, sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, quae a sola virgine Maria . . . propagata est, reipsa ac penitus impletur. Hic enim illius filius ad exstinguendam serpentis vim ac potentiam . . . ad haec infima descendit". Haeres. 88, n. 18. 19.

Ad Messiam relatum esse vaticinium a Synagoga, colligimus e Targum sive interpretatione aramaica Jonathan filii Uzielis, quae posteriorem partem ita reddit: „Quum autem relinquent (filii mulieris) praecepta legis, studebis

ut mordeas eos in calcaneis ipsorum; verum illis erit medicina; quia medicinam adhibebunt calcaneo in diebus Messiae". Biblia polyglotta, Triplex Targum. Similiter Targum Hierosolymitanum: „Verum erit remedium filiis mulieris, tibi vero serpenti nullum erit remedium; quandoquidem futurum est, ut ipsi alii aliis incolumitatem praestent in calcaneo, in fine extremitatis dierum, in diebus ejus, nimirum regis Messiae". Ib. Cf. Franc. *Patritius*, de interpret. Script. l. 2, q. 4. Thom. Jos. *Lamy*. Comment. in Genes. I, p. 233. *Bade*. Christologie des A. T. I, 49. *Tappehorn*. Erklärung der Genesis S. 87.

Propositio 58. *Noë vaticinans Semo supernaturalem, eamque singularem Dei benedictionem in Messia complendam praedixit, cujus per Semum particeps fieret Japhet.*

219. Quod de Semo et Japhet praedicitur, id de eorum posteris, quorum illi personam gerebant, intelligendum est Noë nefaria actione Chami, cujus filius erat Chanaan, comperta, „ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus". Gen. 9, 25—27. Noë prophetico spiritu afflatum fuisse colligitur tum ex illis, quae in praecedentibus de ejus cum Deo familiaritate narrantur, tum e scriptoris scopo, qui est ut Israelitae de Dei consiliis edoceantur, tum denique e rerum eventibus, quibus benedictio illa et maledictio impleta est. Ideo autem maledictionis et benedictionis forma vaticinium conceptum esse merito creditur, ut bona et mala quae eventura praedicuntur, filiorum actionibus congrua esse appareat, tum etiam ut vaticinium hoc in nova generis humani constitutione emissum similius sit vaticinio in prima hominum conditione a Deo ipso edito. Chanaan flagitii a patre commissi quomodocunque participem fuisse, merito supponitur, silente licet Scriptura. Pater punitur in filio Chanaan, et huic soli, non reliquis Chami filiis, maledictio infligitur, quamquam nec benedictionis cum Japhet participes exhibentur.

220. Pars I. *Benedictio singularis enunciatur verbis:* „Benedictus Dominus Deus (*Jahve Elohim*) Sem." Benedicitur enim sive laudatur et celebratur Deus ob dona in Semum conferenda. Haec autem dona sunt supernaturalia et singularia.

Probatur 1. Id *insinuatur* voce *Jahve*, qua Deus passim ut auctor ordinis supernaturalis, supernaturaliter et singulariter providus exhiberi solet, dum vox *Elohim* Deum creatorem mundi et super omnia eminentem designat. n. 200. Propterea etiam quum de Japhet agitur, dicitur nude: Dilatet *Deus* (Elohim) Japhet.

2. Magis etiam idem insinuatur, dum vocatur „Dominus *Deus Semi*". Hoc enim loquendi genere denotatur Deus curam omnino specialem gerens illius, cujus Deus dicitur. Hac ratione vocari solet Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, quibuscum pactum speciale constituerat. Itaque quod in Abrahamo implendum, id quasi anticipatur vel adumbratur in Sem.

3. Prospici singularem illam benedictionem postea Abrahamo annunciatam, Moyses haud obscure innuit, quum, genealogias explicans, *Semo* hanc unam quasi *gloriam* tribuit, quod ex ejus stirpe natus sit Heber: „De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber". Gen. 10, 21. Semus erat proavus hujus Heber, e quo Abraham, ita ut inter Sem et Abraham octo generationes interjaceant; nihilominus loco quodammodo alieno Semum cum Hebraeis, populo electo, jungere festinat.

Itaque hoc vaticinium, quamvis in se solo spectatum minus aperte agat de Messia, tamen spectatum cum sequentibus iisque determinatum ad Messiam referri vix dubitari potest.

221. Pars II. Per Semum benedictionis illius singularis particeps fiet Japhet.

Proxime huic promittitur diffusio maxima per varias regiones. Quum additur: „et habitet in tabernaculis Sem", Japhet, non Deus, ut nonnulli voluerunt, habitaturus intelligitur. Nam non est ratio supponendi, Noë hic denuo reverti ad benedictionem Semo promissam, et quod sequitur: „Sit Chanaan servus ejus", necessario ad Japhet respicit; unde sequitur, Japhet etiam esse subjectum proxime praecedens.

Probatur 1. *ex eo quod Sem non coarctandus.* Japhet participem dici bonorum spiritualium Semo promissorum, maxime ex eo concluditur, quod, si bona temporalia, e. g. regiones Semo attributae, intelligerentur, Sem coarctandus diceretur. Id autem nonnisi cum Semi detrimento fieret, nec congrueret cum speciali illa dilectione, qua Deus fertur in Semum. Unde etiam admittenda non est nonnullorum sententia, qui existimant, proxime et sensu literali intelligi, regiones Semo assignatas, videlicet Asiae quasdam occidentales et septentrionales partes, occupandas fore per Japhet, remote tantum et sensu allegorico designari, participem fore Japhet benedictionis spiritualis.

2. *e voce habitandi.* Ipse loquendi modus: Habitare in cujusdam tabernaculis, si hostilis invasio excluditur, significat, ejusdem domesticum et bonorum participem esse. Unde Christus: „Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula". Luc. 16, 9. Accidit quidem ex parte et quasi praeter antecedentem Dei voluntatem, ut Japhet, i. e. populus gentilium, habitaverit in tabernaculis, quae deserta erant a Semi posteris, qui Christo sese jungere noluerunt. Notant hoc s. *Hieronymus,* qui scribit: „De nobis prophetatur, qui in eruditione et scientia Scripturarum, ejecto Israele, versamur" (Hebr.

quaest. c. 10); et s. *Augustinus*: „In tentoriis Sem, i. e. ecclesiis, quas filii prophetarum apostoli construxerunt". Cont. Faust. XII, 24. Attamen per hoc non impeditur, quominus Semo benedictio primum obtigerit.

3. *e communi actione.* Communitas actionis, quae tamquam benedictionis specialis occasio vel causa exhibetur, communitatem benedictionis aliqua ratione infert. Potiores partes in reverentia exhibenda parenti gessisse censendus est Sem, quum prior nominetur: „Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis". Unde et potiores partes benedictionis eidem deferuntur, ejusdem tamen participatio obtingit fratri pietate insigni.

Inde tamen, quod Chanaani vel Chami nulla fit mentio, inferre non licet, eum a benedictione penitus esse exclusum. Imo novimus, in paradiso promissum esse reparatorem totius humani generis. Attamen quum uberior illa benedictionis Semo promissae communicatio beneficium sit speciale, uberioris hujus communicationis particeps non erit Chami posteritas, id quod in Africae incolis evenisse testatur historia. Poenae tantum temporales denunciantur Chanaano, imprimis servitutis jugum ab utroque fratre imponendum. Et vero mala eidem inflicta sunt modo a Semi, modo a Japheti posteris, tum Graecis tum Romanis; et ad nostra usque tempora Africae incolae servitute premuntur ab Arabibus, Semi posteris, et ab Europaeis eorumve in America posteris. Cf. Corn. *a Lap.* i. h. l. *Bade,* Christologie I, p. 64. *Reinke,* Beiträge I, 1. p. 3. II, 419. *Meignan,* Les prophéties messianiques, p. 286. *Tappehorn.* Erklärung der Genesis S. 158. Inter acatholicos *Hengstenberg,* Christologie 2. Aufl. I, p. 23; Franz *Delitzsch,* Neuer Commentar über d. Genesis, Leipz. 1887, p. 106.

Articulus II.

De reparatoris promissione ejusque adventus praeparatione, familia una electa.

222. Post diluvium et generis humani dispersionem Deus „dimisit omnes gentes ingredi vias suas" (Act. 14, 15) hac quidem ratione, ut communia tantum providentiae suae naturalis et supernaturalis subsidia eis praeberet, dum novis identidem subsidiis et institutis familiam unam muniret, atque sic provideret, ne communi reliquorum hominum depravatione veri Dei cultus interiret. V. inf. art. III. Poterat quidem fides vera verusque Dei cultus primis temporibus tanto facilius conservari, quum homines adeo longaevi traditionem primitivam facillime transmitterent. Per paucos enim homines sibi succedentes haec traditio transmitti potuit usque ad Jacob patriarcham. Moysen enim, quando patriarcharum successiones addito anno, quo genuerint et quo mortui sint, non meram genealogiam, sed simul chronologiam exhibere velle, chronographis semper indubium fuit. Ex eo, quod in genealogiis, quibus non additur computatio chronologica, quandoque membra plura omittuntur, non potest concludi, idem etiam fieri in genealogiis, quae ob additum annorum numerum simul constituunt computationem chronologicam. Finis enim diversus est. Aliud est, nonnisi originem, aliud originem simulque originis tempus exhibere. Illud fieri potest omissis

aliquot membris, istud membris omissis fieri non potest. Moysen cum genealogia jungere chronologiam, tunc potissimum patet, quando eandem genealogiam bis exhibet, primum non addito annorum numero, postea numero addito. Ita in genealogia, quae legitur 4, 25, dein 5, 3—9; 10, 21—25, dein 11, 10—19. Usitatum erat veteribus, per regum vel majorum successiones, additis regni vel vitae annis, texere chronologiam. Cf. *Wilmers*, Gesch. d. Rel. 6. Aufl. §. 13*.

Propositio 59. *Benedictio, quam Deus in Abrahamo ejusque semine omnibus nationibus largiendam promisit, bonis spiritualibus constituebatur per Messiam conferendis.*

223. Praeter protectionem singularem tria Abrahamo et patriarchis caeteris promissa sunt: videlicet terra Chanaan, posteritas numerosa, benedictio specialis per ipsum ejusque posteros in reliquos populos derivanda. „In te benedicentur universae cognationes terrae." Gen. 12, 3. „Num celare potero Abraham, quae gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae?" Ib. 18, 17. 18. „Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae". Ib. 22, 18. Filio ejus Isaac ipsi renovata est promissio: „benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae". Ib. 26, 4. Renovata pariter patriarchae Jacob: „benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae." Ib. 28, 14.

Promissione hac de felicitate agitur per Abrahami, Isaaci, Jacobi progeniem elargienda omnibus nationibus. Haec autem felicitas esse non potest quaecunque felicitas temporalis; intelligenda igitur est spiritualis felicitas, bonum spirituale, quod ex Abrahami progenie emersurum sit et derivandum in nationes omnes. Porro haec progenies intelligenda non est ipse populus israeliticus; ergo intelligendus est aliquis ex hoc populo oriturus sive Messias.

Probatur 1. *De felicitate aliis populis conferenda sermo est, non de felicitate ad patriarchas restringenda,* quam populi sibi aliisque exoptent et apprecentur his similibusque vocibus: benedicat tibi Deus, sicut benedixit Abrahamo; hanc enim interpretationem tentarunt nonnulli, quos vide aput Laurent. *Reinke* (Beiträge zur Erklärung des A. T. 4, p. 137). Non esse hunc sensum, demonstrant a. versiones omnes antiquae, quum vocem hebraicam significatione passiva, non reflexiva exhibuerunt. Si autem significatione reflexiva vox hebraica accipiatur, vertendum saltem est: omnes populi sese ex te beatos dicent, videlicet propter bona, quae ex te sibi pollicentur vel per te revera accipient. Cf. Franc. *Patrit.* de interpret. l. 2, p. 60. 73, *Reinke* ibid., *Corlui*, Spicileg. dogm. bibl. I, 378. Hoc autem idem est acsi vertatur *benedicentur*. — b. Populi reliqui non poterant sibi exoptare Abrahami et posterorum felicitatem, quia hanc non norant. Abrahami enim et posterorum fama ad alios omnes populos minime penetravit, quum teste historia Abrahamus

ejusque posteritas latuerit. — c. Si notus fuisset Abraham ejusque posteritas, ejus felicitas terrena non erat ejusmodi, ut alii passim populi eam sibi exoptare possent prae felicitate et potentia Aegyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum aut Graecorum. Intelligenda igitur est felicitas quaedam aliis populis revera conferenda.

2. *Haec porro felicitas restringenda non est ad populos terrae Chanaan*, qui videlicet, ut alii voluerunt, benedictionis Abahamo promissae propterea fiant participes, quod terra Chanaan ab Israelitis sit occupanda. — Nam a. verba tam ampla: „universae cognationes terrae, omnes nationes terrae, omnes gentes terrae" restringi non possunt ad solius terrae Chanaan incolas, quum neque contextus neque natura rei talem restrictionem indicet vel suadeat. — b. In his ipsis promissionibus populi illi non singulariter benedicendi, sed potius ob vitia per Israelitas aliquando puniendi exhibentur: „Generatione quarta revertentur huc; necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus". Gen. 15, 16. Et vero populi illi ab Israelitis aut ejecti sunt, aut in servitutem redacti, aut deleti. Cf. Gen. 15, 18—21.

3. *Benedictio sive felicitas, quae promittitur,* non bonis terrenis, sed *bono quodam spirituali constituitur*, quamquam bona terrena, quae suapte natura cum spiritualibus bonis connectuntur, minime excludenda sunt. — a. Benedictio sive felicitas modo tam solemni quinquies promissa ut impertienda omnibus populis per Abrahami posteritatem sine dubio ut eximia exhibetur et eximia esse existimanda est. Nulla autem felicitas terrena eximia reliquis populis per Abrahami posteros collata est; unde neque talem promitti credendum est. — b. Et vero quum de aliis populis agitur, nullum vel leve signum felicitatis terrenae eisdem impertiendae occurrit; benedictio haec universalis omnibus largienda absolute benedictio vocatur et a possessione terrae Chanaan distinguitur. Benedictio autem absolute dicta non terrena et caduca, sed spiritualis et aeterna est. — c. Quamprimum de benedictione omnibus populis largienda sermo est, sine dubio de exequendo magisque determinando illo providentiae consilio agitur, quod Deus primis parentibus lapsis patefecerat, quodque Abrahamus ignorare non poterat. Hoc vero consilium circa bona spiritualia versabatur.

4. *Non per populum israeliticum ipsum benedictio haec spiritualis conferenda est aliis populis*, quasi hi exhibeantur ut per Israelitas imbuendi veri Dei notione; ita quidem explicuerunt Judaei recentiores nonnulli. — a. Si Deus reliquos populos omnes per populum israeliticum docere voluisset, hunc aptis ad hujus-

modi finem institutis muniisset; non conclusisset in terrae angulo nec prohibuisset frequens cum aliis gentibus commercium. Historia autem docet, Deum imprimis id egisse, ut populus israeliticus a reliquis populis penitus separaretur. Ultimis quidem temporibus Israelitae veram Dei notionem gentiles docere coeperunt. Id autem evenit, postquam propter legis transgressionem e finibus suis ejecti sunt aut contra Dei consilium gentibus se miscere coeperunt. — b. Populus israeliticus nunquam populorum multitudinem ad veri Dei cognitionem adduxit; unde merito concluditur, Deum felicitatem populis promissam non per populum israeliticum conferre eisdem voluisse. — c. Immerito supponitur, benedictionem sive felicitatem illam eximiam in sola doctrina impertienda constitutam esse. Felicitas etiam alia bona requirit et in aliis etiam bonis sitam esse facile intelligimus, si quae de lapsu et de reparatore post lapsum promisso dicta sunt, prae oculis habemus.

5. *Benedictio illa conferenda est per unum aliquem singularem, per Messiam.* Nam a. vera felicitas quae promittitur, praeter auxilium externum in doctrina constitutum imprimis exigit auxilia interna, quibus voluntas ipsa afficiatur et obfirmetur, ne homo, dum meliora videt et probat, deteriora sequatur. Has autem vires internas nullus hominum, quos novimus, addere potest. — b. Humanum genus in Adamo lapsum reparandum est; reparare humanum genus et ad pristinam cum Deo amicitiam reducere non potest, qui ipse reparatore indiget. — c. Benedictio hic promissa est evolutio promissionis primis parentibus factae; haec vero promissio plenam de daemone victoriam per reparatorem, novum generis humani caput, involvebat; unde et benedictione illa eandem reparatoris promissionem contineri, Abrahamum latere non poterat; si autem latuisset, eundem a Deo edoctum esse merito supponitur, a quo videlicet aliorum etiam consiliorum factus est conscius et quidem propterea, quod „benedicendae sint in illo omnes nationes terrae". Gen. 18, 17, 18.

Unde Paulus Apostolus: „Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: ‚Et seminibus' quasi in multis; sed quasi in uno: ‚Et semini tuo', qui est Christus". Gal. 3, 16. Vox semen, quia saepe sensu collectivo posteros significat, etiam ad unum significandum usurpari potest et ita hic usurpatam a Deo esse supponendum est. Id, ut vidimus, aperte colligitur e munere posteritati promissae perfungendo. Neque ignotum erat populo Israel, salutem et benedictionem sensu pleno acceptam a solo Deo conferri posse. Dicitur enim in Psalmis: „Domini est salus et super populum tuum benedictio tua". Ps. 3, 9. „Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus". Ps. 145, 3. Ut sanctitatis et justitiae largitorem Abrahamo promissum esse Messiam, Zacharias norat:

„Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris". Luc. 1, 73—75. Attamen necesse minime est, ut populus inde ab initio totam vaticinii vim perspectam habuerit. Cf. *Bade,* Christologie des A. T. I, p. 78.

Propositio 60. *Jacob moriturus Messiae ortum e Juda, tempusque adventus ejusdem praedixit.*

„Vocavit Jacob filios suos et ait eis: Congregamini, ut annuntiem quae ventura sunt vobis de diebus novissimis . . . Juda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium . . . Haec locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis". Gen. 49, 1. 8. 9. 10. 28.

224. Pars I. Annunciatur Messiae adventus.

Probatur 1. Clare id enunciatur verbis: „ipse erit *expectatio gentium*", sive ut alii ex hebraeo vertere malunt: „et ipsi erit obedientia populorum", vel: „et ipsi erit coetus (congregatio) populorum". Cum Vulgata latina verterunt Septuaginta interpretes: *καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν.* Eadem enim nota in benedictionibus patriarcharum imo et in protoevangelio exhibetur Messias, nec alius praeter Messiam promissus est vel unquam exstitit, ad quem gentes congregarentur, vel cui obsequium exhiberent, vel quem expectarent.

2. Idem enunciatur verbis praecedentibus: „donec veniat *Schilo*". Etsi vox hebraica pro diversitate radicis suppositae et punctorum suppositorum varietate varias interpretationes invenit, certum tamen est, voce illa denotari Messiam. Quum enim, ut vidimus, quae in sententia subsequente leguntur, nonnisi de Messia intelligi possint, sequitur, ut, quia in utraque sententia de uno eodemque subjecto agitur, etiam prioris sententiae subjectum sive *Schilo* denotet Messiam.

Prout Vulgata vocem *Schilo* vertit: „qui mittendus est," ejus radix esse supponitur verbum *schalach* (= misit). Nonnullis sensus vocis est „pacificus" sive „salvator". quia tamquam radicem supponunt verbum *schalah* (= „tranquillus fuit"). Cui explicationi affinis est illorum, qui eidem verbo *schalah* etiam regnandi vel dominandi significationem vindicant, ita ut Schilo dominatorem significet. (*Schöttgen*, Horae hebraicae, I, p. 1269.) Favet sane utriusque membri parallelismus Hebraeis usitatus, quum dominationi respondeat obedientia. — Alii vocem e pronomine relativo et demonstrativo compositam esse putant, ut sit *sche* (= *ascher*) *lo* vel *loh* vellentque vertere: „donec veniat, *cui,* vel *cujus* est, supposita nimirum elipsi, ita ut suppleatur v. g. *schebet* (regnum)". — Alii e nomine et pronomine vocem conflatam esse supponunt, e nomine videlicet aut *schil,* quod

filium interpretari nituntur, aut *schi (schai)*, quod *munus* significat. Unde sensus esset aut: „donec veniat filius ejus", aut: „donec veniat munus (destinatum) ei". Hanc ultimam lectionem secuti videntur Septuaginta interpretes, locum ita reddentes: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (al. ᾧ ἀπόκειται, ut Aquila et Symmachus vertunt). Sunt, qui Schiloh nomen proprium Messiae esse censent. Harum interpretationum aliae aliis probabiliores sunt, nulla certa. Id tantum certum tum e contextu tum ex auctoritate, referri ad Messiam. Cum contextu autem non congruit explicatio nonnullorum, qui Schiloh urbem in tribu Ephraim esse censent, ita ut sensus esset: Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniatur in Schiloh, videlicet post ingressum in terram Chanaan ejusque expugnationem. Magnifica enim promissio respiciens dies „novissimos" non potest censeri completa illis, quae Juda eousque gesserat, neque quidquam est, cur exspectatio gentium connectatur cum Hebraeorum adventu in illum locum. Cf. *Himpel*, Die messianischen Weissagungen im Pentateuch, Tüb. Quartalsch. 1860 S. 68; *Tappehorn*. Erklärung der Genesis S. 458. *Patrit.* de interpret. l. 2, q. 6, §. VIII. *Bade*, I. p. 95. *Reinke*, Die Weissagung Jacobs etc. Thom. Jos. *Lamy*, Comment. in Genes. II, p. 368. G. *Meignan*, Les Prophéties messianiques, p. 400. *Corluy*, Spicileg. I, 465. Inter acatholicos Franz *Delitzsch*, Comment. über die Genesis, 3. Ausg. Leipz. 1860, p. 587; Carl Friedr. *Keil*, Biblischer Commentar über die Bücher Mose's (Leipz. 1866), p. 302.[1])

3. *Judaeis persuarum erat, vaticinio hoc Messiam designari.* Testantur id eorum interpretationes aramaicae post exilium in gratiam vulgi editae.

Interpretatio sive Targum quod ab Onkelos nomen habet, ita concipitur: „Non auferetur habens principatum a domo Judae neque scriba a filiis filiorum ejus usque in saeculum: donec veniat Messias, cujus est regnum et ei obedient populi". Biblia polyglotta Waltoni. — Targum Jonathan, filii Uziel: „Non cessabunt reges et praesides ex domo Judae et scribae docentes legem ex semine ejus, usque ad tempus, quo veniet rex Messias, minor filiorum ejus, et propter eum colliquescent populi". Ibid. Triplex Targum. — Targum Hiersolymitanum: „Non deficient reges de domo Judae neque periti doctores legis de filiis ejus usque ad tempus, quo veniet rex Messias, cujus est regnum, et ei subjicientur tandem omnia regna terrae".

Hinc etiam factum est, ut Schilo esset unum e nominibus, quibus, ut testantur Rabbini, Messias spectata ejus dignitate regia designari consueverat. *Schöttgen*, Horae hebr. II, p. 13.

225. Pars II. Messias e tribu Juda oriturus praedicitur.

Probatur 1. *e parentis vaticinantis scopo.* Hic enim celebrare intendit prae reliquis filium Juda; unde quae magnifica et gloriosa praedicuntur, quamdiu de ipso ejusque posteritate sermo est, ad

[1]) „Wir halten Schiloh für eine Bezeichnung des Messias, im Einklange mit der gesammten jüdischen Synagoge und der ganzen christlichen Kirche, welche, obschon über die sprachliche Erklärung des Wortes im Unklaren, doch darin mit einander übereinstimmen, dass der Patriarch hier das Kommen des Messias verkündige".

ipsum, non ad alium e Jacobi filiis referri censendum est. Maxima autem gloria est Messiae esse parentem.

2. *e contextu.* Et vero, ipsum vaticinii exordium: „Juda, te laudabunt fratres tui“ minus conveniret in Judam, si non ipse, sed alius e fratribus haeres esset promissionis, quae facta fuerat patriarchis. Nec jam recte diceretur: „Adorabunt te filii patris tui“, si non ipse, sed alius e fratribus parens esset summi illius dominatoris, cui omnes populi obedient. Propter hunc enim dominatorem summum venerandus est parens, in quem filii gloria redundat. Hanc potissimum rationem vaticinanti patriarchae ob oculos versari, ex eo recte concludimus, quod annunciat, „quae ventura sunt (filiis) in diebus novissimis“. Dies autem novissimi sive tempora novissima sunt illa, ad quae fata et instituta populi israelitici omnia convergunt, tempora messiana. Illa ipsa, quae fortiter gesta sunt sive a Juda, sive ab ejus posteris, nonnisi initium quoddam et imago sunt illorum, quae gesturus est dominator ille, cui gentes obedient, et de quo sensu pleno dicetur: „Vicit leo de tribu Juda“. Apoc. 5, 5. Unde s. *Hieronymus*: „Licet de Christo grande mysterium sit, tamen juxta litteram prophetatur, quod reges ex Juda per David stirpem generentur, et quod adorent eum omnes tribus“. Hebr. quaest. c. 49, v. 9.

226. Pars III. Sceptro et duce a Juda ablatis, necesse est Messiam advenisse.

Vocem hebraicam *schebet* ex antiquis interpretibus nonnulli reddunt voce *virga*; Aquila cum Vulgata habet sceptrum, Symmachus *potestas*, 70 ἄρχων *(princeps)*. V. Origenis Hexapla. Ed. Migne, P. gr. t. 5, p. 323.

Quocunque demum sensu voces sceptrum et dux sive, ut alii vertunt, legislator accipiantur, duo sunt certa:

1. Ablato sceptro et duce e Juda Messias advenit. Id patet ex ipsis verbis vaticinii. Promittitur enim fore, ut maneant, quae sceptro et duce significantur, usque ad Messiam; ergo non jam manentibus, Messiae tempora adesse patet.

2. Non manebunt ultra Messiae adventum. Id quidem ipsis verbis non exprimitur. Nam vox „donec“ licet durationis terminum exprimat, tamen non exprimit, hunc terminum esse ultimum, ut patet e Ps. 109: „Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum“, et ex illis Evangelistae verbis: „Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum“. Mtth. 1, 25. Verum intelligitur aliunde.

Tota populi hebraici institutio et oeconomia Dei providentia supernaturali eo dirigebatur, ut novi ordinis per Messiam inducendi praeparatio esset et quaedam adumbratio. Ergo fine hoc jam obtento, quum inutilia et saluti noxia a Deo non conserventur, institutio illa cessare debuit. Institutionis autem illius pars non exigua erat dominatio tribus Juda mirabiliter per longam saeculorum seriem conservata; ergo una cum integra populi hebraici institutione etiam dominatio illa sceptro et duce significata cessare debuit. Sine dubio autem status ille gloriosus, si ultra Messiae tempora perduraret, noxius foret, quia Israelitas a Messia revocaret et a reliquis populis Messiae subjectis sejungeret.

Neque potest *objici,* sceptrum auferendum esse Messiae adventu ideo insinuari non posse, quia haec calamitas non congruat cum statu felice, qui praedicitur, ideoque potius existimandum esse, Messia adveniente Judae sceptrum fulgore summo praeditum fore.

Verum est, si dominationis cessatio, qualis insinuatur, conjuncta non esset cum nova et nobilioris dominationis initio, non parum calamitosa foret neque congrueret ejusdem commemoratio cum sorte prospera et gloriosa, quae Judae obtinget. Sed nova dominatio et amplior praedicitur, quum gentium, quae Messiae obedient, fit mentio. Pro dominatione temporali succedet dominatio spiritualis.

227. Pars IV. Sceptro et duce sive legislatore non auferendo non sola autonomia tribus Judae conservanda, sed ejusdem etiam prae reliquis tribubus praestantia et hegemonia intelliguntur. Vocem *schebet* omnes antiqui interpretes verterunt *sceptrum,* non *tribum;* congruit hic sensus cum contextu.

Probatur 1. *Ipsa prophetiae verba* innuere videntur, promitti aliquid amplius magisque splendidum quam est sola autonomia. Haec enim aliis quoque tribubus competebat, etsi in plerisque non tam longo tempore duravit quam in tribu Juda. „Catulus leonis Juda: ad praedam, fili mi, ascendisti" etc. haec sententia innuere videtur, quo sensu accipi debeant „sceptrum et dux", de quibus continuo sermo est.

2. *e Davidis explicatione.* Principatum quendam promissum esse Judae, disertis verbis edicit David ita alloquens seniores et populum: „Elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum; de Juda enim elegit principes; porro de domo Juda domum patris mei". 1. Paral. 28, 4. Alibi hujus rei ratio explicatur: „Data sunt primogenita ejus (Ruben) filiis Joseph . . . Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt". 1 Paral. 5, 2. Itaque ut duplex haereditatis pars Josepho, sacerdotium filio Levi, ita dominatio in fratres, tertia primogeniti praerogativa, delata est

Judae; triplex enim praerogativa continebatur jure primogeniti, quo propter flagitium exciderat Ruben. Quum autem Deus promisit, se Judae conservaturum esse hanc praerogativam, non edixit, eam semper eodem modo exercendam, nunquam imminuendam, nunquam in poenam ad tempus interrumpendam esse. Imo quum noverimus, Deum populi defectionem poenis, imprimis captivitate punire solitum, pronum est conjicere, poenas similes irrogandas quoque esse principibus.

3. *ex ipso modo, quo est impleta.* Judas dominationem quandam semper exercuit, licet non semper eodem modo.

Tribus Juda in itinere per desertum principem locum tenebat. Num. 2, 3; 10, 14. Tenebat post occupatam terram Chanaan. „Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananaeum et erit dux belli? Dixitque Dominus: Judas ascendet: ecce tradidi terram in manu ejus". Jud. 1, 1. 2. Attamen haec erant exigua. Summam dominationem tribus Juda exercuit postquam in Davide regia dignitas eidem accessit, quae perduravit ab anno 1055 usque ad annum 588 a. C. sive ad tempus captivitatis, ad Sedeciam regem. Ipso captivitatis tempore judices constitutos fuisse e tribu Juda, qui etiam supremum supplicium infligerent, colligimus ex historia Susannae. Dan. 13, 56. Caeterum etsi captivitatis tempore tribus Juda dominationem nullam exercuisset, tamen non sequeretur, sceptrum illo tempore ablatum fuisse e Juda. Norat enim populus doctus a prophetis, nonnisi ad tempus duraturam captivitatem, jus imperii permanere apud Judam. Zorobabel, quo duce Israelitae Hierosolymam reversi sunt, per Salathielem oriundus erat e Davide. Agg. 1, 1. Ex illo autem tempore tribus Juda ita praecelluit prae aliarum tribuum reliquiis, ut inde gens tota Judaeorum nomen traxerit. Neque mirum, si Machabaei, e tribu Levi oriundi, qui a populo electi ob bella fortiter gesta per 126 annos genti praefuerunt, tribus Judae tam numerosae nomine rempublicam tueri et administrare recte dicerentur. *(Bonfrerius,* in Genesin; *Reinke,* Die Weissagung Jacobs, p. 144; *Himpel,* Theol. Quartalsch. 1860, p. 107). Imminuta quidem est tum illorum tempore tum post Romanorum invasionem dominatio tribus Juda, non tamen exstincta penitus est. Reperimus enim Machabaeorum tempore institutum Synedrium (Jos. Antiq. XIV, 9, 3), sive tribunal quoddam supremum, quod de causis omnibus judicando supremam nationis, hinc imprimis tribus Juda, quae sola numerosa erat, auctoritatem exhibebat. Summi quidem sacerdotes eidem praecerant et alii etiam sacerdotes partem ejusdem simul cum senioribus e populo electis constituebant; nihilominus recte dicitur, sacerdotes non tribus Levi, sed tribus Judae, utpote principis, auctoritate judicium exercuisse, sicut et clerici, qui ob majorem eruditionem quandoque ad res politicas administrandas assumebantur, non cleri, sed principis nomine easdem administrabant.

Synedrii auctoritas sub Romanorum imperio primum ita imminuta est et suprema esse cessavit, ut de criminibus capitalibus cognoscere quidem posset, capitalis autem sententia sine magistratus Romani auctoritate executioni committi non posset. Secundum Rabbinos „quadraginta annis ante

vastationem templi secundi ablata sunt judicia capitalia ab Israel". *(Maimonides* apud Ugolin. thesaur. vol. XXV, p. 1147; *Raymund. Martin.* Pugio fidei [edit. Lips. 1687] p. 314). Suprema autem auctoritas est penes illum, penes quem est jus statuendi de causis capitalibus. Gentem judaicam propriis principibus jam carere, clarius etiam innotuit, ex quo Herodes, origine Idumaeus (Jos. Ant. XIV, 1, 3), a Romanis regiam dignitatem obtinuit, ideoque nec jure originis e Juda nec ejus mandato dominabatur. Manserunt tamen synedrio perdurante quaedam supremae potestatis vestigia, quae demum abolita sunt civitate per Titum eversa, de quo vaticiniorum quasi termino Christus dixit: „Dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quae scripta sunt". Luc. 21, 22.

Revelationis adversarii non pauci, inter quos David *Strauss* (Glaubenslehre allg. fasslich dargestellt von Philalethus I, p. 123), fatentur, secundum Jacobi vaticinium tribum Judam fuisse primariam sive regiam atque eatenus impletum esse vaticinium; at impletum esse, quia compositum sit post eventum. Videlicet gratis et historiae monumentis contradicendo ille supponit, Genesim non esse genuinum Moysis opus. Simili modo Isaiae de Cyro, Danielis de futura populi israelitici sorte vaticinia impleta i. e. post eventum conficta esse affirmat.

Propositio 61. *Balaam a Deo compulsus Messiam dominatorem potentissimum e Jacob oriturum praedixit.*

228. Balaam etsi verum Deum non ignorabat, falsa tamen numina colebat malisque artibus addictus erat. A Balac Moabitarum rege invitatus et rogatus, ut Israelitis malediceret, pro maledictione iterum iterumque benedictionem protulit. Eundem autem, quum has benedictiones ac vaticinia proferret, a Spiritu sancto impulsum fuisse, satis constat Moysis narrantis auctoritate. Voluit nimirum Deus tum Israelitas tum eorum hostes docere, inanes esse conatus omnes, qui ad consilia sua infringenda adhibeantur, ipsamque daemonis potestatem a se adigi posse ad consilia sua perficienda. Cf. *Wilmers*. Gesch. d. Rel. 6. Aufl. §. 41. Hac simul ratione providit, ut vaticinium de Messia venturo gentilibus innotesceret.

Balaam postquam commemoravit posteritatem numerosam patriarchis promissam (Num. 23, 10), Judae fortitudinem (23, 24), Dei benedictionem populique prosperitatem (24, 9), quarto, protestatus: „Quidquid Dominus dixerit, hoc loquar" (13), ita prosequitur (17): „Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob et consurget virga de Israel; et percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth. (18) Et erit Idumaea possessio ejus; haereditas Seir cedet inimicis suis; Israel vero fortiter aget". Cf. n. 162.

Onkelos in paraphrasi chaldaica verba *Orietur* etc. ita reddit: „Quum consurget rex de domo Jacob et ungetur Christus de domo Israel"; Jonathan Uziel: „Quum regnabit rex fortis ex domo Jacob, et ungetur Christus et sceptrum forte Israel, et interficiet principes Moab"; Targum Hierosolymitanum: „Surrecturus est rex e domo Jacob, et redemptor et praeses e domo Israel".

Probatur 1. *e respectu ad novissima tempora.* De Messiae adventu agi, patet ex verbis: „Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope". His enim verbis Balaam enunciat, se praedicturum, quid eventurum sit novissimis temporibus. Novissima

autem tempora Hebraeis prophetis, hinc etiam Balaamo ex Hebraeorum mente hic vaticinanti, sunt tempora messiana. Accedit, quod Jacob moriturus edixerat, se annunciaturum, „quae ventura sint in diebus novissimis“ (Gen. 49, 1), illis videlicet, in quos tota hebraici populi historia convergebat; unde Balaam, totius populi israelitici fata prosequens ut Jacob singulorum tribuum, etiam ut hic in tempore Messiano sistere censendus est. — Dies postremos, finem dierum esse tempora messiana constat tum e V. tum N. T. Daniel 10, 14. Act. 2, 17.

2. *e nexu cum vaticiniis aliis.* Balaam repetit vel commemorat promissiones Abrahamo factas: „Quis dinumerare possit pulverem Jacob et nosse numerum stirpis Israel“? Num. 23, 10. Repetit vaticinium Jacob: „Accubans dormivit ut leo et quasi leaena, quam suscitare nemo audebit“. Num. 24, 9. Vaticinium utrumque connexum erat cum vaticinio messiano, quod videlicet saltem remote Messiam respiciebat et eatenus erat messianum. Ergo etiam Balaami vaticinium aliqua ratione messianum esse oportet.

3. *ex imagine stellae et virgae.* Stella et virga, sive sceptro (schebet) rex et dominator designatur, qui non potest esse nisi Messias.

a. Stellae lucidae et luminis orti imagine aliquid magnum, eximium, divinum apte designatur, hinc omnium aptissime Messias. Etsi aliis quoque hominibus eximiis imago eadem aptari potest, hoc tamen loco, ubi de ultimis temporibus agitur, nonnisi Messiam designari tenendum est.

Luminis orti imagine sacri Scriptores exhibent Messiam. „Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos; super te autem orietur Dominus et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui“. Is. 60, 1—3. „Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel“. Luc. 2, 32. „Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem“. Joan. 3, 19. Cf. Joan, 1, 8. 9. Lucis et ignis imagine Deus et aliis temporibus praesentem se exhibuit. Ex. 3, 2; 13, 21. Etiam aliis populis, praesertim orientalibus, ignis et lux symbolum erat divinitatis; Persae cultum exhibuerunt igni. Cf. Select writings of the most Rev. Dr. Leo *Meurin*, S. J. Titular Archbishop of Nisibi and Bishop of Port Louis. Bombay 1891. Zoroaster and Christ. Letter VI.

b. Virga sive sceptro regem sive dominatorem designari, docent quae sequuntur de populis ejus imperio subjiciendis. Unde et paraphrases supra allatae schebet regem interpretantur. Quae autem regi huic tribuuntur, majora sunt, quam ut in quocunque Israelitarum rege locum habuerint.

„Erit Idumaea possessio ejus". Num. 24, 18. At Deus, quia posteris Esau tradiderat Idumaeam, nunquam se eam Israelitis daturum edixerat. Deut. 2, 5. Victi quidem a Davide sunt Idumaei, at sub ejus successoribus rebellarunt et jugum excusserunt. Etiam Moabitae, etsi quandoque ab Israelitis victi, tamen oppresserunt Israelitas et magna potestate uti perrexerunt. Jud. 3, 14; 4. Reg. 3, 4; 13, 20; 24, 2.

„Vastabit (70: προνομεύσει captivos ducet) omnes filios Seth". Vocem Seth veteres interpretes nomen proprium censuerunt; recentiores qui pro appellativo habuerunt, diversissimas reddiderunt significationes. Ratio cur pro appellativo habuerint, imprimis haec erat, quod vox *Karkar* denotet aggressum hostilem filiorum Seth; intelligi autem non posse, cur invasione hostili delendi sint omnes filii Seth. At vox hebraica non semper invasionem hostilem denotat; optime autem intelligitur, omnes filios Seth, e cujus posteris erat Noe, captivos ducendos i. e. subdendos esse a Messia. Unde *Origenes:* „Et praedabitur omnes filios Seth. Seth est filius Adam . . . Iste ergo est Seth, ex quo omne humanum in hoc mundo ducitur genus. Nam de Cain qui nati fuerant, diluvio perierunt". In Num. hom. 18, n. 4. Eodem modo *Theodoretus.* Interr. 44, in Num. c. 24. Unde Onkelos reddiderat: „omnes filios hominis". — Minus recte Seth hoc loco censeretur designare omnes justos. Messias enim non „praedabitur" sive non vocabit ad se illos, qui justi sunt, sed vocabit, ut justos constituat. Cf. *Patrit*, l. c. p. 142. *Danko*, Historia revelat. p. 118.

4. *e Judaeis interpretibus.* Messiam denotari Balaami vaticinio e Judaeis veteribus testantur interpretes Onkelos, Jonathas, auctor interpretationis Hierosolymitanae supra allati. Idem testantur Judaei recentiores. Cf. Raymund. Martin. Pugio fid. p. 81. *Patrit.* p. 166. Spectatissimum hujus rei testimonium est, quod qui Hadriani imperatoris tempore Judaeus Messiam se finxit, ex quo tyrannidem arripuit, Bar *Kochba* (filius stellae) nominari voluit. (V. Joan. a *Lent*, schediasma de Judaeorum Pseudomessiis. Ugolini Thesaur. XXIII. p. 1026.) Magis illis, qui Hierosolymam venerunt „dicentes: ubi est qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in orienti" etc., Balaami vaticinium notum fuisse, dubitari vix potest. Norant enim, stella illa praetendi Messiam; nulla autem praeter vaticinium illud indicari via potest, qua id didicerint. Cf. *Haneberg*, Gesch. d. Offenb. IV, K. 10; *Himpel*, Tüb. Quartalsch. 1860, S. 654.

Articulus III.

De Messiae adventu praeparando fideque in illum conservanda per populi unius institutionem.

Quod Deus in Abrahamo inchoaverat, id perfecit in ejus posteris, quum eos per Moysen instituit et legislatione prorsus speciali donavit. Unde primam de legislatione ipsa ejusque fine

agendum est. Ad institutionem autem, quae lege ipsa continebatur, accedebat institutio per prophetas, quae finem lege intentum simul prosequebatur.

A. De Messiae adventu praeparando per legem mosaicam Israelitis datam.

Propositio 62. *Legis mosaicae finis proximus is erat, ut populus in his, quae ad morum honestatem, Dei cultum, vitam socialem politicamque pertinent, recte institueretur; nihilque legislatione mosaica continetur, quod Dei legem statuentis sanctitati repugnet.*

229. Pars I. Triplex intenditur populi institutio.

Probatur 1. *e triplice materia.* Colligitur hoc ex ipso triplice legum ordine. Finis enim proximus legis est illud, quod per eam ex natura rei et proxime efficitur. Atqui lege morali vitae honestas tum naturalis tum supernaturalis constituitur; lege caeremoniali vitae honestas positive determinatur respectu Dei, et lege judiciali respectu civium aliorumque positive determinatur. Unde triplicis vitae, moralis, religiosae, socialis recta institutio est finis proximus totius legislationis. Cf. Suarez de leg. l. IX, c. 3, n. 7.

2. *e diserta Dei declaratione.* Deus Israelitas, quemadmodum ipse testatur, elegit, ut sibi essent „in peculium de cunctis gentibus“, „in regnum sacerdotale et gens sancta“ (Ex. 19, 5. 6), et ipse se eorum dominum ac regem constituit et rex agnosci voluit. Deut. 26, 17, 18. Ergo Deus dando legem imprimis intendit, ut populus in Dei cultu et vita sociali recte institueretur. Sed nec in illo nec in ista recte institui poterat, nisi ante omnia recte ordinata esset vita moralis. Quae enim ipsius naturae ordine exiguntur, fundamenta sunt eorum, quae positiva institutione nituntur. Ergo etiam vitae moralis recta ordinatio intendenda erat, ut et intenta a Deo est decalogi promulgatione.

3. *ex effectu.* Hunc fuisse finem probari potest ex ipso eventu. Nullus enim inter populos antiquos meliorem egit vitam religiosam, moralem, socialem, quam populus israeliticus, quamdiu legem observabat. Testatur id imprimis ipsius populi historia, dum refert, omnia in triplice illa vita optime disposita fuisse, quamdiu populus suis legibus vivebat, omnia in deterius esse mutata, quamprimum ad aliorum populorum consuetudinem declinabat. Fuerunt sane defectiones frequentes, quum lege non tollatur libertas; sed frequens etiam fuit ad legis observationem reditus, quem ipsa lex efficiebat, et quidem duplice imprimis ratione. Modo enim a Deo mittebantur prophetae, modo inducebantur

calamitates, quas lex transgressoribus minabatur. Meliorem quam aliarum gentium fuisse Hebraeorum vitam praesertim religiosam et moralem, testantur praeterea tum proselyti, qui ultimis praesertim temporibus legi se addicebant, tum gentiles, qui Judaeis partim ob id tam infesti erant, quia illos idolorum cultum omnemque foeditatem eidem annexam refugere sciebant. Hanc Hebraeorum prae aliis gentibus praestantiam, quae legibus debeatur, late prosequitur Flavius Josephus (cont. Apion. l. II, n. 17) et consentientes habet christianae religionis apologetas.

Quamquam lex mosaica honestatem etiam supernaturalem intendebat et praecipiebat, tamen ipsa eam non *efficiebat*. Gratia enim, quae ad actiones supernaturales et ad peccata vitanda requiritur, e nova lege haurienda erat. Ex hoc principio solvuntur, quae doctrinae expositae adversari videntur. Cf. n. 216.

„Littera" dicitur „occidere". (2. Cor. 3, 6.) Non occidebat ex Dei intentione, neque per se ipsam, sed tunc solum, quando gratiam, quam ipsa non afferebat, homo aliunde, videlicet e nova lege, accipere nolebat.

Pariter erat „lex mortis" (Rom. 7, 6), non quod per se mortem afferret, sed quia per se vitam supernaturalem non efficiebat, neque ad actiones vitae supernaturalis per se potentiam conferebat.

Quando dicitur: „Lex subintravit, ut abundaret delictum" (Rom. 5, 20), sensus non est, Deum intendisse peccatum; tantum quod secutum est exprimitur. Lex quidem *occasio* multiplicationis peccatorum fuit sicut et occasio mortis, quia data lege homo gravius peccavit et quandoque etiam occasione prohibitionis concupiscentia vehementius accendebatur; nitimur enim in vetita. Attamen haec occasio non est data per Deum, sed, ut etiam apostolus loquitur (Rom. 7, 11), „accepta" ab homine i. e. per ipsius culpam creata. S. *Thom.* 1, 2, q. 98, a. 1. *Suarez,* de leg. IX, 3, et 7, n. 24.

230. **Pars II. Nihil in legislatione continetur, quod Dei legem statuentis sanctitati repugnet.**

Non asserimus, quaecumque Moysis legislatione continentur, justa demonstrari posse nondum supponendo, eundem fuisse legatum divinum et divinae voluntatis interpretem. Sufficit ostendere, si Moyses revera Dei nomine agit, quemadmodum eum egisse demonstravimus, omnia quae lege continentur, juste vel statuta esse vel permissa.

Tria potissmum sunt, quae difficultatem movere possint: usura permissa respectu alienorum, divortium et polygamia.

Usura. De hac statuitur: „Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem, sed alieno". Deut. 23, 19. 20. Ratio difficultatis in eo est, quod (gratis quidem) supponitur, in foenore alienis praestito non occurrere simul causas speciales, quae permittant, ut supra sortem ex mutuo debitam amplius quiddam juste exigatur; hinc videtur respectu alienorum permitti, quod in se injustum est.

Divortium et libellus repudii permittitur in lege. Deut. 24, 1.

Polygamia non prohibetur in lege; de rege tantum statuitur: „Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animum ejus". Deut. 17. 17. Neque vituperantur in s. Scriptura sive patriarchae, qui plures habebant uxores, sive alii, ut Elcana, pater Samuelis, qui „habuit duas uxores". 1. Reg. 1, 2. Imo Moyses supponit, quandoque accidere, ut habeat „homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam". Deut. 21, 15.

Agitur de exhibendis rationibus, ob quas haec aliave permitti vel sanciri *potuerint*, non de rationibus, quae ad singula permittenda vel sancienda *revera* moverint. Una eademque res quandoque ob varias rationes permitti vel sanciri poterat.

Probatur 1. *Nonnulla legi naturali minus conformia ob justas rationes tolerari poterant.* Distinguenda est duplex permissio, positiva et negativa. Positiva in eo est, ut aliquid concedatur et approbetur; negativa in eo, ut res solum non prohibeatur, sed toleretur. Nonnulla Israelitis negative permitti poterant hoc sensu, ut non juberentur vitare quaedam, quae natura sua si non mala, saltem legi naturali minus essent conformia. Unde Suarez: „Lex de libello repudii, si permissiva tantum erat, non erat mala; nam licet facere malum culpa sit, permittere malum, praesertim in Deo, non erat malum; neque etiam est injustum, quia si id permisit, non fuit sine causa justa, ut Christus etiam declaravit". De leg. IX. 4, n. 9. Et vero: nonnulla, quae legi naturali non quidem adversantur, minus tamen congruunt, prohiberi quidem decet, attamen non prohiberi sive tolerari non dedecet, praesertim si rationes adsunt, propter quas non prohibeantur. S. Thom. 1, 2, q. 105, a. 2. Suarez de leg. l. IX, c. 6, n. 8—13.

2. Alia positive permitti sive concedi a Deo poterant *tollente simul causas, ob quas caeteroquin res sunt malae.* Rem alienam sibi vindicare malum est. Sed malum esse cessat, si res jam non est aliena, sive si alterius esse cessavit. Alterius esse cessat, si Deus, qui rerum omnium supremus est Dominus, rei dominium eidem subtrahit et in alium transfert. Hoc modo Deus Aegyptiis adimere poterat dominium illorum bonorum, quae commodaverant Israelitis, etiam non habita ratione vexationis praecedentis, pariter adimere peregrinis, quae foenoris titulo solvebant Israelitis, etiam non habita ratione illorum, quae caeteroquin foenoris titulum fortasse praebebant. Huc pertinent, quae de Abrahamo filium Isaac immolaturo antea dicta sunt. n. 209. S. Thom. 1, 2, q. 100, a. 8. ad 3.

3. Alia, quae quidem legi naturali non absolute adversantur, attamen eidem minus sunt congrua, *ob rationes speciales Dei dispensatione permitti poterant.* Dispensare est licentiam tribuere legem praetermittendi. Dispensatio supponit legem adhuc existentem, et ideo supponit etiam, adesse adhuc rationem, ob quam lex esset observanda. Legis ratio est ordo servandus; unde quod est contra ordinem, lege prohibendum est. Potest autem aliquid magis aut minus, absolute aut aliquatenus adversari ordini. Quod ordini absolute adversatur, prohibetur legibus decalogi per Deum ipsum promulgatis; quod ordini non absolute, sed aliquatenus tan-

tum adversatur, prohibetur reliquis praeceptis per Moysen promulgatis. Quod absolute et simpliciter adversatur ordini, non potest fieri licitum, nisi ipsa legis materia per Deum immutetur, ut v. g. respectu dominii vel vitae immutari posse diximus. Quod ordini non simpliciter adversatur, sed aliquatenus eum turbat, id licitum fieri potest, si malum illud, i. e. aliqualis turbatio ordinis, bono aliquo, quod rei, de qua quaeritur, internum sit, compensatur, aut si idem malum ad evitandum aliud malum rei pariter internum inservit. (Dicimus: Si bonum compensans aut malum evitandum sit rei *internum*. Nam ad bonos fines externos obtinendos aut ad majora mala externa evitanda a Deo permitti non potest, quod in se malum est, ut permitti non potest mendacium ad evitandam mortem, quae est malum mendacio externum.) Solutio matrimonii vel conclusio matrimonii cum hac conditione, ut solvi possit, est quoddam malum; difficilem enim reddit prolis educationem. Hoc autem malum a Deo legislatore permitti potest ob praecavenda mala majora matrimonium minitantia, rixas et caedes. Pariter malum quoddam est unius viri cum pluribus uxoribus conjunctio; impedit enim pacem domesticam et imparem reddit uxoris conditionem. Nihilominus Deus haec mala acceptare et polygamiam licitam reddere poterat ob bona eidem conjuncta, videlicet celeriorem populi electi propagationem. *Bellarm.* de matrim. c. 11. Denique malum quoddam est matrimonium inter consanguineos. Nihilominus permitti et praecipi a Deo poterat fratris cum sorore matrimonium, ut genus humanum in Adamo et Eva conditum propagaretur.

Patet igitur, unam eandemque rem modo negative permitti sive tolerari, modo ob certas circumstantias etiam positive permitti sive concedi posse.

Propositio 63. *Legis mosaicae, prout uni populo israëlitico data est, finis ultimus erat Messiae honor, populi illius, e quo oriturus erat, electione et custodia speciali promovendus.*

231. Quum finis ultimus sit bonum illud, quod per finem proximum attingere volumus, finis proximus induit rationem viae, qua ad finem pertingimus. Unde quaestio de legis mosaicae fine ultimo ita statui potest: quid Deus per convenientem populi in triplice vita institutionem attingere voluerit. De fine ultimo speciali quaeritur, non de omnium operum fine ultimo communi, qui, spectato Deo, est ejusdem gloria externa, et spectato homine, salus animarum.

Finis, licet sit ultimus executione, est tamen primus intentione; prius enim statuimus finem, dein quaerimus de viis eundem attingendi. Unde patet, finem esse bonum excellentius quam illa, per quae intenditur, et finem ultimum esse nobiliorem fine proximo, cui nimirum ratio viae competit. Via enim fini subordinatur, quum ei obtinendo subserviat: quod autem bonum nobilius est, subordinari non potest minus

nobili. Hinc etiam sequitur, finem legis mosaicae ultimum reponendum esse in bono, quod illa triplicis vitae institutione nobilius est.

Probatur 1. *e Christi honore cum populi electione connexo.* Quod asseruimus, e rei *natura* evincitur. Electionis singularis et rectae per legem institutionis finis bonum illud dicendum est, quod ex eadem sponte sua consequitur simulque altioris est ordinis, quam bonum per illam electionem et institutionem populo collatum. Atqui imprimis Christi aliquis honor ex illa electione consequitur. Nam per eandem ejus natales et origines ultimae distinguebantur et sanctificabantur; parentum enim praestantia redundat in filios horumque excellentiam propriam auget. Dein honor Christi ob personae excellentiam bonum altius et nobilius erat quam populi israelitici bonum sive recta institutio; unde ista ad illum, non ille ad istam, ut finem ultimum referenda erat. Quamvis enim e Christi honore bonum redundaret in populum, tamen absolute loquendo bonum populi ut minus nobile Christi bono sive honori tamquam excellentiori subordinatur. S. Thom. 1, 2, q. 98, a. 4.

2. *e Dei declaratione.* Rationem ultimam, ob quam specialia beneficia, inter quae primum locum tenet lex ipsa, populo collata sint, Deus de terra Chanaan proxime occupanda agens hanc affert: „ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac et Jacob". Deut. 9, 5. Sed promissionum praecipua et ad quam reliquae omnes promissiones convergerent, erat promissio Messiae facta patriarchis. Ergo ob Messiam populo data est lex i. e. populi electio et institutio ad Messiam ut finem refertur. Porro hic ipse legis ad Messiam respectus eximium ejusdem honorem constituit; unde Messiae honor finis ultimus est legis.

232. Hanc populi unius electionem et custodiam adversarii revelationis impugnant potissimum duplice de causa: primo ex eo, quod populus ad idololatriam aliaque vitia non minus proclivis fuerit, quam aliae gentes; dein quod Deus unum populum prae caeteris eligendo „personarum acceptor" constituitur.

Sed imprimis falso supponunt, populum hebraeum ob ipsius merita electum esse. Contrarium Deus ipse testatur, populum monens: „Ne dicas in corde tuo: Propter justitiam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem . . . Neque enim propter justitias tuas et aequitatem cordis tui ingredieris . . . cum durissimae cervicis sis populus". Deut. 9, 4—6. Proxime quidem Deus et terram Chanaan et legem populo dedit propter promissiones patribus factas. Verum nec Abrahamo propter ipsius merita, sed ex gratuita Dei benevolentia et electione promissiones factae sunt.

Quamquam Deus in Abrahamum ejusque posteros majorem liberalitatem exercuit quam in alios populos, „personarum acceptor" non constituitur. Nam ut s. Thomas optime explicat, „non est personarum acceptor, qui e liberalitate de suo dat uni et non alteri; sed si esset dispensator bonorum communium, et non distribueret aequaliter secundum merita personarum, esset personarum acceptor. Salutaria autem bene-

ficia Deus humano generi confert ex sua gratia; unde non est personarum acceptor, si quibusdam prae aliis conferat". S. 1, 2, q. 98, a. 4, ad 2. Praeterea ex eo, quod Deus populo uni specialia salutis subsidia confert, minime sequitur, eum populis reliquis omne subsidium negare. Ipsa populi hebraici electio via erat, qua populis caeteris praepararetur beneficium summum suo tempore conferendum.

Propositio 64. *Spectato effectu, quem in suis subditis producebat, legis mosaicae finis ultimus erat facilior et promptior Messiae promissi agnitio.*

233. Faciliorem tantum dicimus agnitionem fuisse intentam; lex enim non erat absolute necessaria, ut Messias agnosci posset, quum aliis etiam modis se Dei legatum demonstraret.

Probatur 1. *e legis fructu connaturali.* Populus qui Messiam exspectare jubebatur, non poterat non magnopere lege ipsa juvari in illo cognoscendo. Norat enim, e se proditurum, in quo benedicendae essent omnes nationes; promissum esse regem sive principem, qui populos omnes sibi aggregaret; e tribu Juda oriturum, quem etiam gentes exspectarent. Aliis etiam indiciis Messiam postea insignem exhibuerunt prophetae. Apparituro igitur aliquando Messia praeter signa, quibus etiam gentibus se Dei legatum probaturus esset, Israelitis propria argumenta ex ipsa eorum legislatione petita, praesto erant. Quum porro quod e rerum natura sponte consequitur, a Deo etiam intentum sit, haec facilior Messiae agnitio dicenda est fuisse finis institutionis illius, ex qua sponte sequebatur.

2. *ex eventu.* Hunc fuisse finem a Dei sapientia intentum, ipso eventu demonstratur. Circa Christi enim tempus inter Israëlitas erant plurimi, qui exspectabant „redemptionem Israël". Luc. 2, 38. Cf. 2, 26. Ab illis autem, qui legem quam optime observabant, facillime etiam agnoscebatur Messias, ut vel ostendunt verba discipuli dicentis: „Invenimus Messiam". Joan. 1, 41.

Erant sane et plurimi, qui Messiam rejicerent; non tamen ideo rejiciebant, quod lege ad eum agnoscendum non juvarentur, sed ideo, quod ipsius legis auxilium recusarent, eandem non ita observantes, prout observanda erat.

3. *exspectatione in alias gentes propagata.* Lumen quam eximium Israëlitis ob singularem illam electionem et institutionem praefulgeret, cognoscimus ex ipsa ejus in alias gentes reflexione.

Quid Samaritani senserint, proditur mulieris ex illa gente verbis: „Scio quia Messias venit; quum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia". Joan. 4, 25. Penetraverat ex oriente et in occidentem, ut scriptores Romani testantur. Nam „percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur" (Sueton. vita Vespas. c. 4); „pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens profectique Judaea rerum potirentur" (Tacit. hist. l. V, c. 13). Mirum autem non est,

quod de spirituali rerum ordine praedictum fuerat, in regnum temporale conversum esse ab illis, qui temporalem prosperitatem et gloriam quam maxime appetebant, quia secundum principium philosophicum: quidquid recipitur, secundum modum recipientis recipitur.

234. ***Scholion.*** Praeter praeparationem *positivam*, de qua hactenus egimus, distinguenda etiam est praeparatio *negativa*. Praeparatione positiva homini praebebantur auxilia, quibus ad novum ordinem recipiendum magis fiebat idoneus; praeparatione negativa removebantur obstacula, quae huic ordini recipiendo adversari poterant, ut est animi elatio. Ad obstacula auferenda juvare possunt defectus et vitia, ut superbiam de scientia imaginaria ortam corrigere potest ignorantia, cujus homo sibi fit conscius, et superbiam de potentia praesumpta conceptam corrigere potest infirmitas per repetitos lapsus comprobata. Ignorantiae remedium positivum Deus attulit dando legem, quae quid agendum esset monstrabat, et lex quatenus illuminabat intellectum, homines positive praeparabat ad Messiam agnoscendum. S. Thom. 1, 2, q. 98, a. 6. Lex autem in se ipsa voluntatis infirmitati non medebatur directe; et quamvis virtute legis novae etiam in vetere lege gratia conferebatur, minus tamen copiosa erat quam in lege nova. Volebat enim Deus, ut humani generis sanatio congruo procederet ordine, ut homo suae infirmitatis conscius superbire desineret et remedium flagitaret. Atque sic in lege mosaica cum praeparatione positiva per intellectus illuminationem jungebatur et negativa, consistens in infirmitatis cognitione per experientiam hausta. S. 3, q. 1, a. 5; ib. 1, 2, q. 98, a. 6.

Deus alio modo voluit illa, per quae Israëlitae positive, alio modo illa, quibus negative praeparabantur. Intellectus illuminationem per legem voluntate *antecedente* volebat, infirmitatis in natura humana relictae experientiam voluntate *consequente* voluit. Videlicet voluntatis antecedentis objectum res est, prout in seipsa sive absolute consideratur; voluntatis consequentis objectum res est, prout cum aliqua hypothesi juncta consideratur: ita judex voluntate antecedente vult, ut homo vivat, voluntate consequente vult, ut homicida morte plectatur. Cf. s. Thom. 1, q. 19, a. 6. Patet, Deum, qui est sanctus, voluntate antecedente non potuisse velle, ut homo peccaret et ita infirmitatis suae conscius fieret; eundem autem Deum, qui, utpote sapiens, omnia ad fines congruos dirigit, voluntate consequente voluisse ut peccatum, quod prohibuerat, postquam perpetratum fuerat, in homine desiderium redemptoris accenderet.

Propositio 65. *Lex mosaica a Deo data non erat ut perpetua et immutabilis, sed ut aliquando abroganda.*

235. Non de veritatibus revelatis agitur, sed de praeceptis et quidem, quatenus positiva sunt. Messias qui in V. T. promittitur, hinc ut mittendus credebatur et sperabatur, in N. T. sive postquam venit, ut jam missus credendus est; hinc nec ipsum fidei objectum in se, sed solus ejus respectus ad tempus mutationem subiit.

Probatur 1. *e separatione aliquando cessatura.* Lex mosaica maxima ex parte in eo erat, ut observantiis variis populum hebraeum separaret ab aliis populis; praeterea inter Palaestinam eum constringebat, quum ter in anno locum sanctum viris adeundum praescriberet. Ex. 34, 23; Deut. 16, 16. Haec autem separatio et restrictio aliquando cessatura erat. Nam ut e demonstratis jam

constat, reliquae etiam gentes participes reddendae erant benedictionis primis parentibus in paradiso et postea patriarchis promissae. Bonis autem spiritualibus et cultu vero in reliquos etiam populos diffusis cessabat separationis et restrictionis ratio, hinc et lex eandem praecipiens.

2. *e cultu immutato.* Mutato cultu, praecipuo legis objecto, ipsa lex mutetur necesse est. Atqui mutandus aliquando erat legis mosaicae cultus. Ad cultum enim pertinent etiam caeremoniae, quibus exhibetur id, quod colitur. In vetere autem lege caeremoniae id, quod colitur, id est reparatorem, exhibebant ut aliquando venturum. Ergo ne cultus fieret falsus, post reparatoris adventum mutandus erat ideoque et lex eundem praecipiens. S. *Thom.* 1, 2. q. 103, a. 3.

3. *e statu declivi.* Ipsa populi conditio insinuat, legem fore immutandam. Quamvis enim Deus usque ad Messiae adventum nunquam penitus recesserit a populo, ultimo tamen tempore rariora sunt ejusdem praesentiae indicia et rerum status pristinus immutari videbatur. Post reditum e Babylone pauciora cernimus miracula, breviore tantum tempore prophetae populo aderant; quamquam specialis Dei interventus non penitus cessavit, ut etiam demonstrant libri Deo inspirante illo tempore conscripti. Cf. *Malou,* La lecture de la sainte Bible II, 44. Foedera Machabaeorum tempore cum Spartiatis et Romanis inita innuebant (I. Mach. 12), populi in Deum fiduciam esse imminutam et pro divinis humana quaeri praesidia. Foedera hujusmodi aliquando Deus ipse reprehenderat. 2. Paral. 16, 7. Denique Pharisaeorum et Saducaeorum sectae Synagogam in diversas trahebant partes ejusque demum dissolutionem praeparabant. Cf. *Becan.* Analog. c. 18, q. 6.

His non obstat, quod foedus a Deo cum Israelitis vel cum Abrahamo initum quandoque sempiternum vocatur. Gen. 17, 13. Praeterquam quod haec vox, in se minus determinata, per circumstantias determinanda est, lex vetus absolute dici potest aeterna, quatenus praecepta moralia continet; praeterea ipsae caeremoniae vocari possunt lex aeterna, quatenus attenditur id, quod ut ultimum respiciunt sive significant, non id, quod proxime significant. Manere debebat ipsa in se veritas significata, non umbra significans.

Propositio 66. *Legi veteri novam legem, a mosaica diversam, perpetuamque successuram esse nunciant Prophetae.*

236. **I.** Lex vetus non ita abroganda est, ut lex nulla succedat; *succedet* lex *nova.* „Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei

Jacob et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes et arguet populos multos". Is. 2, 2—4. Vaticinium idem legitur apud Michaeam 4, 1—3.

Agitur de tempore messiano, de „novissimis diebus" sive de illa „plenitudine temporis" (Gal. 4, 4.), quae praeparata est institutis omnibus praeviis. Verus Dei cultus, hucusque in monte Sion, populi israelitici centro, exercitus propagabitur ad omnes gentes, quae jam participes esse cupiunt et participes fiunt bonorum illorum, quae iisdem in populo israelitico praeparata erant. Nexus enim exhibetur inter gentes reliquas et montem Sion. „Salus ex Judaeis est". Joan 4, 22. Legem, quam Dominus „docebit" et quae „de Sion exibit", legem videlicet non ad solos Judaeos restrictam, sed latissime propagandam, legem igitur novam sponte suscipient populi ad montem Sion i. e. ad cultum novum exercendum confluentes.

237. **II.** Lex illa nova, quae promittitur, non est ipsa lex mosaica ad gentes extendenda sive novam tantum extensionem nacta, sed est lex in seipsa nova et *a lege mosaica diversa.* Instituetur enim novus cultus novumque *sacerdotium;* sed „translato sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat". Hebr. 7, 13. Cultum sacerdotiumque novum Isaias praenunciat: „Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis; et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum et mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam . . . ad eos, qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domini . . . ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini'. Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus". 66, 18, 21. Novo rerum ordine, qui praedicitur, gentes omnes donum afferentur Deo, et non jam e tribu Levi, sed ex ipsis gentibus constituentur sacerdotes. Agitur de sacerdotio proprie dicto, non de sacerdotio metaphorico, quasi omnes qui sanctificati sunt, dicantur sacerdotes. Nam „ex eis" *assumentur* sacerdotes, non omnes erunt sacerdotes. Ergo legi veteri, qua tribui Levi soli sacerdotium, legis et omnis religionis res praecipua, concedebatur, lex alia absoluteque nova successit.

Sacrificiis per sacerdotum negligentiam et socordiam immundis sive non rite selectis et oblatis Deus opponit *sacrificium* mun-

dum aliquando inter gentes ubique locorum offerendum. Sed offerri in omni loco non poterat sacrificium, nisi legi mosaicae succederet lex nova, quae omni in loco sacrificare permitteret. „Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum". Malach. 1, 10. 11. Respici non tempus prophetae ipsius, sed tempus Messiae manifestum est ex illis, quae dicuntur de Dei nomine inter gentes et manifestato et celebrato: „*quia* magnum" erit, propterea sacrificium offeretur. Agi de sacrificio sensu proprio intellecto manifestum est ex oppositione ad sacrificia Judaeorum, quae erant sacrificia externa et vera, non metaphorica. Objurgatio, qua Propheta sacerdotum in sacrificiis externis socordiam reprehendit, caruisset effectu, si dixisset: in omni loco gentes orabunt; non enim sacerdotum oratio, sed in sacrificiis externis socordia reprehendebatur; nec ad ferventiores fundendas preces, sed ad melius curanda legis sacrificia externa impellebantur sacerdotes; unde justo Dei judicio non eorum precationibus aliae succedent precationes (precationes enim etiam Judaeorum tempore fieri poterant), sed eorum sacrificiis externis per socordiam immundis aliud succedet sacrificium externum per se mundum. De sacrificio Christianorum eucharistico Malachiae vaticinium Patres interpretantur antiquissimi. *Doctrina* duodecim apostolorum c. 14; s. *Justinus* dial. n. 41; ib. n. 117; s. *Iren.* c. haer. IV. 17, n. 5. 238. **III.** Lex nova erit *perpetua*. Daniel postquam de quatuor regnis sibi succedentibus locutus est, de regno messiano ita prosequitur: „In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum". 2, 44. Regni messiani perpetua duratio clare describitur declarando, ipsum non esse dissipandum, non tradendum alteri populo sive non absorbendum esse ab alio regno, potius regna omnia absorbenda esse per ipsum, ideoque permansurum esse in aeternum. Regnis quatuor ordinis naturalis succedet regnum messianum, quod erit ordinis supernaturalis et altiore Dei providentia excitatum, ut declaratur in praecedentibus, ubi sermo est de lapide, qui „abscissus est de monte sine manibus", qui „factus est mons magnus et implevit totam terram". 2, 34. 35. Lapis ille est ipsum regnum messianum.

Propositio 67. *Lex mosaica abroganda erat per legislatorem novum et quidem per legislatorem in ipsa lege mosaica promissum, videlicet Messiam.*

Agitur de duplice promissione: altera, quae facta est lege vetere generatim intellecta, altera, quae facta est eadem lege pressius significata sive prout continetur in Pentateucho. Deus enim sapienter providit, ut legis mosaicae abrogatio et legis successurae auctor non tantum per prophetas post Moysen surrecturos, sed per Moysen ipsum praenunciaretur, ut videlicet Judaeorum infirmitati vel pervicaciae praetextus omnis legi abrogatae, imprudenter quidem, adhaerendi eriperetur.

239. Pars I. Lex mosaica abroganda erat per legislatorem novum, Messiam.

Probatur 1. *illatione.* Quod fit ipsa lege, id ab ejus auctore fieri censendum est. Lege nova abroganda erat lex vetus, quippe quae cum illa simul perdurare non posset. Prop. 65. 66. Ergo ab ipso legis novae auctore lex vetus sive mosaica abroganda erat.

2. *explicita praedictione Messiae ut legislatoris.* Qui praedicitur legislator novus sive auctor legis novae, quae succedat in locum legis antiquae, is eo ipso praedicitur abrogaturus legem antiquam. Atqui Messias praedicitur ut legislator novus sive ut legis novae promissae auctor; ergo praedicitur, eundem abrogaturum esse legem veterem sive mosaicam.

Ita apud Isaiam 42, 1—6: „Ecce servus meus . . . dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet . . . Non erit tristis neque turbulentus, donec ponet in terra judicium; et legem ejus insulae exspectabunt . . . Haec dicit Dominus . . : Dedi te in foedus populi, in lucem gentium“ . . . Quae de exspectatione gentium dicuntur, ostendunt agi de Messia, qui simul exhibetur ut legis novae novique foederis auctor.

240. Pars II. Lex mosaica abroganda erat per legislatorem novum in ipsa lege mosaica promissum.

Moyses morti jam vicinus ita alloquitur populum: „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi“. Deut. 18, 15—18. Notandum est, Moysen hic referre, quae populus petierat in monte Horeb et quae Deus ibidem responderat et promiserat. Ex. 20, 19. Promissionis occasio, quum exhibeat contextum, verborum sensum illustrat. Judaei recentiores totum hunc locum de prophetarum omnium serie sive collectione intelligunt; ad quam interpretationem aliquatenus accedunt exegetae christiani illi, qui tum prophetarum omnium seriem tum Christum, et hunc quidem praecipue, designari existimant. Attamen quamquam haec ultima explicatio, modo simul asseratur, Christum ut a reliquis prophetis distinctum exhiberi, scopo

nostro non adversatur, minus probanda videtur; de Christo solo intelligendum esse multa suadent.[1])

Probatur 1. *e Dei promissione ipsis ejus circumstantiis explicata.* Voces „sicut me“ et „similem tui“ non designant prophetam qualemcunque, sed prophetam sensu emphatico prolatum sive prophetam eximium. Nam hoc sensu accipiuntur, quum inter alios prophetas et Moysem comparatio instituitur tum Deut. 34, 10—12 tum Num. 12, 2—8. Et vero, si de prophetis quibuscunque esset sermo, non diceret Deus „suscitabo“, sed „suscito vel suscitavi“, quum veri essent prophetae vivente Moyse; et mendacii Deum argueret, qui ad Deuteronomii calcem, sive Josua sive Esdras sive ipse Moyses, adjecit verba: „Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses“. Surrexerunt enim quam plurimi prophetae, quorum ultimus est Malachias. Itaque promittitur, qui Moysi similis sit in illis, quibus a prophetis reliquis distinguitur Moyses.

Tria autem propria sunt Moysi: quod populum liberaverit e servitute, quod potentia et intima cum Deo familiaritate excesserit omnes, quod legem tulerit. Jam vero prophetam illum novum Moysi ut legislatori fore similem, ipsa promissionis occasione suadetur, quum facta sit, quo tempore lex antiqua proponebatur et populus rogaverat Moysem: „Loquere tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur“. Ex. 20, 19. Suadetur id ipsum Dei verbis: „Ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb“. Non quomodocunque audiendus nec quomodocunque Dei voluntatem annunciabit; sed annunciabit ut legis-

[1]) *Bonfrerius* (in Deut. 18, 15), cujus auctoritatem non raro invocant patroni illius sententiae, quam minus probandam diximus, „verosimillimam“ censet explicationem eorum, qui locum „de Prophetis, qui Moysen secuti sunt, simul et de Christo intelligi volunt, ita tamen ut de Christo praecipue ad litteram intelligatur, caeteri tamen non excludantur“; „nam, inquit, imprimis mihi videtur certum, Christum non esse excludendum, ita ut vel litterali vel allegorico saltem sensu hic censeri non possit non fuisse designatus; haec enim videtur esse omnium propemodum Catholicorum sententia et ex dicendis erit magis perspicuum. Rursum melius meo judicio id sensu litterali de Christo intelligatur, quam allegorico“ etc. Bonfrerius nequaquam censet, Christum in prophetarum serie ita includi, ut cum ea confundatur. Nam Dei Moysen alloquentis verba ita interpretatur: „Si quae in posterum leges denunciandae erunt populo, per te illas denunciabo; et insuper addo, me similiter post te alium prophetam, illum scilicet unicum per excellentiam prophetam, suscitaturum, per quem meas leges eis denunciem, cujus vocem omnes audire volo; qui vero eum non audierit, gravi a me ultione plectetur. Quae omnia de solo Christo intelligi possunt“. Denique concludit: „Satis superque arbitror jam probatum, Christum litterali sensu hic fuisse praenunciatum, eumque vel solum vel certe praecipue“. Rationes ob quas etiam reliquos prophetas vult intelligi, suo loco expendimus.

lator, quemadmodum Moyses annunciavit in monte Sinai, et audiendus est ut legislator. Ex eo autem, quod promittitur legislator Moysi similis, minime sequitur, nullam inter utrumque fore dissimilitudinem. Praeclare id *Augustinus*, locum nostrum Christo vindicans, contra Faustum exponit. „De scripturis, inquit, agnosco dissimilem, de scripturis mecum agnosce et tu similem; non inde dissimilem, unde similem; sed alia causa illud, alia illud". Cont. Faust. l. XVI, c. 15.

Qui de propheta generatim intellecto vel de prophetarum serie locum explicant, argumentum petunt e contextu.

Nam a. in Deut. 18, 14 proxime praecedunt: „Gentes, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt; tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua etc." Itaque sensus videtur esse: non sunt augures consulendi, quia non deerunt prophetae. b. Propheta de quo agitur, opponitur pseudoprophetis. Deut. 18. 20. At non solus Christus illis opponitur. c. Hebraei non petierunt, ne Deus ipse ferret leges, sed ne universe ad ipsos loqueretur (Deut. 18, 16); ergo Dei responsum non ad legislatorem est coarctandum, sed ad omnes prophetas extendendum.

Sed notandum, a. quum primum facta est haec promissio in monte Horeb (Ex. 20, 19), nequaquam prophetam hunc oppositum fuisse hariolis et divinis gentilium, sed petitum fuisse interpretem et promissum esse prophetam natura humana conspicuum; unde sequitur, etiam quum in Deuteronomio Moyses promissionem hanc populo in mentem revocat, ejus sensum non definiri per illa, de quibus proxime egerat, sed manere definitum per illa, quae acciderant in monte Horeb. Poterant autem quae de gentilium divinis dixerat, esse occasio ut repeteret, quae de propheta eximio Deus olim promiserat, praesertim quum haec promissio esset signum et pignus curae illius specialis, qua Deus populum fovebat.

b. Idem dicendum est de illis quae in Deuteron. de falsis prophetis adjiciuntur: „Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur". 18, 20. Quae de propheta eximio aliquando mittendo alia occasione dicta fuerant, assumi poterant ad praemuniendum populum contra falsos prophetas; etsi enim propheta ille a reliquis differret, similis tamen illis erat in hoc, quod et ipse a Deo mittendus esset. Praeterea notum est, Moysen in Deuteronomio varia praecepta colligere et congerere, quae arctissimo nexu haudquaquam semper cohaerent. Praeceptorum sensus explicandus est ratione habita temporis et occasionis, qua primum orta sunt.

c. Etsi Israelitae disertis verbis non petierint, ne Deus ipse legem annunciaret, tamen de lege annuncianda agebatur; unde e rerum adjunctis nonnisi de lege proxime agitur. Ex. 20, 18. 19.

2. *e pseudomessiis Moysen imitantibus.* Judaeos existimasse, Messiam fore prophetam Moysi similem ideoque novi ordinis auctorem, testantur fontes judaici. Imprimis qui pseudomessiae surgebant, prophetas se dicebant et Moysen omni, qua possent, ratione imitari conabantur.

De his ita *Josephus:* „Homines seductores et fallaciis pleni, specie *divini afflatus, novis rebus* et mutationibus studentes, vulgo, ut insanirent, persuadebant et proliciebant in *solitudinem;* acsi illic Deus ostensurus eis esset *signa*". „Graviore autem clade Judaeos afflixit *Aegyptius* quidam falsus *propheta.* Nam is in regionem ingressus, homo *magus*, cum opinionem atque auctoritatem *prophetae* sibi conciliasset, usque ad triginta hominum millia, quos *praestigiis* suis deceperat, congregavit. Cum autem istos ex *solitudine* ad montem usque olivarum perduxisset, inde in urbem Hierosolymorum irrumpere statuerat". De bello jud. II, 13, n. 4 et 5. Omnia eo tendebant, ut Moysem qua prophetam et legis auctorem imitarentur, probe quari, similem Moysi prophetam exspectari a populo, talemque promissum esse. Similia apud Josephum leguntur de Theuda (Ant. XX, 5, 1) aliisque deceptoribus (Ant. XX, 8, 6). Cf. Jos. *Langen,* Judenthum in Palästina p. 437.

Idem patet e Rabbinorum doctrina, qui Messiam eodem quo Moysen nomine, videlicet Goël sive Redemptoris, designant et principii loco enunciant: „Quemadmodum Goël primus, sic etiam postremus comparatus est". Vid. Christian. *Schoetgenii* Horae hebr. et talmud. II, p. 251.

3. *e communi exspectatione legislatoris nixa in Moysis vaticinio.* Ut fontes Christiani testantur, Jesu Nazareni tempore a Judaeis passim exspectabatur novus legislator sive novi ordinis auctor, et haec exspectatio ex parte quidem in Moysis vaticinio nitebatur. Unde haec duo sequuntur: primum, divino consilio revera statutum fuisse, ut novus ille legislator oriretur, quum repugnet, ut populus integer in re tam gravi erraret et Deus, qui eundem per prophetas saepissime docuerat, errorem permitteret; alterum, Moysis vaticinium de novo legislatore revera esse intelligendum, quum haec interpretatio adeo communis oriri non potuerit, nisi aut ipse vaticinii textus aut prophetarum, qui priorum vaticinia evolvere solebant, auctoritas illam exigeret.

241. a. Jesum Nazarenum esse prophetam illum a Deo promissum, qui ut novus legislator sit audiendus, apertissime coram Judaeorum multitudine docet s. *Petrus,* Act. 3, 22–24. Hoc autem testimonio uti non potuisset, nisi Judaeis fuisset persuasum, locum illum singillatim de Messia, non de prophetarum serie tantum esse intelligendum. Videlicet postquam de Jesu Christo agens dixerat: „Quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum"; continuo pergit: „Moyses quidem dixit: Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me; ipsum audietis juxta omnia, quaecunque locutus fuerit vobis. Erit autem: omnis anima, quae non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos". Quae ultima verba denuo indicant, s. Petrum agere non de propheta generatim spectato sive de prophetarum serie, sed de Messia.

Exegetae nonnulli, qui locum tum de prophetarum serie tum de Messia intelligendum existimant *(Reinke,* Beiträge IV. B. p. 326), reponunt, a s. Petro ideo afferri potuisse locum, quia revera de Messia agat utpote comprehenso in prophetarum serie. Sed non advertunt, afferri locum ut

singulariter de Messia agentem, et quidem ita, ut ex hoc loco quemadmodum ex aliorum prophetarum vaticiniis demonstrari possit, Messiam esse venturum. Id autem demonstrari non posset, si propheta ille in prophetarum serie non distingueretur, sive si non exhiberetur ut propheta singularis. Praeterea Petrus ipse prophetam illum a reliquis distinguit addens: „Et omnes prophetae annunciaverunt dies istos"; i. e. omnes prophetae locuti sunt de propheta illo promisso.

b. *Christus* Judaeos redarguens ait: „Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?" Joan. 5, 45—47. Juxta haec verba Judaei accusabuntur a Moyse, qui scripsit sive vaticinium protulit de Christo. Quaeritur quo sensu accipiendum sit hoc Moysis vaticinium, utrum videlicet a Moyse sit tum editum tum scriptum, an tantum scriptum, ut v. g. Jacobi vaticinium a Moyse scriptum sive relatum est. Respondemus, intelligendum esse vaticinium tum editum tum scriptum, non tantum scriptum. Nam si ageretur de vaticinio tantum relato, non Moyses referens, sed propheta edens vaticinium, v. g. Abraham vel Jacob, Judaeos condemnaret. Ille enim solus, qui aliquid statuit sive sententiae auctor est, condemnare dicitur, non scriptor, qui alterius legem aut sententiam solum refert; Christus Dominus igitur, quum Moysem de se scripsisse testatur, Deuteronomii locum prae oculis habet, quum nullo alio loco Moyses de Messia prophetet, et quae Christus addit: „quomodo verbis meis credetis?" aperte alludunt ad illud: „ipsum audietis". Porro Judaeos Moysis vaticinium revera intellexisse de Christo novi ordinis auctore, quem Jesus se esse dicebat, ipsum eorum silentium satis indicat.

c. Judaeorum persuasionem testantur discipuli, quorum nomine *Philippus* ait: „Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth". Joan. 1, 45. Hoc in loco „haud dubie allusum esse" ad nostrum vaticinium, fatetur *Bonfrerius:* „nam, inquit, alibi nusquam in lege invenimus Moysen de Christo venturo esse locutum". Et vero, Moyses hic non nominatur ut qui aliorum prophetarum, Abrahami aut Jacob, vaticinia solum retulerit, sed ut qui ipse ediderit; annumeratur enim prophetis, hi autem ipsi de Messia vaticinati sunt. Intelligendus igitur est Deuteronomii locus, quo prophetam agit Moyses. Verbo, Moyses scripsisse perhibetur, quatenus ipse dixit, venturum esse prophetam ipsi similem.[1])

Eodem sensu s. *Stephanus* ait: „Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tamquam me; ipsum audietis". Act. 7, 37. Certe nec s. Stephanus dicit, a Moyse eatenus tantum praedictum fuisse Messiam, quatenus hic comprehendatur in prophetarum serie, quae proprie praenunciata sit; nec Philippus ait, quem Moyses et prophetae praedixerint, inventum esse, quatenus inventus sit qualiscunque

[1]) Contra „Criticos" quosdam Adalbertus *Maier* notat: „Es ist nichts gewisser, als das Dasein dieser Erwartung (des Messias) zur Zeit Christi oder der Beziehung von 5. Moses 18, 15 und mehrerer prophetischen Stellen auf den Messias, und nur eine aller Geschichte trotzende Kritik kann dasselbe in Abrede stellen". Ev. Johan. I, p. 234.

in prophetarum serie comprehensus; uterque evidenter dicit, praenunciatum et inventum esse illum, qui a prophetis vulgaribus sit distinctus et alter sit Moyses.

d. Communis fuit *Judaeorum* persuasio, prophetam aliquem magnum et eximium, qui Dei voluntatem doceret, venturum esse in mundum. Post illa, quae de vaticinii nostri apud Judaeos interpretatione dicta sunt, facile intelligitur, ex Deuteronomii loco, ubi propheta promittitur, exspectationem illam esse ortam. Neque ex alio loco oriri potuit haec prophetae exspectatio, quum Messias nullo alio loco tamquam propheta et potissimum tamquam propheta magnus promittatur. „Doctor" enim, quo nomine alibi designari censetur (Is. 30, 20), a propheta differt eoque inferior est.

Communem apud Judaeos prophetae magni exspectationem testatur eorum ad Joannem B. legatio. „Confessus est et non negavit, et confessus est: Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta *(ὁ προφήτης)* es tu? Et respondit: Non". Joan. 1, 20. 21. Sive aliqui interrogantium inter Christum et prophetam illum distinxerint, sive diversis nominibus personam eandem designarint, prophetae magni exspectatio satis ex hoc loco elucescit. Cf. Adalbert *Maier*. Comm. über Ev. Johannes 1, 21; *Haneberg*, Evang. nach Johannes, I, 20. Apertius etiam popularis haec exspectatio erumpit viso miraculo multiplicationis panum, quod Moysis in deserto miracula ultro in memoriam revocabat: „Illi ergo homines, cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta *(ὁ προφήτης)*, qui venturus est in mundum". Joan. 6, 14. Cf. 7. 40. Turbam hic ad nostrum vaticinium alludere, fatetur *Bonfrerius*; „neque enim, inquit, alibi usquam Christus sub prophetae nomine promissus est". Cf. Luc. 7, 16.

e. Fuit eadem et *Samaritanorum* persuasio. Mulier Samaritana Jesum prophetam aliquem esse jam agnoverat dicens: „Video, quia propheta es tu (*ὅτι προφήτης εἶ σύ*); Messiam nondum agnoverat, sed probe gnara, Messiam prophetae et quidem prae reliquis eximii munus gerere, dixit: „Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus); cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia". Joan. 4, 25. Quibus verbis Messias ut novi ordinis novaeque legis auctor sive ut divinae voluntatis interpres exhibetur sensu aeque saltem perfecto ac Moyses. E documentis recentiore tempore repertis constat, Samaritanos in Messia potissimum munus propheticum spectasse. (*Haneberg*. Evang. nach Joh. 4, 25.) Notandum autem est, eos Messiae qua prophetae aut doctoris notionem e nullo alio loco nisi e Deuteronomio haurire potuisse, quum nec prophetarum vaticinia admitterent, nec Judaeorum sententiam sequerentur. Unde si in Judaeis causa esse possit suspicandi, eos doctoris notionem e prophetis haustam in prophetae notionem convertisse, in Samaritanis simili suspicioni locus non est. Eosdem Messiae officium non ex Judaeorum sententia constituisse, patet vel ex eo, quod Messiae ut regis potentissimi exspectatio, qua Judaei maxime delectabantur, nec vigebat nec vigere poterat apud Samaritanos, qui per regem illum, Judaeis opinantibus, opprimendi erant. Cf. Joseph *Langen*. Das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi. Freiburg 1866. p. 409. *Schanz*, Comment. über Johannes (Tüb. 1885). Joh. 1, 21; 1, 45; 4, 25; 6, 14; 7, 40.

4. *Apologetarum et Patrum sententia.* Apologetae locum nostrum sensu, quo diximus, adducunt; ergo eorum opinione aut

passim admissum fuit, eundem de Messia novo legislatore esse intelligendum, aut saltem facile demonstrari, ita intelligendum esse.

242. *Eusebius* totam doctrinam hactenus expositam ita colligit: „Primus prophetarum Moyses alium prophetam sibi similem suscitandum denunciat . . . Num igitur ex iis, qui post Moysem exstiterunt prophetae, Isaias e. g., aut Jeremias aut Ezechiel aut Daniel aut alius quispiam de caeteris duodecim, legum auctor Moysi conferendus exstitit? Nequaquam. Sed ex illis tandem quis unquam Moysi similia effecit? Nusquam poteris dicere. Sed quisque illorum a primo ad novissimum, quoscunque instituebant ac docebant, ad ipsum Moysem remittebant, atque in hoc populum reprehendebant, quod Moysis legem non servasset, sed contra illam fecisset, neque illum ad quidquam aliud hortabantur nisi ad ea firmiter tenenda, quae in lege Moysis posita sunt. Nullum igitur horum illi similem dixeris. Atqui Moyses de uno duntaxat certe ac definite loquitur. Quemnam igitur alium Moysi similem futurum prophetam canit oraculum illud, nisi Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum?“ Demonst. evang. III, 2. Comparationem deinde instituit maxime accommodatam inter Moysem et Christum, ostendens, quem locum prae caeteris prophetis Moyses tenuit tamquam unius populi legislator, eundem prae Moyse tenuisse Christum ut totius generis humani legislatorem.

Per prophetam illum novam promitti legem, studiose notant et alii Patres. Ita *Lactantius:* „Sed et ipse Moyses, per quem datam sibi legem dum pertinaciter tuentur (Judaei), exciderunt a Deo et Deum non agnoverunt; praedixerat fore, ut prophetа maximus mitteretur a Deo, qui sit supra legem, qui voluntatem Dei ad homines perferat . . . Denunciavit scilicet Dominus per ipsum legiferum, quod filium suum i. e. vivam praesentemque legem missurus esset, et illam veterem per Moysem datam soluturus, ut denuo per eum, qui esset aeternus, legem sanciret aeternam“. Instit. IV, 17.

Similiter s. *Chrysostomus:* „Tunc illud afferebamus, quod dicebat Christus: Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi; nunc autem dicimus, hoc a Moyse dictum esse: prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me: ipsum audietis. Etenim quemadmodum Christus ad Moysem eos transmittit, ut per illum ad se alliciat, ita Moyses magistro discipulos tradit, jubens, ut ei usquequaque pareant“. Cont. Anom. hom. XII, n. 1, ed. Migne tom. 1.

Julianus apostata norat, Christianos sentire, vaticinium illud de Christo esse interpretandum. S. *Cyrillus* Al. haec ejus affert verba: „Istud: ‚Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester ex fatribus vestris sicut me, ipsum audietis‘, utique de filio Mariae dictum non est“. Cont. Julian. l. VIII, p. 254, ed. M. 9, 887. Inter alia Cyrillus haec respondet: „Alium nobis ostendat fuisse secundum Moysen . . . Cum plurimi post Moysen prophetae fuerint et homines, sicut ipse fatetur, de quonam tandem haec dicit?“ p. 257. M. 9, 895. Expendit deinceps, quomodo Christus Moysi fuerit similis eumque excesserit singillatim etiam qua legislator. — Cf. Fr. *Patritius* (de interpret. Script. l. II, q. 8), qui testatur, „Patres, qui hoc oraculum simpliciter de uno Messia dictum putant, adeo multos esse, ut intra quinque priora saecula rei christianae ad viginti saltem numerentur“.

Jos. *Corluy,* postquam expendit sententiam priorem, juxta quam propheta ille est solus Messias, et alteram, juxta quam designatur prophetarum series, cujus sit Christus caput, apex et ultima ratio, ita demum concludit: „Dum prior interpretatio ab ipso Spiritu sancto proponatur et pro se habeat omnes fere patres et traditionem veterum Judaeorum et Samaritanorum sane antiquissimam, haec nobis videtur omnino admittenda proindeque cum contextu, quantum fieri poterit, conciliandа“. Spicilegium dogmatico-bibl. I, 454. Non esse difficile, cum contextu conciliare hanc explicationem.

imo suaderi ipso contextu, supra ostendimus; contextus enim ex ipsa promissione in monte Horeb primum facta, non ex ejusdem commemoratione intelligendus est.

B. De fine legis urgendo et exspectatione Messiae excitanda per prophetas.

Propositio 68. *Legis mosaicae finis quo facilius et certius obtineretur, Deus per legatos extraordinarios sive prophetas quandoque missos Messiae adventum denuo praedixit eumque notis variis cognoscendum exhibuit; typis etiam legem novam ejusque auctorem praefiguravit.*

De fine in legis subditis obtinendo sermo est. Quam primum constat, Messiam notis variis a Deo insigniri et distingui, ultro sequitur, Deum velle, ut his notis agnoscatur. Unde sibi ipsi contradicunt, qui quidem admittunt, Deum Messiam describendo voluisse universe ejusdem desiderium fovere et nutrire, attamen negant, eum ex illis notis dignoscendum fuisse. *Bretschneider,* I, §. 30.

243. Pars I. Vaticiniis multis et variis prophetae Messiae adventum praedixerunt.

Legatos extraordinarios vocamus prophetas, quia non pertinebant ad triplicem sacrorum ministrorum ordinem lege statutum i. e. Levitarum, Sacerdotum, Pontificis, et propterea non ut hi, i. e. ipso successionis jure, sed Dei ipsius missione auctoritate pollebant, ideoque modo ampliore modo restrictiore, non undequaque definita, ut consueti Synagogae ministri; nec singulis diebus et continuo, ut alii ministri in lege instituti, agebant cum populo, sed a Deo mittebantur breviore vel longiore temporis intervallo interposito, et mandata deferebant, quae pro rerum et temporum circumstantiis communicare placebat. Et quoniam legati extraordinarii erant, necesse erat, ut, secus ac ministri ordinarii, aut ipsi signis et prodigiis se a Deo missos esse probarent, aut ab aliis prophetis, quorum legatio demonstrata jam erat, tamquam a Deo missi declararentur populo.[1]) Cf. Prop. 50.

244. **Probatur 1.** *Prophetae Christi ortum descripserunt.* E familia *Jesse* oriturus praedicitur. „Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: habitabit lupus cum agno et pardus cum hoedo accubabit . . . Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum". Is. 11, 1—10.

[1]) Propter rationes allatas prophetae manebant legati vel ministri extraordinarii, etsi Deus identidem prophetas mittebat. Rex enim duplice modo mittere potest legatos sive ministros: alios qui fungantur munere ipsa lege statuto; alios qui a solo rege auctoritatem accipiant. Ex eo autem, quod rex praeter illos, qui successione in munus lege statutum auctoritate pollent, certis temporibus, prout ipsi opportunum videatur, mittit alios, qui non tali successione, sed ab ipso auctoritatem accipiant, non sequitur, hos non esse legatos extraordinarios. Neque desinerent esse legati extraordinarii, etiamsi rex promitteret, se identidem missurum esse hujusmodi legatos. Unde et *Becanus* (Analog. vet. nov. Testam.), cap. 8. inscribit: „De ministris synagogae extraordinariis, qui erant prophetae".

Quae de summa illorum temporum felicitate, de Dei cognitione per orbem diffusa, de gentium ad radicis illius et virgae florem accessu praedicantur, satis indicant, agi de Messia.

Per *Davidem* Messias e Jesse sive Isai descendet: erit Davidis filius. Nathan propheta Davidi duplicem in ejus posteris regni stabilitatem promiserat, alteram absolutam, conditionatam alteram. 2. Reg. 7, 12—16. Stabilitas regni conditionate promissa obtinget in Salomone et reliquis regibus Judae usque ad Jechoniam; qui tandem ob legem non servatam sive conditionem non impletam regno privabitur (Jerem. 22, 30); stabilitas absolute promissa locum habebit in Messia (Jerem. 23, 5. 6). Cf. 3. Reg. 9, 3—9. *Bade*, Christologie I, 151. Davidis filium Messiam fore, Judaeis passim notum erat; unde et Davidis filius passim nominabatur. Mtth. 9, 27; 12, 23; 22, 42. — Cf. Osee 3, 5; Amos 9, 11. In utroque loco Messiae ortus e Davide insinuatur.

b. In *Bethlehem* tribus Judae nasciturus est. „Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis". Mich. 5, 2. Inter mille incolarum oppida, in quae tribus divisa erat, exiguum quidem oppidum erat Bethlehem, non tamen exiguum spectato duce ex eo orituro; cujus quidem ducis ortus humanus tempore circumscribitur, ortus autem divinus ab aeterno est. Haec ultima verba satis ostendunt, agi de Messia, ut et quae proxime (3) sequuntur de ducis illius dominio „usque ad terminos terrae". Israelitarum traditionem paraphrasis chaldaica exhibet ita vertens: „Ex te mihi prodibit Messias (*Meschicha*), ut sit dominium exercens in Israel". Quid Jesu Nazareni tempore de Messiae ortu praedictum esse censuerint Judaei, indicant sermones, quos refert Evangelista: „Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?" Joan. 7, 41. 42. Nec solum turbae, sed et sacerdotes et scribae vaticinio nostro agi de Messiae ortu judicabant, quum sciscitante Herode, ubi Christus nasceretur, dixerunt: „In Bethlehem Judae; sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel". Mtth. 2, 6. Minimam dixerat propheta, videlicet spectata magnitudine physica; non minimam, sed maximam dicunt sacerdotes, videlicet spectata magnitudine morali. *Schegg*, Die kleinen Propheten I, 538. *Knabenbauer*, Proph. minores, p. 440.

c. *E virgine matre* nascetur Messias. Urbe Jerusalem a regibus Syriae et Israel obsessa, Isaias, Domino jubente, Achaz regi Judae, qui Teglathphalasaris, Assyriae regis, auxilium invocaverat, Syriae et Israel regum interitum et urbis liberationem certo promisit addens: „Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam et non tentabo Dominum. Et dixit [Isaias]: Audite ergo Domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo (*ha alma*, ἡ παρθένος) concipiet et pariet filium, et vocabitur (hebr. vocabit ipsa) nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum". Is. 7, 11—16.

Sensus vaticinii is est: quam certo Deus promissionem illam praecipuam, quae est fundamentum electionis et singularis protectionis populi israelitici, impleturus est et quidem patrato maximo miraculo; tam certo potentia sua urbem liberabit. Praeterea priusquam puer ille Emmanuel aetatem discretionis attigerit, adolescet enim consueto infantium modo et nutrietur infantium cibo (Iren. III, 21, 4), i. e. brevi tempore, duorum illorum regum terra vastabitur. Deus quandoque eventum remote futurum tamquam signum usurpavit, quo firmaret alium proxime futurum (Ex. 3, 12), idque hoc loco summe congruum erat, quia promissio servatoris notissima erat et maxime accommodata ad regis et aliorum fiduciam excitandam. Itaque sine fundamento objicitur, signum promissum eo, quod post septem demum saecula obventurum esset, non fuisse aptum ad regis et populi animum obfirmandum. Quum porro propheta de ortu futuro Messiae tamquam jam praesente loqueretur, tempus ab ejus ortu usque ad aetatem, qua ab aliis infantibus discrimen inter bonum et malum conspicitur, congrue pro mensura assumit. Filius, cujus ortus praedicitur, est Messias. Id indicatur ipso nomine Emmanuel (Deus nobiscum), quod paulo post (8, 8) declaratur esse nomen possessoris terrae Chanaan („terrae tuae, o Emmanuel!"); et praeterea de eodem „filio" additur: „vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium et pacis non erit finis; super solium David et super regnum ejus sedebit" etc. 9, 6. 7. Haec nonnisi de Messia dicta intelligi posse, manifestum est. Praeterea merito ad historiam ipsam provocamus cum *Origene* dicente: „Interrogabimus, quis temporibus Achaz genuerit prolem, de qua nata dictum sit ‚Emmanuel' quod est ‚Nobiscum Deus'? Quod si nullus inveniatur, manifestum est, id quod dictum est Achaz, domui David dictum esse, quia Scripturae testantur, salvatorem secundum carnem ex Davidis semine natum esse". Cont. Cels. I, 35.

Nec minus certum est, Messiam oriturum esse e *virgine*. Propheta ut regis animum adeo dejectum erigeret, signum quodcunque, licet maxime arduum, quod rex petiturus esset sive „in profundum inferni sive in excel-

sum supra", promiserat. Quum rex ipse petere nollet, Dominus ipse signum promittit, sine dubio arduum et ad rem accommodatum: „Ecce virgo (illa) gravida et pariens" etc. Ut verba sonant, promittuntur duo: ortus futurus Messiae et ortus e virgine matre. Nec enim promissionem restringere licet ad solum Messiae ortum, idque eo minus licet, quum a partu virgineo enunciando propheta incipiat et hujusmodi signum, utpote naturae ordini maxime adversans, ad praedicandam Dei potentiam maxime valeat. Unde absque ratione asseritur, partum e virgine concipi posse in sensu diviso, ita ut Emmanuel nasciturus dicatur e matre, quae olim fuerat virgo, et Isaiae auditores in solo Messiae adventu futuro signum promissum reponere potuisse.

Propheta utitur voce *alma*, quae quoties in Scriptura occurrit, virginem adolescentulam et quidem illibatam aut quae saltem illibata censeatur, significat. Hoc sensu vox hebraica accepta est a 70 interpretibus, qui eam voce παρθένος reddiderunt, ut Hieronymus voce *virgo*. quamquam etiam vox νεᾶνις, qua Aquila, Symmachus et Theodotion usi sunt, virginem adolescentulam significat, magis tamen aetatem teneram, quam virginitatem illibatam, unde et minus diserte miraculum exprimit.

Quo sensu apud Judaeos vaticinia intellecta fuerint, discimus etiam a scriptoribus novae legis ex ipsis argumenta petentibus. Non enim licet supponere, scriptores legem novam stabilire voluisse argumentis non admissis aut non concludentibus. Unde etiam, quando dicunt, hoc vel illud factum esse „ut Scriptura impleretur", supponendum non est, eos, quae apud prophetas leguntur, solum accommodare ad Christum. *Accommodatio* enim in eo est, ut quae inter duos eventus est similitudo exhibeatur. Sola autem similitudo inter duos eventus non probat, priorem esse praedictionem posterioris. Ut illa sit praedictio, necesse est accedere positivam determinationem factam per illum, qui eventus disponit. Cf. infra p. 253.

Matthaeus postquam Christi ortum e Maria virgine enarravit, ad Isaiae vaticinium provocat: „Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus". 1, 22. 23. Itaque quo sensu intelligendus sit Isaiae locus, indicatur facto ipso i. e. Christi ortu e virgine. Additque Evangelista, ortum illum e virgine diserte praedictum esse a propheta. Provocare non poterat ad vaticinium, de cujus sensu genuino non constabat illis, in quorum gratiam proxime Evangelium scribebat. Atque hinc denuo patet, dici non posse, Isaiae auditores in sola Emmanuelis promissione rationem signi reposuisse. Neque potest objici, Matthaeum non alio sensu vaticinium hoc impletum esse docere, nisi quo idem Evangelista postea de Jesu in Aegypto commorante scribit: „ut adimpleretur quod dictum a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum". 2, 15. Quae ultima verba apud Oseam prophetam (11, 1) ad populum Israel ex Aegypto eductum referuntur. Populus videlicet israeliticus imago erat populi christiani et eatenus capitis Christi; unde Deus populum israeliticum ex Aegypto vocando praefiguraverat et praedixerat, quod evenit in Christo. Poterat sane populus eductus antiquus figura et imago esse populi novi in suo capite educendi, quia in utroque cernebatur egressus. Non poterat quod de virgine pariente dicitur, figura et imago esse virginis parientis Messiam, quia, ut ostendimus, apud Isaiam sermo est de matre ipsius

Messiae. Sine dubio virgo Maria non erat imago virginis Mariae, dum populus israeliticus imago esse poterat alterius populi educendi. Praeterea partus non virgineus, si alia mater supponitur, non potest esse figura et imago partus virginei.

Vaticinium nostrum Patres, inde a s. Justino (dial. n. 84) et s. Irenaeo (III, 21, 4), passim exponunt de partu virgineo. Cf. Franc. *Patrit.* de evang. l. 3. diss. 16. Laur. *Reinke,* Die Weissagung von der Jungfrau u. dem Emmanuel. Neque mirum, quod Judaei tempore post Christum excurrente vaticinium, ut Justinus notat, in alium sensum detorquere conati sunt. De partu virgineo id antea ab ipsis intellectum fuisse, vel ex eo constat, quod fama ipsa ad alios detulerat populos. Insigne hujus rei testimonium exhibet Virgilii ecloga IV. quae ad carminis Sibyllini, inter Judaeos exorti, locos alludit. Cf. J. H. *Friedlieb,* Die Sibyl. Bücher III. 785. Jos. *Langen.* Das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi (Freib. 1866) S. 173, 402; *Schanz*, Comment. über das Evang. des h. Mtth. (Freib. 1879), S. 88.

245. **2.** Messias *insignis erit miraculis* ab ipso patratis. „Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi coecorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum". Is. 35, 3—6. Felicitas quae hic promittitur, populo non obtigit, nisi quo tempore Messias beneficia spiritualia contulit in omnes, et miraculorum illa multitudo conspecta non est, nisi quum Messias signis quam plurimis prophetam et miraculorum patratorem similem Moysi sese demonstravit; unde cum s. *Justino* (I. Apol. 48) aliisque merito concludimus, prophetam illud tempus respexisse. Et vero, populus persuasum habebat, Messiam miracula plurima patraturum esse. Quum enim Jesum signa multa facientem viderent, „dicebant: Christus quum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit"? Joan. 7, 31. Jesus autem ipse sciscitantibus: „Tu es qui venturus est, an alium exspectamus", ad signorum multitudinem provocavit dicens: „Euntes renunciate Joanni, quae audistis et vidistis: Coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur". Mtth. 11, 4. 5.

246. **3.** Christi *passio* et variae ejusdem circumstantiae praedicuntur Ps. 21 integro, qui, quum etiam de gentium conversione agatur (28), plene non Davidi, nec alteri cuilibet, sed soli Messiae congruit. Id confirmatur et inde quod non solum Evangelistae varias ejusdem praedictiones in Jesu Nazareno impletas esse asseverant et ostendunt (Mtth. 27, 35. 39. 43; Joan. 19, 24), sed ipse etiam Jesus quaedam Psalmi verba ad exprimenda sua sensa as-

sumpsit, ipsumque initium: „Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me“? Mtth. 27, 46. *Bade*, Christologie II, p. 89. *Rohling* Die Psalmen (Münster 1871) S. 104. *Schegg*, Die Psalmen, I, S. 271. Mgr. *Meignan*, David Roi, Psalmiste, Prophète, (Paris 1889) p. 290. Cf. *Vitringa*, Observationes sacrae, l. II, c. 9. seq. De supplicio crucis olim praedicto et praefigurato.

247. **4.** Praedicitur ejus *mors* et *resurrectio*. Quae in Ps. 21 modo allato leguntur passionis circumstantiae, ut vestimentorum partitio, satis innuunt Messiae mortem. Disertissime eandem Daniel praedixit: „Occidetur Christus“. 9, 26. Isaias praedixerat: „Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet“. 53, 7. Unde Trypho Judaeus in dialogo cum *Justino* fatetur: „Passurum et tamquam ovem abductum iri scimus, sed utrum etiam crucifigendus et tam ignominiose tamque inhoneste mortem in lege maledictam obiturus, fac nobis demonstres“. Justin. dial. n. 90. Ad hoc crucis scandalum removendum Justinus inter alia illud serpentis signum a Moyse in deserto erectum affert, n. 91. Marcus Evangelista (15, 28) hoc latronum supplicium docet praedictum esse ab Isaia dicente: „Et cum iniquis reputatus est“. 53, 12. Et vero Messiae mortem ignominiosam et quidem „propter scelera nostra“ Isaias illa oratione multis descripserat. Cf. *Knabenbauer* in Is. c. 53. Resurrectio praedicitur Ps. 15: „Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem“. 10. Quem locum s. *Petrus* die Pentecostes coram Judaeis exponens ostendit, in Davide non esse impletum, implendum igitur fuisse in illo, cujus David figuram gessit. Act. 2, 25—31. *Rohling* ib. p. 83. Rabbinorum de Messiae resurrectione testimonia affert *Schöttgen*. (Horae hebr. et talmudicae, II. p. 228 et 565).

248. **5.** *Tempus*, in quod Christi *adventus* incidit, variis modis definitur.

a. Christus venturus est *templo secundo* nondum everso. Aggaeus propheta, ut Israelitarum e Babylone reversorum animos erigeret et ad templum construendum excitaret (an. 519 a. C.), ita eos alloquitur: „Haec dicit Dominus Deus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, et in loco isto dabo pacem“. 2, 7—10. Templum secundum omni sub respectu inferius

fuit templo primo operis constructione et signis Dei praesentiae visibilibus conspicuo (Raym. Mart. p. 381); sola Messiae praesentia praecellet: nam agi de Messia vel ex eo patet, quod omnium commotionum terminus „pax" sive felicitas promittitur; haec enim temporis messiani indoles est. Mich. 5, 5; Is. 9, 6. 7. Idem magis etiam ex eo patet, quod qui venturus dicitur, *„desideratus* cunctis gentibus" appellatur.

Leve est, quod objecerunt nonnulli, Messiam vocari non posse „desideratum cunctis gentibus", quum gentes eum ignoraverint. Nam a. tum sacris tum profanis scriptoribus usitatum est, actum ponere pro potentia, ut locus vocatur inaccessus, qui accedi non potest; b. desiderare dicuntur etiam res inanimatae illa, quibus indigent; c. fuisse in gentibus reparatoris desiderium, quo tempore Messias advenit, testatur historia. Cf. *Sanctius* (Comm. in proph. min.) in h. l. — A plerisque ut a s. Hieronymo „desideratus" vertitur, quae hoc loco legitur vox hebraica *chemdath goim* „desiderium gentium". Nonnulli vertunt: „et veniet pulchritudo gentium" (70: *καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ τῶν ἐθνῶν*), hanc autem alii itelligunt esse gentes praecipuas, alii res pretiosissimas, quae a gentibus afferantur. (Rationes ita vertendi v. apud *Hengstenberg*, Christol. III, 1, p. 226). Etiam ista supposita versione, quam tamen plurimi impugnant (cf. *Corluy*, Spicil. II, p. 520), Messias cum secundo templo connectitur; hoc enim ideo gloriosius erit primo, quia ad ipsum gentes adoraturae confluent, non autem confluent nisi quia Messiae regnum exortum est. Non de sola ecclesiae christianae prae synagoga praecellentia, ut nonnulli volunt, agitur; nam de templi materialis secundi majore quam templi primi gloria loquitur propheta, et loqui debebat, si scopum obtinere volebat, consolandi videlicet Israelitas conquerentes de templi materialis humilitate. Novus rerum ordo, regnum coelorum, Christi ecclesia incepit in templo materiali, in quo Christus comparuit, Evangelium docuit, potestatem tamquam in domo patris sui exercuit atque ita regnum illud fundavit, ad quod gentes omnes confluxerunt. Quum igitur Deus ipse explicet, cur secundi templi gloria major sit quam primi, Rabbini recentiores secundi praecellentiam male reponunt in eo, quod diutius steterit quam primum (apud Galatinum l. 4, c. 9); alii etiam male in eo, quod Herodes secundum templum magnis sumptibus instauraverit (Joseph. Antiq. XV, 11): male et ideo quod non gentes ipsae, ut propheta praedicit, sumptus illos fecerunt. Miserunt quidem et „ipsi reges et principes" dona (2. Mach. 3, 2); at non eo tempore, quo Deus „in loco isto dedit pacem", neque ipsi tunc fuerunt inter gentes illas, quae adoraturae accesserunt. Cf. *Knabenbauer*, Proph. min. Agg. 2, 7—10; *Corluy*, Spicil. I, 514.

Simili modo Malachias, dum constructo jam templo Israelitas legem infringentes et dicentes: „Ubi est Deus judicii?" proposito Messiae adventu ad legis custodiam adhortatur. „Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum". 3, 1. Angelus praeparans viam proxime praecedet servatorem, atque idem est, de quo Isaias dixerat: „Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini." 40, 3. Ad templum suum veniet, videlicet modo constructum; neque de alterius generis templo co-

gitare poterant Israelitae prophetam audientes; unde iterum concluditur, durante illo templo Messiam esse venturum. Sed cum Messiae adventu novus inchoabitur rerum ordo, novum sacrificium, de quo propheta egerat 1, 11.

b. *Annorum numerum*, qui inter *edictum* de urbe iterum aedificanda et *Christum ducem* interjacet, *Daniel* in Babylone captivus e Gabriele angelo didicit. Quum memoratis „desolationis septuaginta annis“ (Dan. 9, 2) pro civitate et templo rogaret propheta, angelus dixit: „Septuaginta hebdomades [490 anni] abbreviatae [definitae] sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum (24); scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et sexaginta duae erunt“ etc. (25).

Hic interim notandum, certo agi de tempore messiano, cujus signum est, quod iniquitas dicitur delenda et justitia sempiterna adducenda. Praeterea notandum, agi de tempore adventus Messiae determinando, et septuaginta hebdomadum numerum non poni pro quovis tempore indeterminato. Patet hoc vel ex numeri hujus resolutione in septem, sexaginta duas et unam hebdomadam. Et sane propheta, qui de septuaginta annis captivitatis omnino determinatis coram Deo loquutus fuerat, non poterat non intelligere determinatum omnino esse numerum, quem aperuit angelus. Denique notandum est, hebdomades, de quibus agitur, esse annorum hebdomadas, non cyclorum longe majorum, ut finxerunt Judaei recentiores. Scriptura non novit nisi dierum et annorum hebdomadas. Hoc posteriore sensu intellectae septem hebdomades „simul faciunt annos quadraginta novem“. Lev. 25, 8. Hebdomades annorum etiam aliis populis notae erant, Romanis quidem teste Varrone apud Aulum Gellium, Noct. Att. III, 10. Rabbini veteres in loco nostro annorum hebdomadas deprehenderunt. Raymund. Martin. p. 271. Galatin. IV, 14. Neque intelligi aliae possunt, quum in initio orationis de septuaginta annis (9, 2), non de alia temporis divisione sermo sit.

Quatuor distinguuntur edicta de Israelitarum reditu agentia; hinc difficultas oritur, a quonam eorum computus sit inchoandus. Augetur difficultas ex eo, quod Persarum chronologia hodie non parum intricata est et incerta. Secundum communiorem eandem ordinandi modum quatuor illa edicta, ad aeram christianam relata, respondent annis a. C 536, 519, 467, 454 (*Usserius*, Annal. V. et N. T. p. 79—105), aut 536, 518, 457, 444 (*Vetelev.* Die Zeit der 70 Jahrwochen. Tüb. Quart. 1875, *Rohling*, Das Buch Daniel p. 267). Patere tamen viam ad argumentum certum eliciendum, infra (Prop. 89) videbimus.

249. **6.** Prophetae praedixerunt, *gentes* accessuras esse ad Messiam, qui *legatos* suos ad ipsas missurus sit, et ex gentibus potissimum

efformandum esse Messiae *regnum, ecclesiam,* quae bonorum spiritualium ubertate praestans futura sit. Patet id jam ex illis, quae supra dicta sunt de „benedictione" per patriarcharum posteritatem gentibus elargienda (Gen. 26, 4), de „exspectatione" sive „obedientia gentium" (Gen. 49, 10), de propheta „simili" Moysi hinc novo legislatore (Deut. 18, 15), de illo, quem „gentes deprecabuntur" (Is. 11, 10), de „desiderato cunctis gentibus" (Agg. 2, 8). Hisce enim omnibus regnum Messiae denotatur per totum terrarum orbem protensum. Diserte hanc gentium accessionem describit Isaias 66, 18. (Prop. 66. *Bade* III, 470. F. J. *Selbst,* Die Kirche J. Chr. nach den Weissagungen der Propheten p. 145 ff.)

250. 7. *Judaeorum incredulorum reprobationem, urbis et templi eversionem* Daniel descripsit. Postquam de Christi occisione egit, ita pergit 9, 26: „Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; [secundum textum hebr. hodiernum *v'ain lo* = non est ei; secundum versionem Hieronymi primitivam: et non erit ejus — omisso subjecto]. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. 27 . . . in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio". Postquam Messias seipsum in sacrificium obtulerit, cessabunt sive vacua et inania erunt sacrificia synagogae, praefigurantia videlicet Christi sacrificium: verum ad desolationem et vastitatem moralem accedet vastitas et desolatio physica, civitate et sanctuario everso, quo fiet, ut sacrificia penitus cessent. Pariter exilii conditio, quae apud Oseam (3, 4) praedicitur, non congruit cum conditione exilii babylonici, congruit autem cum statu populi hodierno. — De Dan. Cf. *Corluy.* Spicil. I, 474. *Rohling,* Das Buch d. Proph. Daniel p. 275. *Knabenbauer,* Daniel, p. 256. Prof. *Fell* in Münster, Ein exegetisches Räthsel, Daniel 9, 26. Tübing. Quartalsch. 1892, p. 355.

Haec prophetarum vaticinia in Jesu Nazareno impleta esse, suo loco demonstrabitur.

251. Pars II. Nova lex ejusque auctor ut vaticiniis ore vel scripto prolatis praedicebatur, ita etiam typis praefigurabatur.

Typus est rei alicujus vel personae vel actionis facta a Deo usurpatio ad significandam sive exprimendam rem, personam, actionem aliquam futuram: res praesens fit imago simul et praedictio rei futurae. Unde primo requiritur, ut inter utramque quaedam intercedat similitudo, et quidem non in illis, quae eidem cum aliis rebus sunt communia, sed in illis, quae sunt propria. Ut imago exhibeat Europaeum, non sufficit, ut exhibeat hominem. Praeterea ad imaginis conceptum requiritur, ut similitudo rei, quae dicitur imago, derivata sit ex illa, cujus est imago. Filius, tum fratri

tum patri similis, non fratris, sed patris dicitur imago. Unde etiam typus praefigurans, ut praefiguret, e re futura derivatus sit oportet. Porro ut derivatus dici possit, requiritur, ut ab illo, e cujus potestate sive providentia res et eventus pendent, priori eventui praeter similitudinem, quam habet cum eventu futuro, finis eventum futurum significandi addatur. Hoc enim fine ratione positiva addito eventus ille fit praedictio; hujus autem indolem non acquirit sola similitudine. Res quaecunque, videlicet persona, actio, institutio ad novum ordinem praefigurandum tunc assumpta esse dicenda est, si Deus, quod aliquando facturus est modo perfectiore, prius in illa persona, actione, institutione adumbrat modo imperfectiore, addita monitione, ut homines e re imperfectiore perfectiorem cognoscant et exspectent. Hoc sensu testamentum vetus universe typus erat testamenti novi. „Quid est, quod dicitur testamentum vetus, nisi novi occultatio? Et quid est aliud, quod dicitur novum, nisi veteris revelatio?“ S. *Aug.* de civit. XVI, 26.

Actio *symbolica* cum actione typica in eo convenit, quod ut haec ad aliquid significandum assumatur; differt in hoc, quod nonnisi ad significandum adhibetur, dum actio typica praeter significandi finem habet proprium sive internum. Sacrificia veteris legis erant typi, quum et finem internum, Deo exhibendi cultum, haberent, et finem externum, significandi sacrificium in nova lege offerendum. Ahias propheta „pallium suum novum scidit in duodecim partes et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras; haec enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis et dabo tibi decem tribus“. 3. Reg. 11, 30. 31. Ezechiel propheta jubetur fugam et transmigrationem Judaeorum et regis Sedeciae non tantum praedicere, sed oculis quasi subjicere, Deo dicente: „Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis . . . tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans . . . faciem tuam velabis et non videbis terram, quia portentum dedi te domui Israel“ . . . Ez. 12. Quomodo quod symbolo exhibitum erat, impletum sit, legitur 4. Reg. 25. „Viri bellatores nocte fugerunt“. Sedecias comprehensus oculorum lumine privatus est. Quamvis hujusmodi symbola differant a typis, tamen ostendunt, quam congruum sit prophetarum usui, praeter verba etiam rebus uti ad significandum.

252. **Probatur 1.** *e doctrina prophetarum.* Vetere testamento praefigurari novum ejusque auctorem, significant prophetae. Nam de urbe Jerusalem et de David rege quaedam praenunciantur, quae in urbe Jerusalem antiqua et Davide rege terreno nec impleta sunt nec impleri potuerunt, impleta autem sunt in lege nova sive in ecclesia et in Christo; necesse autem est, ut etiam ad Jerusalem antiquam sensu aliquo intellectam, pariterque ad Davidem aliquo sensu intellectum quadam ratione pertineant, cum et de his sint praenunciata. Utrumque ut locum habere possit, dicendum est, praenunciata illa esse urbi Jerusalem ut typo ecclesiae sive ecclesiam exhibenti, et Davidi ut typo Christi sive Christum exhibenti. David ait: „Dominus dixit ad me . . . Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae“. Ps. 2. Ergo vaticinium implendum erat in Davide, sed non ut rege terreno, verum prout typus erat Messiae ejusque locum tenebat, i. e. implendum erat in Messia, praefigurato per Davidem. Qui cuicunque a principe designato vice principis pro-

mittit obedientiam, is verba dirigit ad hunc, qui a principe fuit designatus, at non huic sed principi obedientiam promittere intendit. Designato illi promittitur obedientia ut exhibenti principem, sed principi ut exhibito.

Huc inter alia spectant Is. 2, 2—5; 66, 20; Ps. 2, Ps. 71; Ez. 34, 23. Cum igitur constet, legem novam vetere lege generatim praefigurari, merito concludimus, etiam partibus veteris legis illis, quae cum novae legis institutis similitudinem exhibent, praefigurandi finem esse propositum.

2. *testimoniis novae legis.* Vetere testamento praefigurari novum, *discimus ex apostolis*, etiamsi interim non attendimus ad eorum auctoritatem divinam. Argumenta enim petunt e typis; id vero non potuissent, nisi iis constitisset, se argumentari e principio apud Judaeos admisso. Secundum s. Paulum „umbram habet lex futurorum bonorum". Hebr. 10, 1. E sacrificiis praefigurantibus infert sacrificium Christi.

3. Typis praefigurari legem novam *congruum erat* tum hominum *infirmitati* tum Dei *sapientiae et potentiae.* Hominis infirmitati congruit, ut tum verbis doceatur tum similitudinibus assumptis, simulque per instituta imperfectiora ducatur ad perfectiora; Dei sapientiae congruit, humanae infirmitati consulere, sicut et potentiae congruit res ita ordinare, ut per inferiores qua gradus ascendatur ad superiores; id fit, quum per inferiores ut imagines et umbram exhibeantur superiores utpote antitypus et veritas. S. *Thom.* Quodl. 8, q. 6, a. 16.

253. *Obj.* 1. Secundum Rationalistas et „scientiae religionum comparativae" scriptores quosdam „Messianismus" sive Messiae idea et exspectatio naturali prorsus modo exorta est. Octavo scilicet ante aeram nostram saeculo, quo tempore populus israeliticus ab Assyriae regibus bellis petebatur et premebatur, prophetae spem excitarunt, fore ut Israelitae aliquando Jehova duce vel legato magno per eum misso hostes suos omnesque populos adversantes vincerent, regnum universale constituerent et religionem suam in omnes gentes propagarent; repetita est haec praedictio maximeque legati et ducis illius exspectatio invaluit tempore, quo a Romanis premebatur populus; hinc concipitur, quomodo populus pressus in unum aliquem oculos conjicere, levamen ab ipso exspectare, et unus aliquis eadem exspectatione plenus sese Messiam existimare potuerit. Cf. inter alia Volksreligion u. Weltreligion, fünf Hibbert-Vorlesungen von A. *Kuenen,* Professor in Leiden, Berlin 1883, p. 126, 224 ff.

Resp. Explicatio haec historia ipsa refellitur. Nam 1. non demum saeculo octavo sive sub regibus promissum est, fore ut e populo israelitico religio sive unius Dei cognitio spargeretur in reliquos populos. Sufficit in memoriam revocare, quae Moyses de propheta magno, quae Jacob de exspectatione gentium, quae Balaam praedixerat, quae Deus Abrahamo, quae Semo, quae in paradiso promiserat.

2. Quae ipsi prophetae de Messia praedicunt, minime congruunt cum persona ducis, qui fingitur: praedicunt enim Messiae passionem et mortem, quae ei inferatur

a populo Israel, et hujus populi reprobationem; praedicunt bonorum spiritualium ad alios etiam populos talem propagationem et effusionem, ut et hi eundem exspectent et desiderent; praedicunt templi et urbis vastationem. His non contradicitur, quum Messias quandoque regis potentis imagine exhibetur; imago enim distinguenda est a re per imaginem exhibita.

3. Prophetae, qui sane hanc spem non quidem primum excitarunt, attamen aluerunt, Dei se legatos exhibuerunt, ut antea ostendimus.

4. Praedictiones ipsa sua indole et natura sese divinitus inspiratas exhibent. Praedicuntur enim res complures, quae nonnisi libera Dei vel hominum voluntate nituntur; hujusmodi autem res nonnisi ope divina certo cognosci et praedici possunt.

5. Si e vetere testamento solo non constaret certo, Messiae praedictionem niti revelatione divina, constaret saltem certo e testamento novo. Jesu enim Nazareni missio divina demonstrari certo potest per illa, quae ipse et apostoli gesserunt, etiam nulla habita vaticiniorum praeviorum ratione. Atqui Jesus et apostoli multis modis docuerunt, Messiam divinitus esse praenunciatum.

254. *Obj.* 2. Secundum alios „Messianismus" sive Messiae idea nihil aliud est nisi felicioris aevi vel regni exspectatio sive naturaliter orta sive Deo provide agente excitata, quae a nonnullis conversa sit in certae personae exspectationem. Hanc messianismi notionem adoptarunt e Judaeis recentioribus non pauci tum illi, qui rationalismo adhaerent, tum alii, qui cernentes, elapsum esse tempus Messiae adventui per prophetas determinatum, Messiae ut personae exspectationem deposuerunt. *Jost* (Judaeus), Geschichte des Judenthums u. seiner Sekten. 2. Abth., Leipz. 1858, S. 731.

Resp. 1. Hypothesis, qua statuitur, agi tantum de felicitatis qualiscunque exspectatione naturaliter orta penitus excluditur, quum demonstratum sit, Messiam divinitus esse promissum.

2. Ex eo, quod nonnullis prophetarum locis solum de statu felice vel de rerum abundantia vel de justitia et pace late dominante sermo est, minime sequitur, excludi personam singularem ut felicitatis illius auctorem. Non enim locis singulis necessario singula explicanda sunt, quae felicitate illa comprehenduntur vel illi connectuntur.

3. Eadem auctoritate, qua promittitur felicitas, promittitur etiam persona singularis ut felicitatis illius auctor sive Messias. Insinuatur jam reparator in protoevangelio, magis determinatur vaticinio jacobeo dux, qui regat populum Israel et cui gentes obediant, promittitur ut propheta similis Moysi, orietur e progenie Davidis, occidetur et resurget. Atqui haec omnia de mero felicitatis statu dici non possunt.

4. Ad Jesu Nazareni adventum usque et ultra Messias a populo expectatus est ut persona, nec solum a Judaeis, sed etiam a Samaritanis, et quidem a Judaeis non solum intra Palaestinam, sed etiam in Aegypto constitutis. De Judaeis in Palaestina viventibus id abunde testatur *Josephus* inter alia referens, exspectationem Messiae ut ducis potentis causam fuisse, cur multi jugum Romanorum excutere cuperent. (De bello VI, 5, 4). Qui postea Messiae personam assumere tentarunt et qui fidem eisdem habuerunt, non dubitabant, quin Messias esset persona singularis. Quam certo persuasum fuerit populo, Messiam non meram felicitatis abundantiam, sed hominem singularem esse, multis in locis testantur evangelia. Ex eisdem etiam evangeliis constat, Messiam non ab omnibus exspectatum esse tantum ut liberatorem a Romanorum jugo aut felicitatis temporalis auctorem, sed etiam „ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum", ut Zacharias profitebatur.

Luc. 1, 77. Sensa similia fovebat et pandebat Simeon, ib. 2, 29—32. A Judaeis alexandrinis exspectatum esse Messiam personam singularem, concludimus e Sibyllinorum l. III, (V. 785 seq.), qui originem prodit judaicam, ex quo etiam Virgilius hausisse censendus est, quae ecloga IV cumaei carminis nomine et auctoritate tradit de puero, pacis et felicitatis auctore. *Friedlieb,* Die sibyll. Bücher, Leipz. 1852. His non obstat quod *Philo* Judaeus, platonicis ideis imbutus hisque traditiones judaicas adaptans, populi felicitatem futuram magis quam ejus auctorem designat, vel hunc potius in visionem convertit. Cum hujus viri ideis abstractis confundenda non est populi fides et exspectatio concreta. Cf. Jos. *Langen,* Das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi (Freib. 1866), S. 399, *Schanz,* im K. L. Bd. 8. Art. Messias S. 1380.

Caput III.

De defectione a revelatione primitiva sive de ethnicismo.

Articulus I.

De Ethnicismi ratione et varietate.

255. **1.** *Gentiles, ethnici.* Gentes (ἔθνη) in V. T. vocari solent populi omnes praeter Hebraeos sive populum illum, quem Deus speciali providentia in vera fide conservabat. Cum populi reliqui falsa numina colerent, gentiles vocari consueverunt, quotquot veri Dei cultu carerent. Haec posterior vocis significatio, quamvis communius una eademque esset cum priore, quandoque tamen minus late patebat quam illa. Nam gentilis etiam vocabatur homo non hebraeus, etsi veri Dei cognitione imbutus ejusque cultui addictus erat.

Gentium et gentilium appellatio in novum T. hoc sensu translata est, ut gentilis diceretur, quicunque non esset Christianus simulque Dei veri cognitione careret. Apud Latinos saec. IV. pagani vocari coeperunt.

Ethnicismus omnis, quatenus numini non vero cultum defert, idololatriae nomine designari solet, sive simulacris proprie dictis i. e. imaginibus arte factis sive rei creatae cuicunque cultus deferatur. Εἴδωλον apud LXX interpretes tum in universum significat numen vanum sive falsum, tum potissimum numinis falsi simulacrum. Nam ut s. *Thomas* animadvertit, „ex communi consuetudine, qua creaturas quascunque colebant gentiles sub quibusdam imaginibus, impositum est nomen *idololatria* ad significandum quemcunque cultum creaturae, etiamsi sine imaginibus fieret". S. 2, 2, q. 94, a. 1, ad 4. Auctor libri Sapientiae (c. 13) tum illos, qui opera Dei, tum illos, qui opera manuum hominum pro diis colunt, inter idololatras refert. Idololatriam utramque indicat Apostolus, Rom. 1, 23. 25.

2. *Ethnicismi formae, species.* Hinc distingui possunt tot ethnicismi species, quot sunt modi, quibus a veri Dei notitia et cultu deficitur.

256. a. *Cultus naturae.* Modus maxime obvius et hinc communissimus a vera Dei notione deficiendi in eo est, ut Deo rerum omnium auctori opus ab ipso effectum, mutabile et caducum, substituatur (*naturalismus*), prout factum est a multis populis antiquioribus, qui modo solem, modo astra universa, modo ignem, modo aquam aut aliud quodcunque opus, quo Deus aut potentiam, aut bonitatem, aut sapientiam maxime commonstraverat, eidem substituerunt. (Cf. *Döllinger*, Heidenth. u. Judenth. p. 54.) Hujusmodi est religio, quae continetur antiquissimis Indorum libris, qui Vedas vocantur; hymnis celebrantur *Agni* (ignis), *Vajou* (aer), *Indra* (tonitru) etc. Exhibentur tamquam personae; saepe tamen nescias, utrum res illae dicantur animatae ipsae, an dii vel genii intellectu et voluntate praediti iisdem praesidere censeantur. Neque mirandum, si errores varii misceantur, modo naturalismus, modo polytheismus dominetur, non penitus deletis monotheismi primitivi vestigiis. *Pauthier* et *Brunet*, Les livres sacrés de toutes les religions sauf la Bible. (Ed. Migne, Paris 1858) II, p. 7. Les Védas.

257. b. *Pantheismus.* Veri Dei conceptus destruitur confundendo eundem cum rebus mundanis, ut fit pantheismo. Agnoscitur summa quaedam natura, rerum omnium principium, quae autem rebus effectis immanens est iisque visibilis constituitur.

258. *Brahmanismus.* Emanatione vel pantheismo nititur Indorum, saltem eruditorum, religio prout exhibetur legislatione, quae a *Manu* auctore nomen habet et ad quartum ante Christum saeculum pertingere existimatur. (Pauthier et Brunet. I, p. 331. Lois de Manu). Brahma exhibetur ut ultimum rerum principium, attamen non ut distinctum, sed iisdem confusum. Modo enim est fons, e quo omnia emanant, modo anima omnibus vitam impertiens, modo fons simul et anima rerum omnium. Res autem e Brahma secundum diversas perfectiones emanarunt, ipsique homines, quorum alii ex ejus capite, alii e pectore, alii emanarunt e pedibus; unde et distinguuntur in varias classes sive tribus alias aliis perfectiores. Brahma rebus omnibus, ut naturam, ita etiam vitae cursum constituit; unde fato omnia subjacent. Hinc deducitur praecepti primarii loco, ut quisque sui status suaeque tribus officiis incumbat. Sed ut omnia prodierunt e Brahma, ita omnia eo revertuntur cursu et fluxu continuo; animae nondum penitus purae denuo inseruntur corporibus aut hominum aut brutorum, ut a vitiis purgentur; unde metempsychosis. Summa animae perfectio in eo est, ut corpore quam minime afficiatur, idque obtinet eidem dolorem infligendo; hinc mirum quandoque cruciatuum studium. Anima, quae materia sive corpore nullatenus afficitur, penitus in Brahma redire et cum eo conjungi potest . . . Non est quod systematis falsitas hic demonstretur, quum ejus

absurditas satis constet ex illis quae in philosophia tradi solent de variis pantheismi formis. Cf. Essais sur la Philosophie des Hindous, par M. H. T. *Colebrooke*, traduits et augmentés de textes sanscrits et de notes nombreuses par G. Gauthier. *Colebrooke*, Essays on the Religion and Philosophy of the Hindus. Select. Writings of the Most Rev. Dr. Leo *Meurin*, S. J., Archb. of Nisibi and Bishop of Port Louis, Bombay 1891. p. 3. God and Brahm. *Balfour*, The cyclopaedia of India, s v. Hindu. Mgr. Fr. *Laouenan*, Du Brahmanisme et de ses rapports avec le Judaisme et le Christianisme, I. Pondichéry 1884.

259. *Buddhismus*. Brahmanorum doctrinam immutavit, emendavit, depravavit *Buddha*, qui saec. VI. aut V. ante Chr. (variant enim opiniones) in India vixisse perhibetur.[1]) Buddha (= excitatus, illuminatus) vocatur quicunque summum humanae scientiae gradum ascendit. Gotama Sakya-muni, qui Buddhismi auctor fuisse perhibetur, hoc cognomine insigniri solet. (*Max Müller*, Einleit. in die vergleichende Religionswissensch, Strassb. 1874, p. 280). Libri, qui de ejus fatis referunt vel ejus doctrinam continent, longe recentioris sunt aetatis. Liber sacer Buddhistarum antiquissimus saeculo quinto post Chr. conscriptus est; fontes antiquiores, e quibus haustus dicitur, perierunt. Liber quo ipsius Buddhae vita describitur, ad saeculum primum ante Chr. ascendere fertur, attamen liber ipse periit, versio Sinensis, quae servatur, est saeculi noni post Chr. Cf. St. *Pawlicki*, Der Ursprung des Christenth. p. 47. Edm. *Hardy*, Der Buddhismus, Münster 1890. S. 25. Mgr. *Laouenan*, l. c. p. 415. *Spence Hardy*, The Legends and Theories of the Buddhists, compared with History and Science, London 1866.[2]) Varia et maxime inter se discrepantia sunt doctrinarum systemata, quae Buddhismi nomine veniunt; saeculo ante C. n. altero jam octodecim numerabantur, quae ex illo tempore mirum in modum aucta sunt. Tanta autem est eorum diversitas, ut in Buddhismo, appelatione quidem uno, includatur „naturalismus, deismus, monotheismus, atheismus, polytheismus, pantheismus, nihilismus etc. etc.“ Ch. de *Harlez*, Les écoles Bouddhistes. (La science

---

[1]) Secundum ejus asseclas septentrionales Buddha natus est circa annum 1030 a. C., mortuus circa a. 960 aut 950; qui in Ceylana insula vivunt, ejus mortem assignant anno 543; Max Müller eandem assignat anno 477: Rhys David a. 412; Monier William a. 470. Cf. Mgr. Fr. *Laouenan*, Du Brahmanisme etc. (Pondichéry 1885) II, 364.

[2]) De Buddha ipso nonnisi paucissima certo constare, fatentur plerique. Ita hac de re Herm. *Oldenberg*, (Buddha. Sein Leben, seine Lehre, seine Gemeinde, Berlin 1881): Als Hauptsatz muss hier vorangestellt werden: eine Biographie Buddha's aus alter Zeit, aus der Zeit der *Pali*-Texte ist uns nicht erhalten und hat es, wie wir mit Sicherheit sagen können, nie gegeben. S. 80. Gewisse Ereignisse aus dem Laufe seines Wanderlebens, Begegnungen mit diesem oder jenem andern Lehrer . . . verbanden sich mit der Erinnerung an die eine oder andere wirkliche oder erfundene Rede . . . So hatte man biographische Fragmente, aber eine Biographie ist erst in viel späterer Zeit aus ihnen geformt worden. S. 82. Erst spätere Jahrhunderte, die in ganz anderm Massstabe als die alte Zeit die Geschichte Buddha's mit Wundern über Wunder ausgestattet haben, wandten sich mit besonderer Vorliebe dazu, die Gestalt des gebenedeiten Kindes mit den ausschweifendsten Schöpfungen einer schrankenlosen Phantasie zu umgeben. S. 83.

catholique, 1890, p. 364.) Unum modo commune est omnibus Buddhismi formis, videlicet studium vincendi vel evitandi vitae hujus miserias. Quum autem in doctrinis ipsis maxima permittatur libertas, facile intelligitur, cur tantam systematum varietatem pepererit omnibusque nationibus imo et religionibus sese accommodaverit. Una e Buddhismi formis eaque latius diffusa supponit cum Brahmanis fluxum rerum, ortum et interitum perpetuum, eumque inter mala refert maxima, utpote quieti, in qua summam beatitudinem statuit, quam maxime oppositum. Attamen pro Brahma sive rerum fonte et anima mundi statuit nihilum sive vacuum, e quo, fato quodam, omnia emerserint; solis individuis tribuit esse quoddam, attamen fluxum, perpetuo in nihilum decidens iterumque emergens. Ob hanc doctrinam systema atheismus potius quam pantheismus, philosophema potius quam religio vocandum est, quamvis perpetuos illos rerum emergentium itus et reditus ex emanantionis systemate adoptet.[1]) Ut Brahmani, ita etiam Buddha pro motu perpetuo quietem quaerit et hanc proxime obtinere intendit omne desiderium, omnem sensum, hinc omnem cum rebus externis contactum evitando, dein omnem etiam cogitationem et cogitandi facultatem extinguendo et sic seipsum redigendo in nihilum sive redeundo in id quod vocatur *Nirvana*. Itus illi reditusque perpetui amplissimam affirmant animarum transmigrationem.[2]) Buddha malum morale constituit in ipso desiderio existendi, vivendi, fruendi; hoc enim desiderium nihilo, bono summo, opponitur. Perfectionis studium reponit in eo, ut anima a corpore minime afficiatur, minimeque ejus desideriis obsequatur; hisce enim homo sese affirmat et nihilo se opponit. Hanc autem perfectionem acquirere studet non dolores et cruciatus infligendo, sed moderate abstinendo a rebus, cohibendo desideria rerum externarum et voluptatum, moderate diligendo paupertatem et castitatem. Hac potissimum ascesi moderata ut et tribuum sive classium distinctione sublata differt a Brahmanismo.

Ascesis sive moralitatis studium est religionis vestigium quoddam, valde quidem imperfectum, quum Deum legislatorem neget ejusque loco

---

[1]) „Es wird gewöhnlich behauptet, der Buddhismus leugne die Existenz Gottes. Das ist wahr oder nicht wahr, je nach der Auffassung des Gottesbegriffes. Die Buddhisten glauben an keinen persönlichen Gott, der ein individuelles Ichwesen ist; doch erkennen sie auch, dass die christliche Gottesidee eine wichtige Wahrheit enthält, welche freilich im Buddhismus einen vollkommeneren Ausdruck findet. Der Buddhismus lehrt, dass *Amitabha*, der Urquell des Lichts und das eigentliche Wesen Buddha's, d. h. dasjenige, welches Erleuchtung gibt und dessen Erkenntniss Nirwana ist, allgegenwärtig und ewig ist . . . Es ist das absolut Allgemeine, welches wir in den formalen Wissenschaften, insbesondere der Logik, Mathematik und dem Causalgesetz als schlechthin nothwendig erkennen". Paul *Carus*, Das Evangelium Buddhas nach den alten Quellen erzählt. Aus dem Englischen übers. von *Gauss*, New York, Leipz. 1895, S. 312.

[2]) „Die Seele wandert durch alle Formen hindurch, vom Stein durch Pflanzen und alle die verschiedenen Thierkörper, durch Menschen verschiedenen Charakters, bis sie im Buddha vollkommene Erleuchtung findet". Das Evang. Buddhas S. 130. Secundum alios Nirvana est idem quod Buddha i. e. illuminatio, secundum alios est cessatio sive exstinctio. Ipsa haec exstinctio sive quies est beatitudo. Cf. *Carus*, l. c. p. 338.

fatum statuat. Quum secundum ipsum homines e nihilo emerserint, non alii e Brahmae capite, alii e brachiis, e pedibus alii, ut Brahmani volunt, non est, quod tribuum internam diversitatem doceat; fortunae diversitatem partim quidem ex vitae ante ultimum ortum actae meritis vel demeritis repetit. Matrimonium secundum Buddhismum malum est; est enim existentiae singularis affirmatio, simulque causa, cur individua nihilo opposita et propterea misera multiplicentur. Toleratur tamen. Quia existentia individualis seu natura ipsa mala dicitur, patet, Buddhismi doctrinam nihil commune habere cum doctrina catholica de peccati originalis, quippe quod non ipsam hominis naturam constituit, propagatione. Quum individua quaecunque sint misera, Buddhismi asseclae eorum commiseratione quadam tanguntur et eorum miseriam sublevare nituntur. Rationes, quibus christiana charitas nititur, excluduntur a Buddhismo. Praecipitur condonatio injuriarum, attamen non ob rationes, quas religio christiana urget; Buddhismus injuriarum condonationem exigit, quia homo seipsum suamque voluntatem negare jubetur et seipsum affirmare seu tueri vetatur. Officia erga Deum non novit, quia non novit Deum, saltem quamdiu non adscivit Buddham ipsum tamquam divinitatem. Temporis enim successu non tantum Buddha ipse pro Deo habitus est, sed additae ei sunt et aliae divinitates Aliena etiam dogmata, etsi systemati parum congrua, adoptare non dubitavit Buddhismus, quoties necessitas exigebat, aut opportunitas suadebat; inter illa etiam est doctrina de inferno et poenarum aeternitate. Videlicet natura rationalis et perspecta sanctionis sufficientis necessitas praevaluit contra perversi systematis principia. De Buddhismi ad religionem christianam respectu, quem nonnulli urgent et exaggerant, postea sermo recurret.

Buddhismus vi ejectus est ex India, in qua ortus erat. Magnopere propagatus est in Ceilano insula, in regno Tibetano, inter Sinenses, quorum lingua Buddha appellatur *Fo*. inter Japones aliosque Asiae populos; in diversos tamen ramos sive sectas dividitur. Omnium asseclarum numerus 300,000.000 excedere dicitur. Latissimae hujus propagationis causae sitae sunt partim in religione ipsa, quae nulla habet dogmata, classium odioso discrimini adversatur, partim in populorum, inter quos receptus est, indole. Religio haec maxime tendit eo, ut mala hujus vitae, quantum fieri potest, imminuantur: et quum ad hunc finem etiam beneficentia in alios praescribatur, ipsa religio constituitur quoddam auxilii mutui pignus. Indoles populorum illorum maxime addicta est quieti, hinc maxime amat religionem, quae quietem spondet et patientiam in malis ferendis juvat. Buddhismus aliis etiam systematibus facile se accommodat et in populis variis varias induit formas sibi mutuo oppositas. Multa etiam debet principum favori et auxilio, cum animi vigorem reprimat, populosque submissos reddat et ad onera quaeque ferenda paratos. Polygamiam permittit et matrimonii dissolutionem.[1])

[1]) Cf. Max *Dunker*, Geschichte des Alterthums, Berlin 1855, II, p. 77; 150 et 180 seq. — *Pauthier* et *Brunet*, Les livres sacrés etc. II, p. 467 et 574. — R. *Spence Hardy*, The Legends and Theories of the Buddhists, compared with history and science. — R. *Spence Hardy*, Eastern monachism. — A. P. *Sinnet*, Die esoterische Lehre oder Geheimbuddhismus. Aus dem Englischen. Leipz. 1884. — Henry *Alabaster*, The Wheel of the Law, Buddhism illustrated from Siamese sources

260. c. *Polytheismus.* Infinita Dei perfectio polytheismo dividitur inter plures et sic destruitur. Polytheismus passim viguit non tantum apud Graecos et Romanos, sed etiam apud orientales pantheismo addictos. Fieri enim vix potest, ut natura infinita, quae primum concipitur ut unum rerum principium iisdem intermixtum, vel ut una anima res omnes permeans, sensim mente non dividatur, pro rerum, quibus intermiscetur, diversitate. Hinc etiam inter populos Brahmanismo et Buddhismo addictos, praesertim apud homines rudiores, simul crassus reperitur polytheismus. *Balfour,* Cyclopaedia of India s. v. Brahm, Brahma.

261. d. *Dualismus.* Dei unius conceptus etiam destruitur dualismo Persarum. Nam licet perfectio summa verbis tribuatur bono principio, quod Ormuzd vocatur, re tamen vera minuitur statuendo principium malum (Ahrima), quod aeternum sit, a se ipso existat, et rerum nonnullarum ultima sit causa. Antiquiorem Persarum religionem, naturalismum videlicet ignis potissimum cultui addictum, nova forma induit *Zoroaster.* Quo tempore vixerit incertum est. A plerisque saeculo sexto ante Chr. vixisse, a nonnullis Cyri aequalis fuisse censetur. (Ed. *Röth,* Geschichte unserer abendl. Philosophie. 1. Bd. Mannheim 1846, p. 350.) E monumentis tempore recentiore detectis saltem id constat, Cyrum non dualismo, sed polytheismo addictum fuisse. (Cf. *Pawlicki* ib. p. 16.) Unde concludere licet, etiam apud Persarum vulgus saeculo sexto non dualismum, sed polytheismum viguisse.

Operae pretium est id notasse ad evertendam opinionem illorum, qui censent, Hebraeos tempore captivitatis babylonicae per Persas puriore et ampliore imbutos fuisse religionis notitia: quae postea ex Hebraeis transierit ad Christianos (Ed. *Röth,* ib. p. 460. Edm. *Spiess,* Entwicklungsgeschichte der Vorstellungen vom Zustande nach dem Tode auf Grund vergleichender Religionsforschung, Jena 1877, p. 252). Caeterum facile ostenditur, doctrinam de angelis, de resurrectione aliasque, quas Hebraeos Persis debere volunt, in Hebraeorum libris ante Zoroastri tempora compositis jam contineri; unde si earum migratio supponitur, easdem potius ab Hebraeis ad Persas migrasse verosimile est. Continet sine dubio Persarum systema, quale nunc eorum libris exhibetur, non pauca, quae religioni revelatae sunt affinia. Attamen haec ipsa, quum a Scripturae sacrae simplicitate multum devient et fabulis sint intermixta, sese exhibent non fontem primitivum, sed narrationem derivatam et fictionibus auctam. Verum pariter est, Parsismum sive dualismum propius accedere ad mono-

---

by the modern Buddhist, a Life of Buddha, London 1871. — *Pawlicki,* Der Ursprung des Christenthums (Mainz 1885) p. 36 seq. — *Ehrlich,* Apologetische Ergänzungen zur Fundamental-Theologie, II. Der Buddhismus und das Christenthum. — C. *de Harlez,* Le Buddhisme, Science catholique tom. I, (1888) p. 201. — *Balfour,* Cyclopaedia of India, s. v. Buddha. — Edm. *Hardy,* Der Buddhismus nach ältern Pali-Werken, Münster 1890.

theismum quam alia systemata, potissimum ob hanc rationem, quod in inscriptionibus cuneiformibus Ormuzd vocatur „maximus deorum et creator coeli et terrae"; simul tamen cum ipso admittuntur numina inferiora. Fr. *Windischmann*. Zoroastrische Studien, Berlin 1863. p. 122. Sunt qui existiment, a Zoroastre sublatum esse dualismum, constituto principio altiore, e quo prodierint Ormuzd et Ahrima, quod principium vocatur Zarvan akarana (tempus infinitum). Cf. *Pauthier* et *Brunet*, l. c. II, p. 715. Attamen locum (Fargard XIX, 33), quem alii ita vertunt, ut Zarvan akarana sive tempus infinitum ipsum omnia produxisse dicatur, alii ita explicant, ut tempore infinito omnia esse producta significet. Cf. Most Rev. Dr. Leo *Meurin*, l. c. p. 543. Caeterum non solum propter principium malum simul cum bono principio statutum, sed etiam propter conservata prioris polytheismi vestigia non pauca, Zoroastris religione non exhiberi monotheismum purum, variis locis demonstratur. Ib. p. 550 seq. 621. Eodem etiam spectat cultus, quem Persae exhibent igni, licet doctiores ignem nonnisi symbolum divinitatis, non divina vi praeditum esse dicant. Ib. p. 578. Praeter polytheismi vestigia Zoroastris systemate etiam Indorum emanationem supponi merito censetur, saltem quod spirituum originem attinet, p. 618. — *Balfour*, Cyclopaedia of India, s. v. Parsee.

Recentiores sunt libri, quibus religionis systema continetur, Zend Avesta sive Avesta Zend (Avesta = lex, zend = explicatio). Avesta est pars antiquior, Zend sive interpretatio recentiore lingua conscripta, nonnisi saeculo quinto aut sexto post Chr. suam debet originem. Pars, quae Avesta dicitur, variis temporibus varia forma edita est: forma alia post Alexandrum M., alia iterum saeculo tertio p. Chr., ultima denique tempore Saporis II (309—380), qui religionem christianam abolere, primitivam Persarum religionem revocare studuit. *Pawlicki*, p. 15. Eng. Lor. *Fischer*, Heidenth. u. Offenb. Mainz 1878, p. 107, *Dunker*, Geschichte d. Alterth. 4. B. (5. Aufl. 1880), p. 37 seq.

262. **3.** *Idololatria consummata, vera, ficta.* Polytheismus idololatriam sensu strictiore acceptam sive imaginum cultum sibi nexam habere solet.

Idololatria haec constituitur non quocunque imaginum cultu, sed illo, qui soli Deo proprius est et latria vocatur, qua nimirum infinita ejus excellentia declaratur. Ad latriam haec tria velut elementa concurrunt: 1. opinio aliqua divinitatis sive excellentiae divinae in re, quae ut adoranda proponitur, 2. affectus adorationis seu voluntas et intentio adorandi; 3. exhibitio signi submissionis sive adoratio ipsa. Horum si unum deest, non est adoratio *consummata*. Est tamen idololatria *vera*, siquis vero supremum cultum deferendi affectu actionem externam perficit, licet probe gnarus, rei adoratae non competere cultum supremum. *Ficta* est, si absque illo affectu, ob timorem aut aliam causam, actio exercetur, ut persecutionum tempore quandoque accidit. Cf. *Suarez* de relig. tr. III, l. II, c. 3, n. 7.

263. **4.** *Gentilium theologia triplex.* Omnem gentilium theologiam ratione eorum, qui eadem imbuti essent, post Marcum Varronem s. *Augustinus* aliique in genus triplex diviserunt, in theologiam

naturalem sive illam, quae a philosophis tradebatur; in civilem sive illam, quae civitatum legibus et sacerdotum usibus constituebatur; in mythicam sive fabulosam, quae a poëtis excolebatur et in theatris exhiberi consueverat. De civ. VI, 5.

Theologia civilis et fabulosa quam plurimum permiscebantur; naturalis, si qua saniora de natura divina tradebat, apud Graecos et Romanos quidem a philosophis in populo spargi non solebat. Sed et ipsa naturalis theologia gravissime aberrabat. Divinitatem cum mundo visibili commiscere solebat, aut eam a mundo penitus non distinguendo, aut ut animam mundi et rebus mundanis conjungendo; si vero neutro modo cum rebus visibilibus naturam divinam commiscebat, eam in se ipsa dividere et in deos plures inferiores partiri solebat. Hinc erat, quod theologia naturalis simulacrorum cultu minus esset addicta. Is exercebatur imprimis a theologiae fabulosae asseclis, qui heroas aliosque homines colebant, et a pontificibus, qui simulacris, quibus deos praesidere credebant, sacrificia offerre consueverant. Ad hanc refertur, quod Hermes Aegyptius sive Trismegistus docebat. Is enim, ut s. *Augustinus* scribit, „visibilia et contrectabilia simulacra velut corpora deorum esse asserit; inesse autem his quosdam spiritus invitatos, qui valeant aliquid sive ad nocendum sive ad desideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores et cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus invisibiles per artem quandam visibilibus rebus corporalis materiae copulare, ut sint quasi animata corpora, illis spiritibus dicata et subdita simulacra, hoc esse dicit deos facere, eamque magnam et mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem". De civ. VIII, 23.

Propositio 69. *Religio omnis, quae nititur ethnicismo, derogante cultum uni Deo vero, non imperfecta tantum. sed absolute falsa et perversa est.*

264. Ethnicismo nititur religio omnis, quae pro fundamento non habet cognitionem unius Dei veri et vivi, rerum omnium creatoris ac Domini, hinc a mundo distincti. Sunt qui contendant, inter religiones antiquas fuisse nullam, quae fuerit absolute falsa, omnem religionem aliquo sensu fuisse veram, quia congrua fuerit mundi hominumque aetati, eorumque linguae, judiciis et sensis.[1]) Qui ita sentiunt, supponunt, religionem non fuisse primitus revelatam, sed fuisse efformatam successiva generis humani evolutione, et de religione eodem modo sentire solent ac de variis linguis, quarum

[1]) Speciminis loco sit, quod sequitur: Wie die Gottheit in der bewusstlosen Natur sich durch eine unerschöpfliche Fülle verschiedener Formen äussert, so offenbart sie sich auch in dem Bewusstsein, welches dem Menschen von ihrem Wesen innewohnt, auf die verschiedenartigste, mannigfaltigste Weise. Kein Theil der Welt ist ausgeschlossen von dem allgemeinen, unendlichen Leben, das Alles durchdringt; ebenso ist keine Art des religiösen Glaubens ohne allen Antheil an dem Göttlichen. Nur sind hier wie dort unvollkommene und vollkommene Gebilde, trübe und klare, gleichsam nur erst begonnene und mehr vollendete Erscheinungen des Wesens. Aber nirgends wird der Forscher auf diesem Gebiete stehen, ohne mit jenem alten Weisen sagen zu können: „Tretet herein, auch hier sind Götter!" In einem langen, unabsehbaren Zuge wallen die Völker vom Anfang der Zeiten her und bringen dem Ewigen ihre Opfer und Gebete, ein jedes nach seiner Weise, vom Aufgang bis zum Niedergang, von den tiefsinnigen Priestern des alten Indiens bis zu unsern Vätern in den heiligen Eichenhainen . . . etc. etc. Ueber das Sittliche in der griech. Volksreligion, Antrittsrede von Karl Zell, Freiburg 1822.

nulla est falsa, singulae autem populorum, qui iisdem utuntur, ingenio congruae sunt. Concedunt quidem, in plerisque religionibus reperiri quaedam falsa, sed asserunt, in omnibus contineri praeceptum recte agendi; quodsi huic praecepto addatur, recte esse agendum propter Deum, enunciari summam omnis religionis. *Max Müller*, Einleit. in die vergleichende Religionswissensch. Strassb. 1876, p. 203. 207. Confundere solent religionem imperfectam sive minus perfectam cum religione falsa, et propterea vane provocant ad sanctos Patres, qui docuerint, religionem mosaicam fuisse minus perfectam quam christianam, quasi quod de religione mosaica imperfecta valeat, illico valere possit de Ethniscismi religione falsa. Alii e quibusdam Scripturae locis male intellectis concludunt, gentilibus a Deo jus tributum esse ad idololatriam sive ad solem et lunam colendam. J. N. *Sepp*, Das Heidenthum und dessen Bedeutung für das Christenthum. I. Einleitung. Regensb. 1853. p. 11. 26. 27. Aliter sane Apostolus de illis, „qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium et coluerunt et servierunt creaturae potius quam creatori. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae". Rom. 2, 25. 26.

Probatur 1. *Deus non colitur.* Falsa absolute et perversa in se est religio, qua Deo cultus debitus subtrahitur, defertur autem rebus aut personis, quae Deus non sunt. Id fit religione omni, quae nititur ethnicismo, quo videlicet censetur Deus, id quod Deus non est, aut divinitas distribuitur inter multos et ita destruitur. Si autem systemate quocunque contineatur atheismus, tollitur omnis religio, quia non est religio, ubi nullus est naturae, quae Deus existimetur, cultus.

Nec juvat dicere, ethnicos coluisse, quod Deum esse existimarint, ideoque eos religionem exercuisse, quae saltem eorum opinione esset vera. Non quaeritur, quam religionem exercere voluerint, sed quam exercuerint. Qui lapidem colit, quem Deum esse vel cui numen aliquod insitum credit, veram religionem sese exercere existimat; nemo autem dixerit, eundem veram religionem reapse exercere. Patet igitur, omnem religionem, quae nititur qualicunque pantheismo aut creaturae cum creatore permutatione, tam necessario dicendam esse falsam, quam falsus dicendus est pantheismus aut opinio, qua v. g. sol existimatur esse deus.

2. *Deo non obeditur.* Falsa absolute et perversa in se est religio, quae hominem impedit, quominus Deo legis moralis auctori obedientiam praestet; nam honor et cultus debitus Deo non defertur ab illo, qui ad ejus jussa ne minimum quidem attendit. Atqui religio omnis, quae ethnicismo nititur, hominem impedit, quominus Deo legis moralis auctori obedientiam deferat. Etenim legis moralis observatio non est, qualem esse oportet, si actiones lege praescriptae exercentur quidem, attamen sine ullo unquam explicito aut implicito ad legis auctorem respectu. Necesse enim est, ut homo saltem quandoque se suaque ad Deum, finem ultimum, referat sive ordinet. Necesse est, ut saltem ita comparatus sit, ut legis naturalis auctorem conscientiae voce sese commonstrantem graviter offendere nolit. Imprimis autem necesse est, ut, postquam eum graviter offendit, veniam imploret et poenitentiam agat At vero

haec omnia impediuntur religione falsa Dei veri notionem destruente. Nam certe non est idem, Dei veri et Dei falsi, ut lapidis, aut ignis, aut hominis defuncti, aut daemonis veniam implorare, nec idem est ad Dei aut ad daemonis jussa exequenda paratum esse, Deo aut daemoni seipsum suaque omnia offerre.

Vide quae supra (p. 261) dicta sunt de Buddhismo. Similia dicenda sunt de doctrina morum, quam apud Sinenses (saec. VI) *Confucius* tradidit. Nullo ad Deum habito respectu docet, quae ad terrenam quandam hominis et civitatis felicitatem faciant.

3. *Deus non appetitur.* Falsa demum et perversa in se est religio, qua ut nullum constituitur vinculum Deum inter et hominem, ita etiam homo non adducitur ad finem ultimum in Deo situm. Patet, cultu, qui non respicit Deum verum, non constitui vinculum inter Deum et hominem; pariterque patet, hominem non posse adduci ad finem, quem non intendit, quum nonnisi intelligendo et appetendo ad finem suum pertingere possit, hinc serviendo astris aliisque rebus creatis non pertingere ad Deum, qui ut solus est Deus, ita solus est ultimus hominis finis.

Certum igitur est, religiones varias non comparari ad mentem humanam, ut comparantur variae linguae. Linguae sunt instrumenta sive signa, quibus exprimimus conceptus vel cogitationes: signis diversis exprimi possunt cogitationes eaedem. Hinc linguae diversae non dicuntur verae aut falsae, sed magis minusve ad significandum idoneae. Religio, pro suo fundamento spectata, cognitio de Deo rebusque divinis est; cognitiones sunt verae aut falsae, prouti mens objecto, de quo cognoscendo agitur, conformatur aut non conformatur.

Articulus II.

De ethnicismi origine et natura.

Propositio 70. *Ethnicismus non est primitiva generis humani religio, sed posterior a religione primitiva et veritate revelata imo et naturali defectio.*

265. Ethnicismum, imprimis naturae rerumque naturalium cultum, esse primitivam generis humani religionem asserere solent, quotquot supponunt, primos homines, rudes omniumque rerum inscios, suo tantum conatu ut ad aliarum rerum, sic etiam ad divinitatis pleniorem et perfectiorem cognitionem sensim emersisse. Rerum naturalium cultus, quocum connexus est polytheismus, quum sine dubio imperfectior sit, ab hoc cultu genus humanum incepisse, ab imperfectioribus ad perfectiores ejusdem formas sensim ascendisse et tandem ad monotheismum pervenisse existimant. Ita rationalistae passim, etiam rationalistae biblici. Ex eo, quod Moyse aliisque scriptoribus testantibus populi antiquiores fuerint idololatrae, continuo inferunt, fuisse idololatras inde a principio.

Probatur 1. *Doctrina Geneseos.* Genesis docet, a primis parentibus Deum unum, qui se eis revelaverat, cognitum fuisse eique cultum esse delatum; eademque Genesis, quum Abrahami voca-

tionem narrat, insinuat, diffusam jam fuisse idololatriam, qua et Abrahami cognati erant infecti. Gen. 31, 19. Ex eo autem tempore frequentior est idololatriae mentio. Manifestum igitur est, idololatriam non esse generis humani religionem primitivam, sed tardiorem ab hac defectionem. Qui id negat, is Geneseos veracitatem neget necesse est.

2. *e primorum hominum statu cultiore.* Ut adversarii fatentur et rerum natura poscit, homo, cujus ratio jam est cultior, ad unius Dei cognitionem non tantum pertingere potest, sed revera pertingit. Propterea enim adversarii docent, homines rudiores polytheismum, cultiores monotheismum professos esse. Et vero ad unius Dei et a mundo distincti cognitionem homo natura urgente, modo ejus impulsum attendat et sequatur, pertingit. Atqui Scriptura teste primi homines non rudes creati sunt, sed culti plurimisque cognitionibus praediti. Ergo in iis accidit, quod in hominibus cultioribus non potest non accidere, i. e. unius Dei per mundum se manifestantis cognitione imbuti fuerunt. Ergo posteri ethnicismo infecti defecerunt a veritate naturali primitus cognita.

Objic. At si, ut dictum est, natura impellente homo unius Dei cognitionem attingit, impossibilis videtur idololatria, saltem quatenus supponit polytheismum. Ad hunc enim exigitur, ut plures illi, quibus latriae cultus exhibetur, dii existimentur. Sed dii existimari non possunt. Divinitatis enim excellentia consistit in ejus singularitate et eminentia super res alias; ergo quam primum inter plures dividitur, omnino destruitur; ac proinde plures coli non possunt tamquam dii.

Resp. Hac objectione id quod in ordine objectivo sive in re ipsa impossibile est, cum eo confunditur, quod subjective sive hominum existimatione impossibile est. In ordine objectivo divinitas sane dividi non potest inter plures; at in hominum plurimorum existimatione potest. Bene *Suarez:* „Potentia, inquit, creandi tantum potest esse una; tamen per deceptionem existimari potest, angelos habere eam potestatem, et ideo esse dignos suprema quadam adoratione. Et similiter, licet revera una tantum sit rerum omnium providentia, nihilominus per errorem existimare potuerunt gentes, divisam esse curam et gubernationem rerum universi, et alium Deum esse, qui curam habeat segetum, alium vinearum, alium aliorum fructuum aut aquarum etc.“ De relig. tractat. III, l. II, c. 4, n. 11.

3. *ex historia populorum.* Si genus humanum e polytheismo, ut conditione primitiva, ad monotheismum sensim emersisset, hunc cultus progressum non minus quam artium et scientiarum testaretur historia. Unde populi quo sunt antiquiores, eo magis infecti apparerent polytheismo, eoque polytheismus eorum rudior esset atque insanior. At contrarium testatur historia: quo antiquiores sunt populi eorumque libri religionis mentionem facientes, eo plura exhibent vestigia monotheismi; quo vero magis ab origine recedunt, eo insaniore apparent infecti polytheismo. Exempla non pauca exhibita sunt a scriptoribus recentioribus.

266. Ita *Indorum* mythologia. Scriptoribus libri recentioris, qui dicitur *Rig-Veda* (= carminum scientia), notus adhuc est Deus coelestis *Dyaus*, qui etiam vocatur „*pater Asura*“, vel simpliciter „*Asura*“, i. e. dominus, vel etiam Pater sensu absoluto. Dii recentiores, quibus „dominatio obtigit“, cum dominatione simul epitheton acceperunt, quo antea insignis erat Dyaus Huic vero titulus divinitatis secundum alia carmina imminutus, secundum alia ademptus est. Itaque monotheismus primitivus in polytheismum abiit. Edm. *Hardy*. Die Vedisch-Brahmanische Periode der Rel. des alten Indiens, Münster 1893, S. 23. Cf. S. 51.

Aegyptii antiquissimis temporibus secundum multos unum colebant Deum, qui vocatur *Nou*, estque causa et creator rerum omnium. De eo late agit *Maspero*, Histoire ancienne des peuples de l'Orient (Paris 1876) p. 27. Auctores alios vid. apud *Vigouroux*, La Bible etc. II. p. 318. Temporis successu primum ambiguus et dubius est monotheismus. Colebatur deus, qui *Ra* dicitur, quo nomine etiam sol, divinitatis quasi corpus vel imago, significabatur. Aliis quidem Aegyptiorum monumentis testantibus monotheismum, alia simul pantheismum aut naturalismum produnt. Id tamen manifestum est, etiam apud Aegyptios majorem continuo deorum numerum esse inventum magisque recessum ab unitate. A. *Wiedemann*, Die Religion der alten Aegypter, Münster 1890 (p. 3, 28.) Passim igitur observari potest, cum scientiarum et litterarum progressu non parem fuisse cognitionis religiosae progressum, imo in plures errores lapsos esse populos, quo magis a sua recedebant origine.

Etiam antiquissima *Sinensium* religio unum novit Deum, qui secundum nonnullos designatur vocibus *Ti* (Dominator), *Chang-Ti* (supremus dominator sive imperator) vel *Tien* (coelum). *Schott*, Chinesische Sprache in Ersch u. Gruber's Encycl. Cf. *Hettinger*, Fundamentaltheol. 2. Aufl. S. 406. Attamen notandum est, *Chang-Ti* et *Tien* non esse synonyma, quum *Tien* potius designet materiam, ex qua omnia prodierint, *Chang-Ti* vero aliquem, qui intelligentia et voluntate polleat. de *Harlez*, Science cathol. 1892, Mars p. 352. Magis accommodatum esse censetur nomen *Tien Chu* (coeli dominus), quo solo Christiani uti jam jubentur. Cf. *Hergenröther* Handb. d. K.-G. III, 3. Aufl. S. 539.

Cf. *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes en Palestine, en Egypte et en Assyrie, t. 2. (Paris 1879) p. 317. Du monothéisme primitif des Egyptiens, des Chaldéens et des Chananéens. — George *Rawlinson*, The five great monarchies of the ancient eastern world, 2. ed. The first monarchy, ch. 7. — Eng. Lor. *Fischer*, Heidenth. u. Offenb. p. 22. — Corn. *Krieg*, der Monotheismus der Offenbarung und das Heidenthum. Mainz 1880. — Chr. *Pesch*, Gott u. Götter, Freib. 1891. p. 106.[1])

267. *Objic.* Ex antiquissimis Indorum libris constat, genus humanum non a cultu unius Dei personalis sive numinis intelligentis, sed a cultu coeli materialis hinc a

[1]) Fr. *Creuzer*, Symbolik und Mythologie der alten Völker, 2. Aufl. I. Vorrede XI: „Meinen Hauptsatz halte ich in seiner ganzen Ausdehnung fest. Es ist die Grundlehre von einer anfänglichen reinen Erkenntniss und Verehrung Eines Gottes, zu welcher Religion sich alle nachherigen wie die gebrochenen und verblassten Lichtstrahlen zu dem vollen Lichtquell der Sonne verhalten. Diese Ueberzeugung ist in mir durch diese neue Arbeit immer fester geworden“.

naturalismo incepisse, idque evincitur ex eo, quod in lingua sanscritica nomen Dei est *dêva-s* (unde Θεός. Deus): at vocis hujus radix *div* significat splendidum esse; ergo sine dubio primitus significavit coelum (vel solem); ergo homines primitus colebant coelum, et posteriore tantum tempore, quum numinis intelligentis notitiam hausissent, illa voce, dimissa ejus significatione primitiva, numen intelligens sive Deum personalem significare coeperunt.[1])

Resp.: a. Gratuito, imo falso supponitur, tempus, quod Indorum libris exhibetur, esse absolute antiquissimum. Anni multi elapsi erant inter eorum emigrationem e Mesopotamia et tempus illud, quo novis sedibus occupatis hymnos, de quibus sermo est, condiderunt.

b. Distinguendum est inter nominis impositionem sive derivationem et ejusdem significationem. Quia sensibilia sive materialia sunt prima quae cognoscimus, a materialibus sive sensibilibus derivamus voces, quibus significamus spiritualia sive insensibilia. Anima et animus, si in sola derivatione haeremus, significant rem materialem sensibus obviam; sed adhibentur ad significandam substantiam per se non sensibilem. Unde etiam Indi voce, quae de se splendorem materialem significat, quia desumpta est a re materiali, significare poterant illum, qui prae cunctis, quae sunt aut esse possunt, amplius eminet quam corpus lucidum prae opaco, quam sol prae cunctis astris. Novimus, de Dei splendore sermonem esse etiam apud illos, quibus Dei natura spiritualis erat notissima. Apud prophetam Habacuc legimus: „Deus ostendet splendorem suum in te (Jerusalem) omni, qui sub coelo est". 5, 3. Secundum s. Paulum Filius Dei est „splendor gloriae et figura substantiae ejus". Hebr. 1, 3. Ecclesia in symbolo Nicaeno Filium profitetur esse „Deum de Deo, lumen de lumine". Si res insensibiles quascunque concipere et exhibere non possumus nisi per analogiam ad sensibiles, id certissime valet etiam de Deo, qui remotissimus est a rebus sensibilibus. V. s. Thom. 1, q. 13. de nominibus Dei, praesertim a. 3. 5. 6.

c. Etiamsi constaret, Indos eadem voce usos esse ad coelum significandum et Deum, inde non sequeretur, eos coelum habuisse pro Deo. Etiam nos simili figura frequentissime utimur, nominantes domum vel urbem pro familia vel habitatoribus, sedem Romanam pro sedente sive Romano pontifice. Poeta latinus commercia coelestium vocat „commercia coeli", neque nos haesitamus aliis exoptare „benedictionem coeli" intelligentes benedictionem Dei.

Propositio 71. *Generis humani a veritate defectio, quod causam homini internam attinet, potissimum voluntatis perversioni debetur.*

268. Etiam inter illos, qui revelationem primitivam admittunt, reperiuntur, qui polytheismum religionis formam minus quidem perfectam, attamen non absolute

[1]) Th. *Benfey* in opere: Allg. Encyclopädie d. Wissensch. von Ersch und Gruber, Art. Indien, p. 159: Die östlichen Arier oder das Sanskritvolk hatte schon zur Zeit, als der griechisch-römische und andere verwandte Stämme sich von ihm trennte, einen Namen für den abstracten Begriff Gott. Dies beweisen die Sprachen dieser Völker . . . Der Name für Gott leitet sich von der Wurzel, welche in Sanskrit *div* lautet und glänzen heisst: wörtlich hiesse es also eigentlich der Glänzende. Allein sowie von dieser Wurzel das Nomen *div* mit der Bedeutung Himmel kommt, ferner *diva* und *dju* mit denselben Bedeutungen, so vermuthe ich, dass auch die ursprüngliche Bedeutung von *diva* Himmel war, also der Name für Gott, wie ohne Zweifel auch dessen Verehrung von dem Namen und der Verehrung des Himmels ausging. Als sich das religiöse Bewusstsein von der Verehrung des Himmels zu einer über demselben stehenden Persönlichkeit erhob, liess es zwar den Namen bestehen, aber seine sinnliche Bedeutung *Himmel* fallen.

falsam dicunt. Modo in ethnicismo non minus quam in judaismo revelationem aliquam divinam sive effectum aliquem a Deo in homine productum agnoscunt; modo ethnicismi praecipuas formas pro imaginibus vel symbolis quarundum veritatum habent: ita ut v. g. coelum, terra et mare, tria numina praecipua, trium personarum divinarum sint symbola, et mythologia sit quasi „Scriptura sacra imaginibus illustrata“; modo solis et astrorum cultum gentibus a Deo permissum fuisse existimant. Propterea asserunt, religionem christianam a religionibus praeviis, etiam ab ethnicismo „eminenter quidem, non autem radicaliter et principaliter differre“. *Sepp,* Das Heidenth. u. dessen Bedeut. für d. Christenth. Einleit. p. 11. *Dorner,* Glaubensl. I. Bd. §. 65.

Fatendum quidem est, etiam intellectus humani imbecillitati polytheismi originem ex parte esse tribuendam. Nam error in se foedus, naturam humanam deprimens, perverteus veritatem in seipsa captu non quidem difficilem, non potest fieri communis, nisi intellectus lumen sit hujusmodi, ut facile, non quidem extinguatur, attamen obfuscetur. Si enim veritas clare perciperetur, multi eam profiterentur, licet actionibus suis eidem fortasse adversarentur. At communis fuit populorum error. Licet enim plurimi fortasse fidem non haberent poetarum figmentis et theatrorum fabulis, alii etiam, periculo oppressi unius Dei notionem quasi sopitam proderent (Tert. Apol. 17), pauciores tamen omni tempore fuerunt, qui unius et veri Dei notione certa se praeberent imbutos.

Potissimum tamen voluntatis perversitati, quae et intelligentiae obfuscatae fuit causa, ethnicismi origo tribuenda est. Nonnulli dum religionis revelationem impugnant, contendunt, non tantum explicandum esse, quomodo velamen, quod veritatem mentis oculis abscondit, removeri possit, sed multo magis, quod longe difficilius sit, explicandum esse, quomodo velamen hujusmodi „inter veritatis lumen et hominem veritatis studiosum, inter adoratorem et objectum adorationis, inter patrem ejusque liberos“ interponi potuerit. (Max *Müller,* Einleit. in die vergleich. Religionswissenssch. p. 119). At valde facilem et obviam explicationem praebet perversa hominis voluntas. 269. Duplice modo libera hominis voluntas causa illius defectionis dici potest. Est causa remota tum quatenus primus parens lapsu suo genus humanum in deterius mutavit, tum quatenus ejus posteri revelationem acceptam libere abjecerunt, atque ita intellectum lumine supernaturali spoliarunt. Est praeterea causa proxima, quatenus ipsa cupiditatibus indulgens naturale intellectus lumen obfuscavit. De voluntate ut proxima ethnicismi causa hic agimus.

Probatur 1. *Scripturae testimonio.* Apostolus Paulus, idololatriae, quam oculis cernebat, ejusque causarum optime gnarus, de rerum naturalium et simulacrorum cultu hinc de ethnicismo generatim agens, ejus causam potissimum repetit e voluntatis perversitate, qua Deo ingrati et superbi exstiterunt. „Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei etc.“. Rom. 1, 21—23. Praecessit igitur Dei cognitio etiam e rebus visibilibus hausta; de qua naturali Dei cognitione proxime sermo est. Successit ingratus in Deum animus et superbia et vanitas; ex hac orta est obscuratio mentis sive cordis insipientia et stultitia. Tunc demum inducta est indololatria. Apostolus proxime quidem de sapientibus agit, quorum

voluntas Deo cultum debitum negaverit; quod autem de horum, id multo magis de aliorum quorumcunque voluntatis perversitate sentiendum est. — Apostoli doctrina conformis est veteris testamenti effatis. Etiam aliis in locis Scriptura docet, idololatriam esse grave peccatum, illisque, qui eam exercent, non „debere ignosci" (Sap. 13, 8); at vero peccatum non foret, nisi voluntas ejus esset causa. Idem multis in locis docent prophetae veteris testamenti; horum autem divina auctoritas ex antea demonstratis constat.

2. *e natura deorum, quos finxerunt.* Ipsa deorum, quos homines sibi finxerunt, natura indicat, eos affectuum potissimum esse foetus. Dii enim plerique vitiis humanis sunt obnoxii; si bonitate aliisque virtutibus praediti sunt, hae non constantes sunt et vitiis plerumque intermistae. Nec desinunt esse cupiditatum humanarum foetus, quum non ut naturae morales, sed ut vires caece agentes exhibentur; hae enim vires vel naturae eisdem praeditae, ut sol et astra, ideo dii finguntur, quia humanis usibus deserviunt hominisque desideria implent; si autem timor deos fecisse asseritur, iterum voluntas timore male abrepta idololatriae causa dicenda est.

De argumento ita *Clemens* Al.: „Graeci, inquit, sicut humana forma praeditos, ita humanis quoque passionibus obnoxios deos existimant. Et quemadmodum eorum formas sibi similes singuli describunt, ut ait Xenophanes: ‚Aethiopes quidem nigros et simos, Thraces autem fulvos et caeruleos'; ita etiam animos assimilant iis, qui eos effingunt, barbari quidem agrestes et efferatis moribus, graeci autem mansuetiores, sed in quos tamen cadunt passiones. Quocirca necesse est quidem, ut improbi malas de Deo suscipiant cogitationes, probi autem optimas". Strom. VII, 4.

3. *experientia teste.* Historia constat, homines, quum rebus terrenis maxime inhaererent suisque indulgerent cupiditatibus, potissimum professos esse polytheismum; Dei unius autem meminisse, quoties gravi necessitate premerentur; ergo merito concluditur, felicitatem temporalem et cupiditates ea nutritas polytheismi ex parte fuisse causas.

Lactantius polytheismi originem expositurus ita argumentatur: „Et tamen huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia divini nominis veniret hic error. Cum vero ipsos deorum cultores saepe videamus Deum summum et confiteri et praedicare, quam sibi veniam sperare possint impietatis suae? qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam et cum jurant, et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem aut deos multos, sed Deum nominant; adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes honorem dare divinae indulgentiae deberent. At vero si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur . . . Postquam metus deseruit et pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa neces-

sitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. Adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero, ut vitia omnia, sic impietas adversus Deum nascitur". Instit. II, 1. Cf. *Tertul.*, Apol. c. 17.

Propositio 72. *Ethnicismus voluntatis perversionem, qua inductus est, simulque intellectus obscurationem magnopere auxit.*

270. Ethnicismi natura ut e causa, ita etiam ex effectibus cognoscitur. De effectibus in ordine religioso et morali, non de operibus profanis agendum est; haec enim non ethnicismi, sed naturae humanae sunt opera. — Quod hic asseritur, negatur a compluribus, qui religionem omnem, quae populis eandem profitentibus accommodata sit, bonam et salutarem esse dictitant. Recente tempore praesertim Buddhismus gratiam apud multos iniisse videtur.[1])

Probatur 1. *Scripturae testimonio.* Apostolus, cujus in hac re auctoritas, etsi pro humana tantum haberetur, maxima est utpote viri revelationis vetere testamento factae optime gnari, quemadmodum causas, ita etiam effectus idololatriae exponit. Intellectus caecitas est illius fructus: „Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum (*εἰς ἀδόκιμον νοῦν*), ut faciant ea, quae non conveniunt". Igitur quia sapientes illi Dei notitiam non magni fecerunt, creaturae potius servientes quam Deo, ideo eos sibi ipsis permisit; unde factum est, ut mentem induerent perversam et agenda ducerent, quae minime decent . . . „inventores malorum . . . insipientes". Rom. 1, 28. 30. 31.

Maxima morum et voluntatis perversio fructus est idololatriae. „Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam . . . Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae . . . mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes". Ib. 24—27. In ultima verba s. *Thomas* notat, „eos recipere secundum justitiae ordinem, ex quo debitum erat, ut qui in Dei naturam injuriosi fuerant, id quod est proprium sibi, creaturis attribuendo, in sui naturam contumeliosi existerent". Lect. 8 in ep. Rom. c. 1. Caeterum non solam immunditiam, sed vitia pleraque ut fructus exhibet Apostolus, sapientes illos idololatras vocans „repletos omni iniquitate, malitia" etc. Cf. Sap. 14, 8—31.

2. *ex occasione idololatriae.* Ethnicismo sive idololatria non posse non induci maximam tum intellectus tum voluntatis perversionem, colligitur ex ejus origine. Quod ad intellectum spectat,

[1]) Accedere magis minusve solent ad sententiam, quam pridem jam protulerat Julius *Klaproth*, ita scribens: Nach der christlichen hat wohl keine Religion mehr zur Veredelung des Menschengeschlechtes beigetragen als die Budd'a-Religion . . . In Mittelasien hat sie aus rohen Nomaden moralische und milde Menschen gemacht, und selbst das südliche Sibirien hat ihren wohlthätigen Einfluss empfunden. Asia polyglotta. Paris 1823. Leben des Budd'a.

idololatriae occasio proxima e naturae et rerum naturalium vi et magnitudine sumi solebat. At res plurimae vim in hominem exerunt plurimaeque videri possunt magnae aut appetendae quamvis divinum nihil in se contineant. Ex illo igitur principio non poterat non sequi polytheismus quam maxime varius et absurdus.

Major etiam morum perversio sequi debet spectatis partibus, quas voluntas habuerat in prima idololatriae origine. Homo enim universe deos sibi finxit, quales cupiebat. Unde populos mox eo progressos videmus, ut deos sibi fingerent, qui iisdem quibus homo vitiis essent infecti, imo ut et vitia ipsa deos dicerent iisque cultum deferrent. Idque recte asseritur non solum de Graecorum et Romanorum, sed etiam de Aegyptiorum religione, de Indorum aliorumque populorum orientalium, etiam eorum, qui Buddhismo addicti sunt, ut monumenta testantur. Magnopere errant, qui de Buddhae religione nonnisi e quibusdam ejus sententiis judicant, atque ex his concludunt, eandem non potuisse non proferre fructus optimos. Prae oculis habendum, Buddhismo, praesertim qualis inter populos viget, negari poenarum aeternitatem earumque loco statui multiplicatos in vitam reditus. Negata autem poenarum aeternitate negatur, quae requiritur legis moralis sanctio. Accedit, quod qui dicuntur sacerdotes, populum docent, poenas omnes pecunia, quae ipsis solvatur, redimi posse. Quanta autem morum perversitas hac doctrina vel sola inducatur, rerum natura docet experientiaque confirmat. V. s. *Franc. Xav.* Ep. l. IV. ep. 1.

3. *Historia* abunde testatur, ethnicismo etiam inter populos ingenio pollentes vel scientiis et artibus profanis quam maxime celebres summam inductam esse mentis perversionem et morum depravationem.

A. Quod ad *intellectus* perversionem spectat, haec non minuebatur, sed augebatur multum, licet progrediente scientia profana.

271. a. Notandum est, ethnicismum etiam illum, qui ab unius rei creatae cum creatore permutatione vel ab ejusdem cum mundo confusione inceperat, semper magis magisque defluxisse ad *polytheismum* sensu maxime proprio i. e. summam deorum *multitudinem* admittendam. Ita factum est apud Indos, qui pantheismo addiderunt polytheismum, apud Aegyptios, qui demum coluerunt caepas, apud Graecos, apud Romanos. Ita factum apud Buddhae asseclas, qui Deo rerum omnium creatori negato substituerunt deorum multitudinem novasque continuo fabulas, divinitatis apparitiones et incarnationes invenerunt. S. *Franc. Xav.* Ep. l. IV. ep. 1.

Max *Dunker* l. c. p. 207. Referunt scriptores ex ipsis Buddhistarum monumentis hanc sententiam: „Buddhae (i. e. divinitates istiusmodi), qui fuerunt, sunt et erunt, plures sunt quam arenae ad littus Gangis fluminis". *Ritter*, Erdkunde, IV. Th. II. Bch. Asien. Bd. 3 (Berlin 1834), p. 136. Magnopere errant, qui Buddhismum, qualis a multis saeculis et in diversis Asiae partibus est, religionem simplicem vocant. Simplex sane est spectato errore fundamentali, quo mundi auctor negatur.

Error iste quam alte Japonum mentibus insederit, s. Franciscus Xaverius refert. „Nihil omnino, inquit, Japonicae disciplinae tradunt de mundi, solis, lunae, stellarum, coeli, terrarum, maris, caeterarumque rerum molitione; haec enim omnia aliunde originem habuisse non putant. Mirabantur autem quam maxime, cum audiebant, animorum unum esse communem effectorem ac parentem, a quo sint procreati. Id adeo propterea obstupescebant omnes, quod rerum omnium conditoris in eorum disciplinis nullam omnino mentionem fieri constaret". L. c.[1]) Huic igitur errori foedissimo additus postea est error alter polytheismi. Cf. supra n. 259.

272. Ethnicorum sapientiores praesertim temporibus jam christianis *polytheismi absurditatem effugere tentarunt.*

Alii Deum unum sive *vim unam* per omnia fusam diversis nominibus designari et coli dicebant. Polytheismi absurditatem fugientes in pantheismum incidere aut istum cum illo jungere solebant. Exempli instar est *Maximus* grammaticus Madaurensis ad s. Augustinum ita scribens: „Equidem unum esse Deum summum, sine initio, sine prole naturae, ceu patrem magnum et magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti, proprium videlicet, ignoramus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit, ut dum ejus quasi quaedam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profecto videamur". Concludit ita: „Dii te servent, per quos et eorum atque cunctorum mortalium communem patrem universi mortales, quos terra sustinet, mille modis concordi discordia veneramur et colimus". Hos eosdem deos „piis precibus adorari et per suaves hostias propitios reddi", paulo ante dixerat; sicque fassus erat, pantheismo se jungere polytheismum. Inter ep. s. *Aug.* 16. Cf. s. *Aug.* ep. 17.

Alii rerum virtutes significari quidem dicebant deorum *nominibus*, non tamen deos esse credi. — At vulgus, quos deos appellari audiebat, deos etiam credebat esse. Praeterea sapientes ipsi, qui illis virtutibus sacrificandum dicebant, non effugiebant summam impietatem. Notat id s. *Augustinus*, ita scribens: „Neque illinc excusant impii sua sacrilega sacra et simulacra, quod eleganter interpretantur, quid quaeque significent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad creatorem, cui uni debetur servitus religionis illa, quae uno nomine λατρεία graece appellatur". Epist. 102, n. 20.

Alii inter Christianorum sententiam et gentilium hoc tantum interesse dicebant, quod hi vocarent deos, quos Christiani *angelos* vocarent. — At neque illi sibi

[1]) Haec eadem recentiorum Buddhistarum scriptis confirmantur. Catechismi a Buddhae sectatore vulgati doctrinam ita exhibet R. D. de *Harlez:* Le monde n'a point été créé, n'est point sorti du néant; il n'est pas l'oeuvre de Dieu personnel ni de création. Quant à la manière dont s'est produit l'univers, Bouddha n'en a rien dit, jugeant cette connaissance inutile au salut. La science cath. Paris 1892, p. 158.

constabant. Ipso enim nomine communi communis quaedam excellentia significabatur, idque tanto certius, quum angelis illis sacrificandum docerent. S. *Augustinus* ita argumentatur: „Etiam cum se homines superioribus coelestibus potestatibus, quae non sunt daemonia, sacrificare dicunt et solius nominis interesse arbitrantur, quod illi deos, nos eos angelos appellamus, non se opponunt eis ludificandis multiplici fallacia nisi daemones, qui errore delectantur et quodammodo pascuntur humano. Quoniam sancti angeli non approbant sacrificium, nisi quod ex doctrina verae sapientiae veraeque religionis offertur uni vero Deo, cui sancta societate deserviunt". Ep. 102, n. 20. Patet igitur, nulla trium explicationum vitari intelligentiae et voluntatis perversitatem, quam ethnicismus necessario secum vehit.

273. b. Mentis perversio, quam ethnicismus genuit et auxit, *simulacrorum* cultui quam maxime patuit. Nihil insanius quam divinitatem, hinc et potentiam, tribuere simulacris ligneis et lapideis, quae homo ipse fecerit. Divinitatem eisdem esse tributam non tantum a barbaris, sed etiam a populis cultioribus, et sacra et profana monumenta testantur. Sap. 13, 10. Jerem. 2, 27. Is. 44, 13.

Erant sane inter gentiles, qui simulacra adoranda negarent. Hi tamen ipsi vulgi exemplum, cui refragari non audebant, publice sequebantur: unde iterum constat, simulacris a plerisque divinitatem fuisse tributam. De istis ita *Origenes:* „Neque solum stultum est simulacris preces ferre, verum etiam ad id simulandum trahi exemplo multitudinis: quod faciunt peripateticae philosophiae sectatores, et qui Epicuri aut Democriti placita amplectuntur. Nihil enim in anima hominis vera pietate Deum colentis inesse debet adulterinum". Cont. Cels. VIII, n. 66.

Apologetae inter gentiles viventes non verentur eos incusare, quod simulacris ipsis cultum divinum deferant. Ita *Minucius Felix,* Octav. c. 23 et 24. Neque adeo mirum, gentiles ad has ineptias esse devolutos, postquam divinitatem cum rebus creatis commiscuerant; ut enim vim solis aliarumque rerum naturalium aliquid divinitatis esse credebant, ita etiam fingere poterant, eandem vim divinam simulacro manibus facto sese communicare. Et vero, quum a Christianis accusabantur stultitiae, ista ratione simulacrorum cultum tueri solebant. Unde *Lactantius* eos ita arguentes inducit: „At enim praesentes (dii) nonnisi ad imagines suas adsunt. Ita plane: quemadmodum vulgus existimat, mortuorum animas circa tumulos et corporum suorum reliquias oberrare". Imaginationis lusum Lactantius refellit dicens: „Quisquamne tam ineptus est, ut putet, aliquid esse in simulacro Dei, in quo ne hominis quidem quidquam est praeter umbram?" Instit. II, 2. Latius eandem rem prosequitur *Arnobius*, ostendens quam temere simul et inepte fingatur, deos sive libere sive necessario adstringi simulacris et in iisdem laedi, convelli et indigna multa sustinere. Adv. nation. VI, 17—23. Praesidere simulacris spiritus quosdam sive daemones iisque sacrificia offerri persuasum erat non tantum vulgo, sed ipsis etiam philosophis, ut inter alios testis est *Celsus* apud Originem cont. Celsum VIII, n. 62. 64. Accedit, quod daemones, ad idolorum cultum promovendum, simulacris illis effectus quosdam aliquando producerent. S. Aug. in Ps. 96, n. 11. Cf. supra n. 262.

c. Nec minus insanum est divinitatem, hinc et sanctitatem, tribuere non tantum hominibus vitiosis, sed et *ipsis vitiis.* Id non tantum ab Aegyptiis, sed etiam a Graecis et Romanis factum esse, abunde constat. Abjecto semel unius et veri Dei cultu, et substituta caeca quacunque vi, pronum erat, illas potissimum cupi-

ditates, quibus homo maxime abripitur, in numina convertere. *Arnobius* merito monebat gentiles, Christianos recte egisse, numina tam infamia abjiciendo, „cum sit rectius multo, deos esse non credere, quam esse illos tales talique existimatione sentire". Adv. gent. l. IV c. 34. Cf. *Euseb.* Praep. evang. II, 6 et 7.

274. d. Summa demum insania est, divinitatem, quae bonitate infinita carere non potest, geniis sive *spiritibus malis* tribuere, eisque cultum impendere et sacrificia offerre. Eo autem gentiles sensim adductos esse, tum sacri tum profani scriptores testantur.

Docet Apostolus: „Quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum". 1. Cor. 10, 20. 21. Non uno tantum sensu id verum est. Imprimis omnis idololatria, utpote mala, in daemonum honorem vergit et hoc sensu minus quidem proprio gentiles omnes daemoniis immolabant.

Praeterea autem gentiles quam plurimi daemoniis sensu proprio immolabant, quia immolare intendebant illis, qui per simulacra vel in horum templis effectus stupendos producebant. Licet multi eorum ignorarent, effectuum illorum auctores esse genios malos, tamen ex illorum natura facile id nosse poterant. Negari non potest, cum idolorum cultu magiam intime connexam fuisse; magiae autem illius sive effectuum vires humanas excedentium auctores erant daemones. Itaque Apologetarum et ss. Patrum persuasio communis, qua censebant, „immundos spiritus assidere simulacris", ut s. *Hieronymus* loquitur (in Habac. c. 2), solido nitebatur fundamento. *Tertullianus:* „Scimus, inquit, nihil esse nomina mortuorum (i. e. deorum) sicut et ipsa simulacra eorum, sed non ignoramus, qui sub istis nominibus et institutis simulacris operentur et gaudeant et divinitatem mentiantur, nequam spiritus scilicet, daemones". De spect. c. 10. Alibi docet, facile esse explorare, quam id verum sit. „Ista, inquit, ipsa Virgo Coelestis pluviarum pollicitatrix (i. e. Juno), ipse iste Aesculapius medicinarum demonstrator, nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite". Apol. c. 23. Cf. ib. c. 21. *Minucius Felix* suam hac de re disputationem ita concludit: „Isti igitur impuri spiritus daemones, ut ostensum est a magis, a philosophis et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt et afflatu suo auctoritatem, quasi praesentis numinis, consequuntur, dum inspirant interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. . . . Haec omnia sciunt plerique vestrum ipsos daemonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus et Serapis et Jupiter et quidquid daemonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur; nec utique in turpitudinem sui, nonnullis praesertim vestrum adsistentibus, mentiuntur". Octav. c. 27. — Cf. *Arnob.* adv. nat. IV; 12. Testium horum coaevorum auctoritas sane non exigui est momenti.

Neque his contrarium est quod scribit Apostolus: „Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus nisi unus". 1. Cor. 8, 4. Idolum nihil est ratione, qua colitur; nam colitur tamquam Deus, sed Deus

non est, quum et illi qui idolo significantur, sol, Jupitur, Venus, et illi, qui forte per illud agunt, daemones, non sint dii. Unde s. *Augustinus:* „Quid, inquit, sunt idola, nisi quod Scriptura dicit: Oculos habent et non vident; et quidquid tale de materiis licet affabre effigiatis, tamen vita sensuque carentibus dicendum fuit. Sed immundi spiritus eisdem simulacris arte illa nefaria colligati, cultorum suorum animas in suam societatem redigendo miserabiliter captivaverant". De civ. VIII, 24, 2. Cf. *Estius* in 1. Cor. 10, 20.

Ethnicos, modo nonnihil attenderent, non poterat fugere, illos quibus cultus deferebatur, esse malos genios. Boni enim esse non poterant, quum ad mala perpetranda provocarent. Exorta religione christiana novo etiam modo de geniorum illorum pravitate constabat, tum quia gentilium diis non competebat imperium in spiritus malos, qui Christianorum Deo subjiciebantur, tum quia et ipsi dii gentiles Christianorum Deo cedere cogebantur. *Lactantius* sui temporis ethnicos ita provocat: „Ecce, inquit, aliquis instinctu daemonis percitus dementit, effertur, insanit. Ducamus hunc in Jovis optimi maximi templum, vel, quia sanare homines Jupiter nescit, in Aesculapii vel Apollinis fanum. Jubeat utriuslibet sacerdos dei sui nomine, ut nocens ille spiritus excedat ex homine. Nullo id pacto fieri potest. Quae igitur vis deorum est, si subjectos sibi daemonas non habent? At vero iidem daemones, adjurati per nomen Dei veri, protinus fugiunt. Quae ratio est, ut Christum timeant, Jovem autem non timeant, nisi quod iidem sunt daemones, quos vulgus deos esse opinatur? Denique si constituatur in medio et is, quem constat incursum daemonis perpeti, et Delphici Apollinis vates: eodem modo Dei nomen horrebunt, et tam celeriter excedet de vate suo Apollo, quam ex homine spiritus ille daemoniacus et adjurato fugatoque deo suo vates in perpetuum conticesceт. Ergo iidem sunt daemones, quos fatentur exsecrandos esse, iidem dii, quibus supplicant". Instit. l. IV. c. 27.

Ethnici plurimi coluerunt, quos malos daemones esse non tantum nosse poterant sed etiam norant, eosque coluerunt nullis divinitatis titulis vestitos. Sensim hic cultus invaluit. Apud Homerum vox *δαίμων* modo bonum modo malum genium denotat; vox *δαιμόνιος* semper ad malum genium refertur. (*Nägelsbach-Autenrieth*. Homerische Theologie p. 72 seq.) Merito igitur *Origenes* e quodam philosopho pythagorico refert, Homero non ignotos fuisse malos daemones, qui aliorum exitium concedunt sacrificantibus, si modo id postulent. Cont. Cels. VII, 6. Promotus ille cultus potissimum fuit per philosophos platonicos, qui aperte docebant, malis daemonibus offerenda esse sacrificia. Celsus fatetur: „Deus omnium communis est, bonus, nullius rei indigens, sine ulla invidia". Apud *Orig.* c. C. l. VIII, n. 21. Sed juxta eundem sunt et „daemones, qui carnalium voluptatum cupidine flagrant, sanguinis, nidorum concentuumque sunt percupidi, aliisque hujusmodi rebus deditissimi". Ib. n. 62. Si carnalium voluptatum cupidine flagrant, certo mali sunt. Non diffitetur Celsus, sed existimat, malis daemonibus offerri posse sacrificia, ut malis dynastis obsequia deferuntur. Quaerit enim: „Quid mali est conciliare sibi hujusmodi mundi principes et alios, ipsos etiam hominum dynastas et reges, cum nec isti sine daemonum potestate hanc adepti sint dignitatem". Ib. n. 64. Magis etiam sensum suum aperit, dum Apostoli sententiam ita retorquere tentat; „Si nihil idola sunt, quid incommodi est publicis adesse conviviis? Sin daemones quidam sunt, dubio procul et hi dii sunt, quibus et credendum est et libandum juxta leges et preces offerendae, ut propitii sint". Ib. n. 24

In eadem sententia est *Porphyrius*. Secundum ipsum imprimis est Deus princeps, qui rebus omnibus praesidet; altera est classis deorum inferiorum, tertia daemonum, quarta heroum. Apollinis quoddam oraculum explicans monet: „Deo rerum omnium principi nihil eorum, quae sensus attingit, neque adolentes neque consecrantes . . . religiose veneremur". Apud *Euseb.* Praepar. ev. IV, 11. Excludit ipsam orationem, „sive quae cum voce conjungitur, sive quae latet interius"; admittit solum „castum silentium sanctasque cogitationes de illo conceptas". De sacrificiis autem agens ita statuit: „Noverat ille (Apollo), utpote cui religio curae esset, diis quidem animati prorsus immolari nihil, sed tantum daemonibus, seu boni illi sunt seu mali" c. 15. Verum *Eusebius* merito animadvertit, juxta ipsius Porphyrii principia daemones omnes malos esse, quum ipso fatente hominibus nocere satagant, et humana sacrificia, quae sane mala sunt, requirant. Fatentur igitur, gentiles daemonibus cultum impendi et sacrificia offerri, imo secundum Porphyrium daemonibus solis sacrificia offerenda, „Deo principi" et sacrificia neganda sunt et preces. Cf. *Baltus*, Réponse à l'histoire des oracles de M. de Fontenelle, I. part. ch. 19.

Neque existimandum est, a solis philosophis neoplatonicis cultum concessum fuisse daemonibus. Vulgarem fuisse praeter alios s. *Augustinus* testatur dicens: „Numquid Romani etiam malos deos colendos non putant, qui pallori et febri fana fecerunt? qui et ἀγαθούς daemonas et invitandos, et κακούς daemonas placandos monent?" De cons. Evang. I, 18. Merito igitur Hugo *Grotius* universe ita concludit: „Non bonas, inquit, sed malas fuisse mentes, quibus paganorum cultus impendebatur, non levibus constat argumentis. Primum, quod cultores suos non rejecerunt ad cultum summi Dei, imo eum cultum, quantum potuerunt, sustulerunt, aut saltem omnibus modis se summo Deo in cultu aequari voluerunt. Secundo quod unius summi Dei cultoribus mala maxima procurarunt, concitatis in ipsorum poenas magistratibus et populis . . . Tertio ex modo cultus, qui bonam honestamque mentem non deceat . . . Imo quod est amplius, et olim fuerunt et nunc sunt populi, qui malas mentes adorant, quas tales norunt et profitentur". De verit. rel. christ. l. IV. c. 3. Cf. *Döllinger*, Heidenthum und Judenthum, p. 89.

Daemonolatriae, quae etiam hodie a gentilibus exercetur, exempla scriptores recentiores afferunt non pauca. Inter Indos, qui Brahmanismo addicti sunt, integrae intermixtae sunt tribus, quae daemonibus sive spiritibus, quos nonnisi malos et ad nocendum pronos existimant, sacrificia offerant, ne quid mali sibi ab eisdem inferatur, et praeter hos nulla colunt numina. Msg. Fr. *Laouenan*, Du Brahmanisme et de ses rapports avec le Judaisme et le Christianisme, I. Pondichéry 1884, p. 204.

275. B. Idololatria maximam invectam esse *morum pravitatem*, non est quod uberius demonstretur historia. Dii, qui ipsi omni vitiorum genere infames credebantur, non poterant non provocare ad ipsorum vitia imitanda. Idque tanto certius contingebat, quum quae in mythologorum fabulis spurcissima erant, exhiberentur in theatris, spectante cuncto populo et senatu, sedentibus sacerdotum collegiis, ipsis virginibus vestalibus. *Arnob.* adv. nat. IV, 35. Constat, non tantum spurcissima quaeque cum idolorum cultu

fuisse conjuncta, sed ipsorum flagitiorum perpetratione iisdem cultum fuisse exhibitum. Sacrificia humana, quamdiu per leges civiles non prohibebantur, passim esse oblata ex historia novimus: istum vero usum a religionum praesidibus commendatum fuisse, Porphyrius aliique philosophi fatentur. Dirus ille sacrificiorum usus ad nostrum usque saeculum perduravit apud Indos quantumvis litteris excultos. Sacrificiorum enim genus est, quo illic viduae in maritorum rogos sese conjiciunt aut etiam conjiciuntur. Harum victimarum numerus ineunte hoc saeculo (1803), quum anglicorum magistratuum mandato in eum inquisitum esset, singulis annis ad triginta millia ascendere deprehensus est. Le Comte Jos. *de Maistre*, Soirées de St. Petersbourg, t. II. Eclaircissement sur les sacrifices ch. II.

Neque melior fuit morum conditio inducto cultu aegyptiaco Isidis et Osiridis, quibus vis generandi naturae insita designabatur. Novimus cultum aegyptiacum, ejus symbola et festa solemnia, quae potissimum nocturna erant, fuisse perquam obscoena. V. *Vossius* de theol. gent. l. IX. c. 13. *Uhlemann*, Aegypt. Alterth. II, §. 50. Quibus nequitiis et deceptionibus Romae junctus fuerit, colligere licet e *Flavio Josepho* Antiq. XVIII, 4.

Articulus III.

De veritatis inter ethnicos notitia et divina circa eosdem providentia.

276. Inter ethnicismum et ethnicos distinguendum est. Ille est error et perversitas. Error in se spectatus nihil veri continet, etsi veritati, qua abutitur et quam pervertit, saepissime est conjunctus ejusque quaedam retinet vestigia. Ethnici sunt errantes et perversi; qui in aliquibus errat et perversus est, in aliis rebus verum cognoscere et recte sentire potest.

Propositio 73. *Ethnicismi errore et perversitate non omnis cognitio veritatis religiosae in hominibus exstincta est.*

277. Tria sunt, circa quae, ut totidem cardines, omnis religio versatur: numen colendum, animae post mortem perduratio, morum praecepta. Ethnicismi errore et perversitate non omnis cognitio veritatis religiosae exstincta est, si sub triplice hoc respectu veritatis elementa aut vestigia apud ethnicos reperiuntur. Atqui reperiuntur.

Probatur 1. *e vestigiis veritatis de Deo ejusque unitate.* A veritate primaria, quae est Dei existentia, religio nulla recessit longius

et aberravit foedius, quam Buddhismus, cui hodie partes primae post religionem christianam a nonnullis tribuuntur. Attamen Buddhismus ipse divinitatis notionem omnem in hominum animis penitus exstinguere non potuit; nam paucis post Buddham saeculis elapsis revocatus apparuit polytheismus, et quod mirum videri possit, Buddha ipse pro Deo habitus est eique additi plures alii, ita ut Buddhae asseclae nunc, etsi mundi auctorem negant, deorum tamen multitudinem agnoscant. Cf. Max *Dunker*, l. c. p. 207. *Ritter* l. c. 135.

Polytheismus adeo communis, etsi in se falsus, supponit tamen hanc veritatem, esse numen aliquod sive naturam, cui cultus supremus debeatur. Nisi enim in hac veritate consentirent homines, non colerent deos. Unde polytheismus veritatis vestigium recte dicitur. Quid, quod in polytheismo non raro etiam singularitatis et unitatis, quae naturae divinae propria est, vestigium proditur. Saepe enim ordo quidam deorum constituitur et unius prae reliquis excellentia. Singularitatis et unitatis cogitatio magis etiam proditur, quum natura una, at cum rebus confusa, aut una anima omnia continens et pervadens colitur.

Apologetae, ut Christianos, deorum multitudinem negantes, impietatis et atheismi crimine eximant, ostendunt, ipsos poëtas et philosophos gentilium, rejecta deorum turba, Deum unum aliquo modo agnovisse atque eatenus quidem polytheismum negasse. *Athenogoras* ex Sophocle haec profert: „Unus profecto est, unus est tantum Deus coeli atque terrae conditor latissimae“. Laudat et illud Platonis: „Creatorem et patrem hujus universi inveniri difficile est: inventum apud omnes eloqui impossibile“. Legat. n. 5 et 6. S. *Justinus* „de monarchia“ sive de Dei singularitate opusculum contexuit, usus, ut ipse praefatur, solis argumentis sive testimoniis poëtarum antiquissimorum. „Ex quibus, inquit, monumentis praeclari simulacrorum cultores hanc plebi superstitionem instar legis imposuerunt, ex his edocebuntur et a suis ipsorum poëtis desipere arguentur“. De monarch. n. 2. *Tertullianus* praeclare exponit, quomodo unius Dei cognitio in gentilibus, licet sopita et erroribus constricta, suis tamen temporibus ex anima quasi erumpat. „Vultis, inquit, ex animae ipsius testimonio comprobemus? quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, quum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri. ‚Deus magnus, Deus bonus‘, et ‚Quod Deus dederit‘ omnium vox est; judicem quoque contestatur illum: ‚Deus videt‘, et ‚Deo commendo‘, et ‚Deus mihi reddet‘. O testimonium animae naturaliter christianae. Denique pronuncians haec non ad capitolium, sed ad coelum respicit; novit enim sedem Dei vivi; ab illo et inde descendit“. Apol. c. 17.

Ad omnium consensum *Minucius Felix* provocat: „Audio vulgus; quum ad coelum manus tendunt, nihil aliud quam ‚Deum‘ dicunt; et ‚Deus magnus est‘, et ‚Deus verus est‘, et ‚Si Deus dederit‘. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani conlitentis oratio? Et qui Jovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt“. Oct. n. 18. Transiens ad poetas et philosophos, qui Deum

dixerint spiritum: „Quid, inquit, aliud et a nobis Deus quam mens et ratio et spiritus praedicatur . . . Platoni apertior de Deo et rebus ipsis et nominibus oratio est et quae tota esset coelestis, nisi persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret". n. 19.

Aliquam unitatis illius cognitionem, licet tenebris obsitam, apud ethnicos perdurasse, s. *Augustinus* docet, Faustum Manichaeum ita redarguens: „Discat Faustus, gentes non usque adeo ad falsos deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscunque natura". Cont. Faust. XIX, 22. Non amiserunt penitus, quia nonnulli Dei singularitatem explicite, alii implicite cognoverunt, omnes autem ejus cognoscendae principia conservarunt et aliquoties vel inviti Deum unum agnoverunt. Alibi singillatim nominat quosdam, qui Deum unum explicite agnoverint. Quaerens, quis sit verus Deus: „Ipse, inquit, est Deus, quem Varro doctissimus Romanorum Jovem putat, quamvis nesciens quid loquatur . . . Postremo ipse est Deus, quem doctissimus philosophorum, quamvis Christianorum acerrimus inimicus, etiam per eorum oracula, quos deos putat, Deum magnum Porphyrius profitetur". De civ. XIX, 22.

278. Complures *objecerunt*. cum sententia supponente, unius Dei cognitionem fuisse tam late sparsam, componi non posse alteram de idololatria tam late sparsa; saltem sequi, homines eruditos, imprimis philosophos idololatriam veram exercere non potuisse neque exercuisse.

At *notandum* imprimis est, scriptores eosdem, qui de unius Dei cognitione referunt, pariter testari de communi idololatria. Teste s. *Augustino* Plato et qui eum sunt secuti, „de uno Deo, qui fecit coelum et terram, quanto melius senserunt, tanto caeteris gloriosiores et illustriores habentur". Sed eodem Augustino teste „hi omnes et caeteri ejusmodi, et ipse Plato, diis plurimis esse sacra facienda putaverunt". De civ. VIII, 12. Caeterum Dei unius opinio et idololatria pluribus modis sociari poterant. Cf. supra n. 262.

a. Fieri poterat, ut nonnulli propter rationes externas, ut populi metum aut leges civiles, actus idololatriae externos exercerent et sacrificia offerrent non adorandi nec sacrificandi animo. Hujusmodi idololatria, licet pluribus de causis infamis, non vera, sed ficta erat. Augustinus Marcum Varronem reprehendit, quod diis ob leges civiles sacrificandum esse docuerat. De civ. l. VI, c. 5. Attamen attentis illis, quae de deorum cultu historia refert, illam idololatriam mere externam non adeo frequentem fuisse existimandum est.

b. Alii cum idololatriae actibus externis conjungere poterant animum latriae cultum deferendi illis, quos eo indignos esse norant. Haec idololatria, licet non esset omni modo consummata, erat tamen vera, quia adorandi affectum includebat. Simili ratione homines regium honorem deferre possunt illi, quem regem non esse probe sciunt. Adorandi causa poterat esse aut animi malitia, aut spes obtinendi beneficia et avertendi mala, quorum auctores credebantur genii creati.

c. Cum unius Dei opinione conjungi poterant errores speculativi, qui aliorum etiam latriam permitterent. Poterant enim existimare philosophi, quamvis unus sit absolute supremus, alios tamen in suo quasi ambitu esse supremos ac proinde eodem honore dignos. Simili ratione homines honores supremos deferunt tum imperatori, tum regibus et principibus, qui illi quidem in rebus nonnullis submittuntur, in suis tamen regnis supremi sunt. Ad istiusmodi errorem tanto procliviores erant illi, qui Deum unum cum uno mundo confundebant, aut mundum totum Deo uno tamquam anima

permeari sentiebant; hi enim quod universae naturae tribuebant, negare non poterant in singulis ejus partibus reperiri. Cf. *Suarez*, de relig. tract. III. l. II. c. 4.

279. **2.** *de animae immortalitate.* Altera veritas, quae est animorum immortalitas, etsi variis ethnicismi doctrinis obfuscata et foedata, non tamen penitus exstincta est. Perdurare post mortem animas et poenis aut praemiis affici, apud Graecos et Romanos hominibus vulgaribus certius persuasum fuisse quam philosophis, theologia illa mythica prodi videtur, quae a poetis tradi solebat. Brahmanorum religio animam post corporis interitum perdurare agnoscit, dum docet, eam continuo aliis corporibus jungi, donec perfecte a culpis purgetur. Sed vitam individuam tollit, dum docet, beatitudinem summam in eo consitere, ut anima tandem a Brahma absorbeatur. (Lois de Manu l. XII. st. 125.) Buddha cum Brahmanis admittens, animam novis semper corporibus inseri, immortalitatis quoddam vestigium conservat; attamen animae summam beatitudinem in hoc reponens, ut tandem in nihilum abeat, pejus quam illi errat. Caeterum de animae natura apud Buddhae asseclas quam maxime sibi opposita tradi solent, sicut et de beatitudine, quae ei promittitur. Buddha ipse fertur noluisse decidere, utrum anima beatitudinem adepta extinguatur nec ne. (Paul *Carus*, Das Evangelium Buddha's, aus dem Englischen von *Gauss*, Neu-York, Leipz. 1895, S. 338.) Secundum doctrinae interpretes Buddha generatim negat animam, quae sit substantia, admittit animam, quae non sit nisi multitudo et successio sensationum vel cogitationum. (Ibid. p. 311.) Cf. supra n. 259.

De Japoniae Buddhistis s. *Franciscus Xav.* inter alia haec refert: „Omnes (sectae) piorum atque improborum sedes nominant; nulla tamen earum aut cujusmodi sit beatorum sedes, aut cujus imperio improborum animi ad inferos detrudantur, ostendit . . . Confirmant, eos omnes, qui nullas suorum delictorum poenas luerint, si sectarum suarum principes conditoresque implorarint, ab omnibus incommodis liberatum iri, ita tamen, si cum magna eos fiducia implorarint omnemque in eis spem reposuerint suam. Ac persuasum habent fore, ut vel ex ipsis inferis eorundem deprecatione eripiantur . . . Concionantur Bonzii certis diebus. Concionum omnium caput est, neminem e populo damnatum iri ad inferos, quamvis multa et deliquerit et delinquat. Suae quippe sectae auctorem eos, si forte ad inferos relegati sint, e mediis suppliciis vindicaturum, praesertim vero si Bonzii, qui pro his satisfecerunt, deprecatores accesserint . . . Illud nullo modo concoquere poterant, homines ad inferos detrudi sine ulla omnino spe aliquando exeundi. Itaque suas disciplinas ajebant pietate atque clementia magis nixas esse, quam nostram . . . E novem sectis, quae in Japonia vigent, una duntaxat mortales animas facit, quae a ceterarum disciplinarum studiosis habetur deterrima. Ejus sectae homines nequissimi flagiotiosissimique sunt, neque ullam inferorum mentionem ferre possunt . . . Nos contra populo demonstrabamus, ex inferno nullam esse redemptionem, neque quemquam per Bonzios aut Bonzias

posse liberari. Itaque rationibus convicti, se a Bonziis deceptos esse querebantur... De inferis tam graves inter nos et Bonzios contentiones exstitere, vix ut unquam nobiscum in gratiam redituri videantur". Epist. l. IV, ep. 1.[1])

280. **3.** *de lege morali.* Legis naturalis notitiam ethnicismo non penitus ex hominum animis expunctam esse, non est quod demonstretur, quum historia testetur, apud gentiles passim actiones quasdam laude dignas et legi consonas habitas esse, alias pravas, legi adversantes et poenis plectendas. Erraverunt quidem frequenter, quum de conclusionibus e primis principiis deducendis et de actionibus singularibus quaeritur, essentne licitae an illicitae, non errarunt in ipsis primis principiis. S. *Thom.* 1, 2, q. 93. a. 2. Legis moralis indoles depravata tamen maxime est Buddhismo, qui quum atheismum statuat, legislatorem necessario negat: negato autem legislatore legis natura non subsistit. Infringitur ejusdem natura etiam ex eo, quod legis vindicem ignorat; etsi enim delictorum poenas admittit, tamen quis eas infligat, non statuit, nec statuere potest. Infimo sane loco est doctrina moralis, quae a vitiis ideo tantum abstinendum docet, quod animi quietem turbant.

Cum illis, quae e Buddhistarum libris recentiore tempore de praeceptis eorum moralibus innotuerunt, apprime consentiunt, quae s. *Franciscus Xav.* e Japonibus cognoverat. Scribit enim: „Ex his sectis nonnullae trecena, aliae quingena praecepta continent; omnes tamen consentiunt, quinque praecepta esse praecipua ac plane necessaria. Primum, non occidendum nec occisum quidquam comedendum. Alterum, non furandum. Tertium, non moechandum. Quartum, non mentiendum. Postremum, abstinendum a vino. Atque hae quidem leges communes sunt disciplinarum omnium."[2])

---

[1]) Buddhae sectator, catechismi auctor, de quo supra (p. 275, nota), Buddhismi doctrinam compendio ita exhibet:

La religion de Buddha enseigne: Le règne de la bonté et de la sagesse parfaites sans un dieu personnel; la persistance de l'individualité sans une ame immortelle; le bonheur éternel sans un ciel localisé: la voie du salut sans un sauveur étranger, mais opéré par chacun, sans prières, sacrifices ou pénitences, sans le ministère des prêtres, sans intercession d'aucun saint, ni de la miséricorde divine, mais par une loi naturelle et nécessaire; enfin une perfection parfaite, que l'on peut atteindre en cette vie et sur cette terre. De *Harlez,* l. c. p. 164. Buddhismus quem auctor exponit, ille est, qui in Asia meridionali, in Ceylano insula et regno Siamensi viget, quique ad Buddhismum primigenium propius accedere dicitur, quam qui in regionibus septentrionalibus, plurimis sectis divulsus, reperitur.

[2]) Cf. M. *Dunker,* l. c. p. 192. Catechismus Buddhistarum *(Harlez,* l. c. p. 159) praeter haec quinque praecepta communia refert tria alia, quibus adstringuntur, qui perfectionem velint attingere, videlicet: 6. Non manducandum post prandium; 7. non saltandum nec frivolis oblectamentis indulgendum; 8. non indulgendum vanitati in vestitu.

Secundum aliquos fontes Buddha numerum denarium ita constituit: Sunt tria peccata corporis: caedes, furtum, adulterium; quatuor peccata linguae: mendacium, diffamatio, convicium, nugae; tria peccata cordis: avaritia, odium, error. His decem

Sed Bonzii et Bonziae de suarum legum ratione verba facientes ad populum, ei persuaserunt, fieri non posse, ut profani homines urbanis negotiis implicati illa praecepta servent. Proinde praestare se velle, quidquid propter earum legum negligentiam mali atque incommodi illis accidere possit, sub ea conditione, ut populus domicilia, coenobia, reditus annuos pecuniasque ad usus ipsorum necessarios curet et scilicet honorem eis et cultum tribuat". L. IV, ep. 1.

Alii decem praecepta communia referunt; sed etiam in istis decem tam parum quam in illis quinque praeceptis Japonum de officiis erga Deum praestandis sermo est. *Klaproth*, Leben des Buddha nach mongolischen Nachrichten.

Propositio 74. *Ethnici quamvis non tot, quot populus israeliticus, providentiae supernaturalis auxiliis adjuti fuerint, tamen praeter providentiae naturalis subsidia communia, etiam aliqua providentiae supernaturalis specialia obtinuerunt.*

281. De supernaturalis providentiae auxiliis externis sermo nobis est; de auxiliis internis sive de gratia, quae ethnicis quoque obtingat, alibi agendum est. Providentia supernaturalis versatur circa fines, qui ordinem creationis excedunt, et circa subsidia huic fini accommodata, dum providentia naturalis ad illa tantum porrigitur, quae e creatione necessario sequuntur.

Sunt qui distinctionem inter subsidia naturalia et supernaturalia aut ignorantes aut non attendentes et praeterea communem theologorum doctrinam invertentes, ex hoc, quod attingimus capite, religionem christianam impugnandi occasionem sumunt. Inter quos est *Max Müller*, qui lamentatur, quod sint „homines, qui ob antiquarum religionum ignorantiam adoptarint doctrinam religioni christianae magis adversantem quam ulla, quae in libris religiosis antiquitatis reperiri possit, asserentem videlicet, nationes omnes ante religionis christianae ortum derelictas et oblivioni datas fuisse ab earum patre coelesti, sine Deo, sine salutis spe". Introduction to the science of religion. London 1873, p. 223. Einleitung in die vergleichende Religionswissenschaft, Strassburg 1874, p. 202. Quam injusta sit accusatio, patefiet exposita doctrina sive veteris sive novae legis; utriusque enim legis doctrina incusatur.

282. Pars I. Populum israeliticum pluribus providentiae supernaturalis auxiliis gavisum esse quam ethnicos, e tota salutis oeconomia nobis nota facile patescit.

Probatur 1. *e fine speciali.* Ut suo loco ostendimus, Deus populum israeliticum ob Christi ex eo orituri honorem sibi elegit „in peculium de cunctis populis". Ex. 19, 5. Prop. 63. Hic autem finis exigebat, ut populo huic conferrentur auxilia sive beneficia, quibus non minus quam fine suo speciali et sublimi a reliquis populis distingueretur; fini enim media respondeant oportet.

2. *e doctrina apostolica.* Israelitis plura auxilia quam ethnicis esse collata, docet apostolus, qui utrosque pares facit, quum vel

peccatis opponuntur decem mandata. *Carus*, l. c. p. 161. Nulla referuntur peccata, quae in Deum committi possint.

male vel bene agunt. „Quid ergo amplius Judaeo est, aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei". Rom. 3, 1. 2. Eloquiis Dei designatur revelatio omnis, quae inde ab Abrahamo usque ad ultimos prophetas Israelitis facta est. Latius prosequitur easdem praerogativas: „Israelitae, quorum adoptio est filiorum (*υἱοθεσία*) et gloria et testamentum et legislatio et obsequium (*ἡ λατρεία* — cultus sacer) et promissa". Rom. 9, 4. Hisce omnibus statuuntur haec duo: Israelitis collata esse maxima beneficis, reliquis populis collata esse minora. Hoc Paulus et Barnabas diserte docuerunt ethnicos idololatras, annunciantes „Deum vivum", „qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas". Act. 14. 15.

3. *ex eventu.* Quoties Israelitae aliorum populorum exemplo ad idolorum cultum deflexerunt, per prophetas aliisque modis ad veri Dei cultum revocati sunt. Id autem aliis populis non accidit: hi enim quam primum veri Dei cognitione carere coeperant, in densiores continuo tenebras sunt prolapsi. Hanc gentium conditionem considerans s. *Prosper* sive auctor de vocatione gentium: „In quam, inquit, impietatem etiam illa gens, quam sibi ab omnibus gentibus Dominus segregavit, tota transisset, nisi misericordiae suae propositum sustentandis electorum lapsibus praetendisset. Nam plenae sunt paginae veteris Testamenti de israeliticae defectionis relatu; ut aperte appareat, divinae semper fuisse gratiae, quod non omnis ille populus discessit a Domino". De voc. gent. l. I, c. 6.

283. Pars II. Gentibus subministrata sunt communia naturalis providentiae subsidia. Communia vocamus, quae toti generi humano inde ab initio destinata fuerunt et quidem, quum de naturalibus agatur, ipso rerum ordine poscente.

Probatur 1. *e Dei per creaturas manifestatione naturali.* Gentibus utut errori mancipatis, praesto fuerunt illa, quibus Deum rerum omnium auctorem et finem, bonorum remuneratorem et malorum vindicem cognoscerent; nam ex ipso mundi visibilis aspectu Deus ultimum mundi principium cognoscitur, et ipsa conscientia monente inter bonum et malum distinguitur. Collata igitur fuerunt quaedam naturalis ordinis subsidia, et quidem eo fine, ut ethnici iisdem juvarentur. Nam quod e rerum natura necessario sequitur, id Deus earum auctor non potuit non intendere; ergo quum naturalis rerum ordo etiam ethnicis subsidia quaedam conferat, Deus providus, quod ordine illo efficitur, necessario intendit.

2. *Scripturae testimonio diserto.* **Deum etiam gentibus curam impendisse, Scriptura sacra diserte docet.**

Legis tum veteris tum novae interpres probatissimus Paulus, secundum quem Deus quidem „in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas", continuo addit: „Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera etc." Act. 14, 16. Itaque Deus, qui quidem gentes, quae vellent, agere permiserat, iisdem tamen argumenta praebuit, quibus cognosceretur.

Similia Paulus in Areopago docuit: „Deus non in manufactis templis habitat, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia . . . quaerere Deum si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus et movemur et sumus". Act. 17, 24—28. Facile igitur aliqua ratione est, Deum unum et verum cognoscere, quum quidquid in nobis est, vita, motus ipsaque substantia per Deum praestetur. Ex hac autem perfectione quae in nobis est ac proinde longe excellentior in Deo sit oportet, manifesto sequitur, quod infert Apostolus: „auro aut argento" i. e. simulacris „Divinum" non esse simile, sed esse spiritum. Huc accedit conscientiae testimonium, quo Deus supremum se exhibet legislatorem. Rom. 2, 15.

Hanc Dei manifestationem naturalem beneficii loco habendam esse, quum a Deo sit intenta, diserte docet Apostolus de sapientibus agens: „Deus illis manifestavit . . . ita ut sint inexcusabiles". Rom. 1, 19. 20.

3. *Patrum doctrina.* **Deum etiam gentibus ita providisse, ut eum tamquam supremum rerum omnium auctorem simulque tamquam legislatorem cognoscere potuerint, communis est Patrum et theologorum sententia: doctrinae oppositae falso accusantur.**

Prosper, allatis testimoniis, quibus specialis Dei erga Israelitas providentia praedicatur, nihilominus addit: „Quamvis haec et multa similia veritatis Scriptura pronunciet, secundum ipsam tamen credimus et piissime confitemur, quod numquam universitati hominum divinae providentiae cura defuerit. Quae licet excerptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suae dona subtraxit: ut propheticas voces et praecepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde et inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi Dei dona fecerunt, et quae creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum". De voc. gent. I, 5. Huc etiam spectant, quae de Deo per lumen rationis e rebus creatis cognoscibili tum Patres docent (Prop. 73) tum ipsum Concilium Vaticanum (Constit. I. Cap. 2).

De Japonibus Buddhae doctrinae addictis s. *Franc. Xaverius* haec refert: „Amangucianos ante susceptum baptismum odiosus quidam ac permolestus scrupulus pungebat ac stimulabat: non videri benignum et clementem Deum, qui Japonibus ante nostrum adventum numquam se indicasset; praesertim vero si, quicunque Deum non coluissent, uti nos praedicabamus, aeternis erant suppliciis apud inferos cruciandi . . . Haec illos odiosissima cogitatio vel maxime a veri Dei cultu revocabat. Verum Dei beneficio error eis omnis et scrupulus exemptus est. Primum enim demonstravimus, divinam legem omnium esse antiquissimam. Si quidem ante adscitas ab Sinis leges Japones natura magistra sciebant, nefas esse ho-

minem occidere, furari, pejerare, itemque alia, quae decem illis divinis legibus continentur, argumento esse, quod si qui ejusmodi scelus admisissent, conscientiae stimulis torquerentur. Jam rationem ipsam docere, fugiendum malum, sequendum bonum; idque natura insitum esse in animis hominum sic prorsus, ut divinae legis notitiam omnes a natura naturaeque auctore Deo habeant, priusquam accedat disciplina". L. c.

284. Pars III. Deus ethnicis etiam ut supernaturalis ordinis auctorem sese cognoscendum praebuit et supernaturalia salutis subsidia exhibuit.

Probatur 1. *e subsidiis primitus omnibus collatis ac postea Israelitis.* Duplice modo Deus ethnicis supernaturalis providentiae auctorem sese exhibuit, revelatione primitiva et dein revelatione inter Israelitas continuata.

a. Deus subsidia supernaturalia, quae primitus contulerat generi humano, per ipsum genus humanum continuari et propagari voluit; genere humano comprehenduntur etiam ethnici, ac proin Deus etiam inter istos revelationem primitivam voluit propagari. Quatenus id factum non est, non Deo, sed generi humano vertendum est crimini, majoribus potissimum ac parentibus, quibus liberorum cura commissa est. E veritatibus primitus revelatis non paucas, etsi magis minusve deformatas, per longum tempus conservatas esse merito supponimus. [1]) Quod de revelatione primitiva, idem dicendum est de revelatione Noë ejusque familiae facta.

b. Ethnicis saltem vicinioribus profuerunt aut prodesse poterant, quae Deus contulit in Abrahamum ejusque posteros. Sodomorum eversio, Abrahami electioni tempore juncta, insigne erat argumentum supernaturalis providentiae facillimeque traditione propagandum. Hebraeorum historia tot eventibus supernaturalibus

---

[1]) Cum s. *Augustino* (cont. Julian. V, 11) docent theologi, etiam ante institutam circumcisionem hominibus praesto fuisse remedium aliquod vel remedia, quibus peccatorum condonatio connexa esset. Ita concludunt e principio enunciato ab Apostolo, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. 1. Tim. 2, 4. Pro adultis hoc remedium erat charitas perfecta, conjuncta cum aliqua fide in Christum redemptorem vel saltem in Deum supernaturaliter providum. Pro infantibus erat remedium applicandum a parentibus vel illis, qui illorum curam gererent. Non est necesse supponere, remedium illud fuisse omnino determinatum, ut nunc baptismus est remedium determinatum: unde consistere poterat in infantis oblatione vel in precibus pro ipso fusis. Etiam apud Hebraeos hoc remedium perdurasse censendum est: circumcisio in maribus cum pecca orum remissione tunc solum conjuncta erat, si remedium illud commune nondum applicatum erat. Vulgata autem lege christiana sacramentum illud naturae, ut vocari solet, cessavit. V. s. *Thom.* 3, q. 60, a. 5; ib. q. 70, a. 4. *Suarez*, de sacramentis disp. 4, sect. 1; ib. disp. 5, sect. 1, n. 17.

distincta Deum ordinis supernaturalis auctorem demonstrabat populis omnibus, qui cum illis quomodocunque agerent aut eorum fata audirent. Aliis populis potissimum profuit Judaeorum inter eos dispersio. Tobias senior testatur: „Ideo dispersit vos inter gentes, quae ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens praeter eum". Tob. 13, 4.

Unde s. *Prosper* agens de gratia tum interna tum externa: „Sed ne in praeteritis quidem saeculis haec eadem gratia, quae post Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum israeliticum constet electum, omnesque aliae nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissae sint vivere voluntatem; non ita se tamen aeterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret". De voc. gent. II, 4. Attamen quia subsidia illa supernaturalia, quae totam gentilium multitudinem respiciunt, minus frequentia erant nec continua, ideo ad naturalis ordinis subsidia revertens mox addit: „Quod in Israel per constitutionem legis et prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturae testimonia et bonitatis Dei miracula semper egerunt." L. c.

2. *e subsidiis specialibus.* Frequentiora sunt testimonia, quibus constat, Deum hominibus singularibus extra coetum populi hebraei constitutis ut supernaturaliter providum innotuisse. Ex illis quae Scriptura tradit, conjicere licet, evenisse similia, quae non sunt tradita.

285. Exemplum insigne est Job, quo s. *Augustinus* sententiam nostram ita confirmat: „Nec ipsos Judaeos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum, praeter Israelitas, ex quo propago Israel esse coepit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui proprie Dei populus diceretur, nullus alius fuit; homines autem quosdam non terrena, sed coelesti societate ad veros Israelitas supernae cives patriae pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt; quia si negant, facillime convincuntur de sancto et mirabili viro *Job,* qui nec indigena, nec proselytus id est advena populi Israel fuit; sed ex gente Idumaea genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est . . . Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus". De civ. XVIII, 47. Cf. epist. 102, n. 15. Per *Balaam* Deus populis orientis Messiam annunciavit. Num. 24, 17. *Jonas* Ninivitis, Babyloniis *Daniel* Deum verum praedicavit. Nabuchodonosor rex somnio ejusque interpretatione per Danielem prolata edoctus est. Dan. 2. Baltassari regi per visum manus scribentis et per Danielis explicationem fata suprema aperiuntur. Dan. 5.

Deum multis gentilibus Messiae ortum aliaque revelasse Apologetae et Patres supponunt, cum Sibyllis aliisque qualemcunque tribuunt auctoritatem. Quid hac de re supponere saltem liceat, s. *Augustinus* ita explicat:

„Non incongrue creditur, fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, et qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiae fuerint, sive expertes, sed per malos angelos docti sunt, quos etiam praesentem Christum, quem Judaei non agnoscebant, scimus fuisse confessos". De civ. XVIII, 47. Cf. s. *Thom.* 2, 2, q. 172, a. 6, ad 1.

Articulus IV.

De religionis christianae per ethnicismum et per ethnicos praeparatione.

286. Recenti tempore non pauci gentibus in religione christiana praeparanda partes si non easdem, similes tamen vindicant illis, quas populo hebraeo a Deo tributas esse ostendimus. Supponunt, etiam ethnicismum esse quandam revelationem. Provocant ad divinam providentiam, quae etiam gentibus prospexerit; ad sensum religiosum, qui viguerit in gentibus; ad promptitudinem illam, qua Evangelium susceperint. Judaismum comparant lunae, ethnicismum astrorum multitudini, christianismum soli, qui et lunae et astris suum largiatur splendorem. Omnes religiones christianam praecedentes non sunt nisi truncata membra et sparsa, quae a religione christiana in corpus unum sint collecta. Cf. *Lechler*, Ueber den Begriff der Apologetik, in Studien u. Kritiken. Jahrg. 1839. p. 654. *Dorner*, System der christl. Glaubenslehre I. § 65. *Sepp*, Das Heidenth. u. dessen Bedeut. für das Christenth. I. Einleitung. Plurima in hac theoria confunduntur, quae probe sunt distinguenda; ethnicismus confunditur modo cum hominibus eundem profitentibus, modo cum illis, quae eodem priora eique aliena sunt. Praeparatio negativa confunditur cum positiva, Dei voluntas consequens cum antecedente, bonum naturale cum supernaturali, philosophia cum idololatria, causa per se cum causa per accidens.

Propositio 75. *Ethnicismus in se spectatus non est natura sua sive per se religionis christianae vel animorum ad eam suscipiendam praeparatio; quamquam ejusdem effectus funesti de remedio e religione christiana petendo monere et sic animos ad eam suscipiendam per accidens possunt disponere.*

287. Causa *per se* illa vocatur, quae agit ad quod agendum natura sua dirigitur, vel, si de agente rationali sermo est, quod agens intendit. Causa *per accidens* illa est, cum cujus actione connectitur effectus, qui ab ejus natura non poscitur necessario vel, si causa praedita est ratione, qui praeter ejus intentionem producitur. Sol ortus est causa per se illustrationis terrae, causa per accidens actionum pravarum, quas homines interdiu illa illustratione adjuti exercent.

De ethnicismo in seipso spectato agitur sive de illo, quo constituitur. Sermo igitur est de illis, per quae religioni sive revelatae sive naturali opponitur: nam si quae sunt, quibus cum alterutra consentit, ea non ethnicismi sunt, sed religionis aut primitus revelatae aut naturalis.

Probatur 1. *ex ethnicismi oppositione.* Religionem christianam praeparare aut ad eam suscipiendam animos disponere natura sua non potest illud, quod eidem adversatur et hominum intellectum

ad falsum, voluntatem ad malum amplectendum per se disponit. At vero ethnicismus religioni christianae adversatur; haec enim Deum unum et verum, ethnicismus rem creatam aut deos plures colendos proponit; insuper intellectum errori, vitiis voluntatem mancipando, a religionis christianae veritate et sanctitate hominum animos retrahit. Ergo per se quidem non est religionis christianae vel animorum ad eam amplectendam praeparatio.

Et vero, ut ethnicismus religionem christianam natura sua praepararet, necesse foret ut, quemadmodum religio mosaica, in se contineret quasi semina veritatum illarum, quae christiana religione maxime evolvuntur, ut sunt divinae naturae infinita perfectio, tres personae in una divina natura, et secundae personae incarnatio. At vero ethnicismus naturam divinam, ejusdem unitatem aut a rebus finitis distinctionem negando destruit, trinitatem ignorat, nec quidquam tradit de secundae personae incarnatione. Quum Platonici et praesertim Neoplatonici de quadam trinitate, ut in humana, ita et in divina mente aut potius de intellectu verbum quoddam generante loquuntur, vel non pertingunt ad constituendas personas vel si personas constituunt, etiam duos vel tres deos efformant. Id in Plotino notans s. *Augustinus:* „Liberis, inquit, verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quae his significantur, impiam gignat opinionem". De civ. X, 23. Impium sane est, tres aut duos dicere Deos, ut philosophi illi dicere non verebantur. Si qua systemata orientalia aliquid quod incarnationi simile est tradunt, est potius emanatio pantheismo propria, aut non veri Dei incarnatio, aut saltem non illa, quae in religione christiana traditur. Denique si apud ethnicos nonnullos quaedam veritatum supernaturalium vestigia inveniuntur, haec non ethnicismi sunt, sed revelationis divinae, quae ethnicis quomodocunque innotuit.

Ethnicismus dici potest religionis christianae praeparatio quaedam per accidens. Populi, qui abjecta revelatione idololatriam exercebant et in majores continuo tenebras incidebant, non poterant non percipere intellectum humanum nimis esse imbecillum, ut ad veritatem per se solum pertingat, et voluntatem nimis infirmam, ut secundum rationis dictamina agat. Ipsis igitur ethnicismi tenebris et foeditate comprimi poterat fastus humanus, maximum fidei suscipiendae obstaculum, atque sic ethnicismi non propria perfectione sive natura, sed defectu et perversitate homines ad religionem christianam complectendam compelli poterant. Neque voluntate antecedente, sed solum consequente Deus hunc praeparationis modum intendebat. Cf. s. *Thom.* 3, q. 1, a. 5.

2. *ex Apostolorum agendi modo.* Apostoli suo agendi modo satis indicant, ethnicismum non per se et natura sua, sed solum per accidens religionis christianae esse praeparationem. Nam id

quod ethnicismi est, detestantur et ubique evertunt; ex ethnicorum ignorantia et perversitate argumentum pro evangelica doctrina petunt ut Paulus in areopago. Act. 17, 23. Si quando ex ethnicorum doctrinis veritatem christianam confirmant, doctrinae illae non sunt ethnicismi, sed rationis humanae.

Omnimodam oppositionem inter religionem christianam et ethnicismum Apostolus tum passim effert tum varia similitudine illustrat. „Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?“ 2. Cor. 6, 14—16. Haec dici non possent, si ethnicismus esset religionis christianae praeparatio quaedam et inchoatio. Profecto si ethnicismus ad religionem christianam sese habet ut Belial ad Christum, non se habet ut lex mosaica ad Evangelium, i. e. non est Evangelii figura, praeparatio et inchoatio.

Monet Christianos, ut cavendum sibi ducant ab ethnicorum doctrina religiosa. „Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum“. Col. 2, 8. In quae verba *Tertullianus:* „Fuerat, inquit, Athenis et istam sapientiam humanam, affectatricem et interpolatricem veritatis, de congressibus noverat . . . Quid ergo Athenis et Hierosolymis? quid academiae et ecclesiae? quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est . . . Viderint qui stoicum et platonicum et dialecticum Christianismum protulerunt!“ De praescr. c. 7.

Atheniensium in rebus divinis ignorantia et error Evangelii praeconi viam praeparavit. „Praeteriens et videns simulacra vestra inveni et aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis“. Act. 17, 23. Postquam ostendit, quam ineptum sit credere Deum simulacris et templis concludi, infert: „Tempora quidem hujus ignorantiae despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant etc.“ Simili modo alias gentilium tum ignorantiam tum peccata, Judaeorum autem peccata tamquam id exhibet, quo per accidens praeparatur Evangelium: „Omnes peccaverunt et egent gloria Dei“. Rom. 3, 23.

3. *Apologetarum doctrina.* Secundum Apologetas ethnicismus non per se, sed per accidens praeparat Evangelium. Omnes enim ejusdem errores et morum quam induxerit pravitatem tamquam rationem proponunt, cur sit relinquendus, religio christiana, quae errores illos dissipat moresque corrigit, amplectenda sit.

288. Quod ab omnibus fit, idem praestiturus *Eusebius* ita praefatur: „Age, vetustissimas illas ipsas, quas a majoribus accepimus, de deorum natura sententias, quaeque in omnibus passim urbibus etiamnum jactari solent, unaque graves illas egregiorum philosophorum de mundi ac deorum ipsorum origine disputationes ante omnia contemplemur; sic enim intelligemus, jurene an secus ab iisdem recesserimus“. Praep. evang. I, 5.

Patres ostendunt, primorum saeculorum haereses ex eo potissimum ortas, quod quidam gentilium fabulas cum Christianorum dogmatibus sociare

tentaverint. S. *Irenaeus* testatur, Valentinum ejusque sequaces haeresin composuisse e gentilium poetarum et philosophorum dictis „quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes". Cont. haer. II, 14. Pericula non exigua attulit imprimis philosophia platonica, praesertim postquam Neoplatonici, qui Judaeorum et Christianorum doctrinas non ignorabant, a foedioribus quibusdam erroribus eandem purgaverant et christianum loquendi modum induxerant. Hinc *Petavius:* „Priscarum, inquit, omnium haeresum, quae primis saeculis tribus exortae sunt, historia ipsa testatur, Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichaeos ac caeteros non aliunde quam ex commentis Platonis subornatos esse ad illa fabricanda monstra et dedecora christiani nominis; quae cum apud oppugnatores eorum sanctos illos Patres legimus, ingenti horrore percellimur". Dogm. theol. Proleg. c. 3.

Tertullianus postquam Saturnini, Carpocratis, Appellis, Valentini aliorumque mentionem fecit: „Doleo, inquit, bona fide Platonem omnium haereticorum condimentarium factum". De an. c. 23. Ut Platonicae imprimis formae Gnosticis, ita aliorum philosophorum placita aliis haereticis viam straverant. Propterea idem *Tertullianus:* „Ipsae, inquit, haereses a philosophia subornantur. Inde aeones et formae nescio quae infinitae, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat; inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat; et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur; et ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur; et ubi materia cum Deo aequatur, Zenonis disciplina est; et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit". De praescr. c. 7. Cf. *Massuet.* in Iren. diss. I, art. 1.

Ut *Eusebius* (Praep. evang. XIII, 14), ita etiam s. *Augustinus* Platonicorum imprimis et Neoplatonicorum errores quam plurimos studiose refellit. De civ. VIII. IX. X. Platonem caeteris quidem praefert, non quod veritatem attigerit, sed quod non tam remotus quam illi ab ea fuerit. „Cum his, inquit, agimus, qui et Deum incorporeum et omnium naturarum, quae non sunt quod ipse, creatorem nobiscum sentiunt; alios autem nimis indignum est ad istam disputationem religionis admittere; maxime quod apud eos, qui multis diis sacrorum obsequium deferendum putant, isti philosophos caeteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem intervallo, verumtamen reliquis propinquiores sunt veritati". De civ. IX, 5. Nihilominus ipsa haec laus quam Platonicis ut in nonnullis rebus minus a veritate aberrantibus tribuerat, postea ei displicuit. Opera enim sua retractans scribit: „Laus quoque ipsa, qua Platonem vel Platonicos sive Academicos philosophos tantum extuli, quantum impios homines non oportuit, non immerito mihi displicet; praesertim contra quorum errores magnos defendenda est christiana doctrina". Retr. I, 1.

289. *Objic.* 1. Nonnulli ut demonstrent, ethnicismum a Deo non tantum toleratum, sed et probatum esse, gentiliumque religionem eodem modo quo mosaicam fuisse Evangelii praeparationem, provocant ad Deut. 4, 19: „ne forte elevatis oculis ad coelum videas solem et lunam et omnia astra coeli, et errore deceptus adores ea et colas quae creavit Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub coelo sunt" [in hebr. et apud LXX: quae *divisit—chalak*, ἀπένειμε — Dominus Deus omnibus gentibus, quae sub coelo sunt]. Supponunt, Deum gentibus illa divisisse ut ea adorarent, quum voces *in ministerium* in textu non legantur. Hanc interpretationem tuentur aucto-

ritate s. *Justini* dicentis: „Solem quidem Deus dederat prius ad adorandum, quemadmodum scriptum est; nec quisquam unquam exstitit, qui mortem propter fidem in solem oppeteret; at ex omni genere hominum videre est, qui propter nomen Jesu quaelibet supplicia et pertulerint et perferant". Dial. n. 121. Cf. n. 55. Afferunt etiam haec *Clementis* Al. verba: „Quoniam sciebat Deus, eum (gentilem) non esse crediturum, nihilo secius ut suam acciperet perfectionem, ei philosophiam dedit, sed ante fidem. Dedit autem solem et lunam et astra in religionem (εἰς θρησκείαν), quae fecit Deus gentibus, inquit lex, ne si omnino essent impii et plane a Deo alieni, omnino etiam interirent. Illi autem in hoc etiam mandato ingrati, sculptilibus attenderunt imaginibus; quodsi non fuerint ducti poenitentia, judicantur. Aliqui quidem quod cum possent, noluerunt Deo credere; alii vero, quod etiam cum vellent, non elaboraverunt ut fierent fideles; quin etiam illi quoque, qui a cultu astrorum non recurrerunt ad eorum creatorem. Haec enim via data fuit gentibus, ut per astrorum cultum Deum suspicerent; qui autem ne in iis quidem quae eis data sunt astris voluerunt permanere, sed ab eis ad ligna et lapides procidere, reputati sunt, inquit, ut pulvis terrae et ut gutta a cado". Strom l. VI, c. 14. Existimant porro eadem insinuasse Paulum hortantem, „ab his vanis converti ad Deum vivum qui fecit coelum et terram et mare, et omnia quae in eis sunt; qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas". Act. 14, 14. Hisce enim censent insinuari, gentes trium illorum deorum cultu ad fidem „in veram Trinitatem" fuisse praeparandas. *Sepp*, Das Heidenth I, p. 11. Cf. *Lechler*, Ueber den Begriff der Apolog. in Theol. Stud. u. Krit. 1839, p. 643.

Resp. At nimis manifesto sibi contradicerent tum auctores sacri tum Patres allegati, si docerent quod adversarii insinuant. Locus Deuteronomii, etiamsi ita exponeretur, ut Deus solem et lunam cunctis gentibus non ad ministerium, sed ad cultum permisisse intelligeretur, non facultatem et jus gentibus concessum esse denotaret, sed more Scripturae id quod fit exprimeret: Dimisit Deus solem et lunam ad cultum eis exhibendum, quia, quod faciunt, Deus non impedit. Suspicari nemo potest, Deum tribuere jus faciendi, quod toties malum esse declarat.

Hoc sensu intelligendus est *Justinus*. Trypho Judaeus ita eum provocaverat: „Nunc demonstra nobis, alium Deum a spiritu prophetico praeter creatorem universorum agnosci; cavens tamen ne solem et lunam dicas, quae scriptum est gentibus concessa a Deo fuisse, ut ea tamquam deos colerent. Atque hoc loquendi genere quodammodo utentes prophetae saepe dicunt: Deus tuus Deus deorum est et Dominus Dominorum, saepe addentes: magnus et fortis et terribilis". Respondet Justinus: „Non eram allaturus has demonstrationes, quibus eos *condemnari* scio, qui haec et similia colunt". n. 55. Si, qui solem et lunam colunt, Scriptura teste condemnantur, Justinus non potest censere, Scripturam illorum cultum positive permittere.

Non alio sensu intelligendus est *Clemens*. Imprimis dicit, gravius astrorum cultoribus peccare idolorum sive imaginum cultores, quia eorum error manifestior est; quod et Sap. 13, 6 legitur. Dein asserit, etiam astrorum cultores culpa non vacare et judicandos esse, si ab illorum cultu non convertantur ad cultum creatoris. Demum ipsa astra ad id data esse dicit gentilibus, ne plane a Deo essent alieni i. e. ut ex iisdem Deum *cognoscerent*. Opponitur itaque revelatio naturalis supernaturali revelationi,

cognitio Dei per naturam cognitioni ejusdem per fidem. Non alia igitur hic doctrina exhibetur nisi illa, quam tradidit Apostolus Act. 14, 14 Rom. 1, 20.

290. 2. Alii ethnicismo religionis christianae praeparationem vindicant propterea, quod Dei aliquam cognitionem servaverit, quod culpae conscientiam manifestaverit et poenitentiae necessitatem professus sit, quod cultum tum privatum tum publicum exercuerit, orationes fuderit et sacrificia obtulerit.

Verum haec quatenus religioni christianae conformia sunt eamque praeparasse dicuntur, non sunt ethnicismi; sunt potius naturae rationalis, rectiusque dicitur, quaedam naturae rationalis bona non esse penitus deleta per ethnicismum, eaque per naturam rationalem conservata esse non obstante ethnicismo. Et vero, Dei aliqua notitia ipsius naturae dos est et conservatur per naturam ipsam; idem dicendum de conscientia boni et mali, eique juncta veniam petendi et satisfaciendi obligatione, de cultu tum privato tum publico et de ipsis sacrificiis. Etiam admittendo, horum quae insinuavimus aliqua partim etiam traditione niti, non sequitur, ea transmissa esse per ethnicismum; sequitur tantum, ea quae traditio humana transmisit, non esse penitus exstincta aut depravata per ethnicismum.

Propositio 76. *Ethnicorum studia veritatis naturalis inquisitioni impensa etiam natura sua et per se in religionis Christianae emolumentum cesserunt.*

291. Aliud est de ethnicismo, aliud de hominibus ethnicismum profitentibus. Ethnicismus quum non sit nisi ethnicismus, nonnisi falsus et perversus est; in homine ethnico, quum praeter id quo est ethnicus, etiam alia in se complectatur, non omnia falsa et perversa sunt sed quaedam vera et bona esse possunt semperque sunt; principem locum tenent scientiae, quibus multorum animi ad praeambula fidei melius intelligenda et sic ad religionem suscipiendam praeparati fuerunt. Succedunt artes, quibus veritas exhibita et aliorum animis inserta est. Ipsa Romani imperii magnitudo, tot laboribus parta, tandem in religionis commodum cessit, quia fidei praeconibus majorem varias gentes adeundi facilitatem praebuit.[1])

[1]) Romanum imperium a Deo ad id praeparatum et dispositum esse, ut Evangelii praeconibus facilior esset aditus ad gentes remotissimas, s. Patres non raro efferunt. Ita s. *Ambrosius:* „Factum est, inquit, ut taedio bellorum civilium Augusto Romanum deferretur imperium, ut recte per totum orbem Apostoli mitterentur, dicente Domino Jesu: Euntes docete omnes gentes. Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, ut Thomae India, Matthaeo Persia: sed tamen quo plura obirent spatia terrarum, in exortu ecclesiae potestatem Romani imperii toto orbe diffudit, et dissidentium mentes terrarumque divortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub uno terrarum imperio viventes unius omnipotentis imperium fideli eloquio confiteri". In Ps. 45, n. 21. Eandem providentiam divinam s. *Leo* praedicat: „Ut hujus inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum divina providentia praeparavit, cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina et contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi congruebat, ut multa regna uno confoederarentur imperio, et cito pervios haberet populos praedicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis". In nat. Apost. Petri et Pauli serm. 82 (al. 80), c. 2.

Omnia autem haec quum sint ordinis naturalis, eatenus tantum, quatenus bona naturalia supernaturalibus subserviunt, religioni christianae prodesse poterant. Hoc loco de sola scientia sive cognitione rationali ethnicorum agimus.

Probatur 1. *e veritatis ratione cognitae respectu ad revelationem.* Ad religionis christianae emolumentum etiam per se conferunt studia illa, quibus aperiuntur veritates, quae partim fidei quaedam praeambula sunt, partim eaedem cum veritatibus per religionem propositis, partim veritatibus revelatis explicandis et intelligendis inserviunt. Jam vero ethnicorum studiis et laboribus veritates hujusmodi expositae fuerunt. Inter multos enim errores veritates quaedam de Deo, de animae immortalitate, de virtute, de officiis, de summo bono a philosophis ethnicis imperfecte quidem traditae sunt; hae autem veritates ex parte cognitae modo hominem stimulant, ut religionem revelatam, quae perfectam illarum veritatum possessionem profitetur, suscipere velit; modo efficiunt, ut facilius credat, cum videt, revelatione tradi aliqua, quae etiam a ratione deprehenduntur esse vera; modo rerum, quas revelatio docet, intelligentiam manifestiorem et uberiorem aperiunt, cum lumine duplice, non fidei tantum, sed et rationis attingantur. Patet igitur, hujusmodi studia in veritatis christianae tum suscipiendae tum susceptae emolumentum natura sua cessisse.

2. *ex s. Pauli exemplo.* Ut s. Paulo ethnicismus ipse religionis christianae praeparatio nonnisi per accidens est, ita ethnicorum quorundam doctrinae sunt religionis praeparatio per se et natura sua. Petito primum argumento ex Atheniensium ignorantia, mox Arati poetae affert verba: „Ipsius enim et genus sumus“ (*τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν*). Act. 17, 28. Hoc quasi principio posito aptissime infert: „Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare, auro aut argento sculpturae artis et cogitationis hominis divinum esse simile“. Quod enim spectata materia homine inferius est et spectata forma ab homine producitur, non potest esse Deus, ex quo, Arato docente, est homo. Affert s. Paulus (Tit. 1, 12) locum Epimenidis, quem proprium Cretensium prophetam vocat: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί*; additque: „Hoc testimonium verum est“. In quae verba *Clemens* Alex.: „Vides, quomodo etiam Graecorum prophetis dat aliquid veritatis; nec erubescit, et ad aedificationem et ad aliquorum conversionem disserens, uti graecis poematibus“. Strom. I, 14.

3. *ex Apologetarum doctrina.* Apostoli exemplum secuti sunt Apologetae et Patres, ethnicorum, poetarum imprimis et philo-

sophorum auctoritate utentes, quando auditorum conditio spem faciebat fore, ut illi facilius ad fidem adducerentur.

292. S. *Justinus*, qui antea platonicus philosophus fuerat, docet, particulam veritatis reperiri apud philosophos, dum veritas integra reperiatur apud Christianos; unde sua sponte fluit, qui particulam illam amant, multo magis amare debere veritatem totam, quae est apud Christianos. Postquam laudavit Stoicos, qui „in his saltem, quae de moribus dixerunt, praeclare se habuerunt, id quod poetis interdum contigit propter insitum omni hominum generi rationis semen (*σπέρμα τοῦ λόγου*)"; unde etiam malorum odiis obnoxii fuerunt, ita prosequitur: „Minime autem mirum est, si, qui non ad partem aliquam rationis disseminatae vitam instituere student, sed ad totius Verbi, i. e. Christi cognitionem et contemplationem (*οὐ κατὰ σπερματικοῦ λόγου μέρος, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ παντὸς Λόγου, ὅ ἐστι Χριστοῦ*), in eos multo majora convicti daemones odia concitant". Apol. II, n. 8. Similia paulo post. „Non, inquit, quod aliena sint a Christo instituta Platonis, sed quod non omnino similia, ut nec etiam aliorum, Stoicorum videlicet, poetarum et historicorum. Ut quisque enim disseminatae rationis divinae partem aliquam sibi cognatam videbat, praeclare locutus est. Qui autem secum ipsi in rebus longe gravissimis pugnarunt, ii nec scientiam sublimiorem, nec cognitionem, quae refelli non possit, assecuti videntur. Quaecunque igitur apud alios omnes praeclare dicta, ea nostra sunt Christianorum". n. 13. Itaque secundum Justinum in christiana religione veritas continetur tota; ab ethnicis philosophis veritatis tantum particulae cognitae fuerunt, et hoc sensu restricto et improprio eos dicit Christianos (Apol. I, n. 46), quemadmodum *Tertullianus* ob unius Dei professionem ab ethnico prolatam exclamat: „Anima naturaliter christiana"! Perperam omnino Justinus a nonnullis accusatur, quod doceat, ethnicis philosophiam ut Christianis Evangelium salutis esse viam. Cf. *Maran.* Praefat. in Just. P. II. c. 7.

Eadem philosophiae a *Clemente* Alex. tribuuntur, qui studiose exponit, quomodo philosophia ad religionem ducat. „Omnium, inquit, bonorum Deus est causa, sed aliorum quidem principaliter (*κατὰ προηγούμενον*), ut Testamenti Veteris et Novi; aliorum autem per consequentiam (*κατ' ἐπακολούθημα*), ut philosophiae. Quam tamen verisimile est ipsum Graecis dedisse, priusquam Dominus Graecos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Graecos paedagogi more ducebat, sicut lex Hebraeos ad Christum. Praeparat ergo philosophia, ei viam muniens, qui a Christo perficitur". Strom. I, 5. Philosophia quae ad veritatem illam, cujus homo particeps fieri debet, ducit, nondum est illa ipsa veritas. „Si, inquit, etiam philosophia e longinquo opem fert inventioni veritatis, variis notionibus tendens ad nostram scientiam, quae proprie attingit veritatem; sic tamen ei opem fert, qui Logi auxilio conatur apprehendere cognitionem. Proinde graeca veritas, etiamsi idem sit nomen sortita, tamen a nostra tum magnitudine cognitionis, tum demonstrationum evidentia, et divina virtute, et aliis similibus satis distinguitur". Ib. c. 20. Philosophia ut ad veritatem cognoscendam, ita etiam ad justitiam obtinendam confert; ipsam tamen justitiam integram sive illam probitatem, quae in homine requiritur, philosophia non largitur. „Quanquam, inquit, per se quoque aliquando Graecos justificabat philosophia, sed non universa et perfecta justitia, ad quam consequendam cooperatur, velut primus et secundus gradus ei, qui ascendit in coenaculum, et grammaticus

ei, qui est philosophaturus. Non quod, hac sublata, universali Logo desit aliquid, vel perimatur veritas". Ibid. Propterea alio loco dicit: „Nihil eis post vitae finem proderit, etiamsi nunc recte operentur, nisi fidem habeant". Ibid. c. 7. Exponit etiam quomodo philosophia subserviat fidei jam susceptae. „Perspicuitas, inquit, cooperatur in traditione veritatis; dialectica, ne prosternamur ab haeresibus, quae faciunt incursiones, adjuvat. Est autem per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina". Ibid. c. 20.

Clementis aliorumque exemplum secutus *Origenes* ethnicorum litteris usus est ad praeparandos eorum animos. De hoc suo instituto ipse in epistola quadam adversus eos, qui nimium ejus studium erga hujusmodi disciplinas reprehendebant, seipsum purgans ita scribit: „Cum vero totum me addixissem Verbo Dei, ac de nostra eruditione fama jam crebrior spargeretur, confluentibus ad me nunc haereticis, nunc graecarum disciplinarum studiosis, et maxime philosophis: scrutari haereticorum dogmata et quaecunque a philosophis de veritate jactantur, excutere constitui. Atque hoc fecimus, tum Pantaeni illius, qui ante nos multis profuit, exemplum secuti, qui quidem hujusmodi cognitione non mediocriter instructus fuit, tum Heraclae, qui nunc inter presbyteros Alexandrinae sedet ecclesiae, quem ego apud magistrum philosophiae reperi quintum jam annum ei operam dantem, priusquam ego ejusmodi doctrinam auscultare coepissem." Apud Euseb. h. e. VI, 19. Modum quo philosophia utendum sit, exponit ad Gregorium scribens: „Ego te omnibus bonae tuae indolis viribus incumbere velim in christianam doctrinam ut finem, ad hunc vero assequendum a te optarim quasi auxilium e graecorum philosophia adhiberi ea, quae ceu circulares disciplinae et ceu praeludia ad Christianismum esse possunt, nec non a geometria et astronomia quaecunque ad sacras interpretandas litteras conferunt; ut quod de geometria, musica, grammatica, rhetorica et astronomia philosophi praedicant, tamquam philosophiae adjutricibus, id nos de philosophia respectu Christianismi dicamus". Ep. ad Gregor. n. 1. Rem illustrat exemplo vasorum aureorum et argenteorum, quae Israelitae ex Aegypto tulerunt in usus sacros convertenda. Nec soli Apologetae scholae Alexandrinae, sed reliqui etiam Apologetae et Patres exponere solent, quomodo ethnicorum disciplinae in religionis christianae usus converti possint.

Lactantius eandem doctrinam tanta vi effert, ut nonnulli ejus auctoritate confirmare voluerint doctrinam illam de veritate sparsa per religiones omnes antiquas, quam christiana religio ut membra disjecta in unum corpus collegerit. At si ad contextum attenditur, elucescit, Lactantium doctrinam istam aperte rejicere, nostram vero confirmare. Postquam religionis summam exposuit, quae docet, hominem ad id esse creatum, ut Deum colat ac denique in aeternum beatus existat, ita pergit: „Quam (rerum) summam quia philosophi non comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt; quamvis ea fere, quibus summa ipsa constat, et viderint et explicarint. Sed diverse illa omnia protulerunt, non annectentes nec causas rerum nec consequentias nec rationes, ut summam illam, quae continet universa, et compingerent et complerent. Facile est autem docere, paene universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam . . . Docemus, nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero . . . Quodsi exstitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos per sectasque diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc

nemo facere, nisi veri peritus ac sciens, potest. Verum autem nonnisi ejus scire est, qui sit doctus a Deo". Instit. VII, 7. Notandum est, Lactantium non de religionibus, sed de philosophis horumque sectis loqui; nec de veritate supernaturali, sed de naturali, quae videlicet a philosophis rationis lumine detegi possit. Asserit igitur, doctrinas plures ordinis naturalis a philosophis cognitas fuisse, non ab uno omnes, sed singulas a singulis, easque intermixtas erroribus; attamen has doctrinas inservire posse ad quasdam doctrinas christianas confirmandas. Itaque philosophorum studia et conatus in veritate cognoscenda positi in religionis christianae emolumentum cesserunt.

Propositio 77. *Nec Deo indignum est nec finibus, qui legi caeremoniali propositi erant, adversatur, Israelitis ritus quosdam esse praescriptos, qui aliqua ratione etiam apud gentiles in usu erant.*

293. Ritus nonnulli sacri Hebraeis et gentibus aliis aliqua ratione communes fuisse conspiciuntur. Pronum est dicere, ab Hebraeis, populo antiquiore, ad gentes reliquas illos migrasse ritus. Difficilius autem est existimare, id in Aegyptiis quoque evenisse, quippe qui jam a longo tempore florerent, quum Hebraeorum populus inter eos formaretur. Imo ex Aegyptiorum monumentis Pentateucho antiquioribus recente tempore demonstratum esse existimatur, ritus, quos novimus Hebraeis fuisse proprios, imprimis circumcisionem, viguisse etiam apud Aegyptios, et quidem ante Abrahae aetatem. (*Ebers*, Aegypten und die Bücher Moses, Leipz. 1868, p. 277. *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes, Paris 1879, I, p. 415.) Etiam alii quidam ritus in lege caeremoniali a Moyse praescripti prius jam apud Aegyptios exstitisse videntur. (Rev. *Smith*, The Book of Moses, London 1868, I, p. 292.) Ex eo quidem, quod ritus aliquis apud Aegyptios prius usurpatus fuerit quam apud Hebraeos, non sequitur necessario, eundem ex illis ad istos migrasse; potest enim ritus, praesertim si spectata significatione ad signi naturalis rationem quodammodo accedit, sua quasi sponte apud diversas nationes eodem tempore nasci, ut v. g. in annuendi vel abnuendi signis locum habuisse credibile est. Nihilominus quaeritur, quomodo Deus aut ejus minister Moyses ritum religiosum inducere potuerit, quem apud Aegyptios usurpari non ignorabat.

Hebraeorum ritus plerosque ex Aegyptiis derivatos fuisse, omni modo demonstrare conatus est Joannes *Spencerus*, Anglicanus, addens, Deum, quum populum hebraeum ritibus Aegyptiorum omnino addictum videret, „eorum ritus nonnullos paululum emendatos leni animo tulisse et per *συγκαταβασιν* illam Israelitas a gentium idolis et caeremoniis sensim et suaviter avocare studuisse, quos statim et cum violentia avellere non potuerit". De leg. Hebr. l. 3. Praef. Ed. Tubing. 1732. Videlicet ut operis editor Matth. *Pfaffius* notat, Spencerus censetur scripsisse „ex zelo defendendorum Ecclesiae anglicanae rituum, quos e papatu retinuerit illa, adversus Presbyterianos, quos constat nimio zelo contra eosdem ferri". Dissert. praelim.

Alio longe fine haec rituum qualiscunque conformitas urgetur a nonnullis, qui religionem mosaicam ex ethnicismo emersisse contendunt, vel saltem revelatam esse negant. Deo enim indignum esse censent, praescribere ritus idolorum cultui consecratos; unde inferunt, si ritus hujusmodi Moyse vel patriarchis sint antiquiores, a Deo vel ejus legato Moyse

assumi non potuisse; ex quo porro inferunt, si a Moyse assumpti revera sint, eum pro Dei legato haberi non posse.

Inquirendum igitur nobis imprimis est, quid per Dei sanctitatem et sapientiam licuerit sive cum Moysis divina legatione componi possit.

294. Pars I. Minime indignum erat Deo, praescribere in sui cultum ritus quosdam, qui antea a gentilibus in vanorum deorum cultum fuissent detorti.

Hypothetice argumentamur, non inquirentes, qui ritus sacri prius apud gentiles usurpati fuerint. Constat, ritus praecipuos, videlicet sacrificia, primum viguisse apud veri Dei cultores, et inde translatos esse ad idololatriam veri Dei cultu posteriorem. Gen. 4, 3. 4. Quod de sacrificiis constat, id de nonnullis aliis ritibus valere merito infertur. Ex eo, quod apud alias gentes antiquas ritus affines in usu fuerint, male quidem concluderetur, eosdem traductos esse ad Hebraeos; attamen si factum fuisset, non sequeretur, quod adversarii intendunt.

Probatur 1. *e Dei dominio hominum perversitate non imminuendo.* Ritus assumptio nihil est aliud nisi rei ad aliquid designandum destinatio. Ritus enim est res vel actio, qua significatur aliquid sacrum. Jam vero domini est, rebus suis signi rationem tribuere, ut domini est, rebus imponere nomina, quae non sunt nisi signa. Nemo dixerit, si gentiles aut rebus creatis aut actionibus quibusdam perversam tribuerint significationem, Deum aut privari jure, aliam iis tribuendi significationem, aut dedecere, in sui cultum revindicare quo abusi sunt homines.

Imo ipse finis perversus, quem rerum usu prosecuti sunt homines, ratio esse potest, cur Deus in sui servitium convertat, quod sibi quodammodo ereptum erat; praeterquam enim quod dominium supremum exercet, simul suam manifestat sapientiam, qua ipse hominum perversitate ad fines suos attingendos utitur. Hac ratione egit in artibus, quae, a filiis hominum inventae (Gen. 4, 21. 22), in Dei servitium conversae sunt. Hanc agendi rationem imitandam duxerunt Christiani, idolorum templa in veri Dei cultum convertentes.

2. *e sanctificatione rebus denuo impertienda.* In Dei cultum convenienter assumitur illud, quod ipsa assumptione a significatione perversa forte indita mundatur et significatione sancta donatur sive sanctum efficitur. Id accidit, si ritum a gentilibus hucusque adhibitum Deus in sui cultum convertit. Dei enim voluntas, qua rei vel actioni novam significationem tribuit, praevalet voluntati, qua homines perversam significationem addiderant. Si enim „omnis creatura sanctificatur per verbum Dei et orationem“ (1. Tim. 4, 5), multo magis sanctificatur ipsius Dei assumptione, praesertim quum rei abusus pristinus non sit aliquid ei inhaerens, sed aliquid in hominum mente situm et externe quasi illam respiciens.

Hoc argumento *Origenes* usus est contra Celsum objicientem, etiam apud alias gentes usurpari circumcisionem. Ostendit, causam esse diversam, hinc etiam diversam esse circumcisionem, spectata videlicet significandi ratione. „Non eadem, inquit, ejus usurpandae causa est apud Judaeos, quae apud Aegyptios aut Colchos. Ex quo efficitur, non eandem esse circumcisionem. Quemadmodum enim ex eo, quod quis eadem ratione sacra facit, non eum sequitur eidem sacra facere, aut eidem offerre preces, qui eadem in precibus postulat: sic etiam si quis circumcidatur, minime consequens est, ejus circumcisionem ab alterius circumcisione non discrepare. Diversum enim propositum, diversa lex, diversum circumcidentis consilium faciunt, ut diversa sit etiam circumcisio". Cont. Cels. V, n. 47.

3. *ex hominum jure non infringendo.* Si ob hanc solam causam, quod ritus aliquis a gentilibus usu perverso depravatus est, Deus eundem ritum in sui cultum convertere non posset, genus humanum privari posset colendi modo, qui eidem maxime accommodatus est ejusdemque desiderio maxime respondet. Homo nimirum sensa sua exprimere cupit signis, quae ad significationem naturalem maxime accedunt sive quae maxime apta sunt ad significationem, quae libero quidem arbitrio nitatur, recipiendam. Hinc est, ut homines ad genua illius, a quo beneficium aut veniam flagitant, accidant, quod ipsa vox *supplicandi* significat. Hinc etiam homo maxime propendet, ut oblationibus et sacrificiis testetur, se suaque omnia, ut a Deo proficiscuntur, sic ad Deum esse referenda. At vero si omnis qualiscunque cum gentilium ritibus similitudo vitanda erat, Israelitis non licuisset res quascunque offerre Deo; nam et gentiles offerebant. Nec responderi potest, licuisse saltem offerre res dissimiles. Nam haec in donis ipsis et in sacrificiis oblatis dissimilitudo specifica non sustulisset similitudinem generícam: fruges oblatae semper constituebant oblationem, licet dissimilem ob fruges dissimiles; et ablutio semper erat ablutio, licet forte alio modo fieret.

Dicendo, Dei legatum Moysen ritus quosdam a gentilibus exerceri solitos in Dei cultum convertere potuisse, praevenimus *objectionem*, quae peti potest e prohibitione rituum gentilium vel etiam judaicorum, qua Christiani nunc tenentur. Etenim quod auctoritate privata vel humana fieri nequit, id recte fit auctoritate publica vel divina. Actio de se indifferens si ad significandum assumitur, conferri potest cum sono indifferenti, qui ex eo, quod ad ideam aliquam significandam assumitur, vocis rationem acquirit. Jam notionem sono alicui e communi usu inditam non quilibet homo privatus demere aut in aliam convertere potest. Utrumque autem potest auctoritas publica, videlicet communis hominum usus sive consuetudo. Simili modo actio de se indifferens communi alicujus populi usu ad cultum falsum eumque solum determinata ab hac significatione avelli non potest unius vel paucorum voluntate, i. e. auctoritate privata; potest autem auctoritate publica, imprimis divina.

295. Pars II. Legis caeremonialis finibus non adversatur, inter tot ritus, gentilium ritibus oppositos, veri Dei cultui destinare

ritus aliquos, qui etiam a gentilibus usurpantur. Triplex enim finis ritibus praepositus attingi potest, etiamsi aliqui assumantur, qui etiam apud gentiles in usu sunt.

Probatur 1. *e fine reverentiam exhibendi.* Finis Deo reverentiam exhibendi attingi sane potest ritibus de se idoneis, licet religio falsa ad fines perversos iisdem abusa sit. Ritus quo Deo supremo Domino maxime exhibetur reverentia et adoratio, est sacrificium. Sacrificandi ritus deprehenditur apud omnes gentes, quaecunque demum hujus diffusionis dicatur causa. Certe hic ritus ad supremum veri Dei dominium significandum idoneus esse non cessabat, ex quo et Aegyptii sacrificarent diis falsis. Quod de sacrificiis, idem de oblationibus dicendum, quum homo natura ipsa ad gratum animum donis et oblationibus exhibendum impellatur. Idem denique de ablutionibus sentiendum, quae apud varias gentes usurpantur; munditiae enim corporali studendo homo indicare apte et fovere potest interioris munditiae studium et desiderium.

2. *e fine Israelitas separandi.* Cum fine Israelitas separandi et contra idololatriam praemuniendi subsistere poterat adoptio rituum nonnullorum.

a. Quum populo plurimi imponerentur ritus alii gentibus adversantes, securius permitti vel statui poterant ritus nonnulli apud gentiles usurpati, praesertim si hi ritus natura sua ad devotionis sensus fovendos vel ad alios fines optime accommodati essent.

b. Ritus et usus iidem, quibus Israelitae ad unam alteramve gentem accedere videbantur, poterant esse hujusmodi, ut iisdem ab aliis iterum gentibus distinguerentur. Poterat praeterea singularis adesse ratio, ut quod apud unam alteramve gentem in more positum esset, Israelitis lege sacra injungeretur. Huc referri potest abstinentia a carne suilla. Aequum erat, ut Israelitae non carerent excellentiae signo, quo nonnullae aliae gentes gauderent. Novimus enim, gentes plures a carne porci tamquam animalis minus mundi abstinendum duxisse. V. *Bocharti* Hierozoicon tom. I, l. II, c. 57.

c. Eo ipso quod ritus quosdam, ad quos propendebant, jam ut a Deo praescriptos exercebant, Israelitae non amplius cupiebant se conjungere gentibus, quibuscum eos in falsorum numinum cultum exercerent; eorum enim desiderio ratione legitima satisfactum erat. Hanc fuisse unam e causis, cur Deus tot sacrificia instituerit, post Patres non paucos docet s. *Thomas:* „Praecepta, inquit, de sacrificiis non fuerunt data populo Judaeorum, nisi postquam declinavit ad idololatriam, adorando vitulum conflatilem; quasi hujusmodi

sacrificia sint instituta, ut populus, ad sacrificandum promptus, hujusmodi sacrificia magis Deo quam idolis offerret." 1, 2, q. 102, a. 3. c.

Patet, hanc rationem nihil commune habere cum sententia *Spenceri* dicentis, populo concessa esse quae per se sint mala sive idololatria infecta. Ritus enim sive actiones de quibus agitur, aut in se bonae sunt aut indifferentes.

S. *Hieronymus* illo argumento usus est scribens: „Potest et hoc dici, quod ante offensam (Israelitae) decalogum tantum acceperint, post idololatriam vero et blasphemiam multiplices legis caeremonias, ut Deo potius offerrent victimas, quas daemonibus offerebant". Comment. in Ezech. 20, 23. 24. Alii Patres, ut s. *Epiphanius* (haer. 66, n. 71), magis etiam hanc rationem urgent et quidem adeo, ut nonnulli existiment, eosdem vix conciliari posse cum Scriptura, quae ante idololatriam Deo sacrificia oblata esse testatur. At vero facile conciliantur, quum nolint dicere, nulla omnino fuisse sacrificia ante idololatriam, aut nulla ab ipsis Israelitis oblata esse ante defectionem in deserto; docent tantum, rituum et sacrificiorum *multitudinem* non fuisse a Deo praeceptam ante vituli aurei cultum, et hunc illius multitudinis praeceptae occasionem fuisse.

d. In ipsis ritibus adhibitis, qui etiam apud gentiles usurpati fuisse dicuntur, talis fieri poterat mutatio, ut Hebraei etiam per ritus in se spectatos aliqua ratione distinguerentur. Facta est mutatio in sacrificiis, quum Hebraei non easdem cum gentilibus victimas offerrent. Poterat fieri et in aliis ritibus, et revera passim factam esse ex eo concludere licet, quod Hebraeorum ritus lege caeremoniali tam accurate circumscripti et definiti essent.

Satis constat, *circumcisionis* ritum non eundem omnino fuisse apud Hebraeos et apud Aegyptios. Hebraeis enim communis erat; apud Aegyptios illis solis qui litteris aut sacris operam daturi essent, adhibebatur. *Origen.* in ep. ad Rom. c. 2. *Euseb.* Praepar. evang. IX, 27. Apioni, Grammatico Alexandrino, qui Judaeos irridebat, quod circumcisionem usurparent et a carne suilla abstinerent, Flavius Josephus exemplum exhibet sacerdotum Aegyptiorum dicens: „Illi et circumciduntur omnes et porcinis abstinent carnibus. Sed neque ullus alter Aegyptiorum cum eis sacra diis facere dignoscitur". Cont. Apion II, n. 13. Non octavo die, sed undecimo aetatis anno apud Aegyptios pueri circumcidebantur. S. *Ambros.* de Abrah. II, c. 11. In ipso porro circumcidendi modo discrimen intercedebat, sicut et finis erat diversus. S. Thom. 1, 2, q. 102, a. 5, ad 1.

Quod de ritibus, idem dicendum de *instrumentis*, imprimis de arca foederis. Haec enim tum figura tum destinatione multum differebat ab Aegyptiorum sacro scrinio, quod in monumentis exhibetur. Scrinium Aegyptiacum navi vehi fingebatur, atque ita in mentem revocabat solem deum, qui navi sedens per aethera ferri et in orcum demitti credebatur. Arca foederis navi imposita non erat. Navis illius aegyptiacae pars extrema utraque in bovis caput desinebat, et hinc idolum referebat; nihil simile in arca foederis. Scrinio inclusa erant symbola, quae generationem respiciebant et ut sacra colebantur; arca foederis non erant inclusa nisi decalogi tabulae. Unde patet, dissimilitudinem inter arcam foederis et scrinium Aegyptiorum majorem fuisse quam similitudinem. Similitudo in eo

tantum erat, quod arca utraque vectibus suppositis a sacerdotibus aut sacris ministris gestaretur. V. *Bähr,* Symbolik des mos. Cultus I. Bd. p. 405.

3. *e fine figurandi.* Finis praefigurandi bona promissa sive Christum obtineri poterat ritibus e gentilium usu admissis. In rebus enim hujusmodi duo sunt consideranda: naturalis aptitudo, qua res in signum assumi possit; dein ipsa rei assumptio. Naturalis autem aptitudo est e Deo auctore naturae, nec ulla est ratio, cur Deus sibi non revindicet, quod pravus hominum usus ei abstulerat. Porro actualis significatio, quam gentiles rei alicui indiderunt, non ita ei inhaeret, ut a Deo aliam significationem imponente non tollatur. Unde sequitur, supremo Dei dominio congruere, ad aliquid divinum significandum uti re, qua abusi fuerant gentiles. Neque Deus, ut aliquibus visum est, si hujusmodi ritus eo quo dictum est modo adscisceret, „ex daemonis officina, ex ethnicorum superstitione lineamenta mutuaretur; quibus Christi salvatoris, mysteriorum ejus, atque rerum spiritualium ad regnum et fideles ejus pertinentium figuras et imagines adumbraret". Nihil mutuaretur, sed quod suum est revindicaret.

296. ***Scholion.*** Quod de ritibus dictum est, suo etiam modo applicari potest *doctrinis moralibus et praeceptis*. quae in antiquioribus Aegyptiorum monumentis leguntur et quibusdam praeceptis per Moysen traditis similia sunt. Huc potissimum spectant, quae homicidium, furtum, adulterium aliaque peccata vetant, ut et praecepta specialia, quae in libro, qui dicitur funebris, commemorantur. V. S. *Birch,* Egypt from the earliest times, p. 49. *Bunsen.* Egypts Place in universal History vol. V. The funereal Ritual, translated by S. *Birch.* Chap. 125. *Pleyte,* Etude sur le chap. 125 du Rituel Funéraire. Attamen quum praecepta et veritates hujusmodi naturale rationis lumen non excedunt, non est ratio asserendi, ea ita fuisse antiquiorum Aegyptiorum, ut non fuerint totius generis humani et ipsius humanae naturae. Quod si ita est, necesse non fuit Moysi ea ex Aegyptiorum sapientia depromere. Porro etsi ea ex illa sapientia, in qua eruditus erat, primum hausisset, nondum sequeretur, eadem non fuisse proposita Dei auctoritate. Aliud enim est, quid expediat quomodocunque cognoscere, aliud, quod cognitum est, Dei auctoritate praescribere. Demum etiamsi illa Aegyptiorum sapientia continuisset quaedam, quae, e revelatione divina quomodocunque primum hausta postea in legem per Moysen promulgatam inserta fuissent, nonnisi id sequeretur, Deum, qui legem suam integram modo solemni dedit Israelitis, aliquas ejusdem doctrinas antea jam aperuisse gentibus. (Card. *Newman,* Discussions and Arguments on various subjects. London 1878. pag. 211). Confirmari haec sententia potest ipsius s. *Augustini* auctoritate, quum doceat, „non incongrue credi, fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium (incarnationis) revelatum est". De civ. XVIII, 47. Quod de hoc mysterio, id aeque de aliis doctrinis sentiendum est. Caeterum quum Moysis doctrina fundamentalis, quae est de Deo uno rerum omnium creatore, adeo adversetur multiplici Aegyptiorum superstitioni, ex hoc jam capite concludendum est, eum minime opus habuisse ut Aegyptiorum fontes adiret.

Liber III.

De religionis christianae veritate demonstrata ex ejusdem per ipsum Christum Dei Filium institutione.

Disputationis scopus.

297. Vera est religio christiana, si talis est, qualem se esse affirmat i. e. divinitus revelata et instituta. Est autem religio christiana non hoc solum sensu divinitus revelata et instituta, quod e divina veteris T. religione industria humana sit evoluta, quemadmodum juxta quosdam Rationalismi sectatores universe superior et perfectior religio ex imperfectiore emergit et elicitur industria humana. Quod si esset, religio christiana *mediate* tantum sive virtualiter divina et supernaturalis dicenda foret. Religio christiana etiam in seipsa spectata dicenda est divinitus instituta, quia Deus, quae in religione antiqua ut in germine concluserat aut ut umbra delineaverat, ipse evolvit, revelavit, instituit, perfecit. Quod ut demonstretur factum esse per Jesum Nazarenum, triplice eum titulo insignitum fuisse ostendemus, videlicet legati divini, Messiae, Dei Filii; qui tituli certo constant e miraculis et vaticiniis per eum editis, quorum notitiam e novi T. libris praecipue, non tamen unice haurimus.

Caput I.

De fontibus religionis christianae ortum testantibus.

298. Revelationis christianae adversarii ab ultimo praesertim saeculo omnem moverunt lapidem, ut librorum sacrorum auctoritatem convellerent, quasi hac convulsa simul etiam destructa essent religionis christianae fundamenta. Juvat ostendere, hoc tam falsum esse, quam est verum, sacrorum librorum auctoritatem illorum conatibus nullum cepisse detrimentum. Scriptura sacra sine dubio fons est, quo religionis christianae origo divina maxime illustratur; sed non est fons unicus. Quae Evangeliis singillatim narrantur,

summatim exhibentur et confirmantur aliis quoque fontibus atque ita novis argumentis religionis veritas illustratur. Fontes quos diximus praeter sacros triplicis sunt generis, alii domestici sive christiani, extranei alii, et hi quidem tum Judaeorum tum gentilium.

Articulus I.

De fontibus sacris.

Fontes sacri constituuntur libris novi testamenti inspiratis, quorum auctores sunt apostoli eorumque discipuli. Liber divinitus inspiratus etiam historica pollet auctoritate, et de hac sola interim agitur. Libros qui in ecclesia censentur sacri, ab apostolis eorumque discipulis suam trahere originem sive esse genuinos, ideoque utpote a testibus idoneis conscriptos, historica praestare veracitate, eosdemque integros ad nos pervenisse, disciplina propria sive introductione in sacram Scripturam singillatim probant exegetae. Nos hoc loco nonnisi summam eorum, quae demonstrare solent, colligimus.

Sacrorum librorum auctoritas sive veracitas historica duplice ratione demonstrari potest: primum universe tantum spectando testimonium, quod eisdem a populo christiano sive ab ecclesia redditur; dein efferendo et perpendendo singillatim momenta sive argumenta, quibus testimonium illud universale nititur.

299. I. Ut profanorum scriptorum auctoritas aliorum testimonio, ita etiam sacrorum veracitas historica comprobatur et quidem testimonio totius populi christiani. Hujus autem testimonii vis augetur adjunctis, quae ostendunt, fidem de horum librorum auctoritate non temere fuisse conceptam, sed multiplice examine partam, et quidem tali, quo non tantum eorum veracitas, sed etiam indoles sacra comprobanda esset.

a. Id ostenditur discrimine facto inter libros, pro quorum auctoritate militabant argumenta tam aperta, ut statim omnium consensum raperent, et alios, quorum auctoritas nitebatur argumentis, quae non statim ab initio, sed solum uberiore instituta disquisitione omnium dubia solverent.

b. Idem ostenditur discrimine facto inter libros ab ipsis apostolorum discipulis conscriptos. Non enim eadem auctoritas omnibus attributa est. Aliorum, ut Marci et Lucae scripta, in sacrorum librorum censum relata sunt; aliorum, ut Clementis Romani, licet eorum veracitas agnosceretur, tamen in sacrorum librorum catalogum admissa non sunt; praeterea auctoritas scriptorum nonnullorum, licet apostolici viri nomine ornarentur, ut sunt Hermae Pastor et epistola illa, quae Barnabae nomine insignitur, semper in ambiguo posita censebatur. Haec omnia demonstrant, quam diligenti examini libri sacri sint submissi.

c. Ostenditur idem continuo ecclesiae conatu rejiciendi scripta apocrypha, sive ab haereticis sive ab hominibus curiosis composita, plerumque apostoli alicujus nomine praenotata, quae libros genuinos, praesertim evan-

gelia imitarentur. Ut enim in populo israelitico falsi surgebant prophetae, qui veros prophetas imitarentur et mentirentur, ita in populo christiano falsi surgebant evangelistae. Horum tentaminibus non est obscurata, sed magis illustrata evangeliorum auctoritas, quum ecclesiae occasionem praebuerint identidem proclamandi illud suum principium, non esse recipiendos libros, nisi qui ab apostolis essent traditi.

Ecclesiae hac in re testantis auctoritatem magnopere effert *Tertullianus* Marcionem refellens. De Lucae evangelio locutus ita prosequitur: „Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum caeteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent. Capit [— obtinet, solet] magistrorum videri, quae discipuli promulgarint". Cont. Marc. IV, 5. Paulo ante dixerat: „Nobis fidem ex apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant". IV, 2.

300. II. Populi christiani sive ecclesiae testimonium ipsum gravissimis nititur fundamentis cuivis patentibus. Fide enim digna sunt scripta, quae auctores habent viros, quorum et scientia et voluntas verum testandi indubia est, et quae integra (non corrupta) ad nos pervenerunt. Tria haec constant de scriptis N. T.

301. 1. Indubia est auctorum scientia.

Auctores enim sunt apostoli vel viri apostolici, qui scripserunt de factis coaevis, quibus interfuerunt vel quae coaevorum testimonio facile cognoscere poterant, qui insuper veracitatis testimonium acceperunt a viris, qui et ipsi factis eisdem interfuerunt, vel eadem aliorum relatione nosse poterant.

a. Quod diximus, constat auctoritate testium antiquissimorum, et primum quidem catholicorum. S. *Irenaeus,* circa a. 130 in Asia minore natus, adolescens cum s. Polycarpo Joannis Ev. discipulo conversatus (Euseb. h. e. V, 20) et doctrinae christianae originem fontesque optime edoctus, post s. Pothinum (177) electus episcopus lugdunensis, plura testimonia affert e Matthaei, Marci, Lucae, Joannis evangelio et demonstrationem concludit: „Neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse evangelia". Cont. haer. III, 11, 8. Plurima etiam affert testimonia ex apostolorum epistolis.

In fragmento *Muratoriano,* cujus scriptor circa tempora Pii I. Pontificis (142—157) vixit, exhibetur ecclesiae Romanae canon. Mentio fit evangelii „tertii", scilicet Lucae (initium deest) et „quarti", scilicet Joannis; similiter actuum apostolorum, epistolarum etc. Vid. *Cornely,* Compend. append. I. *Migne* P. lat. t. 3, p. 134.

S. *Justinus* eorundem evangeliorum mentionem facit circa a. 150 ita scribens. „Apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt". De eucharistiae institutione sermo est. Dein ad Christianorum conventus describendos pergens: „Solis die . . . commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur". Apol. I, n. 66. 67.

S. *Polycarpus,* qui teste Irenaeo (III, 3, 4) „non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis ecclesia constitutus episcopus", in sua ad Philippenses epistola occasione data profert locos

e Matthaei evangelio et Lucae, ex actibus, ex pluribus apostolorum epistolis. Cf. Ed. Hefele.

S. *Ignatius* martyr in epistolis saepe alludit ad varios locos, aliquando et ipsa verba affert, ut illud evangelii (Mtth. 19, 12): „Qui capere potest, capiat". Smyrn. 6. Idem dicendum de *Clemente* Romano (ep. I, c. 46), sicut et de epistola *Barnabae* (5).

Antiquissimus et quidem ad ipsum saeculum primum, quantum videtur, pertingens auctor *Doctrinae duodecim apostolorum* pluries affert quosdam locos ex evangelio s. Matthaei; ut quum c. 8. monet: „Nolite orare sicuti hypocritae, sed sicut Dominus praecepit in suo evangelio, sic orate: Pater noster qui es in coelo" etc. Oratio Dominica hic affertur in omnibus fere ad verbum conformis textui Mtth. 6, 7—13. Verba: „sicut Dominus praecepit in suo evangelio" denotant librum, quo haec precandi formula contineatur, non solum formulam in se spectatam. Postquam (c. 9) dixit: „Nemo manducet neve bibat ex vestra eucharistia, nisi qui baptizati sunt in nomine Domini", addit: „Circa hoc enim Dominus dixit: Nolite sanctum dare canibus". Cf. Mtth. 7, 6.

Auctor epistolae Barnabae, quae saeculo primo exeunte vel saeculo secundo ineunte scripta censetur, sententiam, quae apud Matth. 20, 16; 22, 14 legitur, ita adducit: „Si post tanta signa et prodigia, quae facta sunt in Israel, videritis nihilominus illos derelictos esse: attendamus, ne quando, sicut scriptum est (*ὡς γέγραπται*) *multi vocati, pauci vero electi* inveniamur". c. 4. Ed. Funk. F. Citandi formula ostendit, verba non e traditione esse hausta, sed e Scriptura nota.

Evangeliorum scriptores Christo coaevos fuisse confirmatur evangeliis ipsis. Scriptores enim manifestant plenissimam non tantum regionis, in qua res gestae sunt, sed et temporis illius cognitionem, nihilque est, quod posterioris temporis scriptorem prodat.

b. Idem constat haereticorum testimonio, qui licet variis de causis ab ecclesiae doctrina deviarint, doctrinae tamen fontem sincerum judicarunt, quamquam truncantes et resecantes illa, quae ipsis displicebant.

Tatianus, s. Justini discipulus, postquam ab ecclesia ad gnosticos defecit, quatuor evangelia in unum collegit (*εὐαγγέλιον διὰ τεσσάρων*) rejectis genealogiis et quae Christi ortum humanum docent. Quatuor igitur evangeliorum fontem apostolicum fatetur et testatur.

Ut Tatianus, ita etiam haeretici alii, evangelia ipsa quidem receperunt, attamen eorum partes rejecerunt, ut *Irenaeus* exemplis confirmat. Quanti momenti id sit, s. martyr his exprimit verbis: „Cum ergo hi, qui nobis contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio". III, 11, 7.

302. 2. Indubia est scriptorum verum dicendi voluntas.

Res ipsae, quas narrant, testantur sincerum eorum animum. Celso hunc eorum animum in dubium vertenti optime respondet *Origenes:* „Nisi sinceri et bona fide fuissent, de abnegatione Petri, de discipulorum scandalo, nunquam fecissent mentionem. Nam etsi haec acciderint, quis ita accidisse probasset? Quin et hujusmodi facta praetermitti oportebat, siquidem evangelii lectores docere vellent, contemnendam esse mortem, cum agitur de Christianismi professione. Sed quum scirent, vi atque virtute sermonis homines devictum iri, haec memorare non dubitarunt". Cont. Cels. II, 15. Addi potest, ipsam in rebus narrandis, quae videtur, licet

revera non sit, diversitatem, quum contradictionis mutuae speciem praebere posset, evitandam fuisse a scriptoribus, qui decipiendi animo ducerentur. Narrandi modus simplex ac nullatenus fucatus animi sinceri et solius veracitatis studiosi index et argumentum est. Notant id apologetae pristini, inter quos *Arnobius* ethnicos contradicentes ita perstringit: „Sed (inquiunt) ab indoctis hominibus et rudibus scripta sunt, et idcirco non sunt facili auditione credenda. Vide ne magis haec fortior causa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, mente simplici prodita et ignara lenociniis ampliare. Nunquam enim veritas sectata est fucum, nec quod exploratum et certum est, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem". Adv. gent. I, 58. Denique quamvis in rebus narrandis, quae coram solis discipulis acciderant, fingere, si voluissent, fortasse potuissent, tamen in plerisque, quas narrant, palam videlicet et coram populo gestis, nec si voluissent, fingere potuissent. Tempore enim quo scribebant, multi eorum, qui rebus ipsi interfuerant aut ex aliis testibus easdem perceperant, superstites erant. Neque quod dicimus, nude supponitur. Non enim accidere non poterat aliis, quod Polycarpo et sibi ipsi accidisse testatur s. *Irenaeus* ad Florinum scribens, se memoria tenere, quae adolescens audierat e Polycarpo: „adeo ut, inquit, et locum ipsum possim dicere, in quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat . . . sermones denique, quos ad populum habebat, et familiarem consuetudinem, quae illi cum Joanne, ut narrabat, et cum reliquis, qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat; et qualiter dicta illorum commemorabat, et quaecunque de Domino ab eisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina, prout ab iis, qui Verbum vitae ipsi conspexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens". *Euseb.* h. e. V, 20.

303. 3. Indubia est librorum integritas in rebus, quae ad historiae et doctrinae substantiam pertinent.

a. Concludere id possumus *a priori* perspecta Christianorum diligentia in iisdem conservandis et transmittendis. Hujus diligentiae exemplum praebet monitum, quod s. Irenaeus ad calcem libri cujusdam a se conscripti addidit. „Adjuro te, inquit, qui transcripseris hunc librum, per Dominum nostrum Jesum Christum et per gloriosum ejus adventum, ut conferas quod transcripseris et diligenter emendes ad exemplar, ex quo transcripsisti, utque adjurationem istam similiter exscribas et codici tuo inseras". Eusebius, qui haec verba refert (H. e. V, 20), addit, pulcherrimum hoc esse exemplum exactissimae diligentiae, qua conspicui fuerint prisci illi patres. Si vero tanta erat diligentia in describendis libris non sacris, quantam fuisse existimamus in sacris. Haec autem diligentia exacuebatur, ex quo haeretici scripturas sacras truncare tentaverant. Eos hoc faciendo non latuisse, novimus ex eodem s. Irenaeo, qui quid singuli suppresserint, accurate indicare novit.

b. Minime corrumpi poterant libri, ex quo tempore in alias etiam linguas versi sunt. Novimus, medio jam saeculo II. integrum novum Testamentum syriace fuisse conversum; eodem aut potius I. jam saeculo versionem latinam fuisse in usu, e variis testimoniis concluditur. *Cornely*, I, p. 359 seq.

c. Librorum integritas confirmatur Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, qui eos commentati sunt, testimonio. Ex eorum enim operibus discimus, quid ipsi legerint in Scripturis sacris.

d. Exstant codices graeci duo, alter vaticanus, qui saeculo quarto ineunte vel medio, alter sinaiticus, qui eodem saeculo descriptus notis certis judicatur. Horum codicum, ut et aliorum ad saeculum sextum pertingentium consensus cum libris sacris, quos hodie legimus, manifesto testatur nostrorum librorum integritatem. *Cornely*, I, 301.

Articulus II.

De fontibus christianis a s. Scriptura distinctis.

Propositio 78. *Religio christiana, sive doctrinae spectentur sive facta, quae ejus originem divinam demonstrant, magnam partem praedicatione seu vivae vocis ministerio ab apostolis eorumque discipulis divulgata et transmissa est, et quidem ita ut ex illa praedicatione vel sola revelationis christianae existentia certo cognosci potuerit et etiamnum possit.*

304. Res eadem potest esse et factum, quo religionis christianae origo divina demonstretur, et doctrina credenda. Christi resurrectio est et argumentum, quod religionem christianam divinam demonstrat, et doctrinae caput fide divina credendum. Prout auctoritate humana vel auctoritate quae tantum humana censetur, admittenda proponitur et intelligentia naturali vera judicatur, est argumentum demonstrans. Prout auctoritate divina proponitur ut fide divina credenda, est doctrina credenda sive fidei objectum.

305. Pars I. Religionem praedicatione transmissam esse indubium est.

Probatur 1. *e vivae vocis magisterio primum vigente solo.* Ipsi religionis christianae inimici, qui Evangelia aliaque scripta genuina et veracia esse negant, id fatentur. Affirmant enim, licet falso, illa secundo demum saeculo composita esse. Illo autem tempore, ut non christiani tantum, sed ipsi etiam gentiles testantur, religio haec longe lateque divulgata erat; ergo secundum adversarios praedicatio ad eam demonstrandam sufficiebat.

Caeterum, ut rescindamus, quod nimium asserunt illi, constat, primis annis non fuisse Evangelia aliaque scripta, apostolos tamen collegisse magnam multitudinem credentium in Jesum Nazarenum, qui morte affectus, vivus e sepulchro prodiisset et aliquando mundum judicaturus esset. Vivae igitur vocis praeconio religionis christianae fundamenta isti didicerant. Evangelistae ipsi testantur, se non scribere ad religionem christianam primum divulgandam, sed ad eam animis credentium profundius inserendam. Ita s. Lucas: „ut cognoscas, inquit, eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem". 1, 4.

His consonat, quod refert *Eusebius:* „Tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant (Romae), ut parum haberent semel audisse, nec con-

tenti essent, coelestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse, sed Marcum, Petri sectatorem, cujus hodieque exstat Evangelium, enixe orarunt, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii exstitissent". H. e. II, 15. Similiter et Joannes, teste *Hieronymo*, „novissimus scripsit evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum aliosque haereticos". De viris illustr. c. 9. Quanti momenti creditum fuerit vivae vocis ministerium, Eusebius et alibi exponit scribens: Apostoli „adjuvantis ipsos Spiritus sancti demonstratione et virtute Christi, quae per ipsos plurima perpetrabat miracula, tantummodo utentes, notitiam regni coelorum orbi terrarum nunciabant. Neque curae illis erat libros scribere, quippe qui longe praestantiore ministerio et supra humanas vires posito fungerentur. Paulus certe, qui inter omnes apostolos et verborum apparatu et sententiarum pondere facile praestabat, praeter paucissimas epistolas nihil omnino scriptum reliquit". H. e. III, 24.

2. *ex institutione baptismo praemitti solita.* Ante baptismum requirebatur fides ejusque professio, et quidem fides implicita in totam doctrinam Christi, explicita in praecipua ejus capita. Haec autem fides nec concipiebatur nec concipi poterat nisi expositis prius praecipuis fidei capitibus simulque praecipuis religionem christianam demonstrantibus argumentis; unde haec simul cum praecipuis fidei capitibus exposita fuisse et concludendum est et testimoniis sufficientibus probatur.

Quod factum est a Philippo, postquam Aethiopi eunucho Isaiam prophetam exposuit, dein baptismum flagitanti respondit: „Si credis ex toto corde, licet" (Act. 8, 37), id regulae instar servatum est inde ab initio. Testatur id s. *Justinus* scribens: „Quomodo autem nos Deo consecraverimus renovati, id quoque exponemus. Quicunque persuasum habuerint et crediderint vera esse, quae a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint, ii precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Dein eo ducuntur a nobis ubi aqua est . . . Nam in nomine parentis universorum ac Domini Dei ac Salvatoris nostri et Spiritus sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt . . . Vocatur autem lavacrum illud illuminatio, eo quod mente illuminentur, qui haec discunt. Sed et in nomine Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, et in nomine Spiritus sancti, qui per prophetas omnia ad Jesum spectantia praenunciavit, is qui illuminatur, abluitur". Apol. I, 61.

Postea de diserta fidei professione baptismo praemitti solita haec addit: „Nos autem postquam eum, qui fidem suam et assensum doctrinae nostrae testatus est, sic abluimus, ad eos qui dicuntur fratres, deducimus" etc. 65.

306. **3.** *e regula fidei sive symbolo.* Inde ab apostolicis temporibus in ecclesia tradebatur quaedam fidei regula sive formula complectens praecipua christianae doctrinae capita et quidem inter haec etiam illa, quae spectant Christi ortum, mortem et resurrectionem; vulgata igitur etiam absque scriptis libris religionis christianae cognitio.

Necessariam fuisse communem fidei formulam colligitur ex eo, quod in evangelio diffundendo praeter apostolos laborabant et

alii. Horum quamvis multi donis gratuitis insignes essent, idem tamen non de omnibus constat. Caeterum non tantum hi, sed et illi certa indigebant regula, quum praeter subsidia extraordinaria etiam adhibenda sint ordinaria. Accedebat et haec ratio, quod catechumeni non tantum docendi essent, verum etiam ante baptismum et dein baptismum suscipientes fidem suam profiteri tenerentur. Haec fidei professio ut et baptismus erat actus liturgicus, prout supra (p. 311) ex Justino (Apol. I, 61, 65) ostendimus. Actus autem liturgici teste historia ubique, quantum fieri poterat, uno eodemque modo, una eademque formula persolvebantur.

Fuisse hujusmodi formulam communem sive fidei professionem, eamque cum baptismo conjunctam fuisse, e *Tertulliano* discimus scribente: „Cum aquam ingressi christianam fidem in legis suae verba profitemur, renunciasse nos diabolo et pompae et angelis ejus ore nostro contestamur". De spectac. 4. Quid autem haec fidei professio, quam alio nomine regulam vel fidei regulam vocat, continuerit, ex aliis ejus locis colligimus, inter quos hic est: „Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi conditorem et Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum coelis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos, per carnis etiam resurrectionem". De virgin. veland. c. 1. Atque hoc est ipsum fidei *symbolum apostolicum*, cujus tamen singulas voces, prouti formula continebantur, afferre non intendit; ipsa enim formula, non doctrinae, quae formula continebantur, inter res arcanas numerabatur. Etiam ecclesiae mentionem factam esse in symbolo, ex alio ejusdem scriptoris loco discimus, ubi ejus mentione injecta ait: „quae est mater nostra, in quam repromisimus sanctam ecclesiam". Conc. Marc. V, 4. Quanta cura edoceri consueverint catechumeni, alibi, traditionis non scriptae vim legitimam defendens, ita exponit: „Denique ut a baptismo ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo et pompae et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in evangelio determinavit". De coron. 3. Alibi addit, ab ecclesia Romana symbolum communicatum esse Africanis. „Videamus, quid didicerit, quid docuerit (ecclesia Romana), quum africanis quoque ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit, creatorem universitatis, et Christum Jesum ex virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem". De praescript. c. 36.

Symboli etiam s. *Irenaeus* meminit et quidem ut regulae tum fidei communis tum ecclesiasticae praedicationis. Ostensurus, ecclesiam fideliter inhaerere acceptae ab apostolis fidei, a qua defecisse deprehenduntur haeretici, provocat ad symbolum quamvis non singula ejus verba ex ordine neque sola recitans: „Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt; et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum sanctum, qui per pro-

phetas praedicavit dispositiones Dei, et adventum, et eam quae est ex Virgine generationem, et passionem et resurrectionem a mortuis, et in carne in coelos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, et de coelis in gloria Patris adventum ejus ad recapitulanda [— restauranda] universa, et resuscitandam omnem carnem humani generis". „Hanc praedicationem *(κήρυγμα)* cum acceperit et hanc fidem, ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum habitans" etc. Cont. haer. I, c. 10, n. 1. 2.

Merito s. Irenaeus haereticorum sententiis diversis unitatem praedicationis ecclesiasticae opponit; una enim erat praedicatio et fides. Quamvis enim in variis ecclesiis symboli articulis quibusdam voces nonnullae additae essent, hae non constituebant novos fidei articulos, sed quod brevioribus formulis continebatur implicite, id efferebatur explicite in ecclesiis illis, ubi novae exortae erant haereses, ut *Ruffinus* opportune monet. (De exposit. Symboli n. 2.) Brevior caeteris Romana erat formula eo quod in hac ecclesia nulla orta fuerat haeresis.

Ante s. Irenaeum et Tertullianum *Aristides,* philosophus Atheniensis, religionis christianae apologiam scripsit, quam Eusebio teste (H. e. IV, 3) Hadriano imperatori obtulit in Graecia commoranti (a. 122—126). Libellus interierat; recenti autem tempore tum apud Armenios tum apud Syros repertae sunt partes quaedam apologiae vetustae, quae Aristidis esse creditur, hisque consonans est textus graecus in opus aetatis posterioris insertus. Syriacae versionis interpres anglus, qui varias has editiones exhibet, ostendit, Aristidem, dum christianam fidem exponit, uti ipsis Symboli apostolici sententiis, indeque concludit, ineunte saeculo secundo Symbolum hoc apud Graeciae Christianos in usu fuisse positum.[1])

Maxima haec diffusio una cum testimoniis et rationibus allatis satis ostendit, symbolum hoc ipsis temporibus apostolicis ortum esse, atque hac etiam via religionem christianam innotuisse fidelibus.

Exigui momenti sunt quae ad nonnullos articulos removendos aut genuinum eorum sensum invertendum protulit Adolphus *Harnack.* Contendit, doctrinam in antiquissima formula Romana expressam hisce verbis: „qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine" non esse primitivae praedicationis, quia desit in omnibus

[1]) Textus Armeniacus latine redditus est a Mechitaristis, germanice a Dr. Franc. Sasse (Zeitschrift für kath. Theol. Innsbruck 1879, p. 618. 816), a Dr. Himpel (Theol. Quartalsch. Tüb. 1880, p. 109). Textus graecus insertus legitur in Vitam Barlaam et Josaphat, quae additur ad opera Joan. Damasc. (Migne P. gr. t. 96, p. 1167). Textus syriacus anglice versus est a J. Rendel Harris M. A. Opusculi titulus est: The Apology of Aristides on behalf of the Christians from a Syriac MS. preserved on Mount Sinai. With an Appendix containing the main portion of the original greek text by J. Armitage Robinson, M. A. Cambridge 1891. Symbolum apostolicum e fragmentis illis contextum p. 25 legitur anglice versum, idque ita reddi potest: Credimus in unum Deum omnipotentem, creatorem coeli et terrae, et in Jesum Christum ejus Filium, natum ex Maria Virgine: (clavis) transfixus est a Judaeis; mortuus et sepultus est; tertia die resurrexit; ascendit in coelum, venturus est ad judicandum.

Pauli et generatim N. T. epistolis, nec reperiatur in Marci et Joannis Evangeliis, nec fuerit in communi Evangeliorum fonte Matthaei et Lucae, quia genealogiae Josephum, non Mariam exhibeant, demum quia primitiva Christi annunciatio ab ejus baptismo incipiat. Das apostol. Glaubensbekenntniss, Berlin 1892. At si Jesu ortus e Spiritu s. et Maria Virgine nullis scriptis canonicis exhiberetur, negandum non esset, eum traditum fuisse ab Apostolis, cum aliis monumentis demonstretur, revera traditum fuisse; s. Irenaeum modo audivimus. Praeterea ortus hic diserte consignatur Matthaei (1, 18. 20) et Lucae (1, 35) Evangeliis; gratis vero fingitur, haec ex alio fonte scripto derivata esse eumque de ortu illo siluisse. Marcus et Joannes non memorant ortum, quia non agunt de Jesu infantia, sed a vita Jesu publica incipiunt. In apostolorum epistolis non fieri mentionem ortus a Spiritu sancto, ille tantum mirari potest, qui perperam supponit, apostolos eisdem doctrinae christianae compendium tradere voluisse. Ad Josephum, non ad Mariam, Evangelistae genealogiam deducunt, quia Israelitarum usus patres sive naturales sive legales exhibere solebat. Caeterum non oriri praejudicium ullum contra Jesu ortum per Spiritum sanctum, ipsi Evangelistae Matthaeus et Lucas aperte declarant, dum ille post genealogiam, iste ante genealogiam exhibitam refert, Jesum de Spiritu sancto natum esse.

Missa facimus, quae idem scriptor in alios articulos animadvertit, v. g. in articulum de Spiritu sancto, qui non exhibeatur tamquam persona, sed tamquam donum (quasi etiam persona non possit esse donum); in articulum de „carnis resurrectione", qui nec Pauli doctrinae nec Joannis Evangelio congruat et proin praedicationi primitivae adversetur, quum ille scripserit: „Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit" (1. Cor. 15, 50); et istic legatur: „Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam" (6, 64). Quasi vero in Scriptura caro non intelligatur nisi corpus humanum, nec unquam significet sensum carnalem sive adversantem spiritui, hominis sensui altiori et supernaturali. Sensus carnalis sine dubio numquam possidebit regnum Dei! Cf. Suitbert *Baeumer*, Das apostolische Symbolum, Mainz 1893; Clemens *Blume*, Das apostolische Glaubensbekenntniss, Freib. 1893; *Pastoralblatt*, Köln (Jahrg. 1894), Das apostolische Glaubensbekenntniss.

307. **4.** *testimonio Patrum apostolicorum.* Religionem et facta praecipua, quibus nititur, praedicatione quotidiana transmissa esse, cum eorum memoria adhuc recens esset, testantur scripta patrum apostolicorum sive illorum, qui apostolorum fuerant discipuli. His enim scriptis, licet ex occasione tantum, neque ad primam neque ad plenam religionis christianae notitiam tradendam, composita fuerint, attinguntur eadem, quae symbolo apostolico et praedicatione ordinaria ex instituto proponebantur.

S. *Clemens* Romanus, „qui et vidit ipsos apostolos et contulit cum eis, et cum adhuc insonantem praedicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet, non solus, adhuc enim multi supererant tunc ab apostolis docti" (S. *Iren.* c. haer. III, 3, 3), hic Clemens in ea quam Corinthiis scripsit epistola ad dissensiones quasdam sedandas, mentionem facit tum Christi mortis susceptae pro hominum peccatis expiandis, tum ejusdem resurrectionis. „Dominum Jesum Christum, cujus sanguis pro nobis datus est, veneremur". Ep. I, 21. „Consideremus, dilecti, quemadmodum Dominus futuram resurrectionem continuo nobis ostendat, cujus primitias Dominum Jesum Christum fecit, suscitans eum a mortuis". 24. Quae ab apostolis

fieri conspexerat, ita complectitur: „Missus est Christus a Deo, et apostoli a Christo. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus sancti fiducia egressi sunt, annunciantes regni Dei adventum". 42.

S. *Ignatius* martyr, „Apostoli Joannis discipulus" (Martyrium s. Ign.), in suis ad varios epistolis multus est in inculcandis praecipuis religionis capitibus, quae a Docetis haereticis tunc in malum sensum detorquebantur. „Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster". Ad Ephes. 7. Quo autem sensu ortus e Maria intelligendus sit, paulo post exponit: „Deus autem noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine quidem Davidis, Spiritu autem sancto; qui natus est et baptizatus est, ut passione aquam purificaret". Ib. 18. Alibi praecipua praedicationis apostolicae momenta ita complectitur, ut quasi Symboli apostolici paraphrasin exhibere videatur: „Obturate igitur aures vestras, quum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit et bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus et mortuus est, videntibus coelestibus et terrestribus et subterraneis; qui et vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius, quemadmodum ad ejus similitudinem et nos, ei credentes, Pater ejus ita resuscitabit in Jesu Christo, sine quo veram vitam non habemus". Trall. 9. Simili fere modo et in alio loco: „Glorifico Jesum Christum Deum . . . observavi enim, perfectos vos esse in fide immobili . . . et firmatos in charitate per sanguinem Christi, persuasissimum habentes, Dominum revera esse ex genere David secundum carnem, filium Dei secundum voluntatem et potentiam Dei, natum vere ex Virgine, baptizatum a Joanne, ut impleretur ab eo omnis justitia, vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne. Ex hoc fructu nos sumus per divine beatam (*θειομακαρίστου*) passionem ejus, ut per resurrectionem suam in saecula elevet vexillum pro sanctis et fidelibus suis, sive in Judaeis, sive in gentibus, in uno corpore ecclesiae suae". Ad. Smyrn. 1.

5. Ipsa *cultus communis* et publici ratio erat praedicatio continua illorum, quae religio christiana ut momenta praecipua exhibet, mortis videlicet et resurrectionis Christi.

Dies dominica ipsa, qua conventus agi solebant, in mentem revocabat omnibus praecipuam religionis christianae demonstrationem, Christi ad vitam reditum. Secundum s. *Ignatium* illi, „qui in vetere rerum ordine degerunt, ad novam spem pervenerunt, non amplius sabbatum colentes, sed juxta dominicam viventes, in qua et vita nostra exorta est per ipsum (Christum) et mortem ipsius". Ad Magnes. 9. Similiter s. *Justinus:* „Die solis omnes simul convenimus, tum quia prima haec dies est, qua Deus, cum tenebras et materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Jesus Christus salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit". Apol. I, 67. Itaque diei dominicae celebratio erat fidei in Jesu resurrectionem professio. Etiam vividior exurgebat recordatio e mysterio eucharistiae, cui intererant. Contra haereticos Docetas haec notat *Ignatius:* „Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur, eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater sua benignitate

suscitavit". Ad Smyrn. 7. Et vero non poterat non renovari in mentibus omnium Christi pro nobis mortui memoria, quum illam ad hanc renovandam nossent esse institutam, quod diserte monet s. Justinus. Apol. I, 66. Ipsis canticis communibus religionis Christianae praecipua capita celebrabantur. *Plinio* ad initium saeculi secundi referente Christiani soliti erant „stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere". Ep. X, 96. Carminibus celebratam esse a Christianis Jesu divinitatem et alii testantur. *Eusebius* laudat scriptorem antiquum, qui Artemonem calumniantem, quod usque ad Victorem Pontificem Christi divinitas fuerit ignota, ita refellit: „Psalmi quoque et cantica fratrum, jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo". H. e. V, 28. 308. Pars II. Religio christiana praedicatione ita divulgata est, ut ex hac, etiamsi sola fuisset, divina ejusdem origo certo cognosci potuerit.

Probatur 1. *facto ipso.* Primo tempore, quo, ut diximus, nonnisi viva voce proponebantur illa, quae ad Jesu missionem divinam spectant, religio a plurimis suscepta est. Sed suscepta non est nisi praevia cognitione certa de ejusdem revelatione. Ergo praedicatione sola certo cognosci poterant illa, quibus revelationis christianae existentia demonstratur.

Tali praedicatione et traditione sola gentes multas fidem concepisse Patres docent. S. *Irenaeus* postquam dixerat: „Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias"? ita pergit: „Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes . . Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam et consuetudinem et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt et placent Deo, conversantes in omni justitia et castitate et sapientia". Cont. haer. III, 4, 2.

Objici potest, non nuda praedicatione, sed simul miraculis, quae Apostolorum praedicationem comitabantur, propagatam esse religionem christianam et certo cognitam esse revelationem; unde non videtur dicendum, sufficere solam praedicationem.

Resp. Fatendum est, etiam illis miraculis, quae ab Apostolis eorumque discipulis patrata sunt, religionem esse propagatam. Ex quo saltem id sequitur, praedicatione quotidiana, quam miracula comitarentur, certam revelationis cognitionem hauriri potuisse, neque opus fuisse litteris sacris. Id autem nobis sufficit. Praeterea nemo affirmaverit, ut Apostolorum quoque miraculis religio propagaretur, opus fuisse, ut coram singulis patrarent miracula, neque sufficere potuisse, ut Apostolorum miracula aliorum testimonio cognoscerentur. Si autem miracula ab Apostolis patrata certo cognosci poterant aliorum testimonio, de Jesu miraculis idem dicendum est.

2. *e Christianorum agendi ratione.* Ex apologetarum scriptis constat, Christianos singulariter curasse, ut facta illa, quibus Jesu Nazareni divina missio demonstratur, memoria retinerentur ipsisque gentilibus divulgarentur, et quidem ideo quod censerent, hac cognitione praevia concipi posse fidem.

Exstat locus eximius orationis, quam s. *Quadratus* Atheniensis, primus omnium apologetarum, Hadriano imperatori obtulit (an. 131). „Servatoris, inquit, nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent; ii scilicet qui morbis liberati aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt; adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint". Ita Quadratus apud Euseb. h. IV, c. 3.

Atque ita factum est, ut religio christiana ubique divulgaretur ejusque doctrinae praecipuae passim notae essent.

Testatur id *Origenes* contra Celsum scribens: „Quoniam vero clancullariam vocat nostram doctrinam, etiam in hoc confutandus est, cum illa sit toti orbi magis cognita, quam ipsamet placita philosophorum. Quem enim fugit, Jesum natum esse ex Virgine et suffixum cruci, et quod jam tot homines credunt, illum e mortuis surrexisse, venturum esse judicium, quo injusti meritis supliciis, justi meritis praemiis affici debent?" I, 7.

3. *e natura testimonii humani.* Quod in rebus profanis testimonio hominum ore prolato, id in rebus etiam divinis eodem testimonio effici potest; nam facta divina sive supernaturalia possunt non minus esse sensibilia quam facta mere humana. Novimus autem, testimonio viva voce propagato facta mere humana saepe ita transmitti, ut certo cognosci possint; ergo idem dicendum est, ubi de factis divinis agitur, et de his quidem praecipue, quum ab omnibus censeantur esse maximi momenti.

309. Pars III. E sola praedicatione sine sacris litteris etiam nunc certo cognosci possent religio christiana ejusque fundamenta. Prae oculis habendum est, excludendo libros sacros nos non necessario excludere alios libros historicos, quibus quod Apostoli praedicarunt, ab aliis consignatum et ad posteros transmissum est.

Probatur 1. *facto ipso.* Per saecula integra ad multos saltem homines sola praedicatione viva religio christiana simul cum credibilitatis motivis transmissa est. Nam ratio communissima docendi fideles constituebatur Symboli apostolici exhibitione et explicatione, ut e Patrum operibus abunde constat. Ergo in universum religiosa doctrina ita transmitti etiamnum potest.

2. *Ecclesiastica historia* teste Patres etiam saeculis subsequentibus catholicam veritatem defendentes ad praedicationem non minus quam ad Scripturam sacram provocarunt.

Scriptor antiquus supra (p. 316) laudatus contra Artemonem, qui Christi divinitatem negabat, agens: „Ac fortasse, inquit, quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinae Scripturae; deinde fratrum quorundam scripta, Victoris aetate antiquiora, quae illi adversus gentes et contra sui temporis haereticos pro veritatis defensione scripserunt.

Justinum intelligo et Miltiadem et Tatianum et Clementem aliosque quam plurimos: in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenaei quidem et Melitonis et reliquorum scripta, quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem praedicarunt?" *Euseb.* h. e. V, 28. Christi divinitas credi non potest nisi certo cognitis signis credibilitatis. Cf. *Iren.* III, 4, 1. supra p. 316.

3. *exemplo historiae profanae.* **Quod de eventibus, quos historia profana refert, id etiam de religione christiana illisque eventibus, quibus ejusdem divina origo demonstratur, dicendum est. Historia profana eventus multos licet remotissimos certo refert; ergo etiam historia ecclesiastica sola eventus illos sacros referre poterat, si Evangeliis non fuissent consignati.**

310. *Objic.* His obstare videtur, quod pleraque ad vitam Jesu et christianae religionis primam institutionem spectantia e litteris sacris, pauca tantum e scriptoribus ecclesiasticis novimus; unde concludendum videtur, cognitionem nostram, si sacrae litterae non exstarent, futuram fuisse valde jejunam.

Resp. 1. Imprimis facile admittimus, per sacras litteras nobis exhiberi religionis christianae cognitionem longe uberiorem, quam sine iisdem haurire potuissemus. Attamen non de cognitione ubere, sed de certa et absolute sufficiente sermo nobis nunc est.

2. Ex eo quod nunc pauciora tantum de eventibus illis consignata habemus ecclesiasticorum virorum litteris, minime sequitur, hos tam pauca relaturos fuisse, si sacrae litterae non exstitissent. Norant illi, necesse non esse scribendo consulere memoriae in iis, in quibus ab Evangelistis tam egregie eidem jam consultum esset. Consuluissent autem Christiani ipsi, si non consuluissent Apostoli. Atque haec erat sententia s. *Hermetis* diaconi, qui una cum Philippo Episcopo Adrianopoli pro fide occubuit (circa a. 304). Bassus praeses Philippo inter alia mandaverat: „Scripturas etiam per quas vel legitis vel docetis, obtutibus nostrae potestatis ingerite". Quum episcopus recusans poena afflgeretur, Hermes praesidi respondit: „Etsi omnes Scripturas nostras acceperis, ut nulla prorsus in orbe terrarum vestigia verae hujus traditionis appareant, posteri tamen nostri et paternae memoriae et suae animae consulentes, majora voluminum scripta conficient et vehementius timorem, qui impendendus Christo sit, edocebunt". *(Ruinart,* Acta Mart. Passio s. Philipp. ep.)

Non tamen exigua sunt, quae viri ecclesiastici studiose scriptis consignarunt, quamquam non omnia ad nos pervenerunt. Eusebio teste s. Ignatius martyr „singularum civitatum, quas ingrederetur, ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans, monebat imprimis, ut a pravis haereticorum opinionibus caverent; hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent; quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmans scriptis mandare necessarium duxit". H. e. III, 36.

Objicitur porro, non satis consultum fuisse religioni, si ejus fundamenta non fuissent consignata monumentis omnino certis, ut sunt apostolorum litterae; aliorum autem virorum litteris dubium omne ex animis nostris pelli non potuisse.

Resp. Concedendum imprimis est, cognitioni nostrae certe egregie consultum esse sacris litteris, quippe quae erroris omnis certo sint expertes, dum nullus scriptor ecclesiasticus hoc privilegio gaudet. At negandum est, e plurium testimoniis scriptis non posse hauriri cognitionem certam, etsi singuli seorsum sumpti in errorem labi et falsum referre possunt. Quod enim quotidie accidere videmus, ut pluribus testibus

auditis in eventus cognitionem certam perveniatur, id etiam locum haberet, si plures scriptores ecclesiastici eundem eventum testarentur. Etsi non tot eventuum, quos nunc, cognitionem certam illa ratione compararemus, cognoscere tamen certo possemus tot, quot ad religionem christianam et ad ecclesiam a Christo institutam demonstrandam plene sufficiunt. Demonstrata autem ecclesiae auctoritate constat nobis de regula certa, qua errores excludantur. Et vero librorum sacrorum authentiam et inspirationem e traditione cognoscimus, ut suo loco demonstrandum est. Cur igitur et alia facta cognoscere non possemus traditione, si hac sola essent transmissa?

Articulus III.

De fontibus judaicis.

311. Non defuerunt, qui factis illis, quibus revelationis christianae divina origo potissimum probatur, ideo fidem negandam censerent, quod illa nonnisi e fontibus domesticis et propriis haurirentur. Inanis tergiversatio. Nemo enim populi cujuslibet historiam a pluribus conscriptam ideo fide dignam esse negabit, quod historiographi illi, viri caeteroquin probi et de factis publicis referentes, illius sint populi, cujus conscribunt historiam. Caeterum populi christiani origines non a solis christianis, sed etiam ab acerbissimis eorum hostibus conscriptae sunt, a Judaeis videlicet et a gentilibus. Atque ita veritas non quidem certius sed multiplicius cognoscitur. Unde *Eusebius:* „Licet talium, inquit, hominum (i. e. Apostolorum) de salvatore nostro testimonium nobis abunde satisfacere debeat, tamen nihil me praeter propositum facturum arbitror, si quasi ex abundantia quadam Hebraei quoque Josephi testimonio utar". Dem. evang. III, 5. Et vero, „ex abundantia". Nam ad res christianas optime applicatur argumentum, quo pro rebus judaicis *Origenes* contra Celsum utitur: „Lubens, inquit, ego illum interrogaverim: cur de antiquitate illorum, quos nominatim recensuit, barbarorum et Graecorum historiis adjungit fidem; ut fabulosas autem respuit hujus gentis [judaicae] historias? Nam si eorum quisque summa fide narravit quae ad se pertinebant, cur solis Judaeorum prophetis abrogemus fidem? Aut si Moyses et prophetae in conscribendis Judaeorum rebus suae genti plus aequo gratificati sunt, cur non idem dicemus ab aliarum nationum scriptoribus esse factitatum?" I, n. 14. Porro quamvis inimici nostri facta de quibus agitur, non eo prorsus modo narrent quo Christiani, horum tamen narrationem etiam quum vero substituunt falsum, suo modo confirmant.

Non uno tantum modo populus hebraicus christianae religionis veritatem attestatur. Etenim populus integer qualis hodie existit, Christi et prophetarum praedictionem seipso implet; vindictae divinae deicidio promeritae juge est exemplum; conservando libros, qui prophetarum vaticinia continent, omnem corruptionis suspicionem a Christianis removet. Praeter haec pro veritate christiana argumenta, ex ejusdem populi libris post Christi mortem conscriptis pro eadem re non pauca peti possunt testimonia.

Propositio 79. *Facta quibus religionis christianae divina origo demonstratur, fontibus etiam judaicis quum indirecte tum directe confirmantur.*

Judaei facta quaedam male impugnando, eadem indirecte attestantur; eadem facta ex parte affirmando, etiam directe fatentur, ea locum habuisse.

312. Pars I. *Indirecte* affirmant, Jesum Dei legatum et Messiam sese exhibuisse.

Probatur 1. Jesum signa et prodigia edidisse testantur Judaei, dum ejus rei varias mentiuntur causas.

Teste *Origene* Judaeus, qui a Celso inducitur et qui e Judaeorum mente loquitur, Jesum „multis, ut putat, nominibus reprehendit. Ac primum quod se finxerat natum ex virgine; deinde vitio dat, quod ex vico judaico sit ortus, atque ex matre indigena et paupercula nendoque victum quaeritante; tum quod ejus mater a conjuge, qui faber erat, expulsa fuerit adulterii convicta [cum Panthera milite perpetrati n. 32.]. Praeterea quod haec a conjuge extrusa et vagata turpiter clancularío partu Jesum ediderit; quodque is propter paupertatem in Aegypto mercede operam suam locans, ibi arcanas quasdam artes, quas Aegyptii magni aestimant, didicerit; et postea in patriam reversus tantum se propter illas artes extulerit, ut etiam se Deum appellaret". Cont. Cels. I, n. 28. Ad rem praecipuam, de qua agitur, ad miracula revertens Origenes de eodem Judaeo ita scribit: „Assensum quodammodo praebet miraculis, quae Jesus fecit, et quibus multos adduxit, ut ipsum tamquam Christum sequerentur. At miracula illa non divina virtute, sed magicis artibus facta esse calumniatur". Ib. n. 38. Porro fatetur ille Judaeus, caecos et claudos a Jesu curatos, mortuos ab eo suscitatos esse, id quidem a Christianis asseri. II, n. 48.

Arnobius, postquam dixit, ipsos Christi inimicos non audere falsitatis arguere ejusdem miracula, ita pergit: „Occursurus forsitan rursus est (adversarius) cum aliis multis calumniosis illis et puerilibus vocibus: magus fuit clandestinis artibus omnia illa perfecit, Aegyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina et remotas furatus est disciplinas". Adv. nation. I, n. 43. Notari hic Judaeos ut proprios calumniae auctores, e contextu perspicuum est.

Quae referunt Origenes et Arnobius, Judaeis non falso esse imposita, tum ex Evangelio discimus, tum e Judaeorum libris. Judaeorum traditio aliis aliisque fabulis aucta, juxta librum Talmudicum, Gemaram, ita habet: „Stadae filius secum extulit ex Aegypto artes magicas, in incisura, quam in carne sua fecerat" (Schabbat Fol. 104 apud Wagenseil, Tela ignea, confut. l. Toldoth Jesu p. 17). Stadae filius est Jesus, illo autem nomine perimpie calumniantes modo maritus modo adulter purissimae Virginis designatur. Alias Pantherae nomen eidem indunt. Vid. *Rösch.* Die Jesusmythen des Judenth. Studien und Kritiken, J. 1873. *Schoetgenii* Horae hebraicae et talmudicae, tom. II, l. IX. *Quae Judaei de Jesu Nazareno vel bona vel mala scripserunt.*

In libro qui inscribitur Nizzachon vetus, haec leguntur: „Quae fecit Jesus, per incantamenta fecit, scriptum enim in Evangelio, ipsum biennium in Aegypto exegisse, atque ibi didicit incantandi artem". Wagenseil ib. tom. II, p. 34.

In libro Toldoth Jeschu (i. e. generatio Jesu) potestas miraculorum, quae in Jesu Nazareno agnoscitur, pariter magicis tribuitur artibus. Narratur imprimis, quae fabula Origenis aetate jam circumferebatur, Jesum natum esse e Marjam (Maria), quae cuidam Jochanam desponsata fuerit, et ex Josepho Pandera adultero. Artes magicas hac ratione didicisse scribitur: „Cum percrebuisset fama de Jeschu, ipsum nothum esse, deserta Galilaea superiore venit clanculum Hierosolymas, ingressusque templum, didicit ibi τὰ ἱερὰ γράμματα, nomenque ἀνεκφώνητον membranae cum inscripsisset, nomine hoc enunciato, ne dolorem persentisceret, scindit carnem, ibique

membranam cum mysteriis condit. Mox prolato rursus nomine illo effecit, ut caro consolidaretur. Necesse autem est, arte magica et vi incantaminum templum introiverit". Wagenseil. Lib. Toldoth Jeschu p. 7. Similis fabula inter Judaeos circumferebatur tempore Raymundi Martini O. P. († post 1250), ut ipse narrat in Pugione fidei P. II, c. 8, n. 6. Cf. *Schoetgenii* Hor. hebr. ibid. c. 1, §. 9.

2. Judaei Jesu Nazareni necem et a mortuis resurrectionem testantur, illius causam allegando falsam, istius famam publicam fatendo. Judaeorum libri referunt, Jesum a sua gente morti esse addictum.

Magistri Talmudici (libri Talmudici a secundo ad quintum saec. post Chr. conscripti sunt) codice Sanhedrin c. 6. sect. 1. fatentur: „Est traditio quod vespera Paschatis suspenderint Jesum. Praeco praecedebat ipsum per quadraginta dies [clamans]: exit ut lapidaretur, quod fascinasset, seduxisset et impulisset Israelem, ut quicunque de eo sciret aliquam virtutem [dignam ut viveret], accederet et indicaret. Sed nulla virtus in eo reperta est, quare eum suspenderunt vespera Paschatis". Joan. *Braunii* dissert. de sanctitate sum. Pont. Apud *Ugolinum*, Thes. antiq. tom. XII, p. 185. — *Schöttgen.* Horae hebr. et talm. tom. II, l. IX, c. 1, §. 11.

Judaei litteris encyclicis missis Jesu Nazareni a mortuis resurrectionem negarunt atque ita fassi sunt, eandem a discipulis palam annunciatam esse.

S. *Justinus* ita ad Tryphonem Judaeum: „Non modo, inquit, poenitentiam non egistis, postquam illum ex mortuis resurrexisse didicistis, sed etiam, ut jam dixi, delectos homines constituistis, ac per eos in totum orbem terrarum missos praedicastis, impiam quandam et exlegem sectam a Jesu quodam Galilaeo deceptore excitatam esse: et cum illum a nobis crucifixum discipuli ex monumento, in quo, refixus a cruce, depositus fuerat, noctu surripuerint, decipi ab illis homines, dum eum ex mortuis resurrexisse et in coelum ascendisse dictitant. Quinimo docuisse illum addidistis impia illa et nefanda ac detestabilia facinora, quae adversus eos, qui illum Christum et doctorem et Filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis". Dial. cum Tryph. n. 108. Fere eadem scripserat n. 17. Calumniam, quam insinuat Justinus, sparsam primum a Judaeis esse, atque assertum, Christianos mactare puerum, cujus carnibus vescantur, etiam *Origenes* testatur c. Cels. VI, 27. Denotari Eucharistiam, aliunde constat.

Quae Justinus, eadem refert *Eusebius* nixus veterum testimoniis: „In veterum, inquit, scriptis reperimus, Hierosolymitanos judaicae gentis sacerdotes et seniores, litteras in omnes gentes misisse ad omnes ubique Judaeos, quo Christi doctrinam traducerent ut novam ac Deo inimicam sectam; et epistolis monuisse, ut ne illam reciperent". Hujusmodi encyclicas epistolas mittendi usum apud Judaeos viguisse, ostenditur verbis additis: „Apostolos etiam nunc Judaei nuncupare solent eos, qui circulares principum suorum litteras circumquaque deportant". In Isaiae c. 18, 1. Ed. M. VI, p. 214.

Christi resurrectionem liber Toldoth eo fere modo explicat, quo Judaei inde ab initio; attamen non discipuli, sed Judas, qui Jesum prodiderat, corpus furatus esse narratur et quidem ideo, ut, isto exhibito, fieret evidens, eum ad vitam non rediisse.

Unum e sapientibus Judas ita alloquens inducitur: „Veni, ostendam tibi virum quem quaeris, ego enim illum subduxi e sepulchro, quippe verebar, ne forte impia ipsius caterva eum ex tumulo suo furaretur, itaque illum in horto meo condidi et superinduxi amnem aquarum". Wagenseil, lib. Told. p. 19. Quod veritus fuerat Judas, id jam acciderat. Nam quum postridie mortis discipuli convenissent ad sepulchrum nec invenissent corpus, vociferati sunt: „Non est in sepulchro, sed in coelum ascendit, id enim de seipso, cum vivus adhuc esset, praedixit". Ib. p. 19.

3. Quod e fontibus christianis demonstratur, tempore quo Jesus Nazarenus apparuit, communem fuisse exspectationem Prophetae magni et novae legis auctoris (Prop. 80. 89), id etiam fontibus judaicis constat; unde concludendum est, Judaeis fatentibus secundum Dei promissionem circa illud tempus Messiam venire debuisse. At praeter Jesum Nazarenum nullus comparuit, qui Messiae partes sustinere posset; ergo Jesum Nazarenum fuisse Messiam Judaei indirecte fatentur.

a. Quod de exspectatione communi asserimus, constat imprimis e libris paulo ante Jesu Nazareni tempora vel ipsa illa aetate conscriptis, qui apocryphorum nomine comprehenduntur; eorum auctores non sua tantum, sed etiam aequalium suorum sensa exprimunt. In libro Henoch, qui saeculo uno et dimidio a. C. compositus censetur, annunciatur adventus imminens „electi", qui inter homines habitaturus sit (c. 45), „uncti" sive Christi (c. 48), „filii hominis" et regis potentissimi (c. 62), quem Dominus „filium" suum nominat. c. 105. (Das Buch Henoch übers. u. erklärt von *Dillmann*. Leipz. 1853). Messiae desiderium vehemens exprimitur in Psalterio Salomonis annis circiter 60 ante Chr. composito, quod octodecim Psalmos complectitur. Rogatur Deus, ut Israelitis „excitet regem ipsorum, filium David, tempore statuto". Ps. XVII, 23. Praedicantur „beati, qui diebus illis vivunt, quod vident bona Domini, quae praeparabit generationi venturae, sub sceptro Christi Domini, in timore Dei ejus, in sapientia spiritus et justitiae et fortitudinis". Ps. XVIII, 7. 8. Ex ultimis verbis aliisque similibus intelligitur, non omnes Judaeos exspectasse regem terrenum terrena tantum bona largiturum. (Der Psalter Salomo's, herausg. und erklärt von P. Eduard Ephraem *Geiger*. Augsb. 1871). Cf. Joseph *Langen*. Das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi (Freib. 1866), p. 391 seq. *Haneberg*, Geschichte d. Offenb. 4. Aufl. (1876) p. 574.

b. Jesu Nazareni aetate Messiam apparere debuisse, testantur Pseudomessiae, qui paulo post Jesu mortem surrexerunt. Attentione dignissimum est, ante illud tempus neminem illius sibi nomen et titulum arrogasse; constabat videlicet omnibus, non prius impletam fuisse epocham a Deo indicatam. Cf. *Lightfoot*. Horae hebr. in Evang. Joan. 10, 8. Flavius *Josephus* narrat: „Quod maxime eos (Judaeos) ad bellum excitaverat, vaticinium erat ambiguum in sacris libris repertum, illis circiter temporibus quendam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum. Id enim illi quidem quasi sibi proprium acceperunt, multique sapientes ejus interpretatione decepti sunt; significabat nempe oraculum Vespasiani principatum, qui in Judaea declaratus est imperator". De bello Jud. VI, 5, n. 4. Sufficit nobis quod scriptor Judaeus testatur de exspectatione universali suffulta vaticinio, quod ipse quidem, deceptorum numerum

augens, Vespasiano applicat. Quod Josephus Vespasiano, idem vaticinium alii aliis applicuerunt. Josephi narratio egregie consentit his, quae de eadem exspectatione tradunt Evangelistae. Luc. 2, 25. 38; Jo. 10, 24.

Eadem Messiae exspectatio causa fuit cladis, quam Hadrianus Judaeis intulit, quum Barcochba (i. e. filius stellae, Num. 24, 7) se Messiam dicens populum ad rebellandum movit. *Euseb.* hist. eccl. IV, 6. De illo Pseudochristo et de strage populo illata agunt etiam Rabbini. V. Eisenmenger, Entdecktes Judenthum. II. Bd. p. 654. Etiam scriptores Judaei hodierni fatentur, ducem illum a suis passim habitum fuisse pro Messia. Ita *Jost*, Gesch. des Judenth. (Leipz. 1858) II, p. 75.

c. Singulare illud religionem propagandi studium, quo circa illud tempus excellebant Judaei et quo antea caruerant, profluebat partim e communi eorum persuasione, advenisse jam tempus, quo ipsorum religio quocunque demum modo in alias gentes diffundenda esset. Plurimi quidem lucrum temporale e Proselytis quaerebant; attamen ipsam hanc lucrum faciendi viam non tentassent, nisi religionis diffundendae spes aliunde eis immissa fuisset. De studio illo non tantum ex Evangeliis constat (Mtth. 23, 15), sed etiam ex alienis scriptoribus, qui simul referunt, legibus Romanis quandoque restrictum fuisse. *Sueton.* in Domit. 12. *Flav. Jos.* Antiq. XIX, 5, 3.

313. Pars II. Testimonium *directum* maximae auctoritatis rebus christianis accedit libris Titi *Flavii Josephi*, de quo ita Eusebius: „Hic vir omnium tunc temporis Judaeorum praestantissimus fuit, non modo popularium suorum, sed etiam Romanorum judicio: adeo ut ipse quidem in urbe Roma statua donatus sit, libri vero ab eo conscripti in bibliotheca publica fuerint collocati". Hist. eccl. III, 9. Attamen ob suam ad Romanos defectionem potius his quam Judaeis legi adhaerentibus gratus erat.

1. Joannis B. praedicationem ejusdemque per Herodem interfectionem testatur Flavius Josephus e Machabaeorum stirpe natus a. 37, Romae defunctus c. a. 95 p. C.; Joannis autem munus tam intime junctum erat muneri Jesu Nazareni, ut qui illius missionem agnosceret, siquidem constare sibi vellet, hujus etiam missionem divinam fateri deberet.

Josephus postquam Herodis cladem per Arabum regem illatam narravit, ita pergit: „Erant autem quidam e Judaeis, qui existimarent, Dei ira periisse exercitum Herodis, qui justas ob interfectum Joannem, cognomento Baptistam, poenas dabat. Hunc enim Herodes necari jussit, cum esset vir bonus Judaeosque ad virtutis studium excitaret, praecipiens, ut juste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes ad lavacrum (baptismum) accederent . . . Cumque multi ad eum undique confluerent, Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas subditos ad seditionem impelleret (videbantur enim omnia de consilio ejus facturi esse), satius esse duxit, priusquam novi aliquid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam ut mutatione rerum facta, ipse in discrimen adductus poenitentiam ageret. Atque ille quidem ob hanc Herodis suspicionem in vincula conjectus, mis-

susque ad castellum Machaeruntem, ibidem caesus est. Judaei vero persuasum habebant, in ultionem necis ejus deletum esse exercitum, Deo propterea Herodi infenso". Ant. jud. XVIII, 5, 2. Nihil refert, quod aut Josephus Joannem ob rationem politicam interfectum existimat aut Herodes praeter rationem quam Evangelium refert, alia etiam ad caedem perpetrandam motus est. Duo constant e Josepho, interfectio Joannis et mira ejusdem auctoritas.

2. Idem Josephus martyrium s. Jacobi minoris, Apostoli et Hierosolymorum episcopi, narrans Jesu Nazareni ut Messiae mentionem facit.

Agens de Anano summo Pontifice, homine feroce et Sadducaeorum sectae addicto, scribit: „Talis igitur quum esset Ananus, opportunum sibi tempus adesse ratus, eo quod Festus quidem vita cessisset, Albinus vero adhuc in itinere esset, concilium judicum cogit, inductoque in judicium fratre illius Jesu, qui dicebatur Christus *(τοῦ λεγομένου Χριστοῦ)*. Jacobus ei nomen, et cum eo quibusdam aliis, in eos ut legis violatae reos cum accusationem instituisset, statim lapidandos tradidit. Sed quicunque inter cives modestissimi legisque observandae studiosissimi habebantur, graviter hoc tulerunt". Antiq. XX, 9, 1. Hujus et praecedentis loci authentia nunquam vocata est in dubium. Provocant ad hunc Josephi locum *Origenes* (c. Cels I, 47; II, 13) et *Eusebius* (h. e. II, 23).

Ex hoc loco constat, Jesum Nazarenum vocatum et passim creditum esse Christum sive Messiam, eumque legis novae fuisse auctorem.

3. Mirum esset, si Josephus non de Jesu Nazareno ipso locutus esset, quum etiam scriptores gentiles disserte de eo agant. Et vero alius est locus, quo de eo disserens amplum ei testimonium reddit. Verum hujus loci authentia aut saltem integritas ultimis saeculis impugnata est a compluribus, utramque tamen facile tuiti sunt non pauci.[1])

Josephus postquam in principio l. XVIII. Antiq. de Judaeorum sectis, dein de turbationibus Pilati administratione excitatis et de ejus in Judaeos saevitia egit, ita prosequitur: „Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum voluptate recipiunt; multosque Judaeos, multos etiam gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus *(ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν)*. Quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem". Ant. XVIII, 3, 3.

Qui loci integritatem impugnant, duo saltem aut tria incisa existimaverunt postea inserta: primum „vir sapiens", alterum: „Si tamen virum eum appellare fas est"; tertium: „Hic erat Christus"; cujus loco vellent: „Hic dicebatur Christus". Quae si admittuntur, locus nihilominus non pauca continet, quae Evangeliorum narrationem confirmant.

[1]) Primus aut saltem inter primos locum impugnavit Tanaquillus *Faber* an. 1655; ita refert Guil. *Cave*, Script. eccl. histor. I, 34. Ed. Basil. 1741.

314. Alii locum totum merito tuentur rationibus tum externis tum internis.

a. Quod spectat ad rationes externas asserendi authentiam et integritatem, *Huetius* eas ita complectitur. „Cur ita sentiam, facit constans et perpetuus codicum omnium Josephi sive exaratorum calamo, sive typis impressorum, in eo (testimonio) retinendo consensus. Facit et Eusebii auctoritas, qui illud in libris demonstrationis evangelicae (IV) et in ecclesiastica historia (I, c. 11) tamquam legitimum et genuinum repraesentavit. Expressit id quoque latine Hieronymus in libro de script. eccl. Retulit idipsum in epistolas Isidorus Pelusita (l. IV, ep. 225); in historiis vero suis consecrarunt Hermias Sozomenus (I, c. 1), Georgius Cedrenus (hist. compend.)[1]) et Nicephorus Callisti (l. I, c. 39), et in Lexico suo Suidas (v. *Ἰώσηπος*) atque hinc porro continua serie ad nos usque propagatum est". Dem. evang. Prop. III, n. 11. — Versio arabica quae exstat apud Maronitas Libani et versio hebraica locum nostrum exhibent. *(Horne.* An introduction etc. 30. ed. tom. I, p. 579). „Robertus Canutus (qui circa an. 1170 claruit), Prior s. Fridiswidae apud Oxoniam, vir hebraice doctus, in duobus exemplaribus Josephi hebraice scriptis invenit testimonium de Christo, in aliis nuper erasum, quod et Judaeis Oxoniae degentibus ostensum fuit". Ita Giraldus Cambrensis de institutione principis apud Guil. Cave I, 33. Teste Baronio pariter Josephi „testimonium in pervetusto Judaeorum codice, in quo ejus historiae e graeco in hebraicum translatae antiquitus scriptae sunt, cum hic Romae requireretur, abrasum inventum est". Ad an. 34, n. 226[2]). Jam vero uniformitas haec lectionis apud scriptores graecos, latinos, syros, aegyptios penitus repugnat opinioni illorum, qui locum a Christianis insertum existimant. Omnia enim omnino exempla, praesertim quum Josephi libri etiam inter Judaeorum manus versarentur et publice conservarentur, corrumpi non poterant.

b. Rationes internae saltem id evincunt, Josephum non potuisse non loqui de Jesu Nazareno. Etenim eodem libro sibi proposuerat loqui de sectis inter Judaeos, agitque fuse de Pharisaeis, Sadducaeis et Essenis. Novam Christianorum sectam inter Judaeos ortam silentio praeterire non poterat. Praeterea Ant. l. XX agit de s. Jacobo, fratre illius Jesu, „qui dicebatur Christus". Quomodo potuisset silentio praeterire „illum Jesum", longe notiorem, cujus frater nominatur Jacobus? Denique Josephus fuse agit de pluribus, qui post Jesum interfectum Messiae aut prophetae personam induere tentaverant, sed mox ut impostores deprehensi fuerant, inter quos quidam homo aegyptius (Antiq. XX, 8. 6); quomodo temperare sibi poterat, quominus de illo ageret, qui, ut ipse alibi testatur, Messias passim appellabatur"? Propter has aliasque rationes etiam nonnulli eorum, qui scholae criticae placitis penitus addicti sunt, ut G. *Paulus*, locum ipsum censent genuinum, quamvis eum sententiis nonnullis interpolatum existimant. Exeg. Handb. III. p. 656.

---

[1]) Cedrenus omittit verba: *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν*, unde infertur, hoc incisum in codice, quo utebatur, defuisse. Vid. Edit. Bonnens. an. 1838, t. I, p. 345.

[2]) Quosdam Josephi locos, quos veteres proferunt, jam ejus operibus abesse, notatum est a pluribus, neque verisimile est, quod excipiunt nonnulli, locos illos propterea tantum abesse videri, quia a veteribus parum accurate allati sint loci nunc exstantes. Cf. *Larue* in edit. Orig. c. Cels. I, 47 (Migne t. II, p. 747).

315. c. Rationes contrariae minoris sunt momenti.

α. Mirum esse dicitur, Josephum non esse amplexum religionem christianam, si de ea id senserit, quod loco illo exprimitur.

Attamen si religionem christianam veram credidit neque eam amplexus est, similis fuit tot aliis, qui ecclesiam catholicam agnoscunt veram neque ad eam accedunt. Caeterum verba: „Si tamen virum eum appellare fas est", similia sunt illis, quibus utitur agens de Moyse: „Quin et alia quidem plurima auctoritatis ejus plusquam humanae argumenta sunt," *τεκμήρια τῆς ὑπὲρ ἄνθρωπον αὐτοῦ δυνάμεώς ἐστιν.* Ant. III, 15, 3. Agnoscitur igitur in utroque vis altior sive divina, non ipsa natura divina.

Alter locus: *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν*, duplicem admittit sensum, prout scriptor aut sua aut aliorum sententia loquitur. Si aliorum, nihil aliud dicit, nisi Jesum pro Christo agnitum fuisse a multis, vel saltem Christum fuisse vocatum. Josephus autem non sua sed Christianorum imprimis loquitur sententia, vel etiam illorum, qui Christianorum exemplo Jesum vocabant Messiam. Ut enim ecclesia catholica ab omnibus, etiam ab haereticis, vocatur catholica, ita etiam Jesus Nazarenus solus inter multos, qui se Messiam dicebant, Messias sive Christus vocatus est. Ita milites in Evangelio: „Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit"? Mtth. 26, 68. Ita *Tacitus:* „Auctor nominis ejus Christus". Annal. XV, n. 44. S. Hieronymus (de script. eccl.) vertit: „Credebatur esse Christus", quod Sophronius, graecus Hieronymi interpres, ipsis Josephi verbis reddidit: *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν.* Caeterum Josephus non magis ambigue locutus est quam Pilatus, qui referente Matthaeo (27, 37) scripsit: *Οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων*, vel referente Joanne (19, 19): „Jesus Nazarenus rex Judaeorum". Et si hoc loco Josephus scripsit: *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν*, alio autem loco: *τοῦ λεγομένου Χριστοῦ* (Ant. XX, 9, 1), non magis sibi contradixit, quam Pilatus qui quaerebat: „Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus" *τὸν λεγόμενον* (Mtth. 27, 17); et scripsit: „Hic est Jesus rex Judaeorum". Mtth. 27, 37. Si porro hoc etiam loco scripsisset *ὁ λεγόμενος Χριστός*, Messiae dignitatem non magis negasset quam s. Matthaeus scribendo: „Jacob genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus" *(ὁ λεγόμενος Χριστός)* Denique si a Josephi indole non abhorruit, tam magnifice loqui sive de Joanne B., sive de Jacobo apostolo, non est quod miremur, eum magnifice locutum esse de Jesu. Operae pretium est notare, Josephum nullo loco sinistre loqui de Christianis, etsi loquendi occasio non defuit.

Nunc etiam intelligitur, quomodo Josephus, qui, ut antea vidimus, Prophetarum vaticiniis Vespasianum designari scripsit, hoc tamen loco dicere potuerit, de Jesu Nazareno Prophetas multa praedixisse. Hic enim refert, quod publica fama tradebatur, quum de Vespasiano agens suam sive sinceram sive, quod verisimilius, adulatoriam sententiam promit.

Si autem attendimus, Josephum scribendo fines politicos potissimum esse secutum, facile intelligimus, cur eadem vaticinia diverso modo explicuerit. In utroque enim loco et assertione utraque finem eundem secutus est, videlicet ut ostenderet, vaticiniis illis non praedici regem metuendum Romanis. Vespasianus norat, persuasum esse Judaeis, vaticiniis illis promitti regem potentem, quo duce jugum Romanorum aliquando excuterent; atque ideo neminem e Davidis stirpe, e qua videlicet rex ille oriundus erat, superstitem esse voluit. Euseb. h. e. III, 12. Magis etiam timuit

Domitianus, quum audisset, superstites esse e Davidis stirpe nonnullos, timorem tamen posuit, quum ex iisdem utpote Christianis audivisset, Christi regnum „non hujus mundi nec terrarum imperium esse, sed angelicum et coeleste, quod in fine saeculorum futurum esset. His auditis, Domitianus nihil adversus illos asperius decrevit, sed vilitatem hominum aspernatus, liberos abire jussit.“ Haec quidem Hegesippus apud *Euseb.* h. e. III, 20. Domitiano regnante antiquitates judaicas conscripsit Josephus. Si Domitiano metum eripere volebat, nulla ratio ad hunc finem magis erat adaptata, quam ut ostenderet, in Jesu Nazareno vaticinia illa, quae regem pacificum praedicerent, impleta jam esse. V. *Houtteville*, La religion chrét. prouvée par les faits, I, ch. 11.

Prae oculis semper habendum est, Josephum nulli certo religionis systemati adhaesisse et varias pro vario tempore opiniones de religione protulisse. Cf. Joseph *Langen*, Der theologische Standpunkt des Flavius Josephus, in der theologischen Quartalschrift, Tübingen 1865.

Neque mirandum est, Josephum loqui de miraculis a Jesu patratis et de ejusdem in vitam reditu. Miracula enim patrandi et in vitam redeundi potentiam admittere in Jesu poterat ut in viris justis ac praesertim in prophetis, quum Judaei utramque admitterent, ut vel ex ipsis Evangeliis patet. Mtth. 14, 2; 16, 14; 17, 10. Joan. 1, 21. In vitam revertendi potestatem, referente Josepho (Ant. XVIII, 1, 3), justis tribuebant Pharisaei, quorum instituta ille quondam secutus fuerat. Id tantum concludi potest, Josephum, Judaeorum religioni parum addictum, non eo quo ipsi in Jesum odio arsisse.

β. Alias animadvertitur, ante Eusebium neminem e veteribus illo Josephi loco usum esse, quamvis pluribus, Justino imprimis et Tertulliano, disputandum esset contra Judaeos. Accedit quod Origenes afferens locum antea recitatum de morte Jacobi, quae causa fuerit excidii urbis, haec praemittit: „Josephus quum Jesum pro Christo non agnosceret (*καίτοι γε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριστῷ*) etc. L. I, n. 47.

Attamen argumentum illud *negativum* aliquid ponderis solum haberet, si Patres illi antiquissimi loco illo uti debuissent nec usi fuissent. Illud imprimis dici non potest de s. Justino. Trypho enim Judaeus e solis scripturis V. T. postulat ut sibi demonstretur, Jesum esse Messiam. Justinus respondet: „Nunc vero in omni sermone ex sanctis apud vos et propheticis Scripturis omnem demonstrandi rationem instituo“. Dial. n. 32. Trypho autem: „Neque te, inquit, disserentem tulissemus, nisi ad Scripturas omnia referres“. n. 56. Similem disputandi rationem Tertullianus sequitur. Neque poterant commode provocare ad auctoritatem scriptoris recentis, qui ob suam cum Romanis amicitiam Judaeis esset invisus. Origenes potius contra Celsum gentilem disputat, quam contra Judaeum. Quod vero dicit, a Josepho Jesum non agnitum fuisse pro Christo, verum est, quatenus ille christianam fidem non suscepit. Hinc nova deducitur ratio, cur Patres testimonium illud non protulerint contra Judaeos. Josephus enim solum retulit, quid Christiani de Jesu Nazareno sentirent, non quid ipse senserit.

γ. Sunt qui locum aliena manu insertum ideo asserant, quia cum integra narrationis serie parum cohaerere videatur.

Respondetur, a Josepho narrari, quae sub Pilato evenerunt; unde si solus temporis ordo servatus esset, plane sufficeret. Nihilominus facile patet, locum cohaerere etiam cum rerum serie. Eodem enim capite (3)

Josephus de turbis egerat, quibus occasionem praebuerat Pilatus primum imagines statuendo in urbe, dein sacrarum pecuniarum impensis aquam in urbem derivando. Turbationis aliquid excitatum quoque est Jesu nece, quam dum Pilatus, licet primis e populo potentibus, intulit, non minus crudeliter egit quam civium seditionem comprimendo. Minus quidem aperte hanc crudelitatem effert Josephus, utpote Judaeus, satis tamen innuit loquens de multorum in Jesum amore. Quod de Christianorum natione addit, vix praeteriri poterat, postquam (c. 1) de Judaeorum sectis egerat; non tamen Christianorum sectam illis adnumerare proxime poterat, quum Christiani a Judaeis secessissent et scriptor de Jesu ipso nondum egisset. Praeter auctores jam laudatos v. *Nat. Alex.* h. e. *Bosii* exercitatio critica ad Flav. Jos. periocham de Jesu. *Pagi* Crit. Baron. ad an. 32. n. 11. *Cave,* Hist. litt. II, an. 67. Dom Remy *Ceillier,* Histoire générale des auteurs sacrés (Paris 1729) I, l. 3, ch. 7, art. 4. Joseph *Langen,* Der theolog. Standpunkt des Flavius Josephus, in der theol. Quartalschrift. Tübingen 1865 (p. 51 ff.). *Danko,* Historia revel. N. T. (Vindobonae 1867) p. 310. William *Smith* and Henry *Wace,* A dictionary of christian biography, literature, sects and doctrines, vol. III. (London 1882) s. v. Josephus. Franz *Hettinger,* Fundamental-Theologie I, §. 30. — Cf. Gustav Adolph *Müller,* Christus bei Josephus Flavius. Eine kritische Untersuchung zur Lösung der berühmten Frage und zur Erforschung der Urgeschichte des Christenthums. (Innsbruck 1890.) Auctor demonstrare nititur, locum Antiq XVIII, 3, 5 nonnullis incisis esse interpolatum. Insistit potissimum verbis ex Origene supra allatis. Ad hoc aliaque argumenta jam respondimus. Contra hypothesin interpolationis vid. *Kaulen,* KL. VI, p. 1888; *Hurter,* Zeitschr. für kath. Theol. a. 1890, p. 512, a. 1896, p. 584.

Articulus IV.

De fontibus gentilibus.

316. Nemo prudens existimaverit, Romanos aut Graecos accurate et fuse scripsisse de Jesu Nazareno religionis christianae auctore. Nimis remota illis erat Judaea provincia, remotior etiam ab eorum mentibus natio Judaeorum, quibuscum ab initio etiam praesides et ipsi imperatores confundere solebant Christianos. Succedente tamen tempore, quum granum sinapis in magnam excrevisset arborem, scriptores etiam Romani non poterant non inquirere in religionis novae auctorem.

Propositio 80. *Scriptores etiam gentiles confirmant facta illa, quae ab Evangelistis inter religionis christianae origines referuntur.*

317. **Probatur 1.** Ut Evangelia et Apostolorum actus, ita etiam scriptores Romani Christum in Judaea ortum, crucis supplicio affectum, novae religionis auctorem esse dicunt.

Tacitus postquam narravit, Neronem passim creditum fuisse auctorem incendii, pergit: „Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judaeam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt

celebranturque". Annal. XV, n. 44. Ita Tacitus, qui sub Nerone natus, sub aliis imperatoribus muneribus publicis etiam consulatu functus, sub Trajano (inde ab an. 98 regnante) annales conscripsit. Accurate notatur tempus, quo Christus interfectus sit; Pontius Pilatus enim erat sextus Judaeae procurator. Josephi Flav. antiq. XVIII, 3. Quid sit de flagitiis, mox dicemus.

Brevior est minusque verum attingit *Suetonius*, qui pariter sub Hadriano et Trajano imperatoribus floruit. Claudius, inquit, „Judaeos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulit" (Claud. c. 25). Eventus, quem narrat, locum habuit a. 52. Judaeis accenseri etiam Christianos, colligimus ex Actibus, qui narrant, Aquilam ejusque uxorem Priscillam illo edicto compulsos ab Italia venisse Corinthum. Act. 18, 2. Idem Suetonius narrans, quae sub Nerone „et animadversa severe et coërcita, nec minus instituta" sint, dicit: „Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae" (Nero c. 16). Vocem „Christus" a gentilibus saepe conversam esse in „Chrestus", tradunt Patres. Tertullianus: „Christianus, inquit, quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et quum perperam *Chrestianus* pronunciatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos), de suavitate et benignitate compositum est" *[Χρηστός]*. Apol. c. 3. Cf. Lactant. inst. IV, 7. Quia Christiani a Romanis cum Judaeis primum confundebantur, pariter cum istis res novas moliri ac regem, qui Romanorum jugum frangeret, exspectare credebantur, quam opinionem disceptationes de Jesu Nazareno Messia tunc temporis haud dubie ortae inter Judaeos Romae commorantes alere poterant.

Plinius Caecilius Secundus (sive junior), natus circa a. 62. p. Chr., literarum studio et amicitia junctus cum Tacito et Suetonio, pluribus muneribus publicis functus, ineunte saeculo II. Bithyniam et Pontum proconsul administrans, quum illic magnum Christianorum numerum deprehendisset, quorum conventus lege contra hetaerias lata prohibitos censebat, famosa ad Trajanum epistola de eorum cultu inter alia scribit: „Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani; confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset, quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae, quos quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos . . . Alii ab indice nominati, esse se christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque . . . Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod adstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent" etc. L. X, ep. 97. Cum post quinquaginta circiter annos *Tertullianus* (Apol. c. 39) hanc Plinii epistolam simulque cum Trajani responso recitet, non est ratio integrum hunc librum X continentem epistolas Plinii ad Trajanum et Trajani ad Plinium in dubium vocandi ea tantum de causa, quod collectiones nonnullae, privatas videlicet Plinii epistolas continentes, hunc ultimum librum, qui publicas continet, non exhibeant; separatae enim hae et post illas editae merito supponuntur. Epistola nostra insigne est

documentum ea etiam ratione, quod ostendit, quo loco Christus inde a christianae religionis exordio habitus sit.[1])

318. **2. Ex scriptoribus gentilibus discimus, illo circiter tempore, quo Jesus apparuit, tum a Judaeis tum a gentilibus exspectatum fuisse novum rerum ordinem; undecunque demum illa exspectatio originem duxerit inter gentiles.**

Tacitus de Hierosolymorum per Titum expugnatione agens et de signis quae cladem praecesserint, narrat: „Quae pauci in metum trahebant; pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens profectique Judaea rerum potirentur. Quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerat. Sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantum factorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur". Hist. V, 13. Audimus igitur e Tacito eandem vaticiniorum applicationem ad Vespasianum, quam audivimus e Josepho: neque Josephus ausus fuisset asserere, designari Vespasianum, nisi novisset, hanc opinionem Romanis esse acceptam. — *Suetonius* de eadem opinione testatur: „Percrebuerat orienti toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur". Vespas. c. 4.

Ejusdem exspectationis quomodocunque demum ortae testis est *Virgilius,* qui Ecloga IV. quoddam Sibyllae Cumaeae vaticinium ad infantem mox oriturum applicans canit:

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto . . . .
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet divisque videbit
Permixtos heroas et ipse videbitur illis . . . .
. . . Nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum . . . .
Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum . . . .
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta.

Cum Virgilius carminis Cumaei auctoritate nitatur, liquet, hominibus illo tempore persuasum fuisse, vatem sive Sibyllam Cumaeam, quae passim nota censebatur, quaedam praedixisse de puero, quo nato novus rerum ordo inciperet. Quaeri sane

[1]) S. Justinus, Tertullianus, Eusebius aliique provocant ad acta quaedam sive epistolam, quam Pilatus de Jesu morte scripserit ad Tiberium. Illos qui provinciis praeerant, de rebus majoris momenti ad imperatores scribere solitos esse, et aliunde constat et Plinii Secundi ad Trajanum epistolis satis demonstratur. Res quae sub Tiberio in Palaestina acciderat, majoris sane momenti erat, quam quae sub Trajano acciderat in Bithynia; unde maxime credibile est, Pilatum de illa scripsisse ad Tiberium. Attamen quum acta illa, si exstiterunt, interierint, nolumus ad ea provocare. Tempore subsequente etiam acta Pilati spuria prodierunt.

potest, unde inter gentiles orta sit haec persuasio. Dici non potest cum nonnullis, ortam illam unice esse ex intima communis culpae et infirmitatis conscientia. Nam praeterquam quod in gentilibus haec conscientia minus esset vivida, humana corruptio non exigit, ut ad sanandam ipsam „Deum soboles“ in terram descendat, nec ut, si descenderit, rerum statum felicissimum adducat, quem Virgilius exhibet imaginibus, quae ad imagines ab Isaia usurpatas accedunt. Aliunde igitur quae carmine illo promittuntur, gentilibus innotuisse oportet, videlicet aut revelatione primitiva et communi non penitus abolita, aut per Hebraeos, aut revelatione speciali ipsis gentilibus quomodocunque facta.

319. Revelationis primitivae quaedam vestigia apud populos imprimis antiquiores servata esse, videtur indubium. Divinam vero providentiam curasse, ut haec vestigia conservarentur et aliquoties renovarentur, Balaam prophetae exemplo confirmatur. Num. 24. Neque excluditur haec eadem providentia hypothesi satis probabili, qua Virgilius hausisse censetur e quibusdam carminibus a Judaeis Alexandrinis Sibyllae nomine vulgatis, singillatim e libro III, 785 *(Friedlieb.* Die sibyllinischen Bücher vollständig gesammelt, Leipz. 1852); Messiae enim exspectatio pars est illius revelationis, quae Alexandriae tum sacrorum librorum versione tum frequentiore doctiorum Hebraeorum cum Graecis commercio innotescere coepit orbi cultiori.[1]) Cf. Jos. *Langen.* Das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi. (Freib. 1866), p. 401. *Schanz,* Comment. über das Evang. Matth. Freib. 1879, p. 88.

[1]) In Virgilii locum haec scripsit s. *Augustinus:* „Omnino non est, cui alteri praeter Dominum Christum dicat genus humanum:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Quod ex Cumaeo i. e. ex Sibyllino carmine se fassus est transtulisse Virgilius; quoniam fortassis etiam illa vates aliquid de unico Salvatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri“. Ep. 258. ad Martian. Alias explicans verba s. Pauli: „Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos“ (Rom. 1, 1. 2), ita prosequitur: „Fuerunt enim et Prophetae non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quae de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur; quod non facile crederem, nisi quod poetarum quidam in Romana lingua nobilissimus antequam diceret ea de innovatione saeculi, quae in Domini nostri Jesu Christi regnum satis concinere et convenire videantur, praeposuit versum dicens:

Ultima Cumaei jam venit carminis aetas.

Cumaeum autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitaverit. Sciens ergo Apostolus, ea in libris gentium inveniri testimonia veritatis, quae etiam in actibus Apostolorum loquens Atheniensibus manifestissime ostendit (Act. 17, 28), non solum ait: *per Prophetas suos*, ne quis a Pseudoprophetis per quasdam veritatis confessiones in aliquam impietatem seduceretur, sed addidit etiam: *in Scripturis sanctis;* volens utique ostendere, litteras gentium, superstitiosae idololatriae plenissimas, non ideo sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid, quod ad Christum pertinet, invenitur“. Ep. ad Rom. inch. expos. n. 3. 4.

Potuisse et gentibus Christi adventum revelari, etiam alibi docet: „Quisquis alienigena i. e. non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in canonem sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit aut venerit, ad cumulum a nobis commemorari potest: non quo necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non incongrue creditur fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, et qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiae fuerint sive expertes, sed per malos angelos docti sunt.

320. *Obj.* Nonnulli existimant, Virgilii eclogam male in rem nostram ideo trahi, quia poeta non de Christo, sed alio quocunque puero mox orituro cogitaverit: unde etiam multam operam impendunt, ut conjectura assequantur, quem puerum in mente habuerit Virgilius. Cf. Heine in Ecl. IV.

Resp. At vis argumenti non in eo est, quod Virgilius, quae e carmine Cumaeo profert, Christo applicuerit, sed in eo, quod quae profert, novi ordinis auctorem annunciant. In designando homine singulari, qui, quae promittuntur, impleturus sit, non minus potuit errare Virgilius, quam errarunt Tacitus et Suetonius, vaticinia Hebraeorum transferendo ad Vespasianum. Caeterum facile intelligitur, quae magnifica e Carmine Cumaeo profert poeta, principi terreno, quantuscunque fingatur, applicari non posse.[1])

quos etiam praesentem Christum, quem Judaei non agnoscebant, scimus fuisse confessos". Nihilominus tamen ad Sibyllinos revertens ait: „Sed quaecunque aliorum prophetiae de Dei per Jesum Christum gratia proferuntur, possunt putari a Christianis esse confictae. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque faciendos, si recte sapuerint, quam ut divina praedicta de Christo ea proferantur, quae in Judaeorum scripta sunt codicibus". De civ. XVIII, 47.

[1]) Novimus ex auctoribus antiquis, libros quosdam, quibus potissimum fata urbis Romae contineri crederentur, caute custoditos fuisse in templo Capitolino. Octoginta circiter annis ante Christum natum, cum Capitolium exureretur, libri illi interierunt. Senatus damnum illud reparare conatus est, ut *Tacitus* narrat, „post exustum sociali [civili] bello Capitolium, quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et italicas colonias, Carminibus Sibyllae, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecim virum is liber subjicitur". Annal. VI, 12. Et vero, non solum Romae, sed in multis aliis locis nota erant Sibyllina oracula, ut discimus e Platone, Aristotele, Plutarcho et aliis scriptoribus antiquis. Vid. Oracula Sibyllina, ad fidem codd. Mss. recensuit, versione germanica instruxit Jos. Henr. *Friedlieb*, in univers. Vratislaviensi Professor. Lipsiae 1852. Einleitung §. 1. De ipso vero tempore, quo Romam allata sint illa oracula, ex antiquis scriptoribus plura affert *Lactantius* (Inst. I, c. 6). Ut idem refert e Fenestella, legati illi „descriptos e privatis versus circa mille Romam deportarunt". Totius negotii ratio non permittebat, ut carmina illa solis nota essent sacerdotibus; unde non est mirandum, quaedam ex illis recitata esse a Plutarcho aliisque scriptoribus profanis. Cumaeae tamen Sibyllae carmina teste Lactantio in vulgus quidem non proferebantur. Unde *Cicero:* „Quamobrem, inquit, Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut, id quod proditum est a majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius quam ad suscipiendas religiones. Cum antistitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quam regem proferant; quem Romae post haec nec dii nec homines patientur". De divin. l. II, n. 112. Constat igitur imprimis, Sibyllina quaedam carmina nota fuisse gentilibus antequam religio christiana esset exorta. Cf. *Döllinger,* Heidenth. u. Judenth. 7. Buch, n. 158.

Carmina plura, quae circumferebantur, nonnullas continebant doctrinas Israelitis et Christianis e revelatione cognitas. Praeter illa, quae Virgilius e Cumaea vate attulit, huc pertinet, quod *Ovidius* (Metam. l. I, 256) scripsit:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus correptaque regia coeli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Caput II.

De indole factorum divinam Christi missionem testantium.

Ex fontibus indicatis constat, Jesum Nazarenum opera extraordinaria, quae miracula vera censebantur, perfecisse, pariter protulisse praedictiones, quae genuina vaticinia credebantur. Quaeri potest, utrum opera illa revera supernaturalia fuerint, prout ab apostolis, discipulis aliisque esse credebantur.

Hinc mirum non est, quod Christiani iisdem uterentur ad confirmanda, quae revelatio docet. Ipse etiam Josephus (Ant. l. I, c. 4) e carminibus Sibyllinis confirmat, quod Scriptura s. de turri babelica refert. Eosdem libros frequenter laudant s. *Justinus* aliique Patres praesertim saeculi II. et III. Unde minime dubitandum est, quae a Patribus illis proferuntur, etiam gentilibus agnita fuisse tamquam antiqua, genuina, non conficta a Christianis. Celsus quidem suspicatur, inserta quaedam esse a Christianis. Quod e codicibus antiquioribus probari posse negat *Origenes*. Verba sunt: „Affirmat (Celsus), a nobis multa eaque impia in ejus (Sibyllae) scriptis inserta fuisse. Nec tamen indicat, quid insertum a nobis fuerit. Quod fecisset, si puriora monstrasset exemplaria, ubi non viderentur ea, quae inserta fuisse existimat. Imo ne ostendit quidem illa esse impia". Cont. Cels. VII, 56.

Sibyllinorum librorum, qui hodie exstant, partes diversae diversis temporibus ortae sunt. Prooemium, fere totum librum tertium, et quae hunc proxime praecedunt, praeterea plura fragmenta libri quinti recentiores critici plerique Judaeo Alexandrino, qui saeculo uno et dimidio ante Christum vixerit, tribuere solent. Prooemium legitur apud *Theophilum* Ad Autolicum l. II, c. 36. Commendatur cultus unius Dei nec quidquam continet quod auctorem christianum, varia, quae Judaeum scholae Alexandrinae deditum prodant. Alterum fragmentum, quod apud Theophilum continuo sequitur, eundem prodit auctorem et quidem viventem in Aegypto, quum idololatriam specialem apud Aegyptios vigentem condemnet. E libro tertio sub Erithraeae Sibyllae nomine Lactantius multa vaticinia afferre solet. Ex eodem libro s. Justinus versus quosdam adduxerat (Cohort. ad gent. n. 16). Quaedam quae Virgilius (Ecloga IV) de novo rerum ordine profert, cum quibusdam vaticiniis Sibyllinis ita consentiunt, ut poeta Romanus ea respexisse videatur. V. Lactant. Inst. l. VII, c. 24. Antiquiores illae partes saeculo cui diximus ideo potissimum assignantur, quia ab auctore vel auctoribus alluditur ad eventus coaevos, qui Christi ortum saeculo uno et dimidio circiter praecesserunt. Cf. *Friedlieb* l. c. Einleitung, praesertim §§. 17. 32. Aug. *Gfrörer*, Philo und die alexandrin. Theosophie, II, p. 121 seqq. *Lücke*. Offenb. Johannis,

Articulus I.

De Jesu Nazareni miraculis.

Propositio 81. *Jesus Nazarenus vera patravit miracula.*

Diximus suo loco (p. 124), duplicem distingui potentiam patrandi miracula, principalem, quae solius Dei est, et instrumentalem aut moralem, quae etiam homini potest competere. Ad finem nostrum obtinendum interim sufficit demonstrare, in Jesu Nazareno saltem moralem fuisse potestatem patrandi miracula. Cf. s. Thomas 3, q. 43 et 44.

Vario modo impugnata fuerunt Christi miracula. Non amplius agendum hic est cum illis, qui miracula ulla aut fieri aut cognosci posse negant; neque cum illis, qui Christi miracula ideo negant, quia Evangeliis fidem detrectant. Cum illis solis hic agendum, qui eventus, qui narrantur, omnes aut consuetis naturae viribus, aut Christi virtute secreta et magnetica, aut magicis artibus aut demum, quo hodie multi confugiunt, partim populi fide, partim firma Jesu fiducia naturali firmoque sed naturali voluntatis imperio, cujus et alius homo capax sit, patrata esse affirmant.

321. **Probatur 1.** *ex indole supernaturali undequaque patente.* Christi operationes, quae ut signa sive ut miracula ab Evangelistis referuntur, indolem supernaturalem et divinam satis produnt, praesertim si ad earundem numerum, varietatem, excellentiam, modum quo productae fuerint, ad earum testes, operum finem, ac demum ad Christi operantis personam sive indolem attendimus.

322. a. Christus *magnum signorum numerum* operatus est; unde sequitur, praebitam ab eo esse occasionem eadem examinandi, nullumque esse locum suspicandi, pro miraculo habitum fuisse casum aliquem sive effectum naturalem, cujus causa latuerit. Facile est numerare ultra quadraginta miracula latius descripta ab Evange-

---

Einleit. §. 14. Joseph *Langen*, Das Judenthum in Paläst. zur Zeit Christi (Freib. 1866) p. 169. De *Champagny*, Les Antonins tom. III. Append. V.

Non est necessario supponendum, omnia aut pleraque vaticinia Sibyllina decipiendi causa composita esse. Judaeorum Alexandrinorum peculiare erat studium, veritates revelatas pandendi gentibus; quae de suis Sibyllis tradebant gentiles, in causa esse poterant, ut illarum nomine vulgarentur quae per veros prophetas Deus hominibus revelare voluerat. Origo judaica plurium horum vaticiniorum manifesta est, etiam nonnullorum, quae post Christi ortum composita sunt. Alia Ebionitas videntur habuisse auctores; nonnulla Christianos. Forma poetica, qua Sibyllae usae dicebantur, lectorem monere videbatur, distinguendum esse inter res quae tradebantur, et modum quo res conceptae erant, hinc auctori non esse vitio vertendum, si quis in errorem duceretur. Plurium auctorum fuisse intentionem delectando docere, manifestum est. Hinc etiam explicatur, cur visum sit non esse abs re, in vaticiniis post Christi adventum conscriptis quaedam de Messia venturo longe clarius enunciare, quam in prophetarum vaticiniis enunciata fuerant. Carminum interpolatio et depravatio, quae ex parte haereticos et gentiles auctores prodit, antiquiorum et recentiorum confusio, inter alias causa fuit, cur eorum auctoritas saeculo IV. et V. magis magisque conciderit.

listis; ultra haec patrata multa esse alia, satis indicant narrantes: „Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit". Mtth. 8, 16. Marc. 1, 34. Luc. 4, 40. „In ipsa autem hora multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Joanni quae audistis et vidistis: quia caeci vident. claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur". Luc. 7, 21, 22. Mtth. 11, 2.

323. b. Maxima est signorum *varietas*. Si quis unius tantum alteriusve generis effectus miros producere posset, fortasse locus esset suspicandi, eum uti arte naturali, ut nonnulli quosdam morbos curant, aut virtute magnetica qua nonnulli morbi curari et quidam homines mire affici dicuntur, aut etiam arte magica, quae, ut in magis Aegyptiacis constat, ad quosdam effectus pertingit. Si quis autem omnis generis effectus producit, satis patet, eum non virtute ad unum aut ad paucos effectus restricta operari.

α. Christus miracula operatus est in natura *inanimata*. Aquam mutavit in vinum. Joan. 2. Modus quo eventus accidit, satis demonstrat, verum fuisse miraculum. Ministri hydrias aqua „impleverunt usque ad summum", et inventum est „bonum vinum" ab ipso architriclino. Ergo nulla collusio, neque vinum immixtum aquae utpote ministris hydrias implentibus „usque ad summum". Joan. 2, 3. Multiplicavit panes, cibando modo quinque millia hominum quinque panibus et duobus piscibus, ita ut reliquiae implerent duodecim cophinos (Mtth. 14, 17), modo quatuor millia hominum septem panibus et paucis pisciculis, cum fragmentis relictis septem sportae implerentur. Mtth. 15, 34. Sedavit ventum et mare. „Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei"? Mtth. 8, 26. Si quis contenderet, aliquos saltem morbos a Christo sanari potuisse virtute magnetica, aut fiduciam et animi tranquillitatem producendo in aegrotis, is certe de effectibus in natura inanimata idem dicere non posset, quum omni analogia destituatur. Miracula quae in natura inanimata operatus est Christus, perquam incommoda sunt adversariis. Unde nonnulli praeferunt, Evangeliorum in eis narrandis fidelitatem negare.

Nimis ridiculum est dicere, Jesum quem purum hominem fingunt, praevidisse tempestatis cessationem, quam discipuli aliique mari assueti non praeviderint, illaque praevisa „imperasse ventis et mari"; explicandum adhuc esset, quomodo vento cessante statim facta sit tranquillitas magna. David *Strauss* fatetur, narrationis evangelicae veritate admissa explicationi naturali nullum superesse locum. Leb. Jesu (3. Aufl. 1838) II. B. §. 99. (4. A.) §. 101. Idem fatetur de panum multiplicatione, de aquae in vinum conversione, ut et de mortuorum suscitatione, si standum sit narrationi evangelicae. 3. A. §. 89. 4. A. §. 100. 102. 103. Minus sincerus est Ernestus

Renan, qui praeter sanationes nulla fere miracula a Jesu facta esse asserit.[1]) Dicendo „nulla fere“ falsum dicit. At verum est, Christi miracula quam plurima ad morbos aliaque mala tollenda spectasse, idque peropportune. Dei enim bonitati quam maxime congruit, ut ejus omnipotentia in beneficiis largiendis versetur, sicut et misericordiae, qua motus Filius in hunc mundum venerat, congruebat, ut causam sui adventus sensibilibus misericordiae effectibus monstraret, praesertim corporis morbis sanatis, qui spiritualium morborum imago quaedam sunt vel etiam effectus.

Notandum, panes esse multiplicatos coram multitudine discumbente „in partes per centenos et quinquagenos“ (Marc. 6, 40), Christo benedicente panesque frangente, apostolis distribuentibus, singula igitur peracta esse maximo ordine, omnibusque maxime attentis. Quantopere illos homines miraculum perculerit, inde intelligimus, quod Christum regem facere volebant. Joan. 6, 15. Carol. *Hase* gratis affirmat, hujusmodi panum multiplicationem prorsus fieri non potuisse (§. 70), neque inter Christi, neque inter apostolorum, neque inter discumbentium manus; credibile censet, quod *Gottlob Paulus* explicandi causa scripsit, Jesum aliosque nonnullos pauca illa, quae singuli attulerant, distribuisse inter esurientes; sed addit Hase, hunc eventum postea fama auctum et in miraculum esse conversum; Gottlob Paulus conatus fuerat narrationem evangelicam conciliare cum eventu qualem ipse imaginatione finxerat; hujusmodi autem conatus „veteris rationalismi“ hodie inepti judicantur. Pariter supponunt complures, unam illam panum multiplicationem fama postea conversam esse in duplicem. Quomodo autem Matthaeus, qui ipse interfuerat, unam illam multiplicationem convertere potuerit in duplicem, explicant, aut supponendo textum Matthaei hodiernum non esse primitivum, sed recentiorem, conformem famae, esse autem recentiorem, iterum probantes ex eo, quod referat multiplicationem duplicem, quum fuerit solum una (ita Hase p. 569, p. 17); aut supponendo, apostolos ipsos fama communi motos et quasi abreptos postea pro miraculo habuisse, quod ab initio nonnisi pro eventu ordinario habuerant (ita Hase p. 570). At ista finguntur reclamante historia.

β. Christus miracula operatus est in natura *animata et rationali,* in cujus gratiam de coelo descenderat. Sanavit omnes morbos. „Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in Synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem“. Mtth. 9, 35. „Quotquot tangebant eum, salvi fiebant“. Marc. 6, 56. Ad omnem languorem et omnem infirmitatem sanandam non sufficit ulla vis naturalis. Magnetismo animali non omnes, sed nonnulli tantum morbi vel infirmitates curantur aut allevantur.

γ. Christus effectus supernaturales operatus est in ordine *spirituali.* ejiciendo daemonia. Daemoniacos, de quibus sermo est, non fuisse aegrotos,

[1]) *Renan* scribit: „*Presque* tous les miracles que Jésus *crut* exécuter *paraissent* avoir été des miracles de guérison. La médecine était à cette époque en Judée ce qu'elle est encore aujourd'hui en Orient, c'est à dire, nullement scientifique, absolument livrée à l'inspiration individuelle . . . Dans un tel état de connaissances, la présence d'un homme supérieur, traitant le malade avec douceur, et lui donnant par quelques signes sensibles l'assurance de son rétablissement, est souvent un remède décisif“. Vie de Jésus ch. XVI. Simili fere modo et alii, imprimis Theodor. *Keim,* Geschichte Jesu von Nazara (Zürich 1871) II, p. 159.

sed a daemone possessos, licet cum hac possessione saepe morbi conjungerentur, patet per Evangelistas, qui daemoniacos ab illis, qui morbis conflictabantur, distinguunt. „Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos". Mtth. 4, 24. Neque semper daemoniaci morbo aliquo laborabant. In Actibus enim (16, 16) sermo est de puella, quae habebat „spiritum pythonem, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando"; ex qua Paulus „spiritum" exire jussit. Certe quum spiritus dixit: „Legio mihi nomen est, quia multi sumus", non ipse morbus locutus est, multoque minus morbus petiit facultatem invadendi porcos. Marc. 5, 9—13. Neque de morbo quocunque neque de aegrotis intelligi possunt Christi verba: „Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit". Mtth. 12, 43. Ut hic de daemonis influxu morali, ita aliis locis Evangelistae de influxu materiali sive de possessione loquuntur. Constat igitur, daemoniacos ab Evangelistis et a Christo ipso exhiberi ut homines, quorum corpora daemon occupet et quorum imaginationem perturbet.

Rationalistae illi, qui quidem eventus, prout acciderunt, ab Evangelistis referri existimant, eosdem naturali modo explicant, dicentes, epilepticos quosvis, fatuos vel mente captos illo tempore creditos esse daemoniacos. Huic explicationi prorsus repugnat, quod Evangelistae narrant: „Daemones rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare; et mortui sunt in aquis". Math. 8, 30. Marc. 5, 11. Luc. 8, 32. Sincere fatetur *Strauss,* narrationem hanc, si vera sit, modo naturali explicari non posse. Leben Jesu 3. A. §. 91; 4. A. §. 93. Apud Ernestum *Renan* de hoc eventu incommodo altum est silentium; et merito quidem, quum existimet, Jesum verbis benignis sanasse i. e. pacatiores reddidisse fatuos illos, qui crediti fuerint daemoniaci; hanc autem explicationem in eventu illo non satisfacere, nimium patet.[1]) Incommodus hic eventus est illis quoque, qui censent, Christum dominante voluntate egisse in animos eorum, qui ob mentem perturbatam daemoniaci credebantur, atque ita curasse mentis perturbationem. Non enim agitur hic de effectu producto in hominibus. Ut e difficultate eximantur, supponunt, quae de porcorum grege leguntur, historiae addita quomodocunque esse ornandi causa (*Keim,* II, p. 463). K. *Hase* (l. c. §. 67) solum quae de magno porcorum numero leguntur (Marc. 5, 13), fama addita fuisse existimat, eventum ipsum admittit hac adjuncta explicatione, quod daemoniacus ipse irruerit in porcos eosque ita terruerit, ut se praecipitarent in lacum. At secundum Evangelium non homo ille, sed daemones homine relicto et sui iterum compote „exeuntes abierunt in porcos". Quum porro Evangelistarum veracitas alibi sit demonstrata, ex hoc eventu satis constat, veros fuisse daemoniacos. Caeterum non solum in Judaea, sed etiam alibi fuisse et esse daemoniacos,

[1]) Renan, Vie de Jésus ch. XVI. „Il y avait alors beaucoup de fous en Judée, sans doute par suite de la grande exaltation des esprits . . . Jésus avait beaucoup de prise sur ces malheureux . . . Une douce parole suffit dans ce cas pour chasser le démon. Tels étaient sans doute les moyens employés par Jésus. Qui sait si sa célébrité comme exorciste ne se répandit pas presque à son insu?"

tot non solum sacrorum, sed etiam profanorum scriptorum testimoniis evincitur, ut in dubium vocari non possit.

324. c. Christus effectus produxit maxime *arduos* omnemque virtutem naturalem aperte *excedentes*. Mortuos revocat ad vitam, ut filium unicum viduae juxta portam civitatis Naim (Luc. 7, 14), filiam Jairi, archisynagogi (Luc. 8, 55. Mtth. 9, 18. Marc. 5, 22), Lazarum (Joan. 11, 43).

Rationalistae negarunt, revera mortuos fuisse, qui ad vitam revocati leguntur. Non explicant, unde, caeteris omnibus eos vere mortuos esse attestantibus, Christus solus scire potuerit, non esse mortuos; id enim nisi scivisset, nimis temere egisset tentando eos ad vitam revocare. Quod filiam Jairi attinet, provocant ad Christi verba: „Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit". Luc. 8, 52. In quae verba s. *Augustinus:* „Verum, inquit, dixit; dormiebat, sed illi, a quo poterat excitari". Serm. 98, c. 4 (al. de verb. Dom. 44). Itaque his verbis Christus tantum significat, eam non esse mortuam eo modo, quo turba putabat, ita ut ad vitam revocari non posset. Hoc idem Evangelista satis indicat dicens: „Et deridebant eum scientes, quod mortua esset . . . Et reversus est spiritus ejus et surrexit continuo". Alii, qui nec puellam ad vitam revocatam esse fateri nec historiae veracitatem negare audent, tandem concludunt, „modeste" suspendendum esse judicium. *Keim* II, 475. At longe modestius foret, evangelicae narrationis veritatem agnoscere et miraculum factum esse fateri.

Etiam filium illum viduae mortuum non fuisse nonnulli concludunt ex eo, quod Jesus eum sit allocutus: „Adolescens, tibi dico, surge". Nam nonnisi vivos alloquimur. Tunc utique concludendum pariter est, quotquot in novissimo die surrecturi sunt, non fuisse vere mortuos, quum Christus dicat: „Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei". Joan. 5, 28. Constat, Evangelistam loqui de aliquo, qui omnium judicio erat mortuus. „Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae . . . Et resedit, qui erat mortuus. Accepit autem omnes timor". — Iidem denique Lazarum non vere mortuum, sed sopore tantum oppressum fuisse dixerunt. Mirum, quod Jesus solus, qui eum non viderat, id noverit! Nisi enim certo id nosset, temere omnino eum ad vitam revocare tentando, auctoritatem suam summo commisisset discrimini! Etiam de Lazaro Christus dixerat primum; „Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum"; dein: „Lazarus mortuus est" (Joan. 11, 11. 14); „utrumque, ut s. Augustinus addit, verum dicens: Mortuus est vobis, dormit mihi". Ibid. David *Strauss* merito irridet Rationalistas, qui tres eventus illos naturali modo explicare tentarunt; ipse vero non minus peccat, quum demum triplicem illam narrationem tempore subsequente ortam et inter mythos referendam censet. Leb. Jesu 3. Aufl. §. 98; 4. A. §. 100. Ernestus *Renan* etiam hic, ut alias saepe, consultius duxit, sola dubia nullamque definitam sententiam proferre; dicit enim, distingui non posse eventus, ad quos Christus cooperari voluerit, ab illis, qui aliorum fictione eidem sint tributi; ita pro libitu modo Rationalistarum, modo Mythologorum opinionem sectari licebit. Quae scribit de Lazaro, qui, colludentibus Maria et Martha „fortasse" mortui instar vivus positus fuerit in sepulchro, ut Jesus eum ad vitam revocare censeretur, tam ridicula sunt quam impia. Ch. XXII. *Keim* eventum simpliciter negat tum quia

tres Evangelistae cum non commemorant, tum quia incredibile sit, a Jesu de industria dilatum esse iter, ut Lazarus moreretur. III, p. 66. Alii generatim asserunt, quum de mortuis ad vitam revocatis agitur, dijudicari non posse, utrum de facto historico agatur, an de mera fictione orta e communi persuasione, qua censebatur, Christum etiam mortuis vitam reddere potuisse. Dicendum potius, communem hanc persuasionem exortam esse ex operibus, quae coram testibus Christus perfecerat.

Lazari ad vitam revocati historiam non pauci ideo impugnant, quod a solo Joanne referatur, tacentibus tribus Evangelistis prioribus. At poterant esse rationes, cur isti eam praetermitterent. Minus enim opportunum videri poterat, eam scripto referre vivo adhuc et inter discipulos et fideles versante Lazaro. Haec ratio cessaverat, quando ultimus Evangelistarum scripsit Evangelium. Praeterea Christi verba Hierosolymis prolata et a Joanne consignata: „Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei“ (5, 28) peropportune confirmabantur Lazari suscitati historia. Aliunde etiam constat, narrari quaedam a Joanne, quae non narrantur a reliquis Evangelistis, sicut et omittuntur, quae narrata fuerant ab aliis. Lazari historia arctissime connectitur cum passione fusius narrata a Joanne. Cf. *Schegg,* Sechs Bücher des Lebens Jesu (Freib. 1875) II, 184.

325. d. *Modus* quo Christus effectus illos produxit, satis ostendit, eosdem non naturali, sed supernaturali virtute esse productos.

α. Imprimis miracula operabatur *palam,* in locis et viis publicis, prouti opportunitas ferebat; atque ita omnibus praebebatur occasio inquirendi. Si loci vel temporis opportunitas postulabat, ut pauci essent spectatores, quemadmodum accidit in aegrotis nonnullis et in Jairi filia ad vitam revocata, res hujusmodi erant, ut quamplurimis constaret, praecessisse morbum aut mortem, Christi jussu secutam esse sanitatem aut vitam; semper igitur de miraculi veritate constare poterat.

Neque obstat, quod quandoque illis, quos sanaverat, silentium imposuit, ut leproso quem praedicationis initio sanaverat: „Vide, nemini dixeris“ (Marc. 1, 44), vel ut ad vitam revocata puella, parentibus „praecepit, ne alicui dicerent, quod factum erat“. Luc. 8, 56. Imprimis saepissime sanavit nullo imposito silentio, sicut etiam duos mortuos ad vitam revocavit pariter non imposito silentio. Dein distinguendum est inter miraculorum manifestationem qualemcunque et summum manifestationis gradum. Miracula omnia aliquo modo manifeste patrabantur. Sed ob rationes divinae sapientiae maxime congruas noluit, ut miracula, quae inde ab initio et potissimum quae in Judaea patravit, summo gradu manifesta essent. Voluit enim per triennium praedicare Evangelium et dein tantum subire mortem. Id autem pro consueto rerum cursu facere non potuisset, si miraculis summe manifestis inimicorum invidiam inde ab initio magnopere acuisset. Voluisse Christum nimium hominum inde ab initio concursum vitare, patet e leprosi, cui silentium imposuerat, historia: „At ille egressus coepit praedicare et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique“. Marc. 1, 45. Completo triennio etiam in Judaea miracula omnino manifesto operari poterat Christus, ut Lazarum suscitavit coram omnibus. Tunc autem „collegerunt Pontifices et Pharisaei concilium et dixerunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit. Si

dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani et tollent locum et gentem". Joan. 11, 47. 48.

β. Miracula quam plurima produxit solo vocis *imperio*. „Volo, mundare. Et quum dixisset, statim discessit ab eo lepra et mundatus est". Marc. 1, 41—42. „Imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna". Mtth. 8, 26. Tangit etiam aegrotos eisque manus imponit. Manuum impositio erat usus religiosus, quo qui imponebat, bene precabatur alteri. Nec semper Christus illa usus est, ut v. g. paralyticum sanavit solum dicendo: „Surge, tolle lectum tuum, et vade in domun tuam". Mtth. 9, 6. Hinc etiam sequitur, si quandoque rebus creatis utebatur, non ideo usum esse, quasi iisdem indigeret. Ita quum sanaret caecum, „exspuit in terram et fecit lutum e sputo, et linivit lutum super oculos ejus, et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë. Abiit ergo, et lavit et venit videns". Joan. 9, 6. 7. Alios duos caecos sanavit non adhibita saliva, sed „tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis". Mtth. 9, 29. Similiter alias: „Tetigit oculos eorum; et confestim viderunt". Mtth. 20, 34. Hujusmodi varietate id saltem demonstrabat Christus, se a rebus creatis non accipere, sed tribuere iisdem virtutem. Praeterea reddi potest ratio specialis, cur Jesus hominem illum ab ortu caecum luto facto curare voluerit. Etenim legis doctores regulam, qua statuerant, ut quae anticipari aut differri commode possent, sabbato non fierent, ad morbos etiam chronicos sanandos applicabant, quippe qui uno die tolerari commode possent. Unde imprimis indignabantur, quod Jesus hujusmodi morbos sabbato curaret. Multo vero magis indigne laturi praevidebantur, si sabbato quodammodo medicinam pararet ad caecum curandum. Unde sicuti ratio erat, cur Jesus sabbato curaret, ita specialis etiam erat ratio, cur luto facto quasi medicina parata curaret. Id insinuat Evangelista dicens: „Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus et aperuit oculos ejus". Joan. 9, 14.

Increduli ut evangelicas narrationes impugnare possent, sensum earum prius pervertendum duxerunt. Quum Lazarus ad vitam esset revocandus, „Jesus ut vidit eam (Mariam) plorantem et Judaeos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu et turbavit semetipsum" . . . „Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum". Joan. 11, 33. 38. Quae verba de quodam operandi conatu male interpretati sunt.[1]) Hic vero sensus neque ipso verbo neque contextu indicatur. „Fremere in seipso nihil aliud est, quam angi intimo animo, idque verbo aliquo vel signo foris ostendere". Haec *Maldonatus*, qui fremitus sive commotionis causam redditurus, ait: „Mihi Evangelista seipsum videtur interpretari. Cum enim dicit: Jesus ut vidit eam plorantem etc. minime ambigue indicat, propterea infremuisse indoluisseque, quod Mariam et Judaeos qui cum illa erant, plorantes vidisset. Ita enim natura comparatum est, ut ex conspectu eorum, qui plorant, ad plorandum incitemur". In Joan. h. l.

[1]) Inepte plane *Renan* haec scripsit: „Il est impossible de savoir, si les circonstances choquantes, d'efforts, de frémissements, et autres traits sentant la jonglerie — Luc, VIII, 45—46; Jean, XI, 33, 38— sont bien historiques, ou s'ils sont le fruit de la croyance des rédacteurs, fortement préoccupés de théurgie, et vivant, sous ce rapport, dans un monde analogue à celui des „spirites" de nos jours". Vie de Jésus ch. XVI. Ut hoc ultimum probet, affert varios locos ex Actibus, quibus narratur, per Apostolos patrata esse miracula!

Alii ex eo, quod aegroti vestimenta Christi tangentes leguntur esse sanati, concluserunt, aliquas saltem sanationes non Christi voluntate, sed solo ejus corpore effectas esse, atque in hanc rem potissimum adduxerunt, quae Christus dixit ad mulierem, quae tangendo ejus fimbriam fuerat sanata: „Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse.“ Luc. 8, 46. *Strauss,* Leben Jesu 3. A. §. 95; 4. A. §. 97. Verum etsi corpus Christi vel ejus vestimenta vim aliquam physicam exercuissent, minime sequeretur, hanc vim e libera Christi voluntate pendentem non fuisse. Diximus alias, Deum semper esse miraculi causam principalem, causam instrumentalem posse esse res creatas. Res autem creatae non fiunt divinae potentiae instrumenta nisi per voluntatem divinam. Quo sensu Christi vestimenta vel umbra Petri (Act. 5, 15) vel sudaria Pauli (Act. 19, 12) ad sanitatem impertiendam contulerint, hic disputandum non est. In allegata Evangelistae verba ita *Maldonatus:* „Humano locutus est more, quasi ita ex illo virtus exiisset, quemadmodum solet ex corpore secta vena sanguis exire“. In Matth. 9, 22. Quam parum hic cogitandum sit de vi magnetica e corpore effluente, satis cognoscimus ex illis, quae de Petri umbra et de sudariis Pauli narrantur. Nemo dixerit, vestimentis depositis aut hominis umbrae vim inesse magneticam. Deus ad harum rerum contactum miracula producere voluit, tum ut hominum fidem augeret, tum ut Petri et Pauli auctoritatem vel etiam sanctitatem omnibus manifestam redderet.

γ. Christus effectus illos produxit etiam in personis *loco dissitis.* Filium reguli sanavit absentem, dicens patri: „Vade, filius tuus vivit“. Joan. 4, 50. Agi hic, saltem ex Evangelistae mente, de sanitate reddenda, non de morbi cessatione praevidenda aut praevisa, patet ex eo, quod pater rogaverat Jesum, „ut sanaret filium ejus“; „incipiebat enim mori“; quod illa ipsa hora, qua Jesus verba protulerat, moribundum febris reliquit, et quod Evangelista addit: „Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judaea in Galilaeam“. Ita enim in miraculorum numero computatur. Fuerunt inter Rationalistas, qui suspicarentur, Christum e patris illius sermonibus conjecisse, fore ut mox convalesceret filius, atque sic naturaliter praedixisse, non supernaturaliter reddidisse sanitatem. Videlicet, supponunt sermones contrarios illis quos refert Evangelista, et Jesum fingunt omni medico peritiorem simulque omni homine vel mediocriter prudente imprudentiorem, quum praedictione tam certa in re maxime ancipite auctoritatem suam discrimini committat. — Similiter centurionis puerum absentem sanat dicendo: „Vade, et sicut credidisti, fiat tibi“. Mtth. 8, 13. — Mulieri Chananaeae roganti pro filia absente, quae male a daemonio vexabatur, dixit: „O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora“. Mtth. 15, 28. Ab hujusmodi actione in distans expendenda sollicite abstinent illi, qui fingunt, Jesum sanasse eo modo, quo hominis, quem amamus, aspectus aut tactus aut verba morbos sublevare possint.[1]) Ipsi etiam magnetismi animalis patroni nequeunt provocare ad aliquid analogum in arte sua. Jesus enim sanat absentes illos, quos nunquam viderat, quum a magnetizante illi absentes

[1]) *Renan,* Vie de Jésus ch. XVI., Qui oserait dire, que dans beaucoup de cas, et en dehors des lésions tout à fait caractérisées, le contact d'une personne exquise ne vaut pas les ressources de la pharmacie? Le plaisir de la voir guérit. Elle donne ce qu'elle peut, un sourire, espérance, et cela n'est pas vain“.

soli, quibuscum aliqua relatio ei prius intercesserit, affici posse dicantur. Quamquam quae de hac magnetizantium operatione in distans narrantur, nec affirmemus vera esse, nec, si vera sunt, arte naturali fieri affirmemus. Has absentium sanationes, quas Evangelistae referunt, naturali modo nullatenus explicari posse, contra Rationalistas rectissime docet David *Strauss*, sed nimirum ut inde concludat, mythis annumerandas esse narrationes evangelicas. Leb. Jesu 3. A. §. 96; 4. A. §. 98.

δ. Christus *subito* sanabat aegrotos et *subito* ad vitam ac perfectam sanitatem revocabat mortuos. Subito plenam sanitatem restituit leproso. „Volo, mundare. Et quum dixisset, statim discessit ab eo lepra et mundatus est". Marc. 1, 41. 42. Subito plenam sanitatem restituit socrui Simonis. „Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri; et dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis". Luc. 4, 38. 39. Subito sanavit paralyticum. „Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge et tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam". Mtth. 9, 6. 7. Non ita medicina, nec ita sanat magnetismus, sed repetito motu et repetito palpatione.

Hinc concludimus, quum aliquem non statim perfecte curavit, ideo tantum per gradus quosdam sanitatem perfectam reddidisse, quia ob aliquas rationes magis id congruebat. Coecus postquam in ejus oculos Jesus exspuit manusque imposuit, primum vidit „homines ambulantes sicut arbores", deinde iterum impositis manibus „coepit videre et restitutus est ita, ut clare videret omnia". Marc. 8, 23. Hominem, qui non ipse petierat, ut sanaretur, sensim ad fidem adducere voluit, ut fidei majori tandemque perfectae majus ac tandem perfectum responderet beneficium. Simili modo hominem coecum a nativitate sanare voluit. Linivit lutum super oculos ejus et misit ad natatoriam Siloë. Joan. 9, 6. 7. Etiam hic non petierat ut sanaretur; voluit autem Christus, ut ad beneficium corporale recipiendum coecus ille obediendo aeque cooperaretur, ac quoscunque alios ad salutem animae obtinendam cooperari voluit. Aliqua temporis mora intercessit pariter in sanando surdo et muto, pro quo alii deprecati fuerant. Nam „apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in coelum ingemuit et ait illi: Ephpheta". Marc. 7, 33. Integro hoc processu homo, qui non ipse Christum rogaverat, ad beneficium recipiendum parabatur et disponebatur.

326. c. Christus miracula operatus est coram *testibus idoneis* et minime suspectis. Quam plurima miracula erant ejusmodi, ut quilibet non tantum de facto ipso, sed etiam de ejus indole supernaturali judicium ferre posset. Certe illa modo quatuor modo quinque hominum millia quam optime judicare poterant, modo septem modo quinque panes naturaliter non sufficere ad tot homines satiandos. Spectatores tempestatis subito sedatae, qui lacum optime nossent, facillime judicare poterant, vento licet subito cessante, tamen servata lege naturae non subito cessare fluctuum motum. Quandoque Jesus spectatores habuit singulariter etiam

idoneos. Ita in miraculo Canae facto, de quo s. Chrysostomus: „Quod aquam, inquit, vinum fecisset, ministros testes habuit; quod bonum vinum esset, architriclinum et sponsum.“ In Joan. hom. XXII, n. 3. Nemo melius quam discipuli piscatores judicare poterant, utrum in piscium multitudine copiosa concludenda miraculum intervenisset nec ne. Luc. 5, 8. Non omnes fuisse propenso in Jesum animo, e Pharisaeorum aliorumque odio manifestum est. Horum in ejus miracula inquisitio fraudis cujuscunque suspicionem removet.

327. f. Christi miraculorum *finis* erat Deo maxime dignus. Miraculorum finem hic attendimus non proximum et immediatum, sed ultimum, et quidem operis sive illud, quod per miracula quasi sponte obtinebatur. Miraculis Christi effectum est, ut mundus ejus doctrinam receperit et secundum hanc mores componendos esse crediderit. Abolita igitur imprimis est idololatria cum nefandis mysteriis cultuque hominis natura indigno. Demonstrandum certe non est, Christi doctrina populos integros in melius esse mutatos; hoc enim passim conceditur. Unde etiam demonstrandum non est, miraculorum illorum finem fuisse optimum et tenebrarum potestati maxime invisum. Hinc etiam concludimus cum primis religionis Christianae apologetis, magicis artibus non esse tribuendos effectus, qui ad artium magicarum auctorem debellandum natura sua quam maxime conferebant. Concludimus pariter cum iisdem, si qui thaumaturgi feruntur, quorum jactatis prodigiis finis similis obtentus non fuerit, hosce cum Jesu comparandos non esse.

Aristeas Proconnesius dicebatur ad inferos descendisse et postea iterum conspectus esse hominibus. Contra Celsum, qui Aristeam Christo opponebat, ita agit Origenes: „Te ipse arbitrum constituens inter ea, quae de Aristea scripta sunt, et ea, quae de Jesu narrantur, vide ex eventu et ex iis, quae ad morum emendationem pietatemque erga summum Deum inducendam uterque fecit, annon hoc judicium ferri debeat, credendum esse, non sine Deo facta fuisse, quae de Jesu historia prodidit, non autem quae de Aristea Proconnesio“. Cont. Cels. III, 27.

Quod de Christi miraculis universe, id etiam dicendum est de ejusdem in daemones potestate, legitimumque est Christi ratiocinium: „Si satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere daemonia“. Luc. 11, 18. Nam ut s. Thomas animadvertit, „virtute superiorum daemonum ita daemones a corporibus hominum expelluntur, quod tamen remanet dominium eorum quantum ad animam; non enim contra regnum suum diabolus agit. Sed Christus daemones expellebat non solum a corpore, sed multo magis ab anima“. Sum. 3, q. 43, a. 2, ad 3.

g. Ut evangelicae doctrinae excellentia, ita etiam Christi ipsius probitas et *virtus eximia* in confesso est apud omnes aut plerosque, semperque fuit saltem apud illos, qui inter fontes genuinos

et Judaeorum obstinatorum calumnias nossent distinguere. Libenter assentiunt omnes hisce Christi verbis: „Quis ex vobis arguet me de peccato?“ Joan. 8, 46. A Christo nihil commissum esse contra leges, Pilatus testabatur pronuncians: „Ego nullam invenio in eo causam“. Joan. 18, 38. Hominis illius, qui miraculorum sibi tribuit virtutem, indolem magnopere attendendam esse, alibi diximus. Prop. 37. Jam vero perit illa probitas et virtus eximia, si quae signa Christus produxit, non erant vera miracula. Certum enim est, Christum ipsum illa opera ut vera miracula exhibuisse et quidem tunc potissimum, quando ad illa ut ad divinae suae missionis argumenta provocabat. Id autem summa erat blasphemia, si opera illa non erant vera miracula. Hanc conclusionem ut effugiant revelationis christianae hostes, fingunt, Christum ab aliis fuisse compulsum, ut personam quam gessit indueret, aut enthusiasmo quodam abreptum tandem ipsum vera habuisse, quae ei ab aliis tribuebantur. Ita Ern. *Renan.* (Vie de Jésus, ch. XVI.) Videlicet non advertunt, quam conspicua est Christi integritas et virtus, tam conspicuam quoque esse ejusdem prudentiam et sapientiam, quae efficiebat, ut vitam summe simplicem ageret et communem vivendi rationem sectaretur. Ingens est discrimen inter Jesum simplicem et Pharisaeos arrogantes, jejunia sua et orationes longas jactantes, dilatantes phylacteria sua et magnificantes fimbrias. Mtth. 23, 5.

328. **2.** *e testimonio credentium.* Christum operatum esse miracula testantur, quotquot crediderunt eumque secuti sunt, imprimis igitur Apostoli aliique discipuli. Nemo facilius detegere poterat fraudem, si qua erat, quam illi qui per triennium eum sunt secuti; nemo etiam minus pronus esse poterat ad connivendum fraudi, quam iidem discipuli, qui ubique sese exhibent homines sinceros, simplices minimeque pronos ad decipiendos alios. Judas ipse, qui Jesum tradidit, nullatenus fraudis accusavit magistrum, atque ita miraculorum testis evasit.

Quanti momenti hoc Apostolorum sit testimonium, *Origenes* contra Celsum hisce urget verbis: „An Herodotum et Pindarum putas mendaciis non fallere; qui vero mori optant pro Jesu documentis et scripta de rebus, quas perspectas habebant, ad posteros transmittenda reliquerunt, eos pro figmentis, pro fabulis fictisque prodigiis usque adeo decertasse, ut misere vivere et vi e medio tolli vellent?“ Cont. Cels. III, 27.

Adversarii, ut hoc argumentum eludant, contendunt, illo tempore magnum fuisse rerum mirabilium studium eoque etiam discipulos fuisse abreptos, sicut et pseudoprophetae nonnulli illo tempore multos deceperunt.

Imprimis in discipulis hujus studii non apparet vestigium. Si apud alios viguit, explicandum est, cur soli Jesu Nazareno miracula patranti discipuli aliique

ita adhaeserint, ut ad nostra usque tempora ejus religio perduret, dum qui pseudoprophetis adhaeserunt, mox fuerint exstincti. Videlicet Christi miracula quo attentius considerabantur, eo certius deprehendebantur vera, dum signa per pseudoprophetas patrata falsa deprehendebantur. Praeterea si illis temporibus, quod minime negamus, prodigia falsa patrabantur a nonnullis, omnes excitabantur, ut tanto majorem adhiberent diligentiam in discernendis veris a falsis, atque ita adversariorum objectio potius argumentum est veritatis.

329. **3.** *e testimonio adversariorum.* Christum operatum esse miracula, vario modo testati sunt acerrimi etiam inimici Judaei; atque ita effectum est, ut nemo dicere possit, testimonium, quod ejus discipuli reddiderunt, elidi contrario inimicorum testimonio. Veritatem attestabantur Pontifices et Pharisaei, qui, suscitato Lazaro, concilium collegerunt „et dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit?“ Joan. 11, 47. Christi in daemones imperium fatebantur quum dixerunt; „Hic non ejicit daemones nisi in Beelzebub principe daemoniorum“. Mtth. 12, 24. Etiam subsequente tempore Judaei ipsis suis calumniis testabantur, Christum miracula esse operatum; nam quae supra (Prop. 79) ex eorum scriptoribus adduximus, ad facta mirabilia potissimum referuntur. Insanam accusationem, magicis artibus deberi hanc miraculorum potestatem, in antecessum rejecerat Christus dicens: „Si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum ejus?“ Mtth. 12, 26. Pontificum et Pharisaeorum testimonio abunde refellitur quicunque Christi miracula per vim magneticam, qua praestiterit, explicare nititur. Non enim ignotum poterat esse illis, quod Jesu, qui scientia et eruditione profana excelluisse non dicitur, notissimum fuisse fingitur.

330. **4.** *e testimonio philosophorum gentilium.* Christum miracula patrasse testantur philosophi gentiles, dum eidem opponunt varios, qui pariter miracula patrarint.

Quaedam hujus comparationis tentamina jam apud *Celsum* reperiuntur, qui Aesculapii miracula miraculis Christi opponebat. Illum quidem non valde serio argumentantem lepide refellit *Origenes*. Animadvertit tamen, quod sufficiebat, Aesculapium suis miraculis non persuasisse hominibus, persuasisse Christum. Cont. Cels. III, 24.

Dimisso Aesculapio *Porphyrius* († 304) ejusque discipulus *Jamblichus* († 333), philosophi neoplatonici et Christianis maxime infensi, Christo opposuerunt Pythagoram, cui varia miracula tribuebant. Exiguo id praestiterunt eventu, quum Christiani facile demonstrarent, quae jactabantur miracula, non posse non esse nisi praestigias. Pluries coram auditoribus suis de Pythagora s. *Chrysostomus* agit. „Pythagoras, inquit, magnam adiens Graeciam, praestigias induxit innumeras; nam quod cum bobus loqueretur, id enim de illo narratur, nonnisi magica arte praestari poterat. Hinc maxime palam est, quod is, qui bruta sic alloquebatur, nihil utilitatis hominibus praestaret, imo ipsis multum noceret . . . Praestigiis stultos decepit. Non utili doctrina homines instituebat . . . Annon jure illa exstincta penitus deletaque sunt? Certe jure ac merito, ut ratio postulabat“. In Joan. hom. II, n. 2.

Principem tamen locum inter eos, quorum miracula miraculis Christi opponerentur, *Apollonius* Tyaneus († circa a. 79 p. C.) obtinet, cujus vitam Philostratus saec. III. conscripsit. Cf. quae supra (Prop. 42, p. 157) de ista vita sunt dicta. Apollonii cum Christo comparationem potissimum instituit Hierocles philosophus tempore quo Diocletianus persecutionem movit. De Hierocle ita *Eusebius:* „Admiratur atque amplectitur hoc, quod divina quadam atque arcana sapientia, non magicis artibus, miracula ille (Apollonius) patraverit: id ita revera se habere et credens ipse, et sine probatione firmum esse et indubitatum jubens". Dein haec Hieroclis verba ex ejusdem libro affert Eusebius: „Ultro citroque jactant laudibusque Jesum tollunt (Christiani), ut qui coecis videndi dederit facultatem, et alia id genus miranda praestiterit. Videndum ergo, quanto melius et prudentius nos talia, et quam habemus de viris praestantibus sententiam, admittamus. Majorum nostrorum aevo, Nerone imperante, Apollonius floruit Tyanensis, qui a prima pueritia, et ex quo Aegis, Ciliciae oppido, hominum amentissimi Aesculapii sacris vacavit, multas res admirandas gessit, quarum vobis, majore parte omissa, memoriam refricabo. Quo ergo fine ista commemoro? Nempe, ut liceat contendere invicem accuratum nostrum solidumque de re quavis judicium, et animi in Christianis levitatem. Quandoquidem nos quidem, tam magna operatum non Deum tamen, sed deorum amicum esse arbitramur. Illi vicissim ob exiguas quasdam praestigias Jesum Deum esse praedicant. Id quoque dignum consideratione est, quod a Jesu quidem gesta Petrus et Paulus iisque similes alii quidam miris modis extulerint, mendaces homines indoctique et praestigiatores; Apollonii autem res Maximus Aegiensis, et Damis philosophus, sodalis ejus, Atheniensis Philostratus, qui praeclare doctrina profecerant et veritatis erant cultores, humanique generis commodis studentes, viri magni diisque amicissimi res ignotas esse noluere". Euseb. cont. Hieroc. c. 2. Eusebius paucis quidem indicat discrimen magnum, quod intercedit inter Christi miracula et Apollonii praestigias, accuratam vero comparationem respuit tamquam Christo indignam. Accuratius autem exhibet absurda quae in Philostrati narratione reperiuntur, v. g. quod Apollonius primum dicat ad ipsum Damidem: „Ego, amice, omnes intelligo linguas, licet nullam didicerim" (c. 8), dein etiam brutorum linguas sibi comparasse legatur (c. 10), nihilominus, ad Indos delatus, per interpretem cum eorum rege collocutus dicatur. „Nempe qui paulo ante, secundum Philostratum, linguarum omnium erat callentissimus, jam juxta eundem interprete opus habet". c. 14. Ed. M. 4, 799—819. Cf. *Ceillier,* Histoire générale des auteurs sacrés. Ed. Paris. 1865, III, p. 175.

Ut Eusebius, ita etiam s. Chrysostomus Christo minus dignum existimat, ejus miracula cum Apollonii conferre praestigiis, paucis tamen attingit, quae auditori persuadere possint. „Christus, ait, non modo praescripsit vitae formam, verum etiam hanc ubique terrarum plantavit. Quam multa fertur Apollonius ille Tyaneus fecisse? Verum uti scires, illa omnia esse conficta, vana, nihil habentia veri: exstincta sunt et finem acceperunt. Jam ne quis arbitretur, contumeliam esse Christi, quod de illo verba facientes, Pythagorae, Platonis, Zenonis et Tyanei meminerimus: non enim id facimus ex animi nostri sententia, sed ad Judaeorum infirmitatem nos ipsi demittentes, qui credunt, eum esse nudum hominem". Adv. Jud. orat. V, n. 3. Ed. M. 1, 886. Cf. *Baltus,* Défense des ss. PP. accusés du Platonisme, liv. III, ch. 3.

Articulus II.

De vaticiniis a Jesu Nazareno editis.

Propositio 82. *Jesus Nazarenus vera edidit vaticinia: cognoscendo et aperiendo res absentes, cogitationes absconditas, eventus futuros pendentes e libera voluntate hominum aut Dei.*

331. Cognitio prophetica generatim sumpta, ut alias diximus (Prop. 36), est illa, quae circa res homini absconditas versatur. Quum res futurae e libera sive hominis sive Dei voluntate pendentes maxime sint absconditae, hae imprimis objectum prophetiae strictius dictae merito vocantur. Attamen et rerum dissitarum et cogitationum humanarum, quum absconditae sint, cognitio ad prophetiam aliquatenus pertinet. S. *Thomas* 2, 2, q. 171, a. 3.

332. Pars I. Jesus certo cognovit et aperuit res absentes, quae naturaliter cognosci non possunt ab homine.

Certo cognosci non possunt res absentes illae, quae primo nec in se nec in suis causis aut effectibus per nos ipsos attinguntur, et quae secundo ad nos non perferuntur aliorum testimonio. Cognitio enim est potentiae cognoscentis cum objecto conjunctio. Res existentes duplici modo conjungi possunt cum potentia cognoscente: aut ipsae res in nos agunt sive immediate sive mediate; aut aliorum testimonio nobis indicantur. Immediate in nos agunt res, dum potentias nostras afficiunt, ut sol aut luna dum conspiciuntur. Mediate res in nos agunt, dum non ipsae, sed earum aut causae aut effectus sensus nostros afficiunt: e lumine per aera sparso cognoscitur sol mox oriturus, e die nobis lucente cognoscitur nox incumbens aversis terrae partibus. Non quidem opus foret demonstrare, hoc cognitionis genus, videlicet rerum absentium, fuisse in Christo; facile enim demonstratur, fuisse in ipso alterum cognitionis genus, videlicet rerum futurarum sive prophetiam strictius dictam. Quum autem Jesus etiam ad hanc cognitionem propheticam latius dictam provocaverit, de hac etiam ut agatur praestat.

333. **Probatur 1.** Christus quum Nathanaelem sibi notum esse ostendit, „dicit ei Nathanael: unde me nosti? Respondit Jesus et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. Respondit Jesus et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; majus his videbis.“ Joan. 1, 48. 49. Hic agitur de cognitione supernaturali, ut Christi verba insinuant et narrationis contextus ac Nathanaelis responsum omnino probat; ad fidem enim adducitur illa cognitione, quod fieri non potuisset nisi cognitione humana et naturali fuisset major. Neque ex eo, quod majorum rerum cognitio et coeli aperti visio promittitur, concludendum est cum Rationalistis, hanc cognitionem esse naturalem; nam etiam in ordine supernaturali sunt cognitiones aliae aliis majores sive excellentiores.

334. **2.** Jesus Hierosolymam ingressurus, „misit duos discipulos dicens: ite in castellum, quod contra vos est; et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea; solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet; et confestim dimittet eos.“ Mtth. 21, 1—3. Omnia evenerunt, ut Christus praemonuerat. Quod additur, discipulos inventuros esse pullum alligatum, cui nemo unquam hominum sederit (Luc. 19, 30), demonstrat plane, Christum modo omnino determinato vidisse quod indicabat discipulis.

Rationalistis non parum incommoda fuit haec narratio de asina ejusque pullo. Alii dixerunt, convenisse antea inter Jesum et asinae possessorem, ut hic illi jumentum commodaret. Sed repugnat narrationis series, nec explicatur, cur jumentum foris fuerit alligatum. Alii dixerunt, tempore paschali jumenta plura in vicis praesto fuisse itinerantibus. Sed Jesus loquitur non de jumento quocunque, sed de determinato. Unde David Strauss hujusmodi effugiis nullatenus acquiescit aliudque effugium quaerens totam narrationem temporis successu confictam dicit. Leb. Jesu 3. A. §. 108, p. 313; 4. A. §. 110. Ernestus Renan novit tantum, adductam esse ad Jesum asinam, „quam pro more sequebatur pullus“; de Jesu praedictione altum servat silentium. Ch. 23.

335. **3.** Appropinquante die festo Azymorum Jesus, extra urbem, fortasse in Bethania, constitutus, misit Petrum et Joannem, ut parārent pascha eisque quaerentibus, ubi parandum esset, dixit: „Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquae portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum, et ibi parate. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha“. Luc. 22, 10—13. Narrationis sensus obvius est, patremfamilias divino instinctu coenaculum praeparasse et reservasse pro Jesu ejusque discipulis; Jesum potentia supernaturali vidisse coenaculum praeparatum et hominem amphoram aquae portantem.

Juxta Rationalistas inter patremfamilias et Jesum jam ante convenerat atque ideo Jesus norat coenaculum esse stratum. Merum effugium, quod praecluditur, commemorato illo homine amphoram aquae portante; de hoc enim conventum esse parum credibile est, licet recentiores nonnulli ad illud effugium dilapsi sint. Hos Willibaldus *Beyschlag* refellit quaerens: Quamdiu homini illi ad domus januam cum amphora standum erat? Ipse sententiam suam ita promit: „Sine dubio discipuli a viro amphoram aquae portante in viam deducti sunt, quem eventum naturalem traditio miraculorum amans postea in praescientiam supernaturalem convertit“. Das Leben Jesu (2. Aufl. Halle 1887) I, p. 392. Ergo veracitatis defectus in Evangeliis! *Keim* (III, 236) existimat, nec miraculum hic admitti posse, utpote aliquid incredibile, nec Jesu collusionem cum hospite, utpote Jesu indignam, ac proinde admittendum esse, circumstantias illas miraculum sive intuitum propheticum arguentes temporis successu narrationi fuisse additas. Dicendum potius erat, quum de Evangeliorum veracitate

constet, aut miraculum admittendum esse aut collusionem cum hospite: quum autem haec Jesu indoli notae repugnet, admittendum esse miraculum.

336. **4.** Cum mulier Samaritana Jesu dicenti: „Voca virum tuum", respondisset: „Non habeo virum", Jesus ei dixit: „Bene dixisti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir; hoc vere dixisti." Joan. 4, 17. 18. Quod Christus dicit, cognitione naturali scire non poterat, utpote qui inter Samaritanos non vixerat. Sed etiamsi vixisset, scire non potuisse, indicant mulieris stupefactae verba: „Domine, video quia propheta es tu"; imprimis quae civibus suis dixit: „Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecunque feci; numquid ipse est Christus?"

Sunt qui omnia quae allata sunt, explicare conantur e clara illa visione, quae magnetismo produci dicitur.

Sed imprimis gratis supponitur, claram illam visionem magneticam illo tempore in solo Jesu fuisse, aut, si etiam in aliis erat, ignotam fuisse aequalibus. Praeterea cum ipsis principiis magnetismi suppositio illa pugnat. Si enim magnetismus in Jesu causa fuit clarae visionis, fuit etiam causa sanationum; at vero patroni artis illius fatentur, quo magis idoneus aliquis sit, ut magnetismo alios afficiat et sanet, eo minus esse idoneum, ut in statum illum incidat, cui clara visio connectitur. David *Strauss,* qui Jesu visiones e somnambulismo explicare cupit, fatetur, admittendam esse exceptionem in Jesu, qui sanus et validus somnambulismo obnoxius fuerit, quod secus non accidat. Leben Jesu 3. A. §. 68. At vero id non est argumentari, sed nugari. Unde et in subsecuta editione a sententia recessit. Cf. J. *de Bonniot,* Wunder und Scheinwunder, 2. Th. 5. Kap.

Urgeri objectio potest dicendo, saltem cognitionem illam, qua Jesus res loco dissitas conspexit, non esse certo divinam, quum secundum s. Augustinum (de divinat. daem. c. 3) et plerosque theologos daemones hanc cognitionem aliquatenus imitari et impertiri possint, de loco in locum celerrime se transferentes atque sic nunciantes, quae locis dissitis geruntur. Suarez de ang. l. II, c. 9, n. 21.

Hoc argumentum demonstrat tantum, hanc cognitionem non esse talem, ut ex ipsa sua natura tamquam divina discerni possit. Verum suo loco (Prop. 39) ostendimus, prophetias veras cognosci posse aliis quoque criteriis e prophetae indole et prophetiae fine potissimum desumptis.

337. Pars II. Jesus certo cognoscebat cogitationes nullo signo externo manifestas.

Inquirendum hic non est, an hujusmodi cognitio non solum humanum, sed etiam angelicum intellectum excedat. Nobis hoc loco sufficit, si excedit humanum; revera autem excedere ipsa experientia constat. Porro si hujusmodi cognitio intellectum humanum excedit, certum est, in Jesu non fuisse effectam daemonis interventu, etsi hic, quod tamen admittendum non est, hominum cogitationes cognoscere posset. Ratio ex antea dictis constat. Cf. s. *Thom.* Aq. disp. De malo q. 16, a. 8.

338. **Probatur 1.** Jesus quum Nathanaelem ad se accedentem videret, antequam cum eo colloqueretur, „dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est". Joan. 1, 47.

In verba allata post s. Cyrillum ita *Maldonatus:* „Volebat occulta quaeque in animo gerebat indicando, suam illi divinitatem declarare. Itaque oportebat, ut antequam omnino accederet, aut secum loqui inciperet.

hoc illi dicere, ne id ex ejus oratione, unde facile homines cognoscuntur, collegisse videretur: ita tamen ut Nathanael, cui se corda hominum nosse volebat ostendere, posset audire". Rationalistae finxerunt, Nathanaelem potuisse aliunde notum esse Christo. Id admitti nequit. Nam Nathanaeli interroganti: „Unde me nosti", Jesus non adducit causam naturalem aut occasionem, qua eum viderit aut de illo audierit, sed provocat ad aliquid, quod naturae vires excedebat, ut antea vidimus. Illud igitur effugium supponit Christum decipere voluisse, quae hypothesis, ut de ejus miraculis agentes ostendimus, admitti nullatenus potest.

339. **2. Jesus pluries ostendit, se nosse cogitationes intimas suorum inimicorum.**

Postquam paralytico dixit: „Homo, remittuntur tibi peccata tua", „coeperunt cogitare scribae et Pharisaei dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens dixit: Quid cogitatis in cordibus vestris?" Luc. 5, 20—21. Similiter quum observabant, „si in sabbato curaret, ipse sciebat cogitationes eorum". Luc. 6, 8. Evangelista vim ponit in eo, quod Christus cognoverit ipsas cogitationes; unde veracitate scriptoris admissa non licet dicere, agi de cognitione cogitationum, quae verbis aut aliis signis innotuerint. Ipse etiam Christus ad inimicos suos sermonem ita dirigit, ut patefaciat, se ipsas eorum cogitationes nosse; hic autem agendi modus cum ejus veracitate non congrueret, si eas novisset aliunde. Nec cum ejus prudentia congrueret, si tantum conjiciendo novisset. Quum enim hujusmodi cognitio falsa esse possit, Christus, qui ad haec tamquam divinae suae missionis signa provocabat, nimio se commisisset discrimini, si argumento anci,pite usus fuisset.

Rationalistae et revelationis adversarii plerique haec cognitionis propheticae exempla negare tentant modo in dubium vocando Evangelistarum veracitatem, modo pro arbitrio in narrationem inserentes, quae explicationem naturalem juvant. In historia mulieris Samaritanae inepte supponunt, Jesum quum sederet ad puteum, a praetereunte quodam clam edoctum esse, quae esset mulier illa appropinquans; quasi Evangelista non satis indicaverit, Jesum modo supernaturali illa novisse. Ernestus *Renan* notat, non esse nimium urgendam conversationis veritatem historicam, eo quod nemo nisi Jesus aut mulier eam referre potuerit. David *Strauss*. (3. A. §. 68; 4. A. §. 69) tandem deprehendit, cognitione tam extensa, quae ab Evangelistis Christo tribuatur, omnino destrui cognitionem Christi humanam. Rectius locutus fuisset asserendo, destrui ignorantiam humanam et asseri cognitionem etiam supernaturalem. Ad objectionem similem arguentem, lucem minorem per majorem obfuscari ac proin humanam Christi scientiam exstingui per divinam, s. *Thomas* respondet: „Si duo lumina accipiantur ejusdem ordinis, minus obfuscatur per majus, sicut lumen solis obfuscat lumen candelae, quorum utrumque accipitur in ordine illuminantis. Si vero accipiantur duo lumina ita quod majus sit in ordine illuminantis, et minus in ordine illuminati, minus lumen non obfuscatur per majus, sed magis augetur, sicut lumen aeris per lumen solis. Et hoc modo lumen scientiae non obfuscatur, sed magis clarescit in anima Christi per lumen scientiae". S. 3, q. 9, a. 1, ad 2. Ut Christi natura humana propter unionem cum persona divina excellentiorem possidebat sanctitatem, ita etiam propter eandem rationem particeps erat excellentioris cognitionis.

340. **Pars III. Jesus certo cognovit et praedixit res futuras e libera hominis voluntate pendentes.**

Naturali cognitione homo eventus futuros illos solos certo praevidere potest, qui necessario fluunt e causis, quas praesentes cognoscit. Nam ut antea dictum est (Prop. 39), res futurae, quae nostram cognoscendi potentiam nullo modo afficiunt, cognosci a nobis non possunt, cum nullus sit nexus inter ipsas et nostrum intellectum. Aliis verbis: ut res futurae a nobis cognoscantur, necesse est, ut in suis causis nobis sint praesentes. At quod a libera hominis voluntate pendet, nobis non est praesens: voluntas enim eo ipso, quod est libera, non est determinata ad unum, sed indifferens est ad plura. Hinc solus intellectus divinus, qui a rebus cognoscendis non pendet nec afficiendus ac determinandus est ut intellectus creatus, sed ipsa natura sua determinatus est ad omnia cognoscenda, certo praevidere potest, quae voluntas libera sit futura. Intellectus creatus ea cognoscere tantum potest, quatenus juvatur et illustratur a Deo. S. Thomas Qq. disp. de malo q. 16, a. 7.

341. **Probatur 1.** Christus mortem sibi inferendam, mortis genus, tempus additamque flagellationem certo praedixit, etsi nullus horum eventuum in causa ulla necessaria tunc latebat.

„Dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo". Mtth. 26, 1—5. Ut mortem ipsam, ita tempus aliasque circumstantias praedixerat. „Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum". Mtth. 20, 17—19. Etsi gratis supponeretur, Christum praevisione naturali mortem a principibus sacerdotum sibi parandam praedicere potuisse, tamen mortis genus certo praevideri non poterat. Verisimile enim erat, adversarios tumultu excitato mortem ei illaturos esse, ut illata est Stephano; ergo imprimis certo praevideri non poterat, eum Romanis esse tradendum. Praeterea quum Pilatus minime pronus esset ad Jesum condemnandum, humana praevisione quod evenit, certo cognosci non poterat. Minime vero praevideri poterat, ipsum a gentibus esse illudendum. Etsi porro supponatur, cum crucifixione plerumque flagellationem fuisse conjunctam, tamen haec certo praevideri non poterat, quia illa non poterat. Caeterum Pilatus Jesum flagellis addixit, ut hac castigatione Judaeorum odio satisfaciens extremo supplicio eum eximeret.

Exclusa praevisione mere naturali impugnari potest vaticinium dicendo, Christum non ipsum, quae praedixit, praevidisse, sed e prophetarum vaticiniis cognovisse; et vero ipse non raro indicat, singula quae praedicta erant, implenda esse.

Respondetur imprimis, si ita esset, Jesus esset Messias, quum in ipso vaticinia sint impleta; nemo enim dixerit, omnia impleta esse casu. Praeterea fatendum foret, ipsum praeditum fuisse cognitione supernaturali, quum solus certo et clare cognovisset, quomodo etiam quae obscurius praedicta erant, implenda essent. Demum vel clarissima intelligentia vaticiniorum omnium non suffecisset ad praevidenda singula quae Jesus praedixit: nam non tantum condemnationis tempus accuratius quam Daniel, sed ipsas etiam personas, quae in supplicio inferendo intervenirent, designavit.

Sunt qui fatentur, Jesum naturali ratione passionem ejusque circumstantias praevidere non potuisse, et praeterea statuunt vel supponunt, supernaturali ratione,

videlicet e vaticiniis prophetarum, intelligere non potuisse; ex hoc autem inferunt, quae in Evangeliis legimus, esse vaticinia post eventum composita i. e. ab Evangelistis aliisve profecta. Ita *Gottlob Paulus*. Exeg. Handbuch,II, p. 417. David *Strauss* l. c. 3. A. §. 109; 4. A. 111.

At demonstrata est Evangelistarum veracitas, quae cum tali fictione non subsistit. Unde inferendum potius erat, exclusa sententia triplice, praevisionis naturalis, interpretationis vaticiniorum antiquorum, et fictionis post eventum, tenendam necessario esse sententiam quartam, quae statuit, Jesum mortem suam mortisque modum supernaturali ratione ipsum praevidisse.

342. **2.** Apostolorum fugam praedicit ut imminentem simulque trinam Petri negationem.

„Omnes scandalizabimini in me in nocte ista; quia scriptum est: Percutiam pastorem et dispergentur oves". Marc. 14, 27. Zacharias propheta, cujus verba afferuntur, discipulorum quidem fugam, saltem dispersionem praedixerat; illa ipsa nocte eam habituram esse locum, ex ejusdem verbis intelligi non poterat. Quum porro discipulorum dispersio per prophetam praedicta esset, minus verisimile videri poterat, quod Petrus facturus praedicitur: „Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus". Marc. 14, 30. Tam certa praedictio negationis trinae ante secundum galli cantum solis conjecturis niti non poterat; et sic rejicitur exceptio Rationalistarum dicentium, Christum e Petri indole conclusisse ejusdem lapsum. Admitti pariter non potest, quod fingunt alii, ut *Strauss* (3. A. §. 121), numero ternario non significari nisi numerum quemcunque indeterminatum. Evangelistae enim diligenter notant, negationi trinae praedictae negationem trinam vere successisse. Marc. 14, 72. Mtth. 26, 75. Joan. 13, 38.

343. **3.** Judae proditionem et quidem ipsa illa nocte futuram Jesus aperte praedixit.

„Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me . . . Quod facis, fac citius". Joan. 13, 21. 27. Mtth. 26, 21. 23. Ultima verba nonnisi ad illam ipsam noctem referri possunt, quum quae Jesus de reliquorum fuga praedixerat, Judae proditionem supponerent.

Nonnulli ut argumentum ex hac praevisione petitum effugerent, finxerunt, Christum, si Judae proditionem praevidisset, non potuisse permittere ut secum viveret et munere, quod ei commiserat, fungeretur; Christum comparant cum hero aut magistro, qui famulo aut discipulo praebere non possit furandi occasionem. (Strauss 3. A. §. 116.) Non advertunt, se sua illa argumentatione probare, etiam Deum hominibus praebere non posse furandi occasionem. Videlicet aliud est de provisore generali, qui ut omnes recte agant, imperat et urget, attamen libertatis abusum permittit: aliud de hero aut patrefamilias, cui aliquorum specialis cura commissa et injunctum est, ut hunc vel illum libertatis abusum, si ratio specialis non suadet contrarium, impedire studeat. Ipsi etiam hero et patrifamilias aliquando non vertitur vitio, si non omnem peccandi occasionem suis adimit.

Alii finxerunt, Christum, ut Judae proditionem praevideret, non indiguisse nisi cognitione naturali, quum aut de Judae machinationibus ab aliis moneri, aut easdem ipse praevidere, aut saltem illa nocte rem utpote jam conclusam ex aliis doceri potuerit. Quod primum attinet, gratis supponitur. Praeterea nec monitio nec conjectura sufficiebat, ut Jesus proditionem tam certo et quidem ut imminentem

praediceret. Neque dici potest, rem jam fuisse perfectam; Judas enim nondum ultima consilia habuerat cum Jesu inimicis. Demum Evangelistarum narratio satis indicat, Jesum eo modo cognovisse et praedixisse Judae proditionem, quo Petri lapsum et discipulorum fugam cognovit ac praedixit; aperte enim ut cognitionis supernaturalis particeps exhibetur; unde vaticinii indoles negari non potest nisi negata Evangelistarum veracitate.

344. **4. Christus imminentem urbis expugnationem, ejusdem et templi eversionem simulque modum, quo in urbe oppugnanda hostis usurus esset, signa eventum praecedentia, distincte praedixit.**

„Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te; et coangustabunt te undique; et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae". Luc. 19, 42—44. Cf. Mtth. 24, 2. Marc. 13, 2. Haec evenisse, quum facta seditione urbs a Tito oppugnata et capta templumque dirutum est (an. 70), tradunt scriptores non tantum christiani, sed etiam gentiles et potissimum Flavius Josephus Judaeus, de bello judaico l. V. et VII. Arcus triumphalis, quem Senatus populusque Romanus Tito victori erexerunt et qui etiam hodie conspicitur Romae, inciso candelabro aureo aliisque templi instrumentis, perpetuum et publicum exhibet testimonium prophetiae impletae.[1])

[1]) Quamvis per Titum ipsa templi fundamenta eruta et omnes ejus partes penitus eversae non essent, tamen Christi vaticinium, reliquendum non esse lapidem super lapidem, sensu obvio impletum dici poterat illa urbis et templi eversione, idque innuebat s. *Cyrillus* Hierosolymitanus hisce verbis: „Propter hunc Jesu sermonem: Non relinquetur hic lapis super lapidem, cecidit hoc quod nobis ex adverso est Judaeorum templum". Cat. X, n. 11. Idem tamen existimabat, sensu etiam perfectiore aliquando impletum iri. Unde circa idem tempus (an. 348) pro concione dixit: „Veniet Antichristus tunc, cum in templo Judaeorum lapis super lapidem non manebit, juxta Salvatoris denunciationem. Quando enim vetustate collapsi, vel aedificationis praetextu dejecti, vel quamcunque ob aliam causam eversi fuerint lapides omnes, non exterioris dico ambitus, sed interioris aedis, ubi Cherubim erant, tum veniet ille in omnibus signis et portentis mendacii". Cat. XV, n. 15. Ad vaticinium sensu perfectiore implendum contulerunt ipsi Judaei, quum aliquot post annos (363), vivo adhuc s. Cyrillo, Juliani apostatae hortatu, ut templum restaurarent, fundamenta vetera eruere coeperunt. *Ammianus Marcellinus*, gentilis, Juliani comes eique amicus, rem ita narrat: „Licet accidentium varietatem sollicita mente praecipiens (Julianus), multiplicatos expeditionis (Persicae) apparatus flagranti studio perurgeret: diligentiam tamen ubique dividens, imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ac ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa et internecina certamina obsidente Vespasiano posteaque Tito aegre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro Praefectis. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciae praetor, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum, hocque modo, elemento destinatius repellente, cessavit inceptum". Hist. l. XXIII, c. 1. Factum eodem quo evenerat aut insequente anno refertur a

Variis modis impugnatum est Christi de urbis et templi eversione vaticinium. Alii existimarunt, Jesum quia intellexerat, a Judaeis se non posse agnosci ut Messiam, quamdiu templum subsisteret, ideo persuasum habuisse, Deum impedimentum istud sublaturum hinc templi eversionem quomodocunque adducturum esse. Ita H. *Gottlob Paulus*, Exeg. Handb. III, p. 340. Hac ratione praedictio tota niteretur praevisione naturali. At praevisio haec naturalis non potuisset esse certa, quum divina sapientia etiam templo non destructo efficere potuisset, ut Jesus tamquam Messias agnosceretur. Praeterea etsi naturaliter praevideri potuisset, templum destructum iri, tamen praevideri non poterat, destructum iri ea ratione qua praedicitur. Falsum omnino est, quod asserit Gottlob Paulus, Jesu praedictionem esse tantum vagam; est multiplice ratione definita.

Alii dixerunt, desumptum esse e Daniele praedicente: „Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus . . . Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo etc.“ Dan. 9, 26. Versantur quidem circa eundem eventum Danielis et Christi vaticinia, sed plura quam Daniel attingit Christus. Nihil de signis praecurrentibus habet Danielis vaticinium.

Alii quae in hoc vaticinio leguntur, e variis prophetis calamitates praenunciantibus congesta esse existimant. Sed mirum esset, si quae pro libitu congesta supponuntur, casu tam accurate et quidem tempore praenotato essent impleta.

Alii totum vaticinium, quod impletum esse diffiteri non possunt, post eventum compositum esse suspicati sunt. Sed tria Evangelia, quae hoc vaticinium late exhibent, ante urbis obsidionem conscripta fuisse constat.

Alii existimarunt, Judaeorum seditionem a Jesu praevisam esse sagacitate naturali, circumstantias quae in evangeliis leguntur, postea ab ecclesia apostolica

---

Gregorio Nazianzeno, viginti post annis a s. *Chrysostomo*, refertur a s. *Ambrosio*, a *Theodoreto*, a *Sozomeno*, a *Socrate*, a *Philostorgio* Ariano. Vid. Touttée praef. in s. Cyrilli opera. diss. I, c. 11. Bullet, Hist. de l'établiss. du Christ. tirée des auteurs juifs et païens, pag. 278 seqq. Newman, Two essays on bibl. and eccl. miracles 4. ed. p. 334.

S. *Chrysostomus* postquam eventum narravit, ita concludit: „Et nunc si venias Jerosolymam, conspicies nuda fundamenta; quodsi causam quaeris, non aliam quam hanc audies. Hujus rei nos omnes testes sumus, nostra enim aetate haec non ita pridem acciderunt. Jam considera victoriam insignem. Non enim hoc accidit sub piis imperatoribus, ne qui dicere possint, Christianos opus perfici vetuisse; sed tum, cum res nostrae essent afflictae, cum omnes de vita periclitaremur, cum omnis libertas esset sublata, cum floreret paganismus, cum fideles alii quidem in aedibus latitarent, alii vero in solitudines demigrarent foraque fugerent“. Adv. Jud. orat. V, n. 11.

Scriptor Judaeus recens, Dr. J. M. *Jost*, eventum non negat. Narrat enim: Kaiser Julian, welcher den Gedanken nährte, den Begriff einer herrschenden Religion zu vernichten und den Religionsverfolgungen ein Ziel zu setzen (?), ging damit um, auch den so hart bedrängten Juden ihr Heiligthum wieder zu verschaffen, und liess sofort nach seiner Thronbesteigung den Tempelbau zu Jerusalem in Angriff nehmen, während er zum Perserkriege grossartige Anstalten traf. Der Bau missglückte dadurch, dass bei Wegräumung des Schuttes und dem Versuche, eine neue Grundlage zu machen, aus den innern Höhlungen Feuer hervorbrach, welches die Arbeiter muthlos machte . . . Ihre (der Juden) Quellen schweigen von Julian und seinem Unternehmen, was auch in der Erfolglosigkeit seinen Grund haben mag. Gesch. des Judenth, Leipz. 1858. II, p. 170.

additas esse. K. *Hase* l. c. p. 674. At meram conjecturam proferre ut certam praedictionem prohibebat Jesu prudentia; qui circumstantias fictione postea additas esse supponit, ipse fingit reclamante evangeliorum veracitate.

Alii demum vaticinium impugnant ex eo, quod cum urbis et templi eversione Christi judicis descensus connectatur; cum autem haec vaticinii pars impleta non sit, vaticinium totum auctoritate nulla pollere dictitant. V. *Strauss* l. c. 3. A. §. 114. Notandum est, Christum respondisse discipulis, qui, quum eum audissent dicentem: „Non relinquetur lapis super lapidem", interrogaverunt: „Quando haec erunt? et quod signum adventus tui et consummationis saeculi?" Mtth. 24, 2. 3. Discipuli interrogaverunt de duobus aut tribus, de urbis devastatione, de Christi adventu, de mundi consummatione, quos duos aut tres eventus sibi junctos credebant. Christus proin respondet de eventibus, de quibus illi interrogaverant, attamen illos eventus non dicit conjunctos. Est tamen nexus inter urbis excidium et saeculi consummationem, quum in utroque eventu agatur de judicio, et praeterea alter alterius sit imago. Hinc est, quod quaedam sensu proprio et proximo de urbis devastatione sive de judicio primo intelligenda sunt, quaedam sensu proximo de ultimo judicio. Quae proprie et proxime de alterutro eventu intelligenda sint, plerumque ipsis verbis et contextu perspicuum est, aliquando non certo constat. V. s. *Aug.* ep. 199. ad Hesych. *Corn. a lap.* in Mtth. 24, 4—7. *Corder.* Catena graec. in Luc. 21, 10.

345. Pars IV. Jesus praedixit eventus futuros e libera Dei voluntate pendentes. Duplice modo libera Dei voluntas alicujus eventus causa esse potest, aut ita ut Deus solus agat, aut ita ut et homo agat attamen singulari Dei impulsu et virtute. Utroque modo Deus causa fuit eventuum, quos Christus praedixit.

Probatur 1. Christus praedixit Spiritus sancti effusionem in Apostolos eorumque mutationem. „Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis". Joan. 14, 26. Enucleatius eadem promittit et praedicit, quando ad vitam jam reversus agebat cum Apostolis. „Ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto." Luc. 24, 49. „Vos autem baptizabimi Spiritu Sancto non post multos hos dies . . . Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos." Act. 1, 5. 8. Quod praedixerat Christus, evenit die Pentecostes. Eventum fuisse supernaturalem tum spectatis signis externis tum potissimum spectata mutatione quae facta est in Apostolis, infra demonstrabitur. Prop. 92.

Rationalistae, veteres et recentiores, quod in Evangeliis et in Actibus Spiritui sancto in Apostolos effuso tribuitur, nihil aliud nisi novum majoremque eorum animum et constantiam interpretantur, quae res juxta mythologos temporis successu in eventum mirabilem sit conversa. Fingunt isti, quod legitur apud Joannem: „insufflavit et dixit: accipite Spiritum sanctum" (20, 22), referri ad eandem animi mutationem, quae promittitur apud Lucam, atque inde deducunt, eventum exiguum et naturalem traditione sensim alia et alia forma esse donatum. *Strauss*, l. c. 3. A. §. 139. Hoc mythologorum figmento potius probatur, quam multis contradictionibus implicetur systema mythologicum. Non advertunt, eodem Spiritu sancto dona communicari

diversa, atque ideo mirum non esse, Joannem agere de potestate remittendi peccata, quae tribuatur communicato Spiritu sancto, Lucam agere potissimum de virtute et potestate, qua Apostoli indigebant ad Evangelium annunciandum.

Alii Apostolorum mutationem, quam Jesus praedixit, praedictionis effectum esse volunt, ita ut Apostoli ideo solum magnam animi constantiam conceperint, quia Jesus praedixerit, ipsos eam concepturos esse. *Gottlob Paulus*, Exeg. Handb. III, p. 920. At hac explicatione non redditur ratio, cur tam sero animum conceperint, nec cur subito, videlicet die pentecostes.

2. Christus praedixit, Apostolos in universo mundo Evangelium annunciaturos esse, quod sane fieri non poterat nisi speciali et multiplice Dei auxilio. „Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae". Act. 1, 8. Id evenisse, constat ex Actibus, ex Evangelio Marci 16, 20, ex historia tam profana quam sacra.

Rationalistae, ut *G. Paulus* (l. c. p. 919), existimant, Jesum e Prophetis cognoscere potuisse, ex Hierosolymis orituram et processuram esse veram religionem. Sed explicandum esset, unde cognoverit, hos Apostolos, quos ipse misit, eam esse propagaturos.

3. Praedixit, in toto mundo fore qui etiam post Apostolos Evangelium annuncient, ac proinde alios, qui suscipiant. „Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio." Mtth. 24, 14. Non possunt esse, qui usque ad finem mundi Evangelium praedicent, nisi fuerint, qui susceperint aliisque praedicare voluerint. Caeterum Evangelii praedicationem fructu carituram non esse, indicatur promissione, quae mandato perpetuo praedicandi adnectitur: „Euntes docete omnes gentes . . . ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi." Mtth. 28, 20.

Christus praedixit, exiguum aliquem eventum, videlicet quod Maria unxerit ejus pedes, in toto mundo simul cum Evangelio divulgandum esse. „Amen dico vobis: ubicunque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus." Marc. 14, 9. Vaticinii impleti per totum mundum homines quotidie sunt testes.

In ultimam hanc praedictionem ita s. *Chrysostomus:* „Interroga Judaeum, etsi millies perfricuerit frontem, adversus hanc praedictionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim ecclesiis memorari mulierem audimus. Sunt consules, duces, viri, mulieres, nobiles, illustres, splendidi, in omnibus urbibus; et in quamcunque orbis partem deveneris, summo cum silentio audies hujus mulieris officium: nec est ulla mundi plaga, quae factum hoc ignoret. Atqui quot res multa magnaque in urbes contulerunt beneficia, bella cum laude gesserunt, tropaea statuerunt, gentes conservarunt, urbes condiderunt, et innumeros paravere reditus; et tamen cum his praeclare gestis silentio teguntur! Item reginae primariaeque foeminae innumerabilia facta contulerunt in eos, quibus imperabant, quae ne de nomine quidem ulli notae sunt. Haec autem abjecta mulier, quae tantum effudit unguentum, toto terrarum

orbe decantatur . . . Unde id, dic mihi, aut quis hoc effecit? Annon Deus ipse, cui tum hoc officium praestabatur, hanc famam per omnia terrarum loca dispersit? Proinde dic mihi, num hujusmodi praedicere virtutis humanae videatur? Quis enim sanae mentis hoc dixerit? Nam praedicere, quae facturus esset, mirum quidem ac prodigiosum; verum praedicere, quae alii facturi sunt, efficereque ut fides illis habeatur sintque cunctis perspicua, multo majus est ac mirabilius". Adv. Jud. orat. V, n. 2.

De eximio hoc vaticinio unctionem licet commemorans, nihil omnino notat *G. Paulus* (Exeg. Handb. III, p. 472). *Renan* solum novit, Jesum huic mulieri promisisse „immortalitatem" (il promit l'immortalité à la femme, ch. XXIII). K. *Hase* agnoscit junctam praesensionem (die Jahrhunderte ahnungsreich überblickend, p. 651). Si mera praesensio, non certa praevisio, Christi prudentia vetabat, rem ut certam praedicere asseverando: „amen dico vobis".

4. Christus praedixit, portas inferni nunquam praevalituras esse adversus ecclesiam. Mtth. 16, 18. Vaticinium videmus impletum per octodecim saecula, et ex modo supernaturali, quo impletum est, concludere licet, impletum iri usque ad consummationem saeculi. Hunc pariter eventum nonnisi Dei virtuti deberi ac proin humana ratione praevideri non potuisse, mirifice exponit s. Chrysostomus l. c.

Rationalistae, qui Christi vaticinia ad tempus proximum spectantia submovere solent dicendo, eadem ab Evangelistis ex eventu explicata et completa i. e. aucta esse, idem dicere non possunt de hoc aliisque vaticiniis ad tempus remotissimum relatis. Unde *G. Paulus*, qui ecclesiae firmitatem illis verbis indicari fatetur, ab omni ulteriore explicatione prudenter abstinet. Exeg. Hand. II, p. 401.

Articulus III.

De Jesu resurrectione praedicta et consecuta.

346. Tria quae arctissime connexa sunt et a revelationis christianae adversariis negari solent, demonstranda nobis sunt: Christum praedixisse se a mortuis resurrecturum, eundem fuisse vere mortuum et ad vitam rediisse.

Propositio 83. *Jesus multis modis indubieque praedixit, se tertio die a mortuis surrecturum esse.*

Resurrectio intelligitur reditus in vitam sive animae nova cum corpore unio, qua facta Christus e sepulchro prodiit. Hanc resurrectionem praedictam Rationalistae convertunt in praedictionem resurrectionis impropriae. Nonnulli statuunt, Christum praedixisse solum doctrinae vel causae suae triumphum vel spirituale suum post mortem commercium cum discipulis, hanc autem resurrectionem quasi spiritualem postea a discipulis vel ab ecclesia primitiva conversam esse in resurrectionem corporalem a Christo praedictam. K. *Hase* l. c. §. 81. Alii existimant, Jesum cum causae suae triumpho sive cum regno messiano a se instituendo conjunxisse fidem apud Israelitas communem resurrectionis aliquando futurae, hinc spem, qua certo exspectaret suum in terram reditum aliquando gloriosum, qui resurrectionis imagine ab ipso fuerit exhibitus: reditum hunc aliquando futurum, quem Jesus praedixerit, postea conversum esse in

resurrectionem. *Keim* II, 561 seq. *Hausrath*, Neutestam. Zeitgeschichte (3. Aufl. 1879) I, 484 sq. *Pfleiderer*, Religionsphilosophie (2. Aufl.) II, 195.[1]) Secundum alios denique Jesus tantum significavit, se mox in coelum receptum iri, et se in coelo constitutum discipulorum fore ducem, quemadmodum et alibi dixit: ecce ego vobiscum sum etc. *Wendt*, Die Lehre Jesu, II. (Göttingen 1890) S. 544.

347. **Probatur 1.** Loquendo cum *discipulis* de sua morte mentionem facit resurrectionis.

„Exinde coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi; et tertia die resurgere". Mtth. 16, 21. „Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat". Mtth. 17, 9 . . . „Filius hominis tradendus est in manus hominum; et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer". Mtth. 17, 20. „Tradent eum gentibus . . . et tertia die resurget". Mtth. 20, 19. Eadem leguntur apud alios Evangelistas. „Coepit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa et reprobari a senioribus et summis sacerdotibus et scribis, et occidi, et post tres dies resurgere". Marc. 8, 31. „Docebat autem discipulos et dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum et occident eum, et occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum et timebant interrogare eum". Marc. 9, 30. 31. „Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam". Marc. 14, 28. „Oportet filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis, et occidi, et tertia die resurgere". Luc. 9, 22.

Verba haec per se clarissima erant; discipulis tamen obscura erant partim ob praejudicatas de regno Christi glorioso opiniones, quibuscum non congruebat, quod simul de morte praedicebat, partim ob tenerrimum eorum affectum in magistrum, quem dira morte, quae resurrectionem praecederet, interiturum esse, animus eorum vel cogitare refugiebat. Propterea Petrus, memorata aliquando nece et resurrectione, dixerat: „Absit a te, Domine, non erit tibi hoc". Mtth. 16, 22. Hinc conquirebant, „quid esset: Cum a mortuis resurrexerit" (*τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι*)? Marc. 9, 9. Non quasi nesciverint, quid universe sit, a mortuis

[1]) Ultimo loco haec leguntur: Jesus musste entweder aufs Messiasthum überhaupt verzichten oder dasselbe auf Erden zu erlangen hoffen, sei es unmittelbar durch die siegreiche Gewinnung des Volkes oder — wenn durch den Tod hindurch, dann mittelst baldiger Wiederkunft, welche er nach dem herrschenden Auferstehungsglauben des damaligen Judenthums sich als wunderbare Wiedererweckung und Auferstehung vorstellen mochte. Es lässt sich also wohl denken, dass Jesus mit den Todesahnungen zugleich die Hoffnung der Wiederkunft gehegt und ausgesprochen haben kann, wenn auch freilich gewiss nicht in der Bestimmtheit, wie die betreffenden Aussprüche in den Evangelien überliefert sind. Es war dann diese Hoffnung die volksthümlich gegebene Form, in welche sich ihm der erhabene Idealismus seines weltüberschauenden Glaubensmuthes gekleidet hat. — Auctor tamen in nota adjecta fatetur: Ich kann übrigens nicht verhehlen, dass mir diese Frage noch nicht zweifellos geklärt zu sein scheint. (!!)

resurgere; nam futura hominum resurrectio fide tenebatur apud Judaeos, et Christus praesentibus discipulis excitaverat mortuos; sed dubium ipsis erat, quae Christus de resurrectione dixerat, essentne sensu proprio an improprio intelligenda. Porro ratio dubitandi de sensu non latebat in ipsis verbis, quae spectato potissimum contextu erant clarissima; ratio dubitandi erat in ipsis Apostolis. Eadem dubitandi causa supponenda est, quum praenunciata imminente morte et resurrectione „ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quae dicebantur.“ Luc. 18, 34. Cf. Joan. 20, 9.

Itaque quum Jesus loquitur de sua resurrectione, vox intelligenda est eo sensu, quem Christus eidem tribuit et alibi, ut quando miracula operans Joanni renunciari jussit: „Mortui resurgunt, pauperes evangelizantur“ (Luc. 7, 22), et quando Mariae dixit: „Resurget frater tuus“ (Joan. 11, 23), significans Lazari a mortuis excitationem proxime futuram. Et de resurrectione corporali tam vere loquutus est, quam vere loquutus de vera flagellatione et vera occisione, quibuscum jungebat suam resurrectionem. Nec de futura aliqua post multa fortasse saecula resurrectione sive reditu loquutus est, quum discipulis certe non per multa saecula victuris dixit: „Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat.“ Mtth. 17, 9. Nec de auxilio spirituali Apostolis eorumque sociis et successoribus semper praestando loquutus est, quum dixit: „Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.“ Marc. 14, 28. Missio enim illa, cui auxilium perpetuum addixit, non restringebatur ad Galilaeam, neque a Galilaea, sed ab Hierosolymis exordium cepit. Verbo: contextus passim ostendit, agi de resurrectione proprie dicta, et a verbis Jesu excludi resurrectionem impropriam, quam fingunt, quos nominavimus, aliique non pauci.

G. Paulus probe intelligens, non omnia, quae locis allegatis leguntur, de resurrectione impropria intelligi posse, ad suam illam hypothesim recurrit, secundum quam, quae Christus de aliqua qualicunque resurrectione dixerat, Evangelistae post eventum ita complerunt et immutaverunt, ut nonnisi de corporis resurrectione intelligi possint. Exeg. Handb. II. p. 416. Hac ratione negatur Evangelistarum veracitas multiplice testimonio confirmata. Existimat, non posse supponi, Apostolos adeo hebetes fuisse, ut verba per se clarissima, si revera prolata fuissent, non potuissent intelligere. At non hebetudine, sed aliis causis impeditos fuisse Apostolos, quominus intelligerent, antea ostendimus.

Non dissimilis est modus, quo K. *Hase* Christi praedictionem eludere conatur. Asserit, locos illos, quibus ejus resurrectio clare et indubie praedicitur, postea additos esse evangeliis: alios locos, minus claros, postea de corporis resurrectione intellectos esse. Addit, Christi in ultima coena tristitiam ejusque timorem prorsus con-

sistere non posse cum certa spe resurrectionis post triduum secuturae. Ib. 612. At haec assertio vana est. Malum enim proxime imminens vim suam in animum exercere potest, etsi constat, non diu duraturum. Novimus praeterea, Christum, ut mortem libere subiit, ita etiam ejusdem atrocitatem experiri voluisse.

348. **2.** Christus suis etiam *inimicis* annunciavit, se a mortuis esse surrecturum. Ejectis e templo negotiatoribus, quum Judaei quaererent: „quod signum ostendis nobis, quia haec facis? respondit Jesus et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.“ Joan. 2, 19—21. Corpus suum appellat templum, quia in ipso, ut Apostolus ait, „inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter“ (Col. 2, 9); sensu simili, quamvis minus perfecto, etiam fidelium „membra templum sunt Spiritus sancti“. 1. Cor. 6, 19. Congrua igitur est appellatio, etsi fortasse intellecta tunc non fuit a Judaeis.

Ex eo, quod non fuerit intellecta, minime sequitur, non fuisse praedictionem. Sufficit, ut aliquando intelligeretur, quando videlicet eventu ipso declarata fuerat. Ad rem nostram s. *Chrysostomus:* „Multa, inquit, hujusmodi loquitur (Jesus), quae audientibus sint obscura, sed post futuris clara. Cur hoc? Ut cum rei praedictae finis adveniret, probaretur, ipsum jam olim id praescivisse“. In Joan. hom. 23, n. 2. Nonnulli non tantum dubitabant, quo sensu illa templi dissolutio et restitutio intelligenda esset, sed falso etiam sensu eam intelligebant. Id etiam permittendi justa erat causa. S. *Chrysostomus:* „Cur ergo, inquit, aenigma illud non solvit, neque dixit: Non de hoc templo loquor, sed de carne mea? Verum Evangelista diu postea scribens Evangelium, dictum illud explicavit; ille vero tacuit. Quare? Quia verbis ejus fidem non habuissent. Si enim ne discipuli quidem poterant tunc intelligere, multo minus turbae“. Ib. n. 3. Caeterum causa propria, cur Judaeis signum petentibus de resurrectione minus clare loqueretur, propria illorum perversitas est, quae in ipsa petitione monstrabatur. Commode animadvertit *Maldonatus,* „solere etiam nos iis, qui nos malo rogant animo, respondere sic, ut nec omnino nihil dicamus, ne nihil respondere posse aut velle videamur; nec ita dicamus, ut intelligamur“. In Joan. 2, 19.

Absque causa igitur Rationalistae ex eo, quod Judaei Christi verborum sensum, si de resurrectione locutus sit, tum temporis intelligere non potuerint, concludunt, de resurrectione non esse intelligenda. Sufficit, si postea intelligere potuerint.

Alii vaticinium e medio tollentes affirmarunt, Jesum locutum esse de cultu, vetere nimirum abrogando, et novo inducendo, Evangelistas autem hanc sententiam in vaticinium de corporis resurrectione commutasse; provocant ad Christi cum Samaritana colloquium (Joan. 4, 21), quorundam testium accusationem (Marc. 14, 57) de templo per ipsum destruendo et alio per triduum aedificando. *Sepp.* Leb. Jesu 3. Bd. S. 470. At non loquitur Jesus de cultu; Judaei enim apud Joannem dicuntur destructuri templum, non Jesus, qui cultum veterem abrogavit. Neque quod de novo templo in triduo aedificando dicitur, ad cultum novum inducendum trahi potest, qui non est institutus per tres dies. Evangelistarum veracitate admissa Christi sermo intelligi nequit nisi de corporis surrectione.

Scribis et Pharisaeis dicentibus: „Magister, volumus a te signum videre“, respondit Christus: „Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae pro-

phetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.“ Mtth. 12, 39. 40; cf. 16, 4. „Generatio haec generatio nequam est; signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonae prophetae. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit et filius hominis generationi huic.“ Luc. 11, 29. 30. Non una ratione Jonas figura fuit Christi. Sicut Jonas ad Ninivitas, ita Christus missus est ad Judaeos. Sicut Jonas triduo fuit in ventre ceti, ita Christus triduo erit in corde terrae. Judaeis vero Christus majus fuit signum quam Jonas fuit Ninivitis; nam majus est mortuum triduo esse in corde terrae et postea resurgere, quam vivum esse in ventre ceti et reddi in lucem. Unde signum (is est verborum sensus) quale quidem petierunt Judaei, non dabitur nunc; aliquando vero dabitur quale non petierunt.

Judaeos, si non ipso momento, tamen postea praedictionis sensum intellexisse, innotuit, quum a Pilato petierunt custodiam sepulchri.

Vaticinium negandi rationem petunt nonnulli, inter quos Gottlob *Paulus*, e verbis „tribus diebus et tribus noctibus“; non enim tres integros dies et tres integras noctes Jesus in sepulchro fuisse narratur.

At vero, si haec est difficultas seria, potius demonstrat, vaticinium non esse confictum vel immutatum a Matthaeo aliove, qui, si fingere placebat, procul dubio abstinuisset a creanda sibi difficultate tam obvia. Interim tamen seria non est, quum in temporis computandi modo usus loquendi plurimum valeat, ut etiam e recentioribus linguis constat, quarum aliae decimum quintum diem vocant, quem aliae ut decimum quartum designant, aliae quatuordecim noctes vocant spatium illud, quod aliae quatuordecim aut quindecim dies vocant. Unde etiam plures, quos *G. Paulus* revelationem negandi studio et conatu non vincit, inter quos est David *Strauss*, sincere fatentur, rationem illam nullius esse momenti.

Verum neque ullius momenti est ratio, quam ut suam affert David *Strauss*. Ita enim ratiocinatur: Si Jesus resurrectionem suam praescivit, eam praescivit aut modo supernaturali, i. e. spiritu prophetico; aut eam praescivit modo naturali. Atqui imprimis non praescivit modo supernaturali. Nam ut passionem et mortem, ita etiam resurrectionem suam exhibere solet tamquam in V. T. praedictam (Luc. 18, 31; 24, 25). Nullibi autem in V. T. praedicta aut praefigurata legitur Messiae resurrectio, quum loci omnes, qui a quibusdam afferri solent, aliud dicant; unde sequitur, si statuatur, principio supernaturali praevisam esse resurrectionem, auctorem nonnisi spiritum mendacii fuisse. (Leb. Jesu II, §. 112.)

Hanc conclusionem infert, quamvis non ignoret, ipsos Judaeos, Apostolis praedicantibus, agnovisse, praedictum esse per Prophetas, Messiam a mortuis surrecturum esse. Act. 2, 29—31; 13, 33—36. Caeterum Strauss suo se gladio jugulat. Antea enim docuerat, Apostolos Jesum Nazarenum ideo thaumaturgum credidisse, quia quae vetus T. tribuat Messiae, ipsi tribuerint Jesu. Ergo nisi sibi contradicere velit, fateri pariter debet, eosdem Christi resurrectionem ideo credidisse, quia quae vetus T. tribuit Messiae, ipsi tribuenda censuerint Jesu Nazareno. Existimat porro (II, p. 691). Apostolos locos quosdam poëticos (ut Isaiae 53, 10; Ps. 16, 10), quibus justo pro-

mittatur vita et summa gloria, de Messiae, hinc de Jesu post mortem vita nova et gloriosa interpretatos esse. Fatetur etiam, discipulos errorem illum popularem, quo Judaei credebant, scriptum esse in lege, „quia Jesus manet in aeternum“ (Joan. 12, 34), post Jesu mortem facile mutari potuisse in resurrectionis fidem. Ergo fatetur, Messiae sive Jesu resurrectionem omnino congruere cum doctrina veteris Testamenti.

Quod Christus minus clare dixerat malo animo petentibus signum, id Pharisaeis praesentibus aperte declaravit alias: „Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego ponam eam a meipso; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.“ Joan. 10, 17. 18. In quae verba ita s. *Chrysostomus:* „Viden', inquit, quomodo a priori secundum probet, et a morte resurrectionem indubitatam ostendat: hoc praeceptum accepi a Patre.“ In s. Joan. hom. 50. n. 2. Si igitur quod de signo Jonae et de templo iterum excitando Christus dixerat, minus clarum erat Pharisaeis, hisce verbis sermonum illorum sensus omnino declarabatur; ex adverso autem tridui spatium, quod in prioribus sermonibus indubium erat, non definitur amplius sermone apud Joannem relato.

Nonnulli, inter quos *Sepp* (Leben Jesu III. B. S. 13. 471. *Wendt,* Der Inhalt der Lehre Jesu S. 545), asseruerunt, quod Jesus dixit de triduo, non sensu definito accipiendum esse, sed ad breve quodcunque tempus significandum adhiberi; provocant ad Christi verba: „Ite, dicite vulpi illi: Ecce ejicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras et *tertia die* consumnor“. Luc. 13, 32. Sed ultima haec sententia similis non est illi, qua mortis suae durationem significat. Praeterea si nonnisi exiguam durationem quamcunque significare voluisset, mirum esset, eum quum de resurrectione agit, semper uti voce „tertia die“, nec unquam uti phrasi, qua alias utitur ad significandam exiguam durationem: „adhuc modicum vobiscum sum“ (Joan. 13, 33); „adhuc modicum, et mundus me jam non videt“. Joan. 14, 19. Insuper brevitas temporis, quo elapso resurrecturus esset, ad rem non faciebat, quum ad resurgendum semper eadem requiratur potentia; resurrectio ipsa ad rem faciebat, quia ejus ostendebat potentiam, pariter trium dierum spatium, quo Jonas Christi fuerat figura. Et vero minus congruerent protoypon et antitypon, si in tempore esset diversitas. Probe id intellexerunt Pharisaei, ut eorum ad Pilatum legatio demonstravit (Mtth. 27, 64). Merito supponitur, Pharisaeos non ignorasse, loquendi usus quid ferret aut non ferret.

349. **3.** Jesum praedixisse, se tertio die surrecturum esse, *testati sunt Judaei* antequam resurgeret; norant idem et discipuli, quamvis quo sensu intelligenda esset praedictio, primum non sint assecuti. „Altera die quae est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium.“ Mtth. 27, 62—64.

Discipuli interfecto Domino primum quidem minime sperabant, eum surrecturum esse; totus eorum agendi modus id mani-

festat. Norant quidem, Christum suam praedixisse resurrectionem, sed quo sensu intelligenda esset, nondum assecuti fuerant. Jesus per mulieres, quae quondam praedixerat, discipulis in mentem revocat: „Praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.“ Marc. 16, 7. Praedictionis illius sese recordari innuunt etiam duo illi discipuli dicentes: „Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël; et nunc super haec omnia tertia dies est hodie quod haec facta sunt.“ Luc. 24, 21. Demum aperte testatur Evangelista: „Cum ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia dicebat, et crediderunt Scripturae et sermoni quem dixit Jesus.“ Joan. 2, 22.

350. Falsum igitur est dicere, discipulos ipsam Christi praedictionem, sese a mortuis resurrecturum, ignorasse. Falsum pariter est, quod nonnulli concludunt, si Apostoli egerint ut egisse narrantur, nec Christum suam praedixisse resurrectionem, nec principes sacerdotum sepulchri custodiam petere potuisse. *(Strauss* l. c. §. 111.) Nam ex Apostolorum agendi modo concludendum non est, eos ignorasse praedictionem, sed tantum, eos non credidisse, eandem impletum iri eo modo quo impleta est. Principes autem sacerdotum agere poterant ut egerunt, si praedictionem sensu maxime obvio intelligebant, quamvis quum Jesum Messiam esse negarent, eandem hoc sensu non impletum iri censebant. S. *Chrysostomus* non dubitat hanc insinuare causam, cur Pharisaei verborum sensum melius intellexerint quam discipuli: „Rudiores, inquit, antea erant Pharisaeis; quapropter hi ex sua ipsorum sententia damnati sunt“. In Mtth. hom. 43, n. 1. Caeterum minime mirum est, discipulos rebus, quae acciderant, summe turbatos fuisse et spe dejectos.

Evangelistae narrationem, secundum quam principes sacerdotum custodiam petierunt et obtinuerunt, multis rationibus, quas quidem probabiles tantum censet, incredibilem reddere studet Gottlob *Paulus,* admittit tamen, ab Evangelista eam non esse inventam, sed conscriptam, prout tunc rumore ferebatur et ab hominibus narrabatur. (Comment. über das N. T. III. Th. p. 853). Ita autem sibi ipse contradicit. Si enim ab illius temporis hominibus, qui Judaeorum et Romanorum consuetudines optime nossent, credebatur ac narrabatur, si insuper scribebatur quo tempore, qui custodiam petierant, adhuc vivebant, improbabilis non est narratio. Ut hanc contradictionem evitarent, alii Evangelia scripta esse finxerunt diu post eventum, quum rerum momenta minus nota essent hominibus.

Propositio 84. *Jesus vere mortuus est.*

351. Vera mors opponitur non tantum morti simulatae, sed etiam illi statui, quo corpus rigeat, nulla vitae signa edat, ideoque vita exstincta videatur, quamvis exstincta non sit. Ut vita unionem animae cum corpore dicit, ita mors factam animae a corpore separationem indicat.

Ut Christum a mortuis surrexisse constet, duo sunt probanda: eundem vere esse mortuum, a tertia autem die fuisse vivum. Duplice modo Christi resurrectio impugnari potest et impugnata est impugnaturque hodie: aut negando eum revera fuisse mortuum, aut negando eum a tertia die fuisse vivum. Veteres religionis christianae hostes admiserunt, eum fuisse mortuum, sed negarunt, a tertia die fuisse vivum: ita Judaei, Celsus aliique. Rationalistae nonnulli admittunt, eum inde a tertia die apparuisse vivum, sed negant, eum mortem vere subiisse; ita Gottlob Paulus, qui Jesum syn-

cope correptum sive membris obriguisse censet. (Ex. Handb. III. p. 784.) Suffragatur nonnihil haesitans K. *Hase* (§. 109) cum aliis, inter quos nominantur *Ammon*, *Herder*, *Theile*, *Schleiermacher*, *Bunsen* etc. Cf. *Keim*, III, p. 574. Mythologi ad veterum hostium sententiam de Jesu morte redire solent. Quum autem quae in Evangeliis de Jesu redivivo narrantur, illi sententiae nimis manifeste repugnant, eadem sensim conficta et serius tantum conscripta esse dicunt; ita David *Strauss* (Leb. Jesu § 138). Etiam Ernestus *Renan* fatetur, fuisse mortuum; quid de mortui corpore factum sit, pro more dubius, nescit; nihilominus asserit, Mariae Magdalenae imaginationi vivae deberi resurrectionis historiam. Vie de Jésus ch. XXVI.

352. **Probatur 1.** *testimonio multiplice.* Mortuum fuisse testantur imprimis Evangelistae omnes. Joannes, qui aderat, scribit: „Et inclinato capite tradidit spiritum". Joan. 19, 30. Similiter et alii: „Emisit spiritum" (Mtth. 27, 50); „Jesus autem emissa voce magna expiravit (Marc. 15, 37); „et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et haec dicens expiravit". Luc. 23, 46

Vere mortuum fuisse, nec passum solummodo animi deliquium, judicarunt quotquot supplicio *praefuerunt*, eorumque judicium tanto majore pollet auctoritate, quod crucifixionis supplicium illo tempore valde consuetum esset ideoque effectus, quos in miseris producere soleret, notissimi essent. Vere mortuum esse judicarunt *milites*, qui „prioris quidem fregerunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo; ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua." Joan. 19, 32—34. Mortuum esse judicavit *centurio*, qui militibus Christum crucifigentibus praefuerat; nam Pilato interroganti mortem testatus est. Judicavit idem Pilatus, qui corpus donavit Josepho. „Pilatus mirabatur, si jam obiisset; et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et quum cognovisset a centurione, donavit corpus Jesu." Marc. 15, 44, 45.

Mortuum fuisse testati sunt *amici* testimonio duplice et quidem certissimo. Quum enim Pilatus corpus Jesu benigne permisisset Josepho caeterisque Jesu amicis, hi illud ligatum sepulchro vicino commiserunt, quod etiam lapide advoluto munierunt. Sine dubio non ita acturi fuissent, si vel minima fuisset ratio suspicandi, Jesum non vere mortuum esse, sed syncope tantum teneri ac medicamentis vitae restitui posse. Deinde quum eum a mortuis surrexisse audivissent, res tam incredibilis videbatur discipulis, ut primo quidem tempore fidem denegarent. Notum vero est, homines quam promptissimos esse ad credendum, quod fieri ex-

optant aut sperant. Discipuli non fuissent abjecturi omnem spem, si non fuissent certi, vitam penitus esse ademptam.

Mortuum esse testati sunt *inimici*. Nunquam enim permissuri fuissent, ut vivus e cruce tolleretur suisque amicis redderetur. Praeterea aperte testantur, timendum minime esse ne non sit mortuus, sed tantum ne, quum mortuus sit, discipuli furentur corpus. Nam „altera die, quae est post parasceven," i. e. vespere ejusdem diei naturalis, sive in vigilia sabbati, quod vespere inchoabatur, „convenerunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam etc.". Mtth. 27, 62.

Inane est quod affert *Gottlob Paulus* (III, p. 783), testimonia omnia exigui esse momenti, quia nullus medicus attestatus sit mortem. Si absque medici testimonio de hominis nullius morte certi esse possemus, etiam de morte capite plexorum dubitandum foret. Caeterum si quis medicorum testimonium omnino requirit, multi sane medici ex factis, quae aliorum testimonio perceperunt, concluserunt, Christum revera fuisse mortuum. Quid quod tertium Evangelium, pariter attestans mortem, conscriptum est a „Luca medico"?

Gottlob *Paulus*, qui existimat, Jesu vitam non penitus ademptam, eumque ipsa natura agente ad vitam plenam revocatum et solum sua vi e sepulchro prodiisse, sententiam suam firmare studet historia quam narrat *Josephus* (vita c. 75). Is enim quum inter plures a Romanis crucifixos conspexisset tres Judaeos sibi notos et adhuc vivos, a Pilato petiit ut illi de cruce tollerentur sibique permitterentur. Quamdiu jam pependerint, non narrat Josephus. Unus horum trium servatus et sanitati restitutus est. — K. *Hase* ex eadem historia argumentum petit.

Haec historia imprimis nullatenus verisimilem reddit opinionem, Christum fomentis in vita conservari potuisse. Nam non erat eadem conditio Jesu crucifixi et illorum trium Judaeorum: isti viventes conspiciebantur a Josepho, Christus mortuus judicabatur ab omnibus. Imo historia illa potius confirmat sententiam, Jesum vere mortuum fuisse. Si enim notum erat Judaeis, hominem e cruce sublatum, modo adhuc vivat, curis et fomentis sanitati reddi posse, curae hujusmodi non ob aliam causam Jesu denegatae sunt ab amicis, nisi quod certo constaret, vitam ei esse ademptam; et a centurione et ab inimicis non ob aliam causam consensus praestitus est ut e cruce deponeretur, nisi quod certi essent, vitam aufugisse nec ullis medicamentis revocari posse.

353. **2.** *e mortis signis et causis.* Christum mortuum fuisse ipso crucis supplicio, certa mortis signa mortisque causae testantur. Dum dicimus crucis supplicium, includimus quae id praecesserunt, ut sunt agonia in horto et flagellatio. Christi corpus praebuit illa mortis signa, quae in hominibus illo supplicio necatis a rerum peritis observari solebant. Propterea crucis supplicio mortem tribuunt non tantum Evangelistae dicentes, eum „exspirasse", et „tradidisse spiritum", sed etiam centurio, qui supplicio praeerat, et

milites, qui ideo, quia mortuum conspiciebant, ad supplicium consummandum crura ejus non fregerunt [1]).

Necari Christum potuisse intra tempus illud, quo in cruce suspensus erat, facile intelligitur, si ratio habetur eorum quae tum interne in horto, tum externe passus est, flagellatione et coronatione, tum denique atrocitate crucifixionis, manibus pedibusque totidem clavis perforatis. Secundum *Origenem*, quo vivo crucis supplicium erat in usu, „qui non percutiuntur post fixionem, vivunt cum plurimo cruciatu, aliquando et tota nocte, et adhuc post eam tota die." In Matth. Commentar. series, n. 140. Ed. Migne tom. 3. p. 1793. Verum id accidit in illis, quibus haec sola poena infligitur. Fatetur ipse G. Paulus, Jesum flagellatione majorem sanguinis copiam profudisse, quam crucifixione. (Exeg. Handb. III. p. 786.) Unde sequitur, Christi mortem citius evenire debuisse, quam eorum, qui cum ipso crucifixi fuerant. Quod discrimen non advertens Pilatus, „mirabatur, si jam obiisset". Marc. 15, 44. Caeterum non immerito *Suarez:* „Pilatus, inquit, ut ego existimo, non tam mirabatur de velocitate mortis Christi, quod existimaret, tormenta non fuisse sufficientia ad illum interficiendum, quam quod aliquid divinum de Christo suspicatus fuerat, et ideo vel speraret vel formidaret illum non tam cito aut certe neque omnino moriturum esse." De myst. Chr. disp. 38, S. 1, n. 10.

Dubium esse nequit, quin etiam pedes clavis transfixi fuerint, quod pro viribus negat G. *Paulus*. Nam Christus redivivus dixit discipulis: „Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum: palpate et videte ... Et cum hoc dixiset, ostendit eis manus et pedes". Luc. 24, 39. 40. De manuum et pedum cicatricibus haec intelligenda sunt. Patres, qui vixerunt, antequam crucis supplicium per Constantinum abrogatum esset, referunt, etiam pedes clavis fuisse perforatos. Ita s. *Justinus:* „Quum eum (Christum) crucifixerunt, fixis clavis manus ejus et pedes foderunt". Dial. n. 97. „Illud *Foderunt manus meas et pedes meos* narratio erat clavorum, qui in cruce manibus ejus et pedibus infixi sunt". Apol. I. n. 35. Eodem modo *Tertullianus:* „Foderunt, inquit, manus et pedes, quae propria atrocitas crucis". Adv. Marc. l. III, c. 19. *Eusebius*, cujus aetate crucis supplicium in usu adhuc fuerat, de Christo ita scribit: „Haec omnia tunc completa sunt, cum in cruce et manus illius et pedes clavis confixerunt." Dem. evang. l. X. p. 783 ed. Migne. S. *Augustinus*, qui temporibus Constantini vicinus erat, testatur: „Pendentes in ligno crucifixi clavis ad lignum pedibus manibusque confixi praedicta morte necabantur." In Joan. tract 36, c. 8.

Qua potissimum ratione ductus fuerit G. Paulus, ut pedes clavis affixos fuisse negaret, insinuat quum inter quatuor pro sua opinione argu-

[1]) Evangelicae narrationis veritatem Concilium Viennense tuendam censuit contra quosdam qui docebant, corpus Christi ante mortem lancea perforatum fuisse. Cf. *Suarez* de mysteriis vitae Christi disp. 41, sect. 1. *Denzinger*, Enchir. LXI, C. 408.

menta loco ultimo, at sane non infimo, etiam hoc affert: „Quomodo Jesus e syncope excitatus pedibus perforatis insistere et incedere potuisset?“ III. p. 672. Sane non potuisset. Reliqua ejus argumenta tam infirma sunt, ut etiam David *Strauss* fateatur, potiorem esse sententiam, quae tenet, etiam pedes fuisse transfixos. II. §. 130 p. 560. De crucifixione v. *Jahn*. Archaeologia biblica §. 255—257.

354. **3.** *e latere perfosso.* Si Christus non jam mortuus fuisset, sine dubio interfectus fuisset vulnere lancea inflicto. Nam lethalem fuisse ictum colligitur tum e vulnere satis largo, ut manus in illud mitti posset (Joan. 20, 27), et proinde etiam profundo, tum e fine, ob quem inferri solebat. Inferebatur enim ad finiendum supplicium, si condemnati nondum interierant sola crucifixione. Illis, qui vivi supererant, si a cruce tollendi erant, primum frangebantur crura; quae confractio erat pars supplicii; unde quandoque solam adhibitam legimus. Quia vero crurifragio vita non subito adimi solebat, hinc eidem ictus qui vocatur gratiosus addebatur. A crurifragio abstinebant milites, quum Jesum conspicerent mortuum; ut certo caveretur, ne forte vivus tolleretur, infligebatur vulnus. „Unus militum latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua.“ Joan. 19, 34.

De hoc usu ita s. *Cyrillus* Alex.: „Milites duorum quidem latronum quippe qui vivi adhuc reperti essent, crura confringunt, graviore casu ac necessitate in mortem eos detrudentes. Sed quum Jesum inclinasse caput comperissent, et jam expirasse putarent, frustra ejus crura confringi existimant; sed quum adhuc mortuum esse nonnihil diffiderent, lancea latus ejus perfodiunt.“ In Joan. Evang. l. XII. M. 7, 678. Similiter *Lactantius:* „Suffixus itaque, cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt, ossa ejus suffringere, sicut mos eorum ferebat, sed tantummodo latus ejus perforaverunt.“ Inst. l. IV, c. 26. Vid. *Lipsius* de cruce II, 14. — *Knabenbauer* in Ev. Joan. — Adalbert *Maier*, Comment. ü. Johan. — *Sepp*, Leb. Jesu III. B. VI. Absch. 75. Kap. — *Hug*, Gutachten über das Leben Jesu §. 92.

355. Miraculi et mysterii aliquid in hoc sanguinis et aquae effluvio intervenisse, docent Evangelistae verba: „Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus“. Joan. 19, 35. Non enim sufficit cum nonnullis dicere, Joannem propter Docetas voluisse tantum indicare, Christum gessisse corpus verum, non phantasticum. Id enim multo apertius elucet ex illis, quae antea de crucifixione narraverat; qui enim dubitare poterat de veritate corporis, quod tam dira eousque sustinuerat, multo magis dubitare poterat de veritate illius sanguinis et aquae. Et cur aquam, non sanguinem solum commemorat? Neque tota ratio reponenda est in hoc solo, quod Joannes indicare voluerit, impletam esse prophetiam: „Videbunt, in quem transfixerunt.“ Zach. 12, 10. Nam de sanguine et aqua emissa loquitur, de qua non agit prophetia. Denique non est dicendum, sanguinis et aquae effusae nonnisi casu mentionem fieri, quatenus videlicet de lateris transfixione proprie loqui voluerit. Nexus enim arctissimus, qui est inter hanc effusionem et solemnem Evangelistae attestationem, indicat,

saltem eodem modo in utrumque eventum attentionem converti. Inter alios *Origenes* contra Celsum hanc miraculi indolem tuetur scribens: „Aliorum quidem mortuorum corporum sanguis cogitur, nec limpida ex illis manat aqua; e mortuo autem Jesu corpore, res mira! sanguis et aqua, percusso latere fluxerunt.“ Cont. Cels. II, 36. Ipsi corpori licet mortuo actionem tribuit Origenes, de Christi sepultura paulo post scribens: „Oportuit, ut qui non erat reliquis mortuis similis, sed etiam mortuus sanguinis et aquae effusione signa vitae dederat, quique novus, ut ita dicam, erat mortuus, in novo et puro sepulchro poneretur.“ Ib. n. 69.

Qui hanc sanguinis et aquae effusionem ut naturaliter effectam explicare voluerunt, magnis premuntur difficultatibus. Modo enim admiserunt, designari sanguinis in placentam et serum separationem, quae in corpore mortuo locum habeat. Contra hoc animadvertitur a rerum peritis, aut sanguinem solum e corpore vulnerati profluere potuisse aut nihil; sanguinem solum profluere, si videlicet mox post mortem corpus vulneretur, quod in Christo non videtur factum esse, quum hora tertia decesserit et res cum Pilato postea transigendae tempus non exiguum expetierint. Modo statuerunt, lancea vulneratum esse pericardium, in quo aliquid humoris colligi dicitur, qui simul cum sanguine nondum coagulato profluxerit. Sed animadvertitur, etiamsi pericardium ita feriri supponatur, ut humor ille a pectore concavo non absorbeatur, eundem tamen esse tam exiguum, ut oculis non appareat. Ex Apostoli autem narratione patet, agi de re valde manifesta et admirationis plena. Praeterea Evangelista de aqua loquitur. Medicorum auctoritate permotus David Strauss huc tandem dilabitur, ut dicat, inquirendum esse, fierine possit, ut testis oculatus sanguinem et aquam profluere crediderit, quum solus sanguis profluxerit. Neque haec sententia eidem placet, quum, si solus sanguis profluxisset, miles, hoc vitae signo conspecto crurifragii supplicium infligere debuisset. (Leb. Jesu §. 132.) Quum igitur nulla explicatio naturalis satisfaciat, sistendum eo magis est in obvio verborum sensu et Patrum explicatione. Cf. *Suarez* de myster. Chr. disp. 41. S. 1. n. 4. — *Haneberg,* Evangelium nach Johannes, II. p. 489.

356. **4.** *ex impossibilitate restaurationis in sepulchro.* Etiamsi supponeretur. Christum animi tantum deliquium passum atque ita sepultum esse, mortem tamen effugere non potuisset. Qui fingit, hominem tam gravibus vulneribus confectum, toto paene sanguine privatum, cura nulla adjutum e syncope emergere, emersum pedibus perforatis incedere posse, ille totidem miracula supponit. Nec juvat, si quis, ut Gottlob Paulus, custodes appositos fuisse negat aut eosdem, si appositi fuerint, duorum hominum, quos angelos esse crediderint, aspectu territos aufugisse fingit. His enim admissis explicaretur quidem aliquatenus, quomodo corpus furto auferri potuerit, non explicatur, quomodo Jesus, vulneribus confectus, e sepulchro prodire potuerit.

G. Paulus, qui miracula omnia refugit, ipse mirabilis est in fingendo. Secundum ipsum Jesus, qui non mortuus, sed syncope detentus, in sepulchro depositus fuerat, ad vitam redit, adjutus quidem aromatibus, quae in sepulchro deposita et, ut conjicere licet, sepulchri aëre calidiore liquefacta fuerant (III, p. 786). (At aër inclusus

et aromata effectum potius contrarium producere debebant). Causa ultima, cur Jesus magnopere exhaustus vitam retinuerit et e syncope evigilare potuerit, reponenda est in corporis constitutione adhuc juvenili „nullisque cupiditatibus debilitata“! Ibid. Quomodo lapis revolutus fuerit, non explicatur. Hora matutina diei tertiae Jesus e sepulchro prodit, ipse lintea deponit induitque vestimenta hortulani, quippe quae in horto facillime comparari possent, p. 834. Valde quidem debilis est vulneribus inflictis et sanguine effuso, ac propterea ipsum tactum perferre non potest, quod prodit ad Mariam M. dicendo: „Noli me tangere!“ Miratur ipse quod non sit mortuus, et hoc indicat dicens: „Nondum ascendi ad Patrem meum“ p. 830. Jesus ex horto prodit, qua occasione ab aliis mulieribus conspicitur. Quo processerit, an in urbem, an in hortum Gethsemane, an Bethaniam, non constat, p. 834. Vespere est in itinere versus Emmaus, locum tribus fere leucis (60 stadiis) ab urbe distantem. Verosimile est, eum in animo habuisse sese in Galilaeam conferre. Non agnoscebatur a discipulis, partim quia alienam gestabat vestem, partem quia cruciatibus toleratis vultus ejus erat deformis, p. 832. Quum autem e duobus discipulis audisset, quanto terrore discipuli Hierosolymis detinerentur, eadem nocte redit in urbem, forte tamen non pedes; discipuli citius ipso illuc delati erant, p. 835. Jesus, quum ad domum sibi notam pervenisset, ab ancilla introductus est, et sic inopinato stetit inter discipulos. Haec omnia praestitit Jesus quamvis dire perforatus clavis et lancea percussus! Apostoli autem Jesum mortuo quam vivo similiorem gloriose resurrexisse credunt. Interim Jesus rarius inter eosdem versatur; necesse enim est, ut ad vulnera sua curanda quieti se dedat nimiumque tumultum vitet, p. 793. Mirum non est, quod etiam secundum hujus sententiae patronos Jesus ex vulneribus acceptis non diu post moritur, loco videlicet ignoto. Et hanc resurrectionis i. e. vitae conservatae et iterum manifestatae narrationem tum historice tum psychologice consideratam omni fide dignam dicit! p. 826.

Merito autem observat David *Strauss* (II, p. 673), rerum inversionem, quam G. Paulus ejusque socii efficiant, esse hanc, quod Jesum fingant inter discipulos rarius comparere ideo, quod, utpote convalescens vulneraque curans, in loco remoto et secreto delitescat. Ubi, quaerit, commodius quiescere viresque recipere poterat quam inter discipulos? Denique G. Paulus, qui tam infelix fuit in explicando modo, quo Jesus vitam conservans a morte resurgere visus sit, infelicior etiam est in explicando modo, quo postea mortuus sit. Mortuum fuisse insinuat dicens, eum febri esse consumptum (p. 793), ejus corpus crucifixionis sequelis magnopere fuisse affectum (p. 925), simulque memorans Pythagoram et Solonem, „qui se receperint“, et alios, quibus apotheosis obtigerit. Atque haec omnia congeruntur, ubi sermo est de ascensione, de cujus tamen sensu historico se dubitare fatetur.

Etiam K. *Hase* expendit (§. 112), quomodo Jesus a morte praeservari et postea vires recuperare potuerit. Affert sententiam nonnullorum, qui supposuerint, Josephi ab Arimathea et Nicodemi collusione, fortasse et largitione, obtentum fuisse Jesu syncope correpti corpus, eundem medicamentis ad vitam plene fuisse revocatum. Hanc autem hypothesim nonnisi verosimilem censet. Verosimilem judicat et alteram hypothesim, secundum quam Jesus, qui syncope affectus fuerat, in sepulchro revixit, et per illam mirabilia operandi vim et energiam, qua aegrotos sanaverat, seipsum erexit, simulque tota illa energia adhibita, manibus licet perforatis lapidem revolvit, et pedibus, quod probabilius est, pariter perforatis incessit. Provocat ad Schleiermacher et Bunsen, qui de Jesu morte sive syncope idem senserint. *Hase* non animadvertit, haec quae supponit fieri non potuisse sine miraculo vero et multiplice, quum ipse tamen vera miracula operandi vim Jesu deneget.

357. **5.** *e veterum modo religionem impugnandi.* Christum revera mortuum fuisse testatur consilium ab inimicis captum negandi reditum ad vitam, non negandi mortem. Rei christianae inimicis antiquissimis, quibus notiora erant, quae supremi supplicii modum spectabant, exploratum erat, Christi mortem nulla verisimilitudinis specie negari posse. Hinc Judaeorum fictio corporis furto sublati, quae tempore subsequente variis modis innovata est (Prop. 80); hinc Celsi et gentilium de mortis veritate consensus, solius resurrectionis contestatio. *Orig.* cont. Cels. l. II, passim.

358. ***Scholion.*** *Quo sensu Christi mors fuerit naturalis, voluntaria etc.* — Jesus „clamans voce magna emisit spiritum". Mtth. 27, 50. Mors Christi voluntaria fuit, quod ostendit hanc vocem magnam emittendo, simul tamen violenta causisque naturalibus debita, licet cum miraculo simul sociata. At singula accuratius consideranda sunt praesertim ob variam vocis „naturale" significationem, quum revelationis adversarii (Gottl. Paulus III. p. 784, Anm.; Strauss II, p. 596) aliique omnia confundere et sic in objectiones convertere soleant.

a. Christi mors fuit *violenta, non naturalis.* Opponuntur mors violenta et naturalis. Mors violenta est illa, quae infertur per vim externam oppositam naturali hominis inclinationi. Mors naturalis est illa, quae oritur ex hominis interna eique propria dispositione. Christi mortem fuisse violentam patet, quum e vulneribus vi externa illatis mortuus sit.

b. Christi mors fuit *naturalis, non miraculosa.* Opponuntur mors miraculosa et naturalis. Mors miraculosa esset illa, cujus causa esset supernaturalis, dum mors naturalis sensu latissimo est illa, quae debetur causis naturalibus. Hujusmodi erant causae, quibus Christi mors debebatur. Vulnera enim inflicta produxerunt talem corporis dispositionem, ut ab anima informari amplius non posset. Et vero, Judaei Christum morte affecisse leguntur, quod verum non esset, si ipsi non induxissent illud, quod animae a corpore separationem necessariam redderet.

c. Cum Christi morte *miraculum junctum fuit,* idque in eo situm erat, quod morti jam vicinus voce magna clamare potuit. Vires enim ad id necessariae non naturaliter conservatae aut recuperatae, sed supernaturaliter conservatae aut pro momento redditae fuerunt. Unde *Suarez:* „Quia, inquit, robur ad talem vocem emittendam ortum est e virtute operatrice miraculorum, ideo nullum novum miraculum fuit, quod corpus divinitus elevatum ad illam vocem emittendam, statim naturae suae relictum, mortem naturaliter oppetiit. Centurioni autem miraculosa fuit illa rerum successio et conjunctio, quia revera, simpliciter loquendo, miraculosa erat, quamvis ipse fortasse non perciperet, in quo esset ratio miraculi constituta." De myst. Chr. disp. 38, s. 1. n. 10. Vide s. Thom. 3, q. 47, a. 1, ad 2, qui supponit corporis robur mirabiliter usque ad illud momentum esse conservatum, dein „subito cessisse nocumento illato".

d. Christi mors fuit *voluntaria, non coacta.* Coactio opponitur appetitui elicito, dum violentum opponitur appetitui naturali. Mori cogitur, cui mors infertur dum obnititur sive cui illa ita infertur, ut, quamvis obluctans, mortis causam repellere non possit. Christi mors non fuit coacta, sed voluntaria, spectata ejus potestate eandem impediendi, qua potestate uti noluit. Im-

pedire eam potuit duplice modo: „primo quidem adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent aut non possent interficere; secundo quia spiritus ejus habebat potestatem conservandi naturam carnis suae, ne a quocunque laesivo inflicto opprimeretur. Quia ergo anima Christi non repulit a proprio corpore nocumentum illatum, sed voluit, quod natura corporalis illi nocumento succumberet, dicitur suam animam posuisse, vel voluntarie mortuum esse.“ S. Thom. 3, q. 47, a. 1. Nam suam in moriendo libertatem Christus disertis verbis enunciaverat (Joan. 10, 18).

Propositio 85. *Jesus, ut praedixerat, redivivus e sepulchro prodiit.*

359. Necesse non est hoc loco demonstrare, Christum virtute propria a mortuis surrexisse; sufficit, si virtute divina surrexit. Quod loquendi modum attinet, dum dicimus, Christum a Deo vel a Patre esse suscitatum, non negamus, eundem esse suscitatum a seipso. Nam, ut s. Thomae verbis utamur, „eadem est divina virtus et operatio Patris et Filii; unde haec duo sese consequuntur, quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris et sui ipsius.“ Sum. 3, q. 53, a. 4, ad 1. Itaque ex eo, quod Apostoli Jesum a Deo suscitatum dicunt (Rom. 8, 11), perperam illi qui Christi divinitatem negant, sententiam suam confirmare nituntur. (*Beyschlag,* Das Leben Jesu, I. p. 42.) Verum hic interim de resurrectione in se sola spectata agendum nobis est.

360. **Probatur 1.** *testimonio verace discipulorum.* Inter testes multiplices primum locum tenent discipuli. Quod de Apostolorum, imprimis Evangelistarum veracitate alibi demonstratur, sufficit quidem ad fidem faciendam etiam de Christi resurrectione. Facile autem est ostendere, rationes, ob quas fide digni sunt Apostoli, in resurrectionis attestatione modo omnino speciali locum habere.

a. Ante omnia constat, in Apostolis non fuisse voluntatem decipiendi homines conficta quacunque resurrectionis narratione. *α.* Deerat, quae ad fingendum requirebatur, conditio. Si mortuo Jesu viva iisdem fuisset persuasio, eum praedixisse, corpore se surrecturum esse, dici fortasse posset, eos narrationem ideo finxisse, ut vaticinium illud impletum crederetur. Sed minime tunc persuasum eis erat, Jesum id praedixisse. Quum jam aliorum testimonio constaret, Jesum surrexisse, Thomas dubitabat nihilominus, utrum figura quae apparuerat, verum esset Jesu corpus. Imo et reliquis idem dubium quandoque insedebat. *β.* Admissa etiam illa conditione, deerat fingendi causa. Si enim Christus vaticinium illud non erat impleturus, deceptor erat; nihilominus ad ejus fraudem tegendam Apostoli fingebant narrationem, quae ipsius etiam vitae jactura tuenda erat. Id autem absurde statueretur in hominibus sinceris, simplicibus, quales novimus fuisse Apostolos. *γ.* Nec poterat decipiendi voluntas inesse Apostolis, qui magistri casu tristi perculsi ob Judaeorum metum domi se continebant.

Discipulorum fuga, Petri negatio non permittit credere, homines ejusmodi, quum ultimus casus acciderat, satis sui fuisse compotes, ut narrationem fingerent, quae crederetur; multo autem minus permittit existimare, homines ejusmodi paratos fuisse ad ultimum etiam supplicium pro tali fictione subeundum.

Saepe hoc argumentum urgent Apologetae et s. Patres. Inter quos ita s. *Chrysostomus:* „Si mortuus fuisset Christus neque resurrexisset, qui fieri potuisset, ut qui, dum superstes esset, ob periculum imminens fugerant, eo jam vita functo, propter illum mille periculis seipsos objicerent? Ac ceteri quidem omnes fugerunt, Petrus vero etiam cum juramento ter illum negavit. Et qui ter illum cum juramento negaverat, et vilis ancillulae fuerat timore perculsus, posteaquam obierat, nobis rebus ipsis volens fidem facere, se suscitatum illum a mortuis vidisse, sic repente mutatus est, ut integrum populum aspernaretur, et in medium Judaeorum theatrum prosiliret, diceretque, illum qui crucifixus fuerat et sepultus, a mortuis die tertia surrexisse atque in coelos ascendisse, neque se mali quidpiam reformidare. Unde igitur factum erat, ut adeo confidens esset? Non aliunde sane, quam ex eo, quod de resurrectione certior factus esset.“ In princip. actor. hom. 4, n. 8. Ed. M. 3, p. 109.

b. Circumstantiae speciales facile demonstrant, discipulos imprimis errare non potuisse in facto quod testantur. Non paucis, sed omnibus Apostolis, aliis quoque discipulis, mulieribus, imo, teste Paulo, „visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent adhuc, quidam autem dormierunt“. 1. Cor. 15, 6. Apparuit non uno solum die, sed per quadraginta dies, non semper nocte, sed etiam interdiu, modo in cubiculo, modo sub divo; manducavit cum discipulis, eisdem sua monstravit vulnera, se tangi jussit. Etiam in hominibus credulis non facile error supponi posset post apparitiones tam multiplices et varias. Novimus autem, discipulos non tantum non fuisse credulos, sed animo tam dejectos et ad resurrectionem sperandam vel credendam tam parum pronos, ut rei evidentia ad persuadendum ipsis vix sufficeret.

361. Evangelistarum testimonium infringere nonnulli voluerunt notando discrimina, quae in referendo apparitionum ordine et modo intercedunt; unde quum sibi mutuo contradicere videantur, alter alterum refellere dicendus est.

At 1. plurium hominum testimonium auctoritate sua non privatur, si in re principali consentiunt, in rebus levioris momenti sibi contradicunt, modo ex hac in rebus levioribus pugna concludi non possit, eos in fraudem conspirasse. Evangelistas non conspirasse, patet tum ex antea dictis, tum ex eo, quod illa, quibus dissentire videntur, certe evitassent, si historiam studiose finxissent.

2. Diversitas illa non est mutua contradictio, quia alter non affirmat, quod alter negat, sed modo refert, quae alter omisit, aut non de iisdem personis loquitur, de quibus alter agit, aut denique alio ordine narrat, licet non alio ordine res accidisse affirmet. Haec inter varias narrationes diversitas exaggerari solet ab illis tantum, qui animo obfirmato resurrectionem negant; dum illi, qui Jesu mortem negantes, ejusdem e sepulchro progressum fatentur, diversitatem illam facile explicari posse contendunt. Exemplo est G. *Paulus*, qui notat, ad „harmoniam“ inter varias narrationes perspiciendam sufficere, ut mente teneatur, mulieres non semper omnes

simul mansisse, nec omnia simul vidisse, imo nec omnes ex urbe exiisse, quum, utpote peregrinae, verosimiliter apud varias sibi notas familias hospitio exceptae fuerint, ac proinde nonnisi prope sepulchrum sibi fuerint sociatae. Exeg. Handb. III, p. 824. Quum nullus Evangelistarum ex ordine singula referre velit quae singulis evenerunt, multa autem evenerint et multae personae partes egerint, mirum non est, alio et alio ordine ab interpretibus eventus diversos disponi.

Alii testimonium discipulorum non sufficere ex eo probare nituntur, quod Jesum nonnisi in corpore glorioso, „non in corpore crucifixo et terreno“ conspexerint. Ad. *Harnack,* Dogmengeschichte I. (2. Aufl. 1888), p. 74. An.

Verum Evangelia non narrant, Christum conspectum fuisse in corpore glorioso; ostendunt utique, corpus ejus penitus obedivisse animae, quod quidem etiam ante mortem, cum supra aquas ambularet, locum habuerat; sed non in hoc solo status gloriosus totus consistit. Imo narrant, Jesum conspectum fuisse in eodem omnino corpore, quod cruci affixum fuerat et quod verum esset corpus, non phantasma, cum et cibum sumeret. Hanc quidem narrationem postea additam fuisse Harnack pro arbitrio fingit.

362. **2.** *inimicorum testimonio.* Praeter discipulos resurrectionis testes sunt Christi inimici. Inter hos referimus custodes, qui quum angelus „descendit de coelo et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum“, „prae timore ejus exterriti sunt et facti sunt velut mortui.“ Mtth. 28, 2. 4. Etsi ipsum Dominum non viderunt, tamen vel solus lapis per angelum revolutus, quid ageretur, satis demonstravit.

Ipsi principes sacerdotum resurrectionem testantur tum illis, quae resurrectionis nuncio accepto facere omittunt, tum illis, quae faciunt. Omittunt illa sola uti ratione, quae ad resurrectionis fidem convellendam quam maxime efficax erat et obvia: non adeunt sepulchrum, ut Christi corpus in eo inclusum oculis exhibeant. Duplice autem ratione utuntur, quae satis ostendit, eos Christi resurrectionem negare non posse: militibus dant pecuniam copiosam, ut dicant, „quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum“ (Mtth. 28, 12. 13); Apostolis resurrectionem nunciantibus et novo miraculo confirmantibus comminantur, „ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum“. Act. 4, 17.

363. Ab incredulis usque ad nostra tempora repetitum est, quod *Celsus* hisce conceperat verbis: „Si suam divinam potentiam revera innotescere voluit (Christus), oportuit utique, ut se suis adversariis, suo judici, omnibus omnino ostenderet.“ *Orig.* c. Cels. II, 63. Increduli recentiores ita objicere solent, ut resurrectionis veritatem, quae discipulorum tantum testimonio nitatur, in dubium vocent.

Objectionis vis nulla est, ut multiplice ratione facile demonstratur.

1. Falsum est, credibilem et certum non posse esse eventum, qui amicorum tantum testimonio cognoscitur. Amicorum testimonium sufficit, quoties de eorum veracitate constat; de ea autem saepe constare potest.

2. Falsum est, Christum apparuisse tantum discipulis et amicis. Apparuit Saulo adhuc persequenti discipulos. Qui Sauli testimonio ideo vim

adimi existimat, quia visione illa conversus fuerit, is eodem jure aliorum Pharisaeorum testimonio, si conversi fuissent, vim adimi diceret.

3. Falsum est, pro Christi resurrectione allegari tantum posse amicorum testimonia; vidimus enim, accedere custodum aliorumque testimonium.

4. Christus sine dubio apparere potuisset omnibus suis inimicis; liber enim Deus est in beneficiis conferendis. Possunt tamen concipi rationes congruae, ob quas potius suis amicis, imprimis discipulis, apparere voluerit quam omnibus suis adversariis, praesertim quum et his ejus resurrectio argumentis sufficientibus credibilis redderetur. Has rationes varias dum Patres exponunt, minime asserunt, non licuisse, ut Christus illis appareret; ostendunt tantum, cum libera sua operatione fines sapientiae congruos prosecutum esse.

Consonat hic Dei agendi modus cum revelationis consilio, quo statuit, doctrinam credendam proxime non singulis communicare, sed aliquibus committere, per quos doceantur reliqui. Prop. 13. Inter doctrinas religionis praecipuas est Christi resurrectio. Hinc s. Petrus: „Hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis . . . Et praecepit nobis praedicare populo et testificari“ etc. Act. 10, 40—42.

364. **3.** *testimonio fidem suscipientium.* Resurrectionis veritatem testati sunt, quotquot Apostolis praedicantibus Evangelium susceperunt. Apostoli enim Christi resurrectionem praedicarunt ut doctrinam quasi principalem et fundamentalem, quae reliquas omnes contineret verasque ostenderet; unde quotquot crediderunt, Christi resurrectionem veram esse agnoverunt. Non autem agnovissent, nisi rationibus aut naturalibus aut supernaturalibus adducti fuissent; et ita nobis sunt *mediati* resurrectionis testes.

Ipso Pentecostes die Petrus Judaeis Christi resurrectionem annunciavit: „Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus“. Act. 2, 32. „Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.“ Act 2, 41. Resurrectionis miraculum novis etiam miraculis confirmarunt Apostoli. Claudo subito sanato Petrus ad populum stupentem dixit: „Auctorem vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et fides, quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.“ Act. 3, 15. 16. „Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia.“ Act. 4, 4.

Hujus miraculi efficaciam expendens s. *Chrysostomus* ait: „Vides, aptius ad fidem faciendam resurrectionis hoc (miraculum) fuisse? Nam illud quidem (resurrectionis miraculum) cum proprius discipulus ejus vidisset, incredulus fuit, at haec cum etiam inimici spectassent, crediderunt. Ita majus hoc illo fuit et evidentius, plusque ad illos alliciendos valuit atque flectendos, ut resurrectioni fidem haberent.“ In princ. actor. hom. IV. n. 6. Quamvis enim in se majus erat resurrectionis miraculum, tamen quia a sensibus erat remotius, facilius in dubium vocari primum poterat, ut discipulorum exemplo discimus.

S. *Augustinus* de modo, quo resurrectio credita sit, disserens: „Resurrectio, inquit, Christi et in coelum cum carne, in qua resurrexit, ascensio

toto jam mundo praedicatur et creditur; si credibilis non est, unde toto terrarum orbe jam credita est? . . . Qui Christum in carne resurrexisse et cum illa in coelum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, sed etiam mirifica facientibus credebant. . . . Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit." De civ. XXII, 5.

365. **4.** *e conatibus irritis substituendi alium eventum.* Resurrectioni corporali, quam tot testimonia confirmant, impossibile est substituere causam vel eventum quemcunque, qui narrationi evangelicae ansam dederit. Omnes, qui humano testimonio vel tantillum auctoritatis tribuunt, cum Davide *Strauss* (Leben Jesu 3. A. § 138) fatentur, exiguo post Christi mortem elapso tempore accidisse aliquid, quo in discipulis haec certa generaretur persuasio, Christum redivivum e sepulchro prodiisse ac pluries sese discipulis videndum imo et tangendum praebuisse. Hujus persuasionis causa non poterat esse alia nisi ipsa secundum corpus resurrectio; alia enim quaecunque causa ad certam resurrectionis persuasionem ingerendam non sufficiebat, ut tot irriti conatus, corporali resurrectioni aliud quidcunque substituendi, satis demonstrant.

366. a. Persuasionis illius *auctorem* Spinoza statuit *Deum ipsum,* dum simul Christi secundum corpus resurrectionem in mere spiritualem convertit. Ita enim scripsit: „Concludo itaque, Christi a mortuis resurrectionem revera spiritualem, et solis fidelibus ad eorum captum revelatam fuisse, nempe quod Christus aeternitate donatus fuit, et a mortuis (mortuos hic intelligo eo sensu, quo Christus dixit: sinite mortuos sepelire mortuos suos) surrexit, simulatque vita et morte singularis sanctitatis exemplum dedit, et eatenus discipulos suos a mortuis suscitat, quatenus ipsi hoc vitae ejus et mortis exemplum sequuntur." Ep. 23. ad Oldenb. apud Strauss l. c. II. §. 138. Itaque apparitionibus omnibus, quas Spinoza non negat, id tandem a Deo intendebatur, ut Apostolis persuaderetur, Christum esse beatum. Quasi de hoc unquam dubitarint Apostoli, et Thomas tantum scire noluerit, Christum esse beatum! Neque Deus finem, quem juxta hanc hypothesin apparitionibus intendisset, consequutus fuisset; manifestum enim est, Apostolos omnesque fideles per hos mille fere annos credidisse, apparitionibus illis demonstrari corporalem, non mere spiritualem Christi resurrectionem.

367. b. Quod Spinoza tribuit Deo apparitionum auctori, id alii tribuerunt *animae Christi,* quae quomodocunque visibilem sese exhibuerit discipulis, istamque hypothesin aliquatenus credibilem reddere student argumento petito ex hodierno „spiritismo". Juxta hanc hypothesin anima Christi omnes in errorem induxisset plane invincibilem. Non attendunt, Apostolis maxime persuasum fuisse, se non tantum animam vel spiritum conspexisse et tetigisse, sed verum hominem anima et corpore vero compositum; ipsisque narrantibus Christum imprimis id egisse, ut tangendum se praebendo et manducando demonstraret, se non esse phantasma.

368. c. Alii verae resurrectioni et veris apparitionibus Christi substituerunt *discipulorum imaginationem* et *illusionem*. David *Strauss* postquam multis conatus est ostendere, resurrectionis narrationem non cohaerere et Evangelium alterum alteri contradicere, imprimis concludit, scriptores traditiones referre diversas et rumores minime certos. Fatetur quidem, plus momenti inesse primae epistolae ad Ephesios (15, 5 seqq.) indubie authenticae et scriptae triginta nondum elapsis post resurrectionem annis; ex qua constat, tempore Pauli plures, imprimis etiam Apostolos adhuc viventes, persuasum sibi habuisse, se conspexisse Jesum a morte redivivum. II. §. 136. Nihilominus ipso asserente his testimoniis non demonstratur, Jesum revera fuisse conspectum. Nam ut Paulus, ita etiam Apostoli reliqui imaginationes suas subjectivas commutarunt in apparitiones objectivas, idque tanto facilius fieri poterat, quum Jesu mortuo, ut se consolarentur, e Scripturis deducerent, eum a morte esse surrecturum. II. §. 138. p. 691. Quae in Evangeliis de custodia apposita, de sepulchro vacuo invento aliaque similia narrantur, temporis posterioris figmenta sunt. Postquam semel statutum erat, Jesum suscitatum esse, narratio ornamentis, quibus potissimum angeli aptissimi erant, carere non poterat. §. 138. Itaque ut e multis, quibus haec explicatio deformatur absurdis, aliqua removerentur, ipsa historia immutanda fuit.

Huic hypothesi, quam dicunt visionum (Visionshypothese), quae autem verius illusionum vocatur, hodie multi adhaerent. Eandem probabilem reddere conatur K. *Hase* et admittendam ducit, si altera, quae syncopen supposuerat, non sufficiat. Exemplis probare nititur, persuasionem, quam nonnulli teneant, se vidisse, quae non viderunt, morbi instar spargi posse inter plures. §. 111. Late eandem expendit, non tamen adoptat *Keim* III, 579. Hic potius existimat, de modo quo Jesus ex hac vita decesserit, nihil certi sciri posse; hoc unum per historiam constare, Apostolos credidisse, Jesum revera a mortuis surrexisse, et huic eorum persuasioni deberi orbis conversionem (p. 600). Si per historiam constat, Apostolos id credidisse, etiam constat, Jesum surrexisse; haec enim fides, attentis rebus, oriri non poterat nisi e facto ipso.

Visionum sive illusionum hypothesis, quae apud recentiores resurrectionis adversarios longe est communior, recens non est. Saeculo II eandem proposuit *Celsus*, cui *Origenes* lepide respondet. „Celsus, inquit, vult, quosdam somniare vigilantes et inani opinione delusos sibi animo exhibere, quae desiderent. Hoc quidem per somnium fieri, absurdum non est dicere; idem vero vigilantibus accidere, id non fit verisimile, nisi sint extra se et mente capti . . . Quamvis igitur Celsus visiones de Jesu cum aliorum somniis, eosque qui Jesum viderunt post ejus resurrectionem, cum iis comparet, quos inania spectra ludificantur; nemo candidus et prudens res, quae ad Jesum pertinent, examinaverit, quin agnoscat, eas esse caeteris longe magis admirabiles.“ Cont. Cels. l. II, n. 60. 62.

Haec visionum sive imaginationum hypothesis pugnat non solum cum Evangeliorum narratione, sed etiam cum indole sobria et agendi modo illorum, qui in resurrectionis historia nominantur. Hypotheseos patroni supponunt aut supponere debent, imaginationem sive illusionem illam natam esse e summa fiducia, qua discipuli resurrectionem Christi exspectabant. Historia autem non fiduciam discipulorum, sed animum eorum fractum summeque diffidentem testatur. Ad hoc intelligendum sufficit, attendere

illa, quae Renan, hanc hypothesin commendans, historia contradicente fingit. Les Apôtres, ch. 1. Paris 1866. p. 2. Sabbato, quando Jesus in sepulchro jacebat, ejus amici, amore flagrantes, verum miraculum patrarunt: Jesum suscitarunt in corde, utpote certi, eum vivere. p. 5. Postero die mulieres se contulerunt ad sepulchrum; accidit aliquid, quo inducerentur in hanc opinionem, sepulchrum esse vacuum; quisnam vero eventus ille fuerit, dici non potest, quum Evangeliorum narrationes non cohaereant et mutuo sibi contradicant. Maria Magdalena sibi imaginatur, sese in horto vidisse Jesum, persuadet Petro, Joanni et reliquis. Unde „gloria resurrectionis proprie est Mariae Magdalenae, ipsaque post Jesum ad religionem christianam instituendam plurimum contulit.“ p. 13. Aliae mulieres viderant „hominem album“, qui postea fama in angelum mutatus est. Duo discipuli profecti in Emmaus hominem peregrinum, cum quo coenant, vident frangentem panem; gestus iste eisdem in memoriam revocat Jesum, qui pariter panem fregerat. Jesu recordatio eos ita detinet, ut socii illius obliti non animadvertant, eum iter jam continuasse. Ad se reversi existimant, Jesum sibi apparuisse. p. 19. 20. Haec incredibilia nimisque absurda videri possint. At Ernestus Renan pagina praecedente valde prudenter monuerat, Palaestinam tempore illo fuisse unam e regionibus minime excultis, Galilaeos fuisse maxime ignaros inter Palaestinenses, et discipulos Jesu fuisse inter simplicissimos Galilaeos. p. 18. Eadem die quum vespere discipuli essent simul, et summum esset silentium („urbes orientales post solis occasum mutae sunt“), lenis aura perstrinxit eorum faciem. Simul sonos quosdam audiisse sibi sunt visi. Quidam putavit, se audiisse vocem *schalom* (pax), qua Jesus uti solitus fuerat. Subito omnes crediderunt, Jesum adesse. Joan. 20, 22—23. Attamen non omnia dubia extincta sunt. Thomas qui non adfuerat, „fatebatur, sese invidere illis, qui lanceae et clavorum signa viderant. Fertur, post octo dies eidem satisfactum esse“. Levis tamen ei macula haesit. „Intuitu instinctivo et singulariter accurato“ (par une vue instinctive d'une exquise justesse) intellexerunt, exemplar quod menti obversatur („l'idéal“), non esse manibus tangendum nec indigere sensuum experientia. Videlicet qui paulo ante nobis exhibiti fuerant tamquam simplicissimi inter Galilaeos simplicissimos, quia eorum simplicitate opus habebat E. *Renan,* nunc praedicantur tamquam instinctu eximio praediti, quia idem E. Renan eo indigebat. p. 24. Quingenti Galilaei Apostolos secuti in montem crediderunt, se videre Jesum. „Aer in illis montibus exhibet singulares luminis reflexiones“ (d'étranges miroitements). Eadem illusio, quae olim locum habuerat in discipulis praedilectis (transfiguratio), iterum evenit. S. Paulus vidit plures eorum, qui spectaculo illi extraordinario interfuerant. „Post viginti quinque annos (1. Cor. 15, 6) sensus ille in iis aeque vividus erat ac primo die.“ p. 35, 36. Videlicet Galilaei, alias „instinctu exactissimo“ praestantes, tam „simplices“ erant, ut ignorarent, in montibus, quibus maxime assueti erant, esse tam miras luminis reflexiones, ut cum hominibus confundi possent! Neque per integri anni decursum illusiones hujusmodi curari et expelli potuerunt; nam auctore E. Renan „hoc vitae genere inter coelum et terram suspenso unus circiter annus elapsus est“. p. 36. Profecto si res gestae sunt quomodo nobis refert Ernestus Renan, non soli discipuli, sed etiam Paulus, „simpliciores“ fuerunt non solum reliquis Galilaeis, sed plerisque hominibus. Verum, non solum illi, sed omnes quotquot ad nostra usque tempora crediderunt, „simpliciores“ fuerunt Galilaeis.

Si hoc non placet, dicendum est, Galilaeis „simpliciores“ esse, qui existiment, totum mundum narratione tam absurda ad credendum esse inductum.

369. **5.** *ex eventuum pugna alias oritura.* Non admissa resurrectione evidens statuitur pugna inter eventus, de quibus certo constat. Certum est, Christi corpus exanime pridie sabbati depositum fuisse in sepulchro; ita enim, ut vidimus, homines fide digni testantur. Certum pariter est, idem corpus postridie sabbati non amplius fuisse in sepulchro; id non tantum Evangelistae testantur, sed etiam principes sacerdotum, qui resurrectionis fama excitata corpus exanime non monstrarunt. Certum praeterea est, non esse absorptum a terra dehiscente; nam qui primi ad sepulchrum accurrerunt, viderunt „linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum“ (Joan. 20, 7); neque Judaei unquam hujusmodi effugium tentarunt neque alii rimam monstrarunt. Certum denique est, non esse furto sublatum a discipulis; praeterquam enim quod militum custodia id non permisisset, nimis etiam timidi erant; neque tempus fuisset furibus, curandi de linteaminibus seponendis et de sudario involvendo. Et quae causa fuisset discipulis furandi corpus? Aut norant, Christum praedixisse, se corpore surrecturum esse, aut non norant. Si non norant, non poterat in eorum mente oriri consilium furandi corpus et ita fingendi resurrectionem. Si norant, Christum praedixisse, aut revera sperabant, eum esse surrecturum, aut non sperabant. Si illud, non erat ulla ratio furandi corpus. Si istud, pariter non erat, quum nemo in gratiam hominis, quem censet esse deceptorem, tantis se objicere velit incommodis, praesertim si indole est timidus. Quid igitur factum est de Christi corpore sepulto? Huic quaestioni solvendae sola sufficit resurrectio aliunde tot testimoniis confirmata.

Quaestionem hanc David *Strauss,* licet eam faciliorem redderit historiam immutando, tamen non solvit, sed solvendam differt. Supponit, corpus exanime mansisse in sepulchro; exhibitum non fuisse Apostolis resurrectionem praedicantibus, quia non primo statim tempore e Galilaea in urbem redierint. At etiamsi post annum integrum rediissent, monstrari, aut si amicorum cura remotum fuisse supponitur, in auctores inquiri poterat, praesertim quum teneretur, cujus erat hortus cum sepulchro.

Quaestionem, quid factum sit de Jesu corpore, Ernestus *Renan* vocat „otiosam et insolubilem“. (Les Apôtres, p. 38). Molestam dicere volebat aut debebat. Nihilominus eam solvere tentat. Fatetur, apud Judaeos invaluisse opinionem, Christi corpus per discipulos esse sublatum; simul tamen fatetur, hanc solutionem non plene satisfacere, quum constet, discipulos credidisse, Christum vere surrexisse. Nonnihil quidem inclinat in sententiam, ab aliquibus discipulorum, ceteris ignorantibus, sublatum esse corpus. Fortasse tamen perspexit, seipsum hanc hypothesin paulo ante

dixisse impossibilem statuendo, discipulorum fidem conciliari non posse cum furti hypothesi; omnibus enim certum erat, Christum surrexisse. Confugit ad Judaeos, existimans, ab his fortasse sublatum esse corpus, videlicet ad evitandos tumultus, quorum occasio fieri potuerit corpus exanime hominis vulgo adeo cari. Sed etiam hac hypothesi mox dimissa -- nimis enim absurda apparet — suspicatur, ab horti possessore aut ab hortulano fuisse remotum. Sed ingenue fatetur, „linteamina posita“ et „sudarium separatim involutum“ (Joan. 20, 6. 7) non congruere cum hac hypothesi. Subito veram solutionem invenisse sibi videtur: „linteamina posita“ et „sudarium involutum“ produnt foeminae manum! (Cette dernière circonstance ferait supposer qu'une main de femme s'était glissée là.) Et vero nonnisi foeminae manus valet „linteamina ponere“ et „sudarium involvere“! Invitus cogitat „de Maria ex Bethania, praesertim cum huic die dominica mane partes certae non fuerint assignatae“. p. 42. Multis dein prosequitur, cujusmodi fraudum capaces sint foeminae etiam piissimae. Attamen si „linteamina composita“ et „sudarium involutum“ tam certa sunt indicia manus et artis muliebris, mirum est, Evangelii scriptorem et discipulos, qui sane indolem et artem muliebrem non minus perspectam haberent quam Ernestus Renan, illis indiciis non deprehendisse vestigia mulieris. Tandem generose et liberaliter largitur Renan, ut mysteria haec velo obducantur (tirons le voil sur ces mystères). p. 43. Liberalitatem istiusmodi non exigit nec admittit religio. Non enim est, quod resurrectionis historia obducatur velo; est autem, quod impietas, omnibus licet adhibitis conatibus causa cadens, obducatur pudore.

370. **6.** *e modo quo mortuus est.* Possibilitas resurrectionis colligitur e modo, quo Christus est mortuus. Vitam enim ita possidebat, ut si vellet, potentia supernaturali eam retinere posset, quod ipse clamorem magnum proxime ante mortem edendo satis monstravit. (n. 358.) Qui autem liber est in anima retinenda, ille etiam liber erit in anima revocanda et cum corpore unienda; habet enim plenam potestatem in animam et corpus et utriusque unionem. Argumentum est Origenis scribentis: „Quid mirum, si mors ejus quid majus prae se ferat, ut anima ejus egressa sponte e corpore, huc pro arbitrio redeat, postquam extra illud quaedam disposuerit? Haec Jesus apud Joannem (10, 18) dixisse narratur.“ C. Cels. l. II, n. 16.

Objic. Sunt qui resurrectionem omnem impossibilem dicunt duplice de causa. Primo enim statuunt, vitam vitaeque principium resultare e certa organorum dispositione et actione, ita ut vitae principium sit potius effectus quam causa istiusmodi dispositionis et actionis; unde inferunt, vita adempta perire ipsum vitae principium, ac proinde, si corpus ad vitam redeat, potius novum produci vitae principium. Altera eorum ratio est, quod, admissa etiam animae a corpore distinctione, corpus mortuum animari denuo non possit, quia ad animam recipiendam non sit apte dispositum. David Strauss l. c. §. 138.

Resp. Quod primum argumentum attinet, patet confundi corpus et animam statuique materialismum, cui refellendo non immoramur. Quod alterum attinet, admittimus, requiri praeviam corporis aptitudinem ad animam recipiendam; qui autem animam reducere et cum corpore unire potest, ille etiam satis potens est ad hanc aptitudinem corpori tribuendam. Supponimus, quae in biologia vel psychologia tradi solent.

Caput III.

De triplice Jesu Nazareni religionem instituentis titulo.

371. Jesus miraculis et vaticiniis triplice potissimum ratione usus est ad religionis a se institutae divinam originem confirmandam. Modo ad eadem provocavit, ut generatim se Dei legatum ac divinae voluntatis interpretem demonstraret. Modo ex iisdem novi legislatoris et quidem in lege mosaica promissi sive Messiae titulum sibi vindicavit. Modo denique ad opera sua provocavit, ut se Dei Filium Deumque demonstraret. Unusquisque horum trium titulorum efficit, ut ejus religio divinitus instituta et revelata dicatur.

S. *Chrysostomus* hanc in alliciendo et suadendo diversitatem bene describit postquam ostendit, Samaritanos Messiam exspectasse doctos solo Pentateucho, qui Messiam promittat ejusque exhibeat figuras, ita pergit: „Et cur, inquies, his Christus non usus est ut mulieri (Samaritanae) suaderet; sed Nicodemo serpentem protulit, Nathanaëli prophetias commemoravit; huic vero nihil simile dixit? Cur et qua de causa? Quia illi viri erant, qui in his versabantur rebus; haec vero mulier inops, rudis, Scripturarum expers. Ideoque non illa mulierem alloquens adhibet; sed ex aqua exque prophetia [scrutatione cordis] illam attrahit, ac per illa Christum in memoriam revocat, ac seipsum demum revelat". In Joan. hom. 33, n. 2. De doctrinae excellentiae aliisque argumentis sermo aliis in locis opportunius instituetur.

Triplex Christi titulus non solum deprimitur sed evacuatur ab illis, qui docent, religionem christianam non divinitus revelatam et institutam, sed ex humana indole evolutam et progenitam esse. Secundum hos Jesus Nazarenus pro nativo suo ingenio melius et vividius quam ullus alius concepit et expressit hanc sententiam, eo usque minime communem: Deum esse hominum patrem amantissimum; ex hac sententia profluxit quidquid docuit sive de se ipso sive de novo rerum ordine ac de regno Dei jam adveniente[1]). — Non ad hanc notionem restringi triplicem Christi titulum, ex illis, quae ex ordine jam demonstranda sunt, magis magisque elucebit.

---

[1]) Ita Otto *Pfleiderer* qui docet: Es ist insofern ja freilich unbestreitbar richtig, dass Jesus keinen neuen Gottesbegriff gelehrt, keinen andern Gott gekannt hat, als den der Propheten; aber dass Jesus die Idee *des Vater-Gottes*, welche Andere vor ihm doch nur gelegentlich und bildweise und zwar meist für das Verhältniss Jahves zum Volke Israel gestreift hatten, als *centrale Wahrheit in seinem*

Articulus I.

De Jesu Nazareno Dei legato.

372. Qui Jesum Dei legatum et a Deo missum dicit, etiamsi interim in eo solum hoc intueatur, quod ei cum aliis Dei legatis commune fuit, ideo non excludit ab eo alios titulos, quibus prae aliis Dei legatis eminet. Etiam Messiae competebat legati titulus, quamvis ratione magis speciali quam aliis prophetis; et Dei Filius etiam missus est in mundum, quamvis ratione ei soli propria. Communem legati titulum eidem primum vindicare ideo potissimum expedit, quia ex hoc titulo demonstrato alii facilius deducuntur. Praeterea facilius etiam sibi persuaserunt homines, Jesum esse Dei legatum, quam eundem esse Messiam vel Dei Filium, ut patet in Nicodemo (Joan. 3, 2) et muliere Samaritana (Joan. 4, 19). Unde et Jesus illa persuasione supposita eosdem ad reliqua credenda adducere coepit.

In subsequentibus argumentandum nobis potissimum est e Jesu ipsius verbis, quae ab Evangelistis referuntur. Sunt qui existiment, invictum ex illis argumentum peti non posse, quamdiu demonstratum non est, Scripturam s. esse inspiratam ideoque in rebus singulis veracem; quum enim Evangelistae ipsi referant, discipulos, homines rudes, quaedam Jesu effata non intellexisse, dubium esse, utrum Evangelistae Jesu effata recte retulerint.

---

persönlichen Empfinden erlebte und in diesem Lichte Welt und Menschenbestimmung überhaupt und seine eigene Lebensaufgabe insbesondere eigenartig erfasste: das war allerdings die *neue Thatsache*, welche den Kern einer ganz neuen religiösen Welt in ihrer senfkornartigen Unscheinbarkeit geborgen hat. Die nächste und unmittelbare Consequenz dieses *neuen Gottesgefühls* (so nennen wir es richtiger als „Gottesbegriff") war nun ein neues *Gerechtigkeitsideal;* aus diesem ergab sich unter der Realdialektik der thatsächlichen Erfahrungen ein (theilweise) neues *Reichsideal,* mit welchem im Zusammenhang das messianische Selbstbewusstsein sich bildete. Auf diesem Wege können wir die religiöse Entwicklung Jesu — immer unter Voraussetzung des Mysteriums des angeborenen Genius — psychologisch wohl verstehen, während die herkömmliche Meinung, dass Jesus mit einer neuen Idee des Messiasreiches und einem fertigen messianischen Selbstbewusstsein aufgetreten sei, von psychologischen und geschichtlichen Schwierigkeiten mehrfacher Art gedrückt ist. Religionsphilosophie auf geschichtlicher Grundlage, 2. Aufl. 2. Bd. Berlin 1884, S. 187.

Simili modo H. H. *Wendt:* Wir dürfen auf Grund des religiösen Selbstbewusstseins, von dem aus Jesus später geurtheilt und gehandelt hat, behaupten, dass er sich, soweit sein religiöses Bewusstsein zurückreichte, immer Gott gegenüber als Sohn gefühlt hat. Gewiss hat sich dieses Sohnesgefühl bei ihm nur allmählich gebildet und erweitert und vertieft; mit der allgemeinen Entwicklung seines geistlichen und sittlichen Lebens wird sich ihm auch nur allmählich die rechte volle Bedeutung seiner Liebesgemeinschaft mit Gott, seines Lebens- und Heilsbesitzes aus Gott und seiner Kindespflicht gegen Gott erschlossen haben. Die Lehre Jesu, 2. Th. (Göttingen 1890) S. 64.

Qui haec *objiciunt*, non distinguunt inter discipulos cum Jesu praedicante conversantes et eosdem discipulos postea scribentes. Rudes dici possunt discipuli cum Jesu praedicante conversantes, at rudes in rebus ad religionem spectantibus non erant postmodum discipuli iidem scribentes. Scripserunt enim post diem Pentecostes. In alios plane viros die illo eosdem mutatos esse, constat historia. Qui dubitat, an discipuli doctrinam Christi accurate exposuerint scribendo, is etiam merito dubitat, an accurate exposuerint viva voce praedicantes. Caeterum quae Evangeliis aliisque scriptis auctoritas in rebus ad religionem spectantibus competat etiam non supposita interim eorum inspiratione, dicetur postea (Prop. 97 seq.), demonstrata apostolorum missione.

Propositio 86. *Jesus Nazarenus in rebus ad Dei cultum hominumque salutem spectantibus se Dei legatum professus, et ut talis a Deo exhibitus est Joannis B. testimonio, voce coelesti, signis per Jesum editis, atque imprimis ejus a mortuis resurrectione.*

373. Ut passim, ita etiam hic intelligimus tum legationem tum revelationem proprie dictam. Cf. Prop. 13 et 14. Notandum hoc est propter illos, qui in Jesu Nazareno virum quidem eximium agnoscentes, tamen non aliam ei legationem et missionem divinam tribuunt, nisi quae ex ipsa ejus indole eximia eo modo sequatur, quo homo omnis, qui dona eximia a Deo accepit, eo ipso Dei legatus dici possit. Ita inter alios *G. Paulus*, Exeg. Handb. I, p. 274; *Strauss*, Leben Jesu, 3. A. §. 42; *Renan*, Vie de Jésus, ch. 4; Daniel *Schenkel*, Das Charakterbild Jesu, 4. Kap. *Keim*, Geschichte Jesu I, S. 523 ff. K. *Hase*, Geschichte Jesu, 2. Aufl. §. 35. Plerique eorum supponunt, Jesum nonnisi durante vita publica sensim sensimque sibi persuasisse, se Dei esse legatum vel Messiam; ita Strauss et Schenkel; alii, ut Keim, id factum esse dum Jesus versabatur cum Joanne Baptista; in baptismo id evenisse opinatur etiam Beyschlag (Leben Jesu I, p. 223). Renan censet, Jesum quodammodo invitum ab amicis et fautoribus Galilaeis permotum et compulsum esse, ut Messiae personam ageret. K. Hase (§. 35) existimat, duplicem hypothesim esse possibilem: aut hanc, ut Jesus sensim sensimque consilium inierit populum docendi et ad meliorem conditionem evehendi, aut alteram, ut etiamnum infanti consilium hoc instillatum fuerit, fortasse a matre ipsa. Diversae istorum argumentationes vel affirmationes in hoc convenire inter se solent, quod manifestandi et cognoscendi rationem confundentes, ex eo, quod Jesus nonnisi temporis successu hominibus se manifestarit, concludere solent, eum eodem quoque temporis successu efformasse consilium sese manifestandi. Similis igitur haec argumentatio est illi, qua e creatione in tempore facta concluditur, Deum in tempore concepisse creandi consilium.

374. Pars I. Dei se legatum Jesus etiam inde a publici magisterii initio usque ad mortem constanter professus est.

Probatur 1. Jesus *disertis verbis* missionem divinam identidem sibi vindicavit. Se e coelo descendisse, a Deo esse missum, coelestia revelare, credentes in ipsum vitam aeternam habituros, non credentes jam judicatos esse, late exposuit Nicodemo. Joan. 3, 11—18. Integram illam veritatum et salutarium institutionum complexionem, quam Deus hominibus destinavit et qua regnum Dei constituitur, legatio ipsius comprehendit: „Quoniam impletum est

tempus et appropinquavit regnum Dei; poenitemini et credite Evangelio.“ Marc. 1, 15. „Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.“ Luc. 4, 43. Dei voluntati obluctatur, quicunque Jesum ut Dei legatum non vult recipere: „Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi et veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.“ Joan. 8, 42. His aliisque effatis quam plurimis, praesertim illis, quibus fidem necessitate absoluta sibi habendam enunciat, Jesus legationem divinam proprie dictam tam clare sibi vindicat, ut ea in dubium vocari non possit. Et vero etiam sapientissimus quisque, si non aliam legationem vindicare sibi potest, nisi quam maxima inter homines sapientia tribuit, dicere de se non potest, quod Jesus de seipso dixit: „Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.“ Joan. 3, 17. 18.

2. Eandem legationem *factis* sibi vindicat, imprimis quum ipso praedicationis initio *templi* profanationem impedivit dicens: „Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.“ Joan. 2, 16. Non communi aut vulgari potestate se agere, ipsis verbis, quibus patrem appellat, satis indicat, idque intellexerunt Judaei quaerentes: „Quod signum ostendis nobis, quia haec facis?“ Non abnuit Jesus, auctoritatem quam sibi tribuebat, signo aliquo demonstrare, provocans ad resurrectionem suam futuram. Joan. 2, 14. 19.

Inter facta quibus legationem divinam sibi vindicavit, recensenda est *Apostolorum vocatio* Promisit illis quae Deus solus largiri potest: „Amen dico vobis, videbitis coelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes supra filium hominis.“ Joan. 1, 51. Praeterea missionis, quam ipse acceperat, eosdem participes facturus est: „Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum“. Marc. 1, 17. Quod paucis hic insinuat, evolvit postea, quum „dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem,“ eosque pro tempore misit dicens: „Euntes praedicate dicentes: quia appropinquavit regnum coelorum“. Mtth. 10, 1. 7. Poenas gravissimas intentat illis, qui eos non receperint (15); ipsis autem Apostolis persecutione impetitis divinum promittit auxilium (20). Atqui haec omnia demonstrant non magistrum vulgarem, sed illum, qui *divinae legationis* et altioris auctoritatis sibi conscius est et inde ab initio fuit.

Ipse *docendi modus* indicabat auctoritatem illam altiorem, quam sibi tribuebat. Non enim aliorum tantum praecepta in memoriam revocat, sed sua injungit. Loquitur de jugo et de onere, quod imponit (Mtth. 11, 29), et ipsius legis moralis perfectius implendae modum praescribit. Mtth. 5. Hujus altioris potestatis ratio ultima affertur ista: „Omnia mihi tradita sunt a patre meo". Mtth. 11, 27. Non latebat populum potestas, quam docendi modo Jesus sibi tribuebat. „Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et Pharisaei." Mtth. 7, 29.

3. Jesus omnia illa sibi tribuit, quae tributa ei fuerant a *Joanne:* „Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati." Joan. 5, 33. Joannes autem Jesu missionem vindicaverat divinam et quidem longe excellentiorem quam quae ipsi obtigerat: „Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti." Joan. 1, 27. Cf. Mtth. 3, 11. 12. Marc. 1, 7. Ergo quum declarante Jesu Joannes vera dixerit, Jesus sibi tribuit missionem illam magnificam, quae ipsi tributa fuerat a Joanne.

375. Pars II. Deus Jesum legatum suum esse varia ratione declaravit.

Probatur 1. *Joannis B. legati divini testimonio.* Quum primum Jesus vitam publicam inchoaturus et baptisma suscepturus ad ripam Jordanis comparuit, Joannes eum solemniter Dei legatum et superna potestate praeditum esse attestatus est. Mtth. 3, 11, 12. Marc. 1, 7. 8. Luc. 3, 16. 17. Joannis autem testimonium ipsius Dei testimonium erat, quum Joannes vaticiniis et miraculis ante suum ortum (Luc. 1, 11—22) et post ortum (63—79) factis „propheta altissimi" declaratus esset et ut talis ab omni populo agnosceretur.

Recentiores revelationis adversarii vim hujus testimonii multis modis infringere tentarunt. Imprimis contendunt, quae Baptista dixisse refertur: „Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto: et ego vidi et testimonium perhibui etc." (Joan. 1, 33), in se parum credibilia esse, quum ob varias causas supponendum sit, Jesum et Joannem mutuo sibi notos fuisse: praeterea his verbis contradici illis, quae leguntur apud alios Evangelistas, qui dicere videntur, Jesum, antequam baptizaretur, notum fuisse Joanni, ut indicatur verbis: „Joannes prohibebat eum dicens" etc. Mtth. 3. 14. Spiritus vero sanctus in columbae specie descendens, quo signo Joannes B. Jesum cognovisse legitur in quarto Evangelio, post baptisma apparuit. Unde nonnulli concluserunt, Joannem B. finxisse, Jesum sibi esse ignotum; alii Evangelistas erroris incusarunt. *Strauss* l. c. I. §. 44. *Schenkel*, l. c. 3. Kap. n. 4.

At unusquisque facile intelligit, eandem rem variis modis posse cognosci et posse esse notam et ignotam diverso respectu. Sine dubio Joannes B. norat, Messiam esse natum et Jesum, Mariae filium, esse Messiam; hoc enim mirabiliter edoctus fuerat in utero matris. Luc. 1, 41. Facie tamen non cognoverat Jesum; erat enim „in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel". Luc. 1, 80. Quamprimum Jesus, ut baptizaretur, Joannem adiit, hic interna revelatione cognovit, hominem illum esse Jesum et Messiam, quem eo usque facie nondum norat; propterea eum prohibere volebat. Insuper revelatione edoctus fuerat, signo etiam externo, videlicet Spiritu sancto in columbae specie super eum apparente, eundem demonstrandum esse, et ex hoc etiam signo cognovit Jesum post baptisma. Deus enim, qui ob rationes antea indicatas (Prop. 35) notis externis revelationem distinguere solet, simili modo hic uti voluit, praesertim si praeter Joannem et Jesum alii quoque hoc signum conspexerunt, quod verosimilius est, tum quia Lucas absolute dicit: „Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum" (3, 22), tum quia non conspecto signo Jesum denotante populus percipere non potuisset, quis Filius Dei declararetur; vocem enim a reliquis fuisse auditam postea dicemus. Vid. *Maldonat.* in Mtth. 3, 13 seqq. *Tolet.* in Joan. 1, 33. *Suarez,* De Myst. Chr. disp. 27, s. 3.

Joannis B. testimonium *Schenkel* (l. c.) impugnat e duplice capite, quia videlicet supernaturali modo Jesum cognovisse dicatur, cognitio autem, quae supernaturaliter hauriatur nec propria experientia nitatur, „valore personali" careat; et quia Joannes longe minor sit quam Jesus, si hic sit Filius Dei.

Verum nimis manifestum est, cognitionem etiam tanto esse excellentiorem, e quo excellentiore fonte hauritur; ergo cognitio Joannis ideo omnino, quia Deus ejusdem auctor erat, excellentior est. Minor sane erat Joannes; ex hoc autem non sequitur, ejus testimonium nullius esse valoris, sed tantum, spectata persona, esse minoris valoris sive dignitatis quam Jesu de seipso testimonium.

Quae objici solent contra Joannis testimonium, quatenus ad Jesum ut Messiam et Dei Filium singillatim spectat, suis locis expendentur.

376. **2.** *voce coelesti.* Publicam vitam inchoaturus et alias deinceps Jesus a Deo voce coelesti declaratus est Dei Filius, in quo Deus sibi complaceat, qui sit audiendus, hinc Dei legatus. Nondum enim probandum suscipimus, Jesum declaratum esse Dei Filium sensu omnino proprio sive Dei Filium naturalem.

a. *Baptizato* Jesu quum Spiritus sanctus in columbae specie super eum descenderet, facta est „vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui". Mtth. 3, 17. Marc. 1, 11. Luc. 3, 22. Agi de eventu supernaturali, per se patet, si fides habenda est tribus Evangelistis, qui omnes referunt, factam esse vocem articulatam, qua sententia exprimeretur. Narrationi manifesto adversantur Rationalistae, dictitantes vocem illam fuisse tonitru, Evangelistas autem vel homines spectantes sententiam illam, quam legimus, explicationis instar addidisse. (*Kuinoel,* Comm. in Mtth. G. *Paulus* Handb. I. p. 371.) Porro eventus illius auctorem fuisse Deum, non Dei adversarium, ex operis commendandi indole apertum est. Cf. Prop. 37. Denique Jesus manifesto Dei legatus Deique Filius declarabatur, ut ipsa narratio satis indicat

et diserte testatur Baptista, totius eventus finem ita exhibens: „Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.“ Joan. 1, 31. Haec enim verba e contextu de baptismo et de rebus eum comitantibus, hinc et de voce coelesti sunt intelligenda.

Merito David *Strauss* irridet Rationalistas illos, qui columbam quam apparuisse Evangelistae testantur, modo fulmen interpretantur, modo columbam naturalem volatu fortuito delatam, vocem vero tonitru. L. c. 3. A. §. 49. Ipse aliam fingit hypothesin, ut rerum narratarum veritatem negare possit. Existimat enim, mythum de Spiritu sancto, de columba, de voce audita ideo ortum esse, quia populus Jesum crediderit Messiam, e Joele autem (3, 1) et Isaia (11, 1) noverit, Spiritum sanctum descensurum esse in Messiam, spiritus Domini autem in Genesi (1, 2) tamquam avis vel columba incubans exhibeatur; quia insuper notum fuerit (Ps. 2. 9; Is. 42, 1), Messiam dici Filium Dei. §. 50.

Non explicat, prout debebat, qua ratione populus Jesum credere potuerit Messiam, si quae de Messia praedicta credebat, in Jesu non conspexerit, et praesertim qua ratione notas illas in Jesu baptizato deprehendere potuerit, quando nulla adhuc signa ediderat, verbo, cur Jesum, non alium quemcunque crediderit Messiam. Itaque temere fingit. Mythologi ipsum Jesu baptisma negant ideo, quia, utpote innocens, baptismum poenitentiae suscipere non potuerit, neque se peccatorem fingere potuerit, quum id veracitati adversetur. Strauss l. c. §. 51.

Non attendunt, Christum, qui sane erat innocens, hominum peccata in se assumpsisse, ut pro illis satisfaceret; sine ulla autem veracitatis detrimento alterum alterius debita solvere posse, si jure in ejus locum succedendi gaudeat.

Aliam rationem, cur Jesus baptismum recipere non potuerit, hanc afferunt, quod baptismus aliquid conferat, Jesu autem, si Filius Dei fuerit, nullum gratiae augmentum accedere potuerit. Unde concludunt, mythum de Jesu baptizato oriri potuisse tantum apud sectas illas, quae Jesum non crediderint Filium Dei. Ib. §. 51.

Facile admittitur, non tantum nullam gratiam Jesu Nazareno e baptismo Joannis accedere potuisse, quippe qui etiam qua homo, quum esset Filius Dei, inde a conceptione gratia omni repletus fuerit, sed etiam reliquis illo baptismo gratiam nullam fuisse collatam; excitati tantum sunt ritu illo ut et aliis ritibus ad concipienda poenitentiae sensa, quibus a Deo gratia et remissio peccatorum conjungebatur. Joan. 1, 26. 27. Finis illius baptismi respectu Judaeorum hic erat, ut agendo poenitentiam ad Christi adventum praepararentur, respectu Jesu, ut is populo manifestaretur. Cf. *Suarez* de myst. Chr. disp. 25. Sect. 2. Unde sequitur, baptismum Christo non absque ratione esse collatum, licet is eo nec gratiam obtineret nec ad poenitentiam excitaretur ut reliqui, neque ullum fructum internum acquireret. Cf. s. Thom. 3, q. 39, a. 1 et 2.

Imo nec descensu illo Spiritus sancti novum aliquod scientiae aut gratiae incrementum Christo collatum est. Toto enim illo tempore, quo „habitavit in nobis“, hinc a primo conceptionis momento, fuit „plenus gratiae et veritatis“. Nec sine ratione Evangelista postquam infantem Jesum

in templo oblatum esse narravit, addit: „Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.“ Luc. 2, 40. Majora quidem sapientiae et gratiae opera exhibuit aetate progrediente, quo sensu dicitur profecisse „sapientia et aetate et gratia“ (Luc. 2, 52); nam sapientiae vel gratiae per opera manifestatio non raro in Scripturis vocatur sapientia vel gratia (cf. *Tolet.* in Luc. l. c.). Ipsa autem gratia aucta non est, nec aucta est scientia hoc sensu, ut plura intelligeret, licet aucta dici possit hoc sensu, ut quae sive beata visione sive scientia infusa jam norat, tempore progrediente etiam scientia experimentali cognosceret.

Notandum hoc est potissimum contra exegetas quosdam protestantes, qui Jesum Messiam et Dei Filium esse tuentes, mira tradunt de incremento interno quod ex illo eventu acceperit. Modo enim docent, unctione illa spirituali eum esse adeptum cognitionis humanae, quae sensim in eo evoluta fuerit, summum culmen et plenitudinem potentiae, quae ad magisterium explendum requiratur (*Olshausen* Comm. Mtth.), quasi utrumque naturae humanae debitum hinc et collatum non jam fuerit propter ejus unionem cum Verbo, ut et apud Lucam (2, 40) puer Jesus dicitur plenus sapientia. Modo, quod etiam magis mirum, docent, ipsam scientiam divinam, quae, licet Jesus sit verus Dei Filius, in incarnatione fuerit restricta, aetate illa ita fuisse evolutam, ut munus a Patre collatum clare cognoverit; huic autem scientiae plenae in baptismo additam fuisse gratiae plenitudinem. (*Ebrard*, Wissensch. Kritik der evang. Geschichte p. 262.) Quasi perfectio infinita possit restringi, aut quasi restricta perfectione non restringatur substantia, quum in Deo substantia et perfectio re non distinguantur. Unde etiam male idem scriptor quod de Deo asseruit, explicare nititur per discrimen, quod intercedit inter animae nostrae substantiam ejusque operationes.

Arbitraria denique est et cum Evangelistarum veracitate manifesto pugnat illa nonnullorum sententia quae statuit, quod de coelo aperto, de columba, de voce audita refertur, unice niti Joannis B. visione interna, quam habuisse supponitur, et quam aliis postea narraverit; eam a Christianis deinceps immutatam esse in illam, quae legitur apud Evangelistas. Ita W. *Beyschlag*, Das Leben Jesu (Halle 1887, I, p. 214). Neque alia affertur hujus explicationis ratio, nisi quod Evangelistarum narrationes mutuo sibi contradicere videantur; quod quum sine fundamento asseratur, sententia illa jure merito contemnitur.

b. In *transfiguratione* Jesu praesentibus Petro, Jacobo et Joanne, quando „resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix, et apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes“, et „nubes lucida obumbravit eos“, facta est „vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite“. Mtth. 17, 1—5. Marc. 9, 1—6, Luc. 9, 28—35. Sine dubio hic refertur eventus externus, ut verba indicant et ex eo, quod plures idem conspexerunt et audierunt, concludere oportet. Aeque certum est, eventum esse supernaturalem, Deumque ejusdem esse auctorem atque ita Jesum Dei legatum declarari.

Rationalistae nonnulli transfigurationem explicantes satis ridicule censuerunt, Apostolos de Moyse et Elia ut astantibus somniasse, videlicet tres simul eandem rem somniasse; tempestate e somno excitatos fulgura coelestem splendorem credidisse. *Kuinoel* in h. l. Quasi Jesus quum descendentibus praecepit: „Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat", eis prohibuerit, ne somnium suum narrarent! Neque quidquam fundamenti hypothesis illa accipit ex eo, quod, ut Lucas narrat, „Petrus et qui cum illo erant, gravati erant somno"; nam protinus additur: „Et evigilantes viderunt majestatem ejus et duos viros, qui stabant cum illo". Luc. 9, 32.

Non minus ridicula est explicatio illorum, qui existimant, Jesum in monte clam convenisse cum duobus hominibus sibi notis, hos a discipulis evigilantibus creditos fuisse Moysen et Eliam, solis orientis radiis, qui in montibus mirum splendorem spargunt, Jesu vestimenta fuisse ita illustrata, ut Apostoli eum splendore coelesti circumfusum crediderint; Jesum cum illis duobus viris secessisse in nebulam, qua mons ex parte tegebatur, et ex illa nebula alterum illorum discipulis in memoriam revocasse verba eadem, quae post baptismum pronunciata ferebantur; discipulos autem credidisse, esse vocem coelestem. Ita *G. Paulus,* Handb, II, p. 440. At Evangelistae non narrant, duos viros qui apparuerunt, a discipulis creditos fuisse Moysen et Eliam, sed narrant, revera Moysen et Eliam fuisse. Mirum plane est, discipulos, Galilaeae montibus assuetos, solis radios cum coelesti splendore confudisse; magis etiam mirum, eosdem ineptias, quas somno gravati credidisse finguntur, toto vitae tempore e mente excutere non potuisse, quum Petrus jam senior verba in monte audita referat (2. Pet. 1, 17).

Recte igitur David *Strauss* explicationem omnem naturalem tamquam ineptam et ludicram rejicit, sed pessime ipse narrationem historicam convertit in mythum, qui inde traxerit originem, quod homines crediderint, ut Moysis e monte descendentis, sic etiam Messiae faciem coelesti splendore suffundi debuisse. L. c. §. 105. Inepte fingitur, ubi documenta historica certa loquuntur.

c. *Morte jam imminente,* quum Jesus orasset: „Pater, salvifica me ex hac hora . . . Pater, clarifica nomen tuum"; populo adstante „venit vox de coelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo". Turba ergo, quae stabat et audierat, dicebat, tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Jesus et dixit: Non propter me haec vox venit, sed propter vos." Joan. 12, 27—30. Etiam hic nobis refertur eventus externus, quem plures perceperunt et quem ut externum designat Christus verbis ultimo allatis. Vox illa audita non erat tonitruum, quod, ut Rationalistae volunt, Joanni aliisque fuerit signum, Jesu preces esse exauditas. *Kuinoel* in h. l. Manifestum est, ab Evangelista referri eventum supernaturalem, ut supernaturalem exhiberi a Christo, et aliquos saltem e populo indolem supernaturalem deprehendisse. Vox illa erat vox articulata, non sonus tonitruo similis, ut nonnulli volunt. Referuntur enim verba, quae pronunciata fuerant. Neque dicendum est cum nonnullis, quae ab Evangelista referuntur tamquam verba sive sententiae pronunciatae, fuisse tantum cogitationes quae in discipulorum mente supernaturaliter quidem excitatae fuerint.

Qui id asserit, merito etiam existimet, totum eventum fuisse aliquid internum. Sonos articulatos perceperunt non soli discipuli, inter quos Joannes, sed etiam illi, qui existimarunt, angelum Christo esse locutum.

Ex eo, quod aliqui e populo dixerunt, „tonitruum esse factum", non sequitur, verum fuisse tonitruum aut saltem non fuisse sententiam sonis articulatis conceptam. Hanc opinionem ut et illorum, qui dicebant, angelum ei esse locutum Christo Dei mandata deferendo, Christus corrigit dicens: „Non propter me haec vox venit, sed propter vos". Vox enim opponitur tonitruo, et auditorum institutio intenta opponitur institutioni non intentae Christi. V. Tolet. in h. l. Variae sunt sententiae de causa, ob quam plures vocem illam cum tonitruo confuderint; qua de re *Maldonatus:* „Ego, inquit, solum Rupertum arbitror verum attigisse sensum, omnia quidem intellexisse omnes: sed propter vocis magnitudinem persuadere sibi non potuisse, veram esse vocem, sed aut tonitru esse, seque falli, qui humanam articulatamque vocem audivisse sibi viderentur; aut certe vocem esse angeli".

377. **3.** *signis per Jesum editis.* Deus Jesum Nazarenum legatum suum declaravit operando per ipsum miracula et edendo vaticinia, quae utraque Jesus in hunc finem dirigebat, ut per illa Dei legatus agnosceretur. Loquimur interim de illis tantum signis, quae Jesus visibiliter inter homines comparens operatus est.

a. Miracula et vaticinia a Christo in hunc quem diximus finem ordinata fuisse, ex ejusdem diserta declaratione saepe repetita abunde constat.

Provocat ad miracula, quae facturus est. „Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam". Mtth. 9, 6. Peccata dimittendi potestas pars est missionis divinae acceptae. Lazarum suscitaturus, ait: „Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me . . . Propter populum qui circumstat, dixi; ut credant, quia tu me misisti. Haec quum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras". Joan. 11, 41—43. Magna quidem erat Joannis B. auctoritas et magnum, quod Jesu dederat testimonium; attamen minus erat testimonio, ad quod ut a Patre sibi redditum provocat: „Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me." Joan. 5, 36. 37. Testimonium acceptum a Joanne minus erat illo, quod Jesus ex operibus a se exhibitis capiebat, quia Jesu opera vim et efficaciam ipsi propriam testabantur. Provocat ad opera patrata. „Si opera non fecissem in eis, peccatum non haberent". Joan. 15, 24. Provocat ad vaticinia. Judae proditionem praedicens addit: „Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum". Joan. 13, 19.

b. In quem finem Jesus opera illa dirigebat, in eundem dirigebat et Deus i. e. ad legationem ejus divinam confirmandam Deus per Jesum miracula et vaticinia edebat. Concurrunt enim hic rationes illae communes, ob quas miracula et vaticinia legationis divinae argumenta

esse supra demonstravimus. Prop. 42. Accedit et haec ratio specialis, quod miraculorum Christi erat tanta excellentia et tam aperta connexio cum ejus missione divina, ut prudentissimus quisque, quod et historia testatur, iisdem quam maxime ad fidem impelleretur, huic vero impulsui nemo resisteret, nisi qui evidenter pervicax et in Deum rebellis esset.

378. **4.** *resurrectione.* Jesus potissimum sua e morte suscitatione Dei legatus exhibitus est. A scribis et Pharisaeis interpellatus: „Magister, volumus a te signum videre", Jesus ad resurrectionem suam provocat ut ad missionis suae signum primarium: „Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae" etc. Mtth. 12, 38. 39. Judaei petierant signum quo probaret divinam suam legationem sive potestatem: „Quod signum ostendis nobis, quia haec facis?" Joan. 2, 18. Resurrectio primarium divinae legationis argumentum est, tum quia excellentia sua inter vaticinia et miracula primum locum tenet, tum quia, utpote signorum ultimum, omnium quasi quae Jesus per tres annos operatus fuerat, compendium est, tum quia reapse plurimos tam Judaeorum quam gentilium ad fidem adduxit, tum denique, quia Jesus, a pervicacibus ad signum edendum provocatus, ter ad eam provocasse legitur quasi ad signum, quod ad Pharisaeos obduratos convincendos per se efficacius sit, quam Jonae signum ad convertendos Ninivitas. Joan. 2, 19; Mtth. 12, 39; 16, 4. Ergo quum Jesus Dei virtute ad vitam redierit, Deus ipse hoc eventu comprobavit illud, ad quod demonstrandum Jesus hunc eventum signum esse asseruerat.

Jesus Pharisaeis signum postulantibus non solum resurrectionem futuram ut signum exhibet, sed simul addit: „Signum non dabitur nisi signum Jonae prophetae". His verbis Jesus, quatenus ipso momento signum edere recusat, imprimis innuit, sufficere illa miracula quae jam fecerat. Praeterea, quatenus Ninivitarum fit mentio, arguitur Pharisaeorum pervicacia, qui comprobabuntur duriores gentilibus. Denique insinuatur, eorum petitionem impletam iri sensu quo minime vellent; resurrectio enim confusione maxima eos afficiet, omnem eis excusationem adimet, et Judaeorum pervicaciam, obdurationem, reprobationem omnibus manifestam reddet. Cf. Maldon. in Mtth. 12, 39. Tolet. in Luc. 11, 29.

Articulus II.

De Jesu novo legislatore sive Messia promisso.

379. E divina Jesu Nazareni legatione hactenus demonstrata aperte sequitur, divinam esse religionem ab ipso institutam. Ut autem religionis hujus indoles magis pateat, exhibendus est ejusdem cum revelatione pri-

stina, imprimis mosaica nexus. Ostendendum igitur est, Jesum esse legislatorem novum in lege vetere promissum. Accedit et haec ratio. Christianum qui se dicit, Jesum Nazareum credit esse non tantum qualemcunque Dei legatum, sed et Christum sive Messiam; ergo etiam dignitas ejus messiana exhibenda est homini christiano.

Duplicis generis sunt adversarii. Alii affirmant, in V. T. promissum esse Messiam, sed hunc Messiam esse Jesum Nazarenum negant; ita Judaei plerique post Jesu Nazareni tempora. Alii in V. T. Messiam, qui homo singularis esset, promissum negant, quamvis prosperitatis cujusdam statum, quem aliqui cum homine singulari, imprimis magno quodam rege vel duce confuderint, praedictum esse fateantur. Ita Rationalistae, ad quos accedunt e recentioribus Judaeis non pauci. n. 253. Admittunt porro, Jesum Nazarenum sese Messiam credidisse; at demonstrasse negant.

Propositio 87. *Jesus Nazarenus tum Joannis B. tum suo testimonio, utroque divinitus verace, legislator in lege mosaica promissus sive Messias declaratus est.*

Joannis B. testimonium divinitus verax esse, antea ostensum est (n. 375); Jesu testimonium eadem veracitate insignitum esse, aperte constat ex ejus legatione divina jam demonstrata. Prop. 86.

380. Pars I. Joannes quoties Jesum Dei legatum esse asseruit, toties singularem illum esse asseruit, qui in lege promissus fuerat et ab omnibus expectabatur; imo apertius Messiam esse asseruit quam legatum divinum quocunque sensu acceptum.

Probatur 1. *exhibito Jesu ut novi ordinis auctore.* Docet, Jesum inducturum esse illum rerum ordinem, qui omnibus fatentibus a Messia incepturus sit, i. e. regnum coelorum, ideoque esse Messiam ipsum. „Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum.“ Mtth. 3, 2. Regnum coelorum est regnum Messiae; auctor et princeps ejusdem regni est Messias. Quam notum id esset omnibus, testabantur turbae, quae Jesu in urbem ingredienti obviam processerunt „et clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel“. Joan. 12, 13. Regni coelorum appellatione regnum Messiae denotari, e Rabbinorum quoque scriptis constat. V. *Schoettgen.* Horae hebraicae et talmudicae, tom. I. p. 1150 seqq. tom. II. p. 22. Docet Joannes pariter, Jesum baptizaturum esse „in Spiritu sancto et igni“. Mtth. 3, 11. Judaeis fatentibus hac Spiritus sancti et donorum spiritualium effusione tempus Messiae designari, demonstrat conversio illorum, qui Petro ad hanc effusionem tamquam argumentum provocante Pentecostes die Jesum Messiam agnoverunt. Act. 2, 16 seqq. Idem etiam persuasum erat Rabbinis, ut plura eorum effata docent. Apud Schoettgen. l. c. tom. II. l. II. Joel.

2. *declarando se Messiae et Jesu praecursorem.* Dicit se Messiae, simulque Jesu praecursorem; ergo Jesum dicit esse Messiam. „Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus; sed quia missus sum ante illum.“ Joan. 3, 28. Sermo autem erat de Jesu; ad illam enim Joannis professionem ejusdem discipuli provocaverunt dicentes: „Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.“ Joan. 3, 26.

3. *exhibendo Jesum ut mundi redemptorem.* Talem eundem exhibet imagine agni, qua in lege et a Prophetis Messiam praefiguratum et exhibitum fuisse constabat Judaeis. „Vidit Joannes Jesum venientem ad se et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.“ „Altera die . . . respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.“ Quo audito discipuli duo Jesum secuti sunt; alter eorum, Andreas, „invenit primum fratrem suum Simonem et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus).“ Joan. 1, 29—41. Norat ergo Andreas agni imagine designatum fuisse Messiam. Caeterum ipsae voces: *Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ* satis indicant, designari non agnum in communi, sed agnum determinatum, sacrum, Deo offerendum, et hac oblatione „peccatum mundi“ deleturum. Haec agni immolandi figura Judaeis notissima erat ex Isaia (53, 7). Cf. Joan. 19, 36. Act. 8, 32.

Perperam contenderunt nonnulli *(Strauss,* I, §. 45), verba illa, quibus Messiae mors et satisfactio innuitur, non posse esse Joannis Baptistae, quia supponere non liceat, notum ei fuisse Messiam passurum et moriturum, quum Judaei passim exspectarent Messiam potentem, gloriosum, non moriturum.

Verum quum Joannes B. prophetae munus exerceret, multo minus supponere licet, eum laborasse errore circa statum et conditionem illius, quem populis ostendere debebat. Error ille ultimis tantum temporibus plurimorum mentes occupaverant, eique occasionem praebuerat misera reipublicae conditio et jugum a Romanis impositum. Prophetae Messiae passionem et mortem satis aperte praedixerant. Denique error ille non erat omnium. Non erat Simeonis senis ad Mariam dicentis: „Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes“. Luc. 2, 34. 35.

4. *Jesu declarationem provocando.* Joannes jam in carcere constitutus sententiam, quam palam tradiderat suisque discipulis, aemulatione quandoque laborantibus (Joan. 3, 26), persuadere conatus fuerat, in horum animis ali et confirmari voluit ipsius Jesu declaratione, quam legatione ad eum missa provocavit. „Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?“ Mtth. 11, 2. 3. Quando discipuli venerunt, Jesus „in ipsa hora multos

curavit a languoribus" etc. Luc. 7, 21. Miraculorum multitudo et varietas argumentum erat legationis messianae. Unde ad haec Jesus provocat dicens: „Euntes renunciate Joanni quae audistis et vidistis" etc. Hanc miraculorum multitudinem esse signum, quo Messias cognosceretur, notum erat populo, ut testatur Evangelium. „De turba autem multi crediderunt in eum et dicebant: Christus quum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?" Joan. 7, 31.

381. Ipsa mittendi occasio, quae erat fama miraculorum, „quae exiit in universam Judaeam de eo" (Luc. 7, 17), demonstrat, Joannem ipsum nullatenus dubitasse. Nam qui Jesum miraculis nullis adhuc patratis Messiam esse cognoverat, certe dubitare non coepit, quum populus, tot miraculis motus, Deum magnificabat dicens: „Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam." Luc. 7, 16. Omnem a Joanne suspicionem removet magnificum Jesu testimonium: „Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?" Mtth. 11, 7. Fuisset Joannes arundo vento agitata, si post tam praeclaram fidei professionem, quam Jesu miraculis nondum auditis ediderat, dubitare coepisset quamplurimis jam Messiam agnoscentibus. Praeterea Jesus ipse provocat ad testimonium, quod Judaeis ad ipsum missis dederat. Joan. 5, 33. Provocare prudenter non potuisset, si ille ante mortem dubium se exhibuisset. Unde non Joannes, sed quidam ex ejus discipulis notabantur verbis: „Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me." Mtth. 11, 6. Nec obstat, quod Jesus discipulis dicit: „Euntes renunciate Joanni, quae audistis et vidistis". Mtth. 11, 4. Responsum mittitur illi, cujus nomine quaestio delata fuerat. Sicut autem ex eo, quod Joannes suo quidem nomine, attamen propter discipulos, Jesum interrogaverat, non sequitur, ipsum dubitasse, ita ex eo, quod Jesus ei per discipulos responsum misit, non sequitur, Joannem a Jesu dubitantem exhiberi. Concludendum igitur cum *Maldonato:* „Vera est Hilarii, Chrysostomi, auctoris imperfecti, Cyrilli Alex., Euthymii, Theophylacti, Ruperti sententia, Joannem nullo modo, ejus vero discipulos aliquo modo de Christo dubitasse." In Mtth. c. 11, 3.

Joannem ipsum dubitasse, existimarunt non pauci, quamvis in dubitandi ratione assignanda differant. Provocant nonnulli ad Tertullianum, qui dicit, spiritum propheticum ab eo recessisse. Adv. Marcion. IV, 18.

De hac Tertulliani opinione *Maldonatus:* „Illa, inquit, aetate nondum satis culta theologia hujusmodi aliquando spinas proferebat". In Mtth. 11, 3. Et vero, spiritum propheticum ab eo non recessisse, testatur Jesus, disci-

pulis illis abeuntibus magnifice laudans Joannem eumque vocans „prophetam et plus quam prophetam“. Mtth. 11, 9.

Nonnulli dubium explicare tentant supponendo, Joannem quidem cognovisse, Messiam fore et humilem et gloriosum; sperasse, fore ut Messias regnum gloriosum mox inciperet; carcere detentum, quum exspectationem illam non impleri videret, dubitare coepisse, an Jesus revera esset Messias sive an ipse rationibus satis gravibus motus fuerit, ut eum crederet Messiam. Hujusmodi vero dubium tanto facilius oriri potuisse, quo tempore Joannes malis premebatur nec amplius speciali modo Spiritus sancti in se actionem experiebatur, utpote munere prophetico jam perfunctus. Porro quum et miracula Jesu praedicari audiret, fidem abjicere non potuisse; atque ita suspensum maxime e re fore censuisse, ut fidos quosdam discipulos ad Jesum mitteret.

Explicationi huic adversantur omnia superius allata. Adversantur, quae Joannem aliosque de Messia redemptore cognovisse ostendimus. Adversantur imprimis, quae Jesus magnifica dixit de Joanne. Nam ista admissa explicatione Joannes quia serio et deliberate dubitavit, a fide defecit, quum a fide deficiatur et fides destruatur non tantum negando, sed etiam deliberate dubitando; serio autem et deliberate dubitavit, ut adversarii supponunt et ipse agendi modus secundum illos ostendit. Si autem a fide defecit, Joannes fuit arundo non tantum a vento agitata, sed confracta.

Alii admittunt, Joannem de Jesu missione non dubitasse, attamen „scandalizatum“ fuisse vel suavi ejusdem praedicatione et agendi modo, vel nimia regni messiani dilatione. Ita G. *Paulus* (Handb. I. 747). *Ebrard*, (Ev. Geschichte §. 73). Supponunt nonnulli, haec Baptistae sensa incrementum accepisse audito nuncio, Jesum ad convivia invitari etc.

At haec suppositio, quae ad talem sententiam tuendam necessaria est, falsa deprehenditur, quum mittendi occasio non convivia fuerint, sed „opera“ (Mtth.) et „sermo“ de „propheta magno“ (Luc.). Neque congruit sententia ista cum laude, quam Jesus Joanni tribuit, nec cum indole Joannis, qui quum nosset, Jesum esse Dei legatum, imo et Messiam et Dei Filium, nimis temere et imprudenter judicasset, quem Jesus sequebatur agendi modum, non esse adaptatum muneri imposito et fini intento. Mirum est, eosdem qui Joannem hujusmodi levitatis et temeritatis incusant, sententiam veterum communiorem ideo rejicere, quod istiusmodi simulatio aut fictio Joannis, discipulos docere cupientis, cum indole ejus proba minus congruat — quasi Joannes se dubitare finxerit, quando discipulis praecepit, ut dubium, quo ipsi laborabant, a Jesu sibi solvendum curarent!

Alii denique censent, Joannem desiderii popularis et legitimi quasi interpretem, tantum voluisse, ut Jesus totam suam gloriam quam primum aperiret, quemadmodum et nos rogamus: „Adveniat regnum tuum“.

Verum id non innuunt verba, quibus quaestio concipitur: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?“ Minus etiam huic expositioni congruit responsum. Ad miracula provocando Christus dicit, se esse Messiam, non reddit rationem, cur regnum gloriosum differat. Verbo: et interrogatio et responsum indicant quorundam dubium de ipsa dignitate messiana, non indicant desiderium, ut regnum messianum acceleretur. Praeterea haec explicatio contradicit illis, quae Joannes de „agno Dei“ i. e. de Messiae vita humili deque ejus morte professus fuerat. Concludendum igitur est, quaestione proposita contineri dubium de Jesu dignitate messiana, du-

bium inquam aut Joannis aut discipulorum. Quum Joannem ipsum dubitasse ob rationes indicatas admitti non possit, discipulorum dubium exprimi censendum est. Cf. s. *Chrysost.* in Matth. hom. 36 (al. 37) n. 1—3.

382. Pars II. Jesus ipse multis modis sese Messiam esse asseruit.

Huic Jesu de seipso testimonio duplex inest virtus. Imprimis est testimonium legati divini miraculis jam comprobati ideoque verax. Deinde hoc testimonium, quatenus circa dignitatem messianam versatur, novis etiam et specialibus miraculis comprobatur.

Probatur 1. *discipulorum fidem confirmando* Messiam sese exhibuit primis discipulis. Philippus qui „erat a Bethsaida, civitate Andreae et Petri", ad Jesum sequendum jam vocatus, „invenit Nathanael et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege et Prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth". Philippus igitur jam credebat Jesum esse Messiam. In eandem sententiam adducitur Nathanael, qui ait: „Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel". Tum Philippi tum Nathanaelis fidem in Jesum Messiam Jesus ipse comprobat et confirmat ad Nathanaelem dicens: „Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; majus his videbis etc." Joan. 2, 43—51.

2. *disertis verbis declarando.* Mulieri Samaritanae Jesus disertis verbis se Messiam esse declaravit, postquam absconditam ejus vitam revelando primum se ei ut „prophetam" exhibuerat. Haec quum dixisset: „Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus); quum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia: dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum". Joan. 4, 25. 26.

Revelationis christianae adversarii mirantur, quod Samaritanis apertius se Messiam annunciet quam Judaeis ipsisque discipulis. Non est cur mirentur vel potius ex dispari procedendi modo contra narrationis veritatem argumentum petant. Quantum e rerum natura licet conjicere, mulieri Samaritanae apertius sese ut Messiam revelavit, tum quia Judaeis et discipulis aperte revelatus fuerat per Joannem, tum quia apud Judaeos diutius, per tres annos continuos, doctrinam suam sparsurus erat. Discriminis causam s. *Chrysostomus* etiam hanc affert: „Judaeis, inquit, saepe dicentibus: ‚Usquequo animam nostram tollis? Dic nobis, si tu es Christus (Joan. 10, 24), his non clare respondit, huic vero (mulieri) manifeste dixit, se Christum esse. Nam melius affecta erat, quam Judaei. Illi enim non ad discendum quaerebant, sed ut ipsum semper traducerent. Nam si discere voluissent, satis fuisset doctrina verborum, Scripturarum, signorum." In Joan. hom. 33. n. 2. Praeterea prae oculis habendum semper est, Deum in donis suis gratuitis uberius conferendis esse plane liberum.

3. *ad vaticinia impleta provocando.* Dicit, in se impleta esse, quae Isaias de Messia praedixerat. Quum enim in Nazareth die sabbati in Synagoga ex oblato libro Isaiae legisset: „Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus

misit me etc.“, sibi ea applicans concludit: „Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris“. Luc. 4, 16—21. Magnifica, quae apud Isaiam (61, 1 seqq.) illi, qui missus dicitur, tribuuntur, non in alio implenda sperabantur nisi in Messia. Jesus igitur, dum ea in se impleta dicit, seipsum dicit Messiam.

4. *provocando ad miracula soli Messiae propria.* Joanni per discipulos interroganti: „Tu es, qui venturus est, an alium exspectamus?“ respondet provocando ad sua miracula: „Euntes renunciate Joanni quae audistis et vidistis: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me“. Mtth. 11, 4—6. Hac provocatione ad miracula tam multa, tam varia, tam eximia Jesus affirmabat, quod illi interrogaverant. Nam populus per prophetas praedictum esse norat, Messiam plurima et maxima patraturum esse miracula. Quapropter „de turba multi credebant in eum et dicebant: Christus quum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?“ Joan. 7, 31.

5. *extollendo Petri professionem.* Jesus laudat, extollit et remuneratur Petrum qui libere professus erat, eum esse Messiam. „Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es *Christus* filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelo est“. Mtth. 16, 15—17.

6. *coram judicibus attestando.* Denique Jesus accusatus, quum princeps sacerdotum dixisset: „Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei,“ respondit: „Tu dixisti“. Mtth. 26, 63. 64. Similiter a Pilato interrogatus: „Tu es rex Judaeorum?“ imprimis dicit: „Regnum meum non est de hoc mundo“, innuens utique se regnum habere. Iterum interrogatus: „Ergo rex es tu?“ respondit: „Tu dicis, quia rex sum ego; ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati“. Joan. 18, 33—37.

383. Cum his Jesu attestationibus non pugnat, quod daemonia, quae ejecerat, „non sinebat loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum“. Luc. 4, 41. Marc. 1, 34.

Plures poterant esse hujus prohibitionis causae. Imprimis quum opus, quod sibi proposuerat, per triennium absolvere vellet, merito providit, ut dignitas sua integra hominum multitudini manifestaretur eo modo, quem ipse disposuerat. Propterea etiam gloriam, quam Apostolis manifestaverat in monte, ante tempus propalari noluit. Mtth. 17, 9. Dein compescendo daemones, ne se Messiam proclamarent, praeveniebat simul Pharisaeorum invidiam, qui semper proni erant ad accusandum ipsum, quod in „Beelzebub“ ejiceret daemonia. Denique quum ipsos Apostolos quaedam

ante tempus divulgare non permitteret, multo magis conveniebat, ut silentium imponeret daemonibus, ne se in Apostolorum munus quasi ingererent.

Propositio 88. *Jesus Nazarenus isque solus miracula plurima et insignia patrando, legem novam instituendo, populum e servitute liberando sese exhibuit Prophetam Moysi similem in lege promissum i. e. Messiam.*

Pluribus quidem titulis Jesus Nazarenus Moysi similis fuit eique praecelluit; eligimus praecipuos sive illos solos, qui ad ordinem ab utroque institutum potissimum spectant legisque auctores imprimis insignes reddunt.

384. Pars I. Commendatur potissimum Moysis potentia, qua prophetis omnibus praecelluerit. Deut. 33, 10—12. At Jesus miraculorum potestate non tantum similis fuit Moysi, sed eundem et superavit. Testatur id miraculorum multitudo, quae tanta fuit, ut Evangelista referat: „Virtus de illo exibat et sanabat omnes". Luc. 6, 19. Testatur id miraculorum varietas; non tantum morbos sanabat, sed et naturae irrationali et insensibili imperabat. Testatur id miraculorum excellentia; mortuos ad vitam revocabat, imo et ipse, prout praedixerat, „templum corporis sui" solutum tertio die excitavit vivus e sepulchro prodeundo. Joan. 2, 19. Cf. Joan. 10, 18. Quod autem singulare prorsus est in Jesu, hanc miraculorum potestatem communicavit cum discipulis (Mtth. 10, 1), Apostolis ad praedicandum Evangelium missis, aliisque fidelibus. Marc. 16, 16—20. Cum miraculorum potestate in Jesu par erat rerum absconditarum cognitio. Cf. Prop. 82. 83.

Inter prophetas veteris legis nullus est qui miraculorum potentia sive Moysi sive Jesu Nazareno similis fuerit. Etsi Jesu promittente in lege nova ille, qui credit, opera quae Jesus fecit, „et ipse faciet et horum majora faciet" (Joan. 14, 12), nullus tamen est, qui miracula patrandi potentiam aliis communicare possit, ut Jesus communicavit.

385. Pars II. Ut Moyses, ita et Jesus legis auctor est, et hac re penitus differt a prophetis praecedentibus, qui non ferebant legem novam, sed veteris sive mosaicae observationem urgebant.

Regis sive legislatoris potestatem, quam Jesus coram Pilato sibi tribuit (Joan. 18, 33—37), variis modis exercuit et ita similis fuit Moysi. Exercuit, quum legem naturalem in quibusdam rebus accuratius explicavit et sua auctoritate firmavit: „Ego autem dico vobis" etc. Mtth. 5. Unde et voce mandati et praecepti utitur: „Mandatum novum do vobis" (Joan. 13, 34), „Hoc est praeceptum meum". Joan. 15, 11. Exercuit dando praecepta positiva, novo

rerum ordini congrua: „Hoc facite in meam commemorationem". Luc. 22, 19. „Nisi manducaveritis carnem filii hominis" etc. Joan. 6, 54. Exercuit salutis quaedam media necessaria instituendo, quibus praeceptum iisdem mediis utendi connaturaliter adnectitur: „Nisi quis renatus fuerit" etc. Joan. 3, 3. „Quorum remiseritis peccata" etc. Joan. 20, 23. Exercuit Apostolis transmittendo leges ferendi potestatem et Ecclesiam, quam omnes audire debeant, instituendo: „Docentes eos servare omnia". Mtth. 18, 20. Cf. *Suarez* de leg. l. X. c. 2.

Legis novae institutioni non adversatur, quod Jesus dixit: „Non veni solvere legem, sed adimplere". Mtth. 5, 17. Implevit observando, quamdiu eam non abrogavit; implevit emendando magisque perficiendo, ut pictor peritus imaginem inchoatam vel minus affabre factam emendando ad majorem perfectionem evehit; implevit umbris et figuris substituendo veritatem. Caeterum de legis mosaicae abrogatione suo loco ex instituto sermo habetur. Prop. 102 seq.

Non tantum Moysi similis, sed prae eodem excellens fuit Jesus legem instituendo. Perfectior in pluribus est lex moralis magis determinando et urgendo quasdam legis naturalis partes. Perfectior est, quia ordo a Christo institutus confert gratiam, quam lex mosaica ipsa non conferebat. Matth. 3, 11; Act. 2, 16. Perfectior est, quia pro sanctione in temporalibus bonis constituta sanctionem spiritualem annexam habet. Prop. 55. Perfectior est, quia non ad solos Israelitas, sed ad omnes omnino populos extenditur. „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor." Joan. 10, 16. Perfectior est, quia non est abroganda, sed durabit „usque ad consummationem saeculi". Mtth. 28, 20. Perfectior est, quia non est data servis, ut lex vetus, sed filiis, et minus gravat quam illa gravabat praeceptorum multitudine; unde hoc respectu potius gratia dicitur quam lex. Joan. 1, 17. Denique lex nova non tantum praecipit, sed potissimum etiam docet, aperiendo veritates, quas non tradiderat lex mosaica: unde etiam fit, ut dum ordo a Moyse inductus lex vocari solet, ordo per Jesum statutus communius revelatio vel religio christiana dicatur. Jesus non tantum legislator est, sed etiam magister. Unde Jesus opere quod ipsi injunctum fuerat, finito, dixit: „Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam . . . Manifestavi nomen tuum hominibus". Joan. 17, 4. 6. Cf. s. *Thom.* 1, 2, q. 107. *Suarez* de leg. X, 8. 386. Pars III. Moyses prae omnibus aliis Prophetis excelluit populum liberando e Pharaonis servitute et in libertatem vindicando. Jesus Nazarenus pariter populum suum e servitute liberavit eumque in libertatem asseruit; utrumque praestitit modo longe excel-

lentiore, quia durior erat servitus toleranda, praestantior libertas reddita, generosior modus, quo libertas comparata est. Neque inter Prophetas veteres ullus est, qui populum e servitute liberando qualemcunque cum Moyse similitudinem referat.

a. Jesus populum suum in libertatem asseruit frangendo daemonis imperium, cui subdebatur, idque proxime ostendit expellendo daemones e possessorum corporibus. Ad hanc in daemones potestatem Jesus provocat ut ad argumentum regni messiani jam inchoati: „Si in digito Dei ejicio daemonia, profecto in vos pervenit regnum Dei". Luc. 11, 20. „Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras". Joan. 12, 31. Hinc ille daemonis fremitus in Jesum. „Venit princeps hujus mundi et in me non habet quidquam". Joan. 14, 30. Daemonis ejectio ex corporibus energumenorum, quorum Christi tempore erat maxima multitudo, signum erat excellentioris illius potestatis, quam Christus exercebat in peccata hominum utpote servitutis causam.

b. Jesus singulos e peccati servitute exemit, peccata condonando illis, qui conditiones requisitas implerent; et hanc peccata condonandi potestatem singillatim demonstravit provocando ad miracula. „Dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce! quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et quum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit; ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula?" Mtth. 9, 2—5. Tum paralytici sanatio tum penetratio cogitationum absconditarum demonstrabat, Christo competere, quod sibi vindicabat.

c. Jesus populum integrum sive omnes homines e peccati servitute liberavit satisfaciendo justitiae laesae et merendo gratiam, qua genus humanum Deo reconciliatur. Unde in ultima coena dicit: „Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum". Mtth. 26, 28. Et Joannes B. „Jesum conspiciens ajebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi". Joan. 1, 29.

Ergo recte concluditur, Jesum Nazarenum hac cum Moyse similitudine eaque vel sola, qua ut antitypus typum non solum aequavit, sed etiam excessit, Messiam exhibitum esse et ut Messiam cognosci potuisse.

387. *Objicitur:* Messias ille solus est, in quo notae omnes, quibus per prophetas distinguitur, deprehenduntur, ita ut, si vel una careat, Messias non sit; existimandum enim non est, absque causa per prophetas eum tot notis insignitum et distinctum fuisse. Atqui nostro argumentandi modo nulla habetur ratio notarum plurium, ut temporis, loci, parentum: ergo demonstratio nostra sufficere nullatenus potest.

Resp. Distinguendum imprimis est inter illa, quae in Messia debent esse, et illa, quae in Messia debent cognosci. Nulla illarum notarum, quibus per prophetas fuit insignitus, abesse ab eo potest; sed ad cognoscendum Messiam necesse non est, ut prius singulae omnino notae a nobis cognoscantur. Sufficit, ut aliquae cognoscantur, nimirum illae, quae in nullo alio homine vel propheta esse possint. Quodsi tales notae deprehensae fuerint, certo concluditur, etiam reliquas ei inesse, etsi easdem nondum conspexerimus. Sine dubio reliquae etiam notae a Deo utiliter additae sunt et utiliter in demonstratione exhibentur; uberior enim erit demonstratio. At non omne id, quod utile est, eo ipso necessarium est. Simile aliquid occurrit in revelatione genuina distinguenda a falsa. Non una, sed pluribus notis insignis illa esse solet, nec tamen necesse est cognoscere omnes omnino; sufficit ut cognoscantur illae, quae revelationi spuriae inesse non possunt. . . .

Propositio 89. *Jesus Nazarenus Messias declaratus est impletis in ipso vaticiniis, quibus Prophetae Messiam venturum designaverant.*

Quum supra demonstratum sit, Jesum Nazarenum esse Messiam, implicite etiam demonstratum est, impleta in eo esse Prophetarum de Messia vaticinia. Verum hoc loco id agitur, ut explicite quoque demonstretur, vaticinia in eo impleta esse eumque ex ipsis agnitum a pluribus esse Messiam.

388. Pars I. *Indirecte* non una ratione probatur, Jesum vaticiniis impletis demonstratum esse Messiam.

Probatur 1. *e facto ipso.* Constat a. Jesu Nazareni tempore passim exspectatum esse Messiam, b. Jesum voluisse et hortatum esse, ut Judaei vaticinia edita cum rebus, quas cernerent, conferrent (Joan. 5, 39), c. populum in vaticinia illa inquisivisse (Luc. 7, 22), d. Evangelistas et Apostolos sollicitos fuisse, ut vaticinia illa in Jesu impleta esse ostenderent (Act. 2, 17). Post haec omnia pariter constat e. multos, atque inter hos non tantum rudes et indoctos, sed etiam doctos in Jesu Nazareno Messiam agnovisse, idque non exiguo tantum tempore, sed constanter, ita ut ex illo tempore magna populi pars a Synagoga ad Jesum deficeret. Hac consideratione sola magnum sane praejudicium paritur pro Jesu dignitate messiana.

Hoc autem praejudicium mutatur in conclusionem certam, si advertimus, nullum alium, licet plures adnisi fuerint, Messiae titulum aliqua probabilitate sibi vindicare unquam potuisse. Unde concludimus: aut Jesus Nazarenus agnoscendus est Messias, aut nullus unquam est promissus.

Et vero circa Jesu Nazareni tempora, si vaticiniis fides habenda sit, Messiam venire debere Judaeis indubium erat. Id testantur fontes christiani, qui de omnium exspectatione loquuntur, ut Marc. 1, 15; Luc. 2, 26. 27; 2, 38; 3, 15; Joan. 7, 31. Pariter fontes judaici, ut *Josephus*, qui refert, Judaeos ad bellum

contra Romanos suscipiendum impulsos potissimum fuisse Messiae exspectatione (de bello jud. VI, 5, 4). Exspectationem hanc communem imprimis demonstrat *Bar Kochba* (— filius stellae), qui, ut referunt Christiani (Euseb. h. e. IV, 6) et Judaei, sub Hadriano tamquam Messias contra Romanos bellum movit. A plurimis Judaeis, imprimis ab Akiba, Rabbino celebratissimo, Messias habitus est. (Raymund. Martin. P. II. c. 4. n. 17. pag. 320. *Jost*, Judaeus, Geschichte des Judenthums und seiner Secten, Leipz. 1858, II, 79.) Illo quidem filio stellae Pseudomessias nullus celebrior fuit, plures tamen post eum emerserunt. Vid. Joannis a *Lent* schediasma de Judaeorum Pseudo-Messiis. *Ugolini* Thesaurus XXIII. p. 1019 seq., ubi 23 ex ordine numerantur, quorum ultimus prodiit an. 1682.

Neque potest *objici*, Judaeos in tempore adventus aestimando olim aeque errare potuisse ac Christiani quandoque erraverint in tempore judicii ultimi computando: hinc ex errore communi, quo detinebantur tempore Jesu Nazareni, nihil concludi posse contra Judaeos.

Discrimen in eo est, quod tempus ultimi judicii non est revelatum, imo moniti sunt Christiani, neminem certo illud cognoscere, licet e variis signis probabiliter conjici possit. At tempus adventus Messiae a Deo revelatum est et ita determinatum, ut Israelitae id certo cognoscere possent et deberent. Quod si ita est, Deus, ut revelationem, sic etiam veram ejus intelligentiam conservandam curavit; id eum revera fecisse, ipsa communis exspectatio, quam et Synagoga fovebat, testatur. Vulgaris illa judicii ultimi exspectatio non alebatur Ecclesiae magisterio et nullatenus communis erat, quod scriptores recentiores quandoque affirmant. Cf. Dom François *Plaine*, Les prétendues terreurs de l'an Mille, Questions historiques 1873, I. p. 145.

Desperationis argumentum est, quod nunc Judaei tempus, quo adventurus sit Messias, non amplius inquirunt aut computant, imo inquirere aut computare prohibent. Eorum fidei „articulus duodecimus est: Deum missurum esse Messiam, qui redemptor futurus sit populi sui et quem etiamsi retardet adventum, exspectare teneamur.“ *Carpzovii* Theol. judaic. c. 9. Catechetica hac brevi formula saec. 16. composita nihil dicitur de adventus tempore; Maimonides vero (saec. 12.), qui primus illos articulos in ordinem redegit, mentionem temporis non omittit, scribens: „Fundamentum duodecimum est de tempore Messiae, nempe ut credamus firmiter, quod certo venturus sit, neque quis existimet, eum tardare, quin si tardaverit, exspecta eum. Sed neque quisquam ei tempus praescribat, nec sibi varias in Scripturae lectione opiniones fingat ad eliciendum hinc tempus adventus ejus, memor illius sapientium qui dicunt: Rumpatur spiritus supputantium terminos.“ *Ugolini* Thesaur. XXIV. p. 808. Alios similes locos v. apud *Eisenmenger*, Entdecktes Judenthum II, 677.

389. **2.** *e populi judaici fato.* Messiam venisse, vaticinia in eo impleta esse et Judaeos plurimos e vaticiniis impletis eum agnoscere noluisse, recte concluditur e civitatis et templi secundi destructione et tristissimo fato super populum inducto. Quum enim

Deus juxta pactum initum statuerit, se populi defectionem puniturum poena temporali congrua, et revera e Jeremiae vaticinio (19, 3 seq.) populi ad idololatriam defectionem punierit civitatis et templi primi eversione et septuaginta annorum exilio (25, 12), dubium esse non potest, civitatis et templi secundi destructionem et octodecim et ultra saeculorum exilium esse poenam inflictam ob defectionem similem. At non fuit defectio per idololatriam, quum post exilium babylonicum populus ad idololatriam nunquam defecerit et hac quidem parte, sane praecipua, legem constanter observaverit. Aliam igitur defectionem et quidem priori parem praecessisse necesse est; neque dici potest, ob alia fortasse crimina, quae idololatriae crimine minora fuerint, populum tam diro modo punitum esse. Sola a Messia, qui Deus et homo est, defectio tamquam causa sufficiens assignari potest: ita ex immanitate poenae ejusque duratione recte concluditur. Raymund. Martin. III. dist. 3. c. 21, n. 6. pag. 902.

390. **3.** *e Dei promissis circa reditum jam non servatis.* Messiam pridem venisse dicendum est, si constat, Deum non jam exhibere quae populo promiserat, videlicet, populum, si ob legem violatam e terra Chanaan esset ejectus, Deo providente esse reversurum, quam primum poeniteret. Atqui Deus his promissis stare cessavit per octodecim saecula, quamvis populus post eversam civitatem et templum destructum legi non minus adhaeserit quam per totum illud spatium a reditu e Babylone usque ad Jesu Nazareni tempora elapsum; et quamvis ad poenitentiam agendam promptum se exhibuerit, praesertim ut Messiae adventum acceleraret. Communis enim, praesertim quibusdam temporibus, Judaeorum persuasio fuit, ob populi peccata Messiae adventum retardari; e qua persuasione quandoque non exiguum emersit poenitentiae studium. *Eisenmenger* l. c. II, 671. Accedit quod longissimum hoc exilium Deus non mitigavit promissione reditus, ut exilium babylonicum mitigaverat promissione reditus post septuaginta annos (Jerem. 25, 12), nec prophetam ullum misit, etsi breviori illo septuaginta annorum exilio populum per prophetas consolatus fuerat.

391. **4.** *e lege abrogata.* Idem concluditur e lege mosaica jam pridem, quod eventum ipsum attinet, abrogata. Messiam venisse existimandum est, si lex, quae ad Messiae adventum praeparandum instituta erat, Deo permittente et disponente in partibus ejus praecipuis observari ab octodecim saeculis jam non potest nec ulla spes est fore, ut observari postea iterum possit. Fatentur Judaei in „libro doctrinae bonae“: „Calamitatibus in exilio premi-

mur, et vero praecepta multa occurrunt in lege, quae nonnisi in terra Israelis post exstructam in loco suo domum sanctuarii praestare possumus, qualia sunt de sacrificiis et officiis sacris et oblationibus et decimis et id genus aliis." *Carpzov.* Theol. judaic. Introd. ad Raymundi Mart. pug. fid. p. 51. Sacrificia sine dubio pars praecipua sunt cultus. Neque ulla affulget spes fore, ut remedium aliquando afferatur ad cultum mosaicum restituendum, tum quia, destructis videlicet cum civitate et templo tabulis, de successione legitima in Aaronis familia constare non potest, tum quia Deus nullum promisit remedium, quo defectui provideatur.

Dixit quidem Deus per Azariam prophetam: „Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero et absque sacerdote et doctore et absque lege, cumque reversi fuerint in angustia sua ad Deum Israel, et quaesierint eum, reperient eum." 2. Par. 15, 3. 4. Si Judaei locum hunc ad praesentem suum statum referunt, fateri debent, „Deum verum", sine quo vivunt, esse Messiam, quum idololatriae nunc dediti non sint. Oseas propheta dixerat: „Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine theraphim, et post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum." 3, 3. 4. Quae ultima verba in paraphrasi chaldaica ita circumscribuntur: „et obedient Messiae filio David regi suo." S. *Hieronymus* postquam scripsit, nonnullos, Judaeorum videlicet, hunc Oseae locum de reditu e babylonico exilio interpretari, ita pergit: „Alii, ut nos, in futurum tempus differunt; et quae sit causa tam grandis offensae, ut tanto tempore relicti sint, maxime quum idola non colant, praeter interfectionem salvatoris aliam non valent invenire". In Oseam l. 1. Annunciatur igitur Judaeorum conversio illa futura, de qua s. Paulus: „Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc: (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia coecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret." Rom. 11, 25. 26. Cf. *Raym.* Mart. p. 953. *Reinke,* Beiträge III. p. 104.

392. Pars II. Prophetarum vaticinia in Jesu Nazareno impleta esse *directe* ostenditur eventus varios comparando cum vaticiniis praecipuis supra (Prop. 68) exhibitis.

Probatur 1. Impleta sunt quae prophetae praedixerunt de Messiae *ortu* e stirpe *davidica*, de ortus loco *Bethlehem*, e matre *Virgine*. Jesu genealogiam exhibent Evangelistae; eandem veritati congruam esse et Jesum eo sensu, qui secundum recepta Judaeorum principia requireretur et sufficeret, filium Davidis et Abrahami dici, testantur quotquot illam legerunt et agnoverunt. Jesu ortus e Davide confirmatus est ipsis tabulis publicis, quarum testimonio in Bethlehem „civitate David", „eo quod esset de domo et familia David", Joseph cum Maria „profiteri" jubebatur. Luc 2, 3. 4. Constat igitur, Jesum esse Davidis filium per patrem

legalem Joseph. Cf. *Grimm*, Das Leben Jesu, I. (2. Aufl. 1890) III. und VII. Cap. Quia autem nonnisi per patrem, non per matrem genealogiae apud Hebraeos texebantur, per Mariam proxime quidem Jesu genealogia ad Davidem duci non poterat. Nihilominus Joseph patre legali constituto simul etiam Mariae ortus ex Davide refertur. Etenim ex illis, quae in Evangelio legimus, merito concluditur, Mariam fuisse filiam haeredem, filiae autem haeredes jubebantur nubere viro non tantum ex eadem tribu, sed etiam ex eadem familia sive stirpe, ne videlicet anno jubilaei possessio transiret in aliam stirpem. Num. 36, 6—12. Fuisse autem filiam haeredem, non tantum vetere traditione cognoscimus, sed etiam ex eo concludimus, quod Maria, etsi virginitatem servare sibi proposuerat (Luc. 1, 34), tamen nuptui tradita est. Neque unquam in Evangelio de ejus fratribus est sermo. Cf. *Patrit.* De Evang. l. 3, diss. 6, n. 5.

Caeterum s. *Chrysostomus* merito censet, etiam diserte tradi in Evangelio, Mariam ortam esse e domo David; quum s. Lucas scripserit: „Missus est angelus Gabriel a Deo — ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria". 1, 26. 27 Verba enim „de domo David" ad Mariam refert, non ad Joseph, scribens: „Cum seriem stirpis Joseph recensuisset, hujus (τοῦτης Mariae) autem majores nemo ut illius (ἐκείνου) enumerasset, ne hinc tibi dubitatio oriretur, ac diceres, unde ergo manifeste patet, etiam ipsam e David ortam? audies: in mense sexto missus est . . . Quae verba „de domo David" accipienda sunt tamquam de Virgine dicta." Homil. in diem natal. Dom. J. C. n. 3. Ed. M. t. 2. I, p. 354. Et vero, si non ad Mariam, sed ad Joseph referrentur, de hoc bis diceretur idem, quum infra legatur: „Ascendit autem et Joseph — in civitatem David, eo quod esset de domo et familia David". 2, 3. Mirum quoque esset, si Lucas nullibi Mariae stirpem aperte describeret, quum aliarum foeminarum genealogiam accurate exhibere soleat: „uxor illius (Zachariae) de filiabus Aaron et nomen ejus Elisabeth" (1, 5); „Anna, filia Phanuel de tribu Aser" (2, 36). Unde s. *Chrysostomus* et alio loco: „Quo pacto, inquit, sciemus, ex Davide ortam esse (Virginem)? Audi Deum Gabrieli praecipientem, ut adiret virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo et familia David. Quid clarius postulans, cum audis de domo et familia David Virginem fuisse?" In Matth. homil. 2. n. 3. Ed. M. t. 7. I, p. 27.

393. **2.** Jesum Nazarenum miraculorum multitudine eminuisse testantur pariter Evangelistae, testatus est populus, qui prophetarum hac de re vaticinia impleta esse agnoscebat (Joan. 7, 31), testati sunt Pharisaei fatentes: „Hic homo multa signa facit". Joan. 11, 47. Unde ut Jesu miracula evincunt, ipsum esse Dei legatum Deique filium, ita simul, quum iisdem vaticinia impleta sint, confirmant eum esse legatum illum singularem ac redemptorem sive Messiam.

394. **3.** Impleta, quae de Messiae *passione* praedixerunt. Magnum momentum tum ab Apostolis tum a Christo repositum est in hoc, ut ostenderent, impleta esse quae de ejus passione praedicta erant. Quum enim Messiae infirmitas et abjectio multorum praejudiciis adeo repugnaret, maxime expediebat ostendere, eam Dei sapientiae et voluntati omnino congruere, et praedicta esse, quaecunque vel carnalibus Judaeorum desideriis adversarentur, vel infirmum discipulorum animum deprimerent. Unde illud Christi ad discipulos: „O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?" Luc. 24, 25. 26. Et illud Petri ad Judaeos: „Deus autem, quae praenunciavit per os omnium Prophetarum, pati Christum, sic implevit". Act. 3, 18. Vaticinia de Messiae passione, quae veteribus Judaeis jam fuerant lapis offensionis, recentiores Judaeos adigerunt, ut quantumvis reclamante Scriptura, duos finxerint Messias, infirmum alterum, filium Joseph, e tribu Ephraim oriundum, qui postquam decem tribus reduxerit, a Gog et Magog occidendus sit; gloriosum alterum, filium David, in fine mundi venturum et non moriturum. *Raym. Martin* p. 412. Cf. Ferdinand *Weber,* System der Palaestinischen Theologie aus Targum, Midrasch und Talmud, §. 80 (Leipz. 1880).

4. Impleta, quae praedixerunt de Messiae morte et *resurrectione.*

395. **5.** Impleta sunt quae praenunciata fuerant de adventus *tempore.*

a. Jesus Nazarenus comparuit in *templo secundo.* Quamquam enim templum sub Zorobabele constructum ab Herode restauratum est, Judaei tamen hoc templum innovatum nunquam tertium, sed semper vocarunt secundum: tempus secundi templi scriptoribus Judaeis est totum illud aevum inter Zorobabelem et Vespasianum interjacens. Et merito quidem. Herodes enim non totum aedificium simul et eodem tempore destruxit et novum condidit, sed vetus paulatim per partes innovavit, et ita quidem, ut sacrificium continuari posset. Ipsa lex civilis agnovit, hujusmodi successiva innovatione facta non constitui novum aedificium, quum ex ejus mente responsum sit: „legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii sublecti essent; et populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret; itemque navem, si adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quae non nova fuisset, nihilominus eandem navem existimari." Dig. L. V, tit. I (de judiciis). 76 (Proponebatur). Neque immerito, ut ibidem animad-

vertitur, addunt Philosophi, idem censeri corpus humanum, licet ejus particulae omnes temporis successu mutentur.

b. Tempus a *Daniele* determinatum in Jesu Nazareno impletum fuisse, multa testantur.

Testantur α. quae supra de communi Messiae exspectatione attulimus. Judaeos in Messiae adventu computando ad Danielis hebdomadas respexisse novimus tum e Josepho (Ant. X, 12) tum ex Judaeorum magistris. *Schöttgen.* II. p. 494.

β. Eventus, qui pro ultima hebdomada tamquam Messiam ipsum spectantes statuuntur, congruunt Jesu Nazareno eique soli. Vaticinium assignat 70 hebdomades donec absolvantur, quae proxime enumerantur. „Septuaginta hebdomades abbreviatae [praefinitae] sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia et ungatur Sanctus Sanctorum". Dan. 9, 24. Statutae igitur sunt 70 hebdomades ut opus redemptionis absolvatur; idque verum erit, sive „Sanctus Sanctorum" (hebr. „Sanctum Sanctorum") cum plerisque intelligatur ipse Christus sive cum aliis intelligatur instituta ab ipso Ecclesia. Christum ipsum intelligi, qui et (Luc. 1, 35) dicitur τὸ γεννώμενον ἅγιον „quod nascetur ex te Sanctum", non abhorret a genio linguae hebraicae (*Hengstenberg* III, 1. p. 54, *Bade* III, 2. p. 118, *Rohling* p. 263, 265, *Corluy* p. 496). Praeterea unctio externa, sive unctio in ipsa quidem conceptione jam facta, sed visibilis reddita per descensum Spiritus sancti in columbae specie, quia perduravit et per totam publicam Christi vitam eminuit, non minus ad ultimum redemptionis momentum pertinet quam ad quodvis praecedens. Merito igitur vox proxime ad Christum ipsum refertur utpote includentem, quidquid in praecedentibus praedicabatur, i. e. totum redemptionis opus.

Terminus in praecedentibus complexe statutus, in sequentibus evolvitur singulis operibus terminum praefigendo. „Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri ejus in angustia temporum" (25). Duo haec temporis spatia, videlicet 7 et 62 hebdomadarum elabentur usque Christum ducem, non nascentem, sed palam apparentem et negotium, ad quod missus erat, vita publica inchoantem; de hoc enim negotio in praecedentibus sermo erat. Quia propheta rogaverat, ut Dei „ira averteretur a civitate Jerusalem et a monte sancto", prior terminus 7 hebdomadarum sive 49 annorum merito censetur referri ad urbis et templi restaurationem in „angustia" sive difficultate temporum; illo enim spatio restaurationem absolutam esse aliunde novimus.

„Et post [illas] hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est [in hebraeo: et non erit, quod ejus est]. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio" 26. Post illas 62 hebdomadas, quibus praecesserant 7 hebdomades, Christus occidetur; igitur post hebdomades 69 attamen ita, ut mors incidat in ipsam ultimam hebdomadam, sive septuagesimam. Hoc enim explicatur et determinatur versu proxime sequente: „Confirmabit autem pactum multis

hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio" (27). Hebdomada illa „una" est ultima 70 hebdomadum. In hac ultima hebdomada, priore videlicet ejus parte, Christus publice docendo multos, quotquot non refragantur, sibi conciliavit; media autem hebdomada, igitur post tres annos et dimidium, sacrificia pristina abrogavit oblato illo crucis sacrificio, cujus figura erant sacrificia pristina. Haec figurarum cessatio et sacrificiorum omnium priorum inanitas re nulla clarius apparuit quam velo scisso in Christi morte. Quam accurate haec hebdomadae ultimae partitio cum Jesu vita publica et morte secuta congruat, Evangelia testantur. Nullus autem alius illo tempore Messiam ducem se exhibuit, nullus pactum novum et novam legem instituit, nullus hoc titulo interfectus est.

γ. Congruit annorum numerus inter decretum de urbe iterum aedificanda et Christum ducem publice docentem secundum prophetam interjacens. Edictum intelligimus illud quartum, in quo de ipsa urbe aedificanda agitur, quodque Nehemias impetravit „anno vigesimo Artaxerxis regis". 2. Esdr. 2, 1—6. Verum difficultas nascitur ex usitata Persarum chronologia. Statuitur enim, Artaxerxen regnare coepisse a. 465. a. C. Unde sequitur, annum ejus vigesimum incidere in a. 445 a. C. Huic numero si addatur numerus illorum 30 annorum, qui a Christi ortu usque ad vitam ejus publicam elapsus supponitur, oritur numerus 475 annorum interjacens inter edictum de urbe aedificanda et Christum ducem, quum numerus 483 interjacere debeat. Haec tamen difficultas solvitur ostendendo, Artaxerxem novennio aut decennio ante illum annum 465 regnare coepisse. Et vero, ut Thucydides scribit, Themistocles fugit ad Artaxerxem „nuper *(νεωστί)* regnare incipientem" (I, 137); unde si de hujus fugae anno constat, pariter de initio regni Artaxerxis constabit. Secundum Ciceronem de hac fuga agentem Themistocles „fecit idem, quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus", De amicit. 12. Coriolani ad Volscos fuga incidit in an. 263 u. c. sive (491 aut) 492 a. C. Liv. II, 35. Unde Themistoclis fuga in a. 472 a. C.; et in idem circiter tempus (472 aut 473 a. C.) incidit initium regni Artaxerxis, vigesimus autem regni annus in a. circiter 452 aut 453 a. C. Licet quidem supponere, Ciceronem numero rotundo usum esse; ex aliis tamen monumentis constat, Artaxerxis initium circa a. 473 aut 474 statuendum ess. Cf. *Usserius,* Annal.; Campeg. *Vitringa,* Observat. l. 6; *Hengstenberg* III. 1. p. 167; *Reinke,* Messian. Weiss. IV. 1. S. 359. *Corluy* I, 501.

Numerando 453 annos ab edicto usque ad aeram christianam, quum haec 4 annis posterior sit, pertingimus ad Christi ortum. Additis 30 annis elapsis ab ejus ortu ad baptismum, reperimus numerum 483 annorum conflatum ex hebdomadis 7 et 62 (= 49 + 434 = 483), qui ab edicto ad Christum ducem elapsurus praedicitur.

6. Quae de *gentium* conversione praedicta sunt, impleri coeperunt in Jesu Nazareno eoque solo inde ab apostolorum tempore, impletaque sunt per saeculorum decursum et implentur continuo. 396. **7.** Impleta pariter est Judaeorum incredulorum praedicta *reprobatio.* Ab octodecim saeculis locum habet, quod tum Daniel praedixerat tum quod Oseas (3, 4). V. supra p. 403. Describitur

conditio populi sedentis absque cultu tum legitimo Dei Israel tum illegitimo idolorum, quae sensu pleno locum non habuit nisi post Jesu Nazareni passionem. Unde s. *Hieronymus* illis, quae supra ex eo allata sunt, haec praemittit: „Ergo postquam defecit princeps ex Juda et dux de femoribus ejus, et Herodes alienigena et proselytus suscepit imperium, intelligemus venisse cui regnum repositum est, et ipse erat exspectatio gentium. Haec est coecitas, quae ex parte accidit Israeli, ut subintraret plenitudo gentium et tunc omnis Israel salvus fieret; et multo post tempore revertentur et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum, qui de David stirpe generatus est.“ In Oseam proph. l. 1. Et merito quidem, nam quae propheta addiderat de tempore messiano („in novissimo dierum“) recte intelliguntur de tempore messiano speciali illo, quo teste Paulo (Rom. 11, 26) „omnis Israel salvus“ fiet.

Articulus III.

De Jesu Nazareno vero Deo proprioque Dei Filio.

397. Religionis christianae oeconomia melius perspicitur, si hoc jam loco Christi, ejusdem auctoris, natura divina demonstratur. Ad id praestandum necesse non est supponere mysterium ss. Trinitatis sive naturam divinam subsistere in tribus personis. Demonstrandum quidem est, Christum esse proprium Dei Filium; verum id hoc loco catenus tantum requiritur, ut inde concludatur, eum naturae divinae esse participem; necesse non est demonstrare, eum qua Filium sive qua personam realiter distingui a Patre, quamquam id e dicendis facile sequitur.

Christi divinitatem praeter Judaeos eidem coaevos negarunt Ebionitae et Alogi asserentes, in Jesu Verbum non esse incarnatum eundemque esse purum hominem, ex Josepho et Maria naturali modo genitum; Ariani, docentes, Verbum, quod in Jesu agnoverunt, non esse aeternum, sed creatum, licet ante mundum; Sociniani sive Unitarii, secundum quos Jesus non quidem „purus homo“ est; nam, inquiunt, „est conceptus e Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, eoque ab ipsa conceptione et ortu Filius Dei est, ut ea de re Luc. 1, 35 legimus“; attamen „non habet naturam divinam“; vocatur quidem Deus, non tamen quatenus hoc nomen „designat illum, qui in coelis et in terra omnibus ita dominatur et praeest, ut neminem superiorem agnoscat“; sed quatenus „eum denotat, qui potestatem aliquam sublimen ab uno illo Deo habet aut deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est; etenim in Scripturis propterea Deus ille unus Deus deorum vocatur. Ps. 50. Atque hac quidem posteriore ratione Filius Dei vocatur Deus in quibusdam Scripturae locis“. Catech. Racoviensis seu lib. Socinianorum primar. (an. 1609) qq. 96. 97. 78.

Ex quo, saeculo XVIII exeunte, Deismus ex Anglia propagatus est in continentem, etiam hic Socinianorum impietas variis formis dominari coepit primum inter Rationalistas, praesertim biblicos, dein apud Mythologos et Pseudocriticos.

398. Mythologorum agmen ducit David *Strauss*, opere edito de vita Jesu (Das Leben Jesu kritisch bearbeitet, Tübingen 1836). Scriptores protestantes ab ipso Christologiam recentem repeti posse affirmant. (Cf. Zur Christologie, von Hermann *Schmidt*, Prof. der evang. Theol. zu Breslau, Berlin 1892, p. 193). In Gallia illius vestigiis magna ex parte inhaesit Ernestus *Renan*, non minor quam ille Christi divinitatis osor. (Vie de Jésus, Par. 1863).[1]) Secutus est Daniel *Schenkel* (Das Charakterbild Jesu 1864), juxta quem Jesus nonnisi sensim eo devenit, ut pro Messia haberi vellet. Jesum mortuum ejus asseclae Deum hominem crediderunt, frustra reclamantibus Ebionitis, Christianis e judaismo conversis. Divinae naturae eum esse participem, negarunt plurimi; eum tamen prae reliquis hominibus eminuisse, fassi sunt plerique, a Rationalistarum et Mythologorum vulgo dissentientes. Nonnulli, inter quos Th. *Keim*, fatentur, Jesum esse novum quendam gradum perfectionis humanae, quae vero e solo ingenio humano exoriatur.[2]) Attamen quo sensu vel qua re eminuerit et singularis fuerit, inter ipsos minime convenit. Quaeritur imprimis, quo sensu Jesus prae reliquis vocetur Filius Dei. Secundum nonnullos Jesus, qui quidem est purus homo, vocatur filius Dei ob singularem dilectionem, qua Deus eum elegit, ita tamen ut hoc nomen sensu pleno non sortiatur nisi postquam in coelum assumptus divinae potestatis factus est particeps. (Rich. Adalb. *Lipsius*, Prof. d. Theologie zu Jena, Lehrb. der evang. protest. Dogm. 2. Aufl. Braunschweig 1879, §. 553. 554.) Secundum alios Jesus, filius adoptivus ut et alii homines justi, modo singulari vocatur filius Dei, quia ipse majoris perfectionis moralis *est* particeps et quidem inde ab ortu, quum reliqui debeant *fieri* majoris perfectionis participes. Willib. *Beyschlag*. Das Leben Jesu, 2. Aufl. Halle 1887, I. p. 179.) Jesus, ita statuunt nonnulli, singulari modo in se perfecit id, quod est religionis omnis finis; finis hic consistit in intima hominis cum Deo conjunctione per dilectionem, qua fit, ut homo se unum sentiat cum Deo.[3]) Alii quoque non pauci hanc

---

[1]) Proferuntur quandoque nonnullae Ernesti *Renan* sententiae, quibus Christi divinitatem quasi invitus fateri videatur. Attamen nova potius blasphemia Christo tribuit divinitatem, quum in sola hominum credulitate illam niti doceat et ita Christum quasi idolum constituat. Patet id vel ex solis hisce vocibus, quibus Christum morientem compellat: Repose maintenant dans ta gloire, noble initiateur! Ton oeuvre est achevée; ta divinité est fondée . . . Entre toi et Dieu, on ne distinguera plus. (Ch. 25). Pouvoir divin de l'amour! moments sacrés où la passion d'une hallucinée [Marie de Magdala] donne au monde un Dieu ressuscité! Ch. 26. Non indigemus sive Ernesti Renan sive aliorum incredulorum testimoniis; Christi divinitas solidioribus nititur argumentis.

[2]) „Sie (die Biographie Jesu) beschreibt ein Einzelleben, aber das Leben eines Mannes, der im voraus in der Höhe seines Selbstbewusstseins und seiner geistigen Kraft ein Sympton der Weltgeschichte und wahrhaft eine neue Stufe der Entwicklung des Menschengeistes ist". *Keim*, Geschichte Jesu von Nazarah (Zürich 1867) I, 1.

[3]) Wohl hat er den Keim des Göttlichen, der in der menschlichen Brust liegt, unverstört aufwachsen lassen und hat durch seine Liebesfülle theilgenommen an göttlicher Vollkommenheit. So ist er eins geworden mit seinem Vater, und doch verschieden, und doch abhängig. Die Idee der Religion hat sich in ihm erfüllt: Die

praerogativam, qua filius Dei modo omnino speciali sit, constituunt in singulari prorsus amore Deum inter et hominem Jesum. (H. H. *Wendt*, Prof. d. Theol. in Heidelberg, Die Lehre Jesu, Göttingen 1890, II.[1] Jesus quidem inde a puero praesertim e Scriptura sacra didicisse fingitur Deum esse patrem omnium, et hinc seipsum ejus filium noverat; attamen nonnisi in baptismo didicit revelatione speciali, sese constitui filium modo omnino singulari ideoque Messiam; dubia quidem de sua vocatione expertus est, ac propterea post baptismum continuo secessit in desertum, vocationem suam serio examinaturus. (Ibid. p. 60—73.) Secundum Albr. *Ritschl* (Unterricht in der christ. Relig. 4. Aufl. Bonn 1890) Deus unicus est modo singulari pater omnium Christianorum, quia est pater Jesu Christi, qui Christianorum caput est; Christus qua caput omnibus aliis propinquius accedit ad Deum; relatio, quae est inter Deum patrem et filium Dei, intelligitur e verbis: „Deus charitas est". 1. Joan. 4, 8. (§. 12.) Quando Jesus se unum dicit cum Deo, haec unitas constituitur in mutua relatione Dei amantis et Jesu obedientis. Quia Jesus finem regno Dei praestitutum omnium primus in se implevit, propterea est omnino singularis et unicus in genere suo; et quicunque finem illum aeque perfecte impleret ac Jesus Christus, ipso tamen, utpote dependens ex eo ut capite, eatenus inferior esset. (§. 22). — Ut *Kattenbusch* docet, Theologi protestantes pleno gaudent jure, Filii Dei appellationi alium tribuendi sensum divergentem a consueto, dummodo vocibus in Scriptura sacra usitatis uti pergant. Von Schleiermacher zu Ritschl. Zur Orientierung etc. Giessen 1892, S. 37.

Sunt nihilominus qui ipso Christi divinitatem impugnantium numero turbati, perspiciant et fateantur, revertendum esse ad Christologiam pristinam; horum autem alii in Nestorii haeresin de duabus personis, alii in Eutychetis haeresin de unitate naturae impingunt, alii Deum ita se exinanivisse statuunt, ut natura divina mutaretur. De his cf. Herm. *Schmid*. Zur Christol. p. 220. 221, qui se fatetur „Monophysitam". De modo unionis personae divinae cum humana natura in Christo nobis hoc loco agendum non est.

Propositio 90. *Jesus Nazarenus se Deum propriumque Dei Filium esse multis modis professus est.*

Ante omnia inquirendum est, an Jesus et quo sensu se Dei Filium sive Deum dixerit. Quum enim ejus doctrina multis modis demonstrata sit vera, multis etiam modis de ejusdem divinitate constabit, si eam sensu proprio sibi tribuit. Pluries et perspicue eam sibi tribuit, ut patebit ejus doctrinam ad capita quaedam reducendo.

Einheit dieses Menschen mit Gott durch rein menschliche Entwicklung, die Einheit der Liebe, und sein Evangelium hat die Menschheit erinnert an ihre Bestimmung zu gleicher Gotteskindschaft. Karl *Hase*. Geschichte Jesu (2. Aufl. Leipz. 1891) §. 61.

[1]) Andrerseits wusste er (Jesus), dass er in vollkommenem Sohnesgehorsam die Forderungen Gottes erfüllte und in seinem eigenen Liebesverhalten dem Verhalten Gottes glich. Wenn wir nun seines Wortes gedenken, dass die Menschen eine der Liebe Gottes gleichartige Liebe üben sollen, damit sie Söhne des himmlischen Vaters werden (Mtth. 5, 44), so verstehen wir, wie er in dem Bewusstsein seiner vollkommen dem Willen und Wesen Gottes entsprechenden Liebesgesinnung dessen gewiss sein konnte, der Sohn Gottes κατ' ἐξοχήν zu sein, weil er ganz die Bedingung erfüllte, welche allen Andern für ihr Werden zu Söhnen Gottes gesetzt war. L. c. p. 433.

399. **Probatur 1.** Christus sibi tribuit existentiam *incarnationi praeviam*, et quidem *existentiam ab aeterno*, quaeque praecesserit rerum creatarum existentiam. At talis existentia est alia praeter humanam, estque existentia Deo propria; ac proinde sibi tribuit divinitatem sive naturam divinam.

a. Imprimis docet se, antequam homo esset, jam fuisse et *quidem in coelo.*

Nicodemo dicenti: „Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister", Christus doctrinam suam commendans, inter alia respondet: „Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur. Nemo ascendit *(ἀναβέβηκεν)* in coelum, nisi qui descendit *(καταβάς)* de coelo, Filius hominis, qui est *(ὁ ὤν)* in coelo". Joan. 3, 11. 13. Nexum s. *Chrysostomus* ita exhibet: „Quia ille dixerat: „Scimus, quia a Deo venisti magister", hoc ipsum corrigit acsi dicat: „Ne putes, me ita magistrum esse, ut multi prophetae, qui de terra erant. Ex coelo namque venio. Prophetarum quippe nullus eo ascendit *(ἀναβέβηκε)*; ego illic habito". In Joan. hom. 27, (al. 26) n. 1.

Jesus hoc loco uberius explicat, quae paulo ante dixerat: „Quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur". Scire et videre potuit et potest, quia in coelo fuit, e coelo descendit et in coelo est. Quaeritur, quo sensu in coelo fuerit, vel e coelo descenderit, vel in coelo sit. Imprimis non sensu metaphorico, quasi ejus scientia in coelum sive ad coelestia pertingat. Nam hoc sensu in coelo fuerunt prophetae omnes, qui coelestia sive supernaturalia Deo revelante cognoverunt; hos autem omnes Jesus excludit dicendo, neminem in coelum ascendisse. Neque sola visione beatifica, cujus particeps erat ejus anima, in coelo fuit aut est. Nam hac ratione etiam angeli in coelo sunt; et praeterea si in coelo esse idem esset ac visione beatifica frui, sequeretur, e coelo descendere idem esse ac visione beatifica privari. Sensus igitur est: Jesus in coelo erat, antequam homo fieret, sicut et postquam homo factus est, in coelo adhuc est. Utrumque autem propterea ei competit, quia Deus est. Esse hunc sensum, ex aliis loquendi modis in eadem re usurpatis magis etiam patescit.

Saepissime Jesus dicit, se missum esse a Deo, sed ita ut antequam mitteretur, jam fuerit apud Deum. „Ego ex Deo processi et veni; neque enim a meipso veni, sed ille me misit". Joan. 8, 42. Dicit, se reversurum esse in coelum, ubi antea jam erat. „Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?" Joan. 6, 63. „Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem". Joan. 16, 28. *Sociniani* contenderunt, haec figurate exponi posse, quasi Christus dicat, se esse donum coeleste, quo sensu prophetae dicuntur missi et Joannes B. vocatur „homo missus a Deo". Joan. 1, 6. Proferunt locos similes: „Omne datum bonum et donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum" (Jac. 1, 17); cf. Apoc. 21, 2. At vero quamvis dona a Deo descendere dicantur, numquam tamen prophetae, licet a Deo mittantur, e coelo dicuntur descendere; imo Christus prae omnibus prophetis hoc sibi soli tribuit. Insuper nec ipsa dona in coelum iterum ascendere, nec, dum collata sunt hominibus, in coelo adhuc esse dicuntur; Christus autem postquam descendit, adhuc est in coelo et in coelum revertitur.

Sinceritatis laudem prae multis aliis meretur David *Strauss*, qui, postquam alia omnia pro Christi divinitate argumenta evertere conatus est, ingenue fatetur, Christum sibi tribuere aliquam praeexistentiam realem. (Leben Jesu §. 62.) Sed quomodo? Existimat, Jesum, qui, utpote homo piissimus, intimae familiaritatis cum Deo sibi erat conscius, eo demum pervenisse, ut familiaritatem et cum Deo conversationem praesentem imaginando commutaverit in praeteritam, atque ita revera crediderit, se quondam in coelo cum Deo fuisse. Hac vero explicatione majoris etiam impietatis, quam Sociniani, reus constituitur; isti enim Jesum Dei Filium quidem negant, prophetam a Deo missum et veracem agnoscunt, dum Strauss Jesum insuper ut doctrinae falsae auctorem ac prophetam falsum traducit.

Inter recentissimos divinitatis Christo propriae adversarios nonnulli, ut H. H. *Wendt* (II, 455. 462 seq.), ad Socinianorum explicationem revertuntur, existimantes, Jesum se nonnisi dicere Dei donum, mente sive cogitatione versari in coelis etc.

K. *Hase* tantum respondet, coelum esse Deum ipsum et plenitudinem vitae divinae, ac proin illa verba (Joan. 3, 13) non esse intelligenda ad litteram. §. 61. At imprimis coelum etiam beatorum locum designat; praeterea si Filius antequam veniret hanc in terram, quomodocunque erat in coelo vel apud Deum, sequitur, quod demonstrare volebamus, eum fuisse, antequam homo fieret.

Alii Jesu in coelum ascensum reponunt in eo, quod mente et cogitatione se in coelum levaverit. At non suum ascensum in coelum, sed descensum e coelo Jesus ut scientiae suae causam exhibet.

b. Docet Jesus, hanc suam existentiam, quae ipsius in mundo ortum praecesserit, *non incepisse*, eandemque rerum creatarum origine priorem fuisse.

α. Jesus Abrahamo se priorem dicit, et quidem ita priorem, ut semper fuerit sive non coeperit esse. „Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est. Dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se et exivit de templo". Joan. 8, 56—59. *Ariani* admittebant, Verbum fuisse quidem, antequam naturam humanam assumeret, sed ab aeterno fuisse negabant. At vero vox „sum", qua utitur Christus, excludit perversam hanc interpretationem. Verissime s. *Chrysostomus:* „Cur, inquit, non dixit: priusquam Abraham fieret, ego *eram;* sed: ego *sum?* Sicut ipsius Pater illa usus est voce *sum*, sic et ille. Haec quippe vox significat, ipsum perpetuo esse, ab omni liberum tempore. Ideoque ipsis blasphema vox esse videbatur". In Joan. hom. 55. (al. 54) n. 2. Veram aeternitatem ideoque naturam divinam Jesum sibi tribuere, recte senserunt Judaei.

Sociniani, qui omnem Christi praeexistentiam negant, verba partim mutant partim interpolant, ut eorum vim elidant. Explicant enim quasi Christus dixerit: Priusquam Abraham *fiat* Abraham i. e. priusquam futurus sit, quod nomine „Abraham" significatur, videlicet *pater multarum gentium*, ego sum *lux mundi*. De hoc enim lumine antea fuerat sermo. (Catech. Racov. q. 106. 107.) Nimis manifestum est, mutationem praeteriti (fieret) in futurum tempus non solum arbitrariam esse, sed contextui repugnare idemque dicendum de duplice interpolatione. Praeterea Jesus Judae-

orum objectioni penitus non respondisset dicendo: Antequam Abraham fiat pater multarum gentium, ego debeo praedicare Evangelium. Nihil enim de aetate responso hoc contineretur. Unde etiam explicatio illa utpote nimis absurda dimissa est ab aliis Socini asseclis, qui ad praedestinationem ab aeterno factam confugiunt. Ad Dei praevisionem et praedestinationem tandem etiam dilabitur H. H. *Wendt*, l. c. p. 470. Supponunt, Jesum inepte ludere in verbo; et vere inepte, quum ex eo, quod, antequam Abraham esset, Jesus aut alius quicunque praedestinatus fuerit, certe non sequatur, Abraham ab eo videri potuisse. Similiter *Grotius*, qui interpretatur: „Fuerat ante Abrahamum Jesus divina constitutione. Unde simul intelligitur, hunc hominem Jesum majorem esse Abrahamo". In h. l. Joan. V. Critic. sacr. At vero in contextu non quaeritur, utrum Jesus Abrahamo aequalis an major sit, sed quomodo illum videre, hinc aetate attingere potuerit; de tempore sermo est. Insuper mutatio vocis *sum* in vocem *eram*, et additio vocis *divina constitutione* tum corruptionem sonat tum interpolationem.

K. *Hase* existimat, verba illa: „antequam Abraham fieret, ego sum" a Jesu ipso prolata non esse, sed a Joanne secundum suam de Verbo doctrinam explicationis causa fuisse addita. §. 61. Scilicet Evangelistae veracitatem negat, ne Christi divinitatem agnoscere cogatur.

β. Jesus orat: „Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset *(πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι)*, apud te". Joan. 17, 5. De existentia reali, non de existentia in Dei intellectu et voluntate, non de praedestinatione sermo est. Nam Jesus mox addit: „Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio" (11); quae omnia existentiam realem denotant. Hinc quoque sermo non est de mercede vel praemio a Deo Messiae praeparato et quasi reposito apud Deum, ut inter recentiores interpretatur H. H. *Wendt*, l. c. p. 465. Non de mercede apud Deum praeexistente, sed de Filio apud Patrem praeexistente agit textus Qui erat, antequam quidquam esset creatum, is ab aeterno est; mundus enim hoc loco est complexio sive summa rerum creatarum omnium, dicente alibi eodem Evangelista: „Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. In mundo erat et mundus per ipsum factus est." Joan. 1, 3. 10.

400. **2.** Jesus se dicit *Dei Filium* hoc sensu, ut Patri sit *aequalis* et eandem cum Patre habeat *potestatem* suscitandi mortuos et vivificandi. At aequalis potestas naturam supponit aequalem; potestas enim e natura profluit vel unum idemque cum natura est.

Ut Evangelista (Joan. 5, 16) narrat „persequebantur Judaei Jesum, quia haec (miracula) faciebat in sabbato. 17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. 18. Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum *(πατέρα ἴδιον)* dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus et dicit eis: 19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. 20 Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit; et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. 22. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. 23. Ut omnes honorificent Filium,

sicut honorificant Patrem. 26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso".

Tria hic sunt notanda: a. Jesus spectata vi verborum Deum vocat Patrem suum sensu proprio, ut illum, cui aequalis sit potestate; nam quia aequalis est, propterea, ut Pater sabbato operatur mundum conservando et regendo, ita et ipse sabbato operari potest miracula patrando; ut Pater, ita et Filius sabbato major est, imo alter sine altero operari non potest, ut postea (19) explicatur. Bene s. *Chrysostomus:* „Quando discipulos defendere oportebat, Davidem illorum conservum in medium afferebat [Mtth. 12. 3]; quando autem pro se ipso loquitur, ad Patrem confugit utrimque se Patri aequalem significans, et cum Patrem nominat sensu proprio *(ἰδιαζόντως)* et quum se eadem, quae Pater, operari ostendit". Hom. 38 (al. 37) in Joan. n. 2. — b. Sensu hoc obvio Judaei Jesu sermonem accipiunt; clare enim perspiciunt, eum se vocare Dei Filium sensu proprio, quatenus hic sensus involvit aequalitatem. Unde s. *Augustinus:* „Non hinc irascebantur, quia Patrem suum dicebat Deum; sed quod longe alio modo quam homines. Ecce intelligunt Judaei, quod non intelligunt Ariani". In Joann. tr. 17, n. 16. — c. Christus non dicit, Judaeos male intellexisse quae docuerit, sed recta intelligentia supposita affirmat duo: videlicet se habere eandem cum Patre potentiam, et se potentiam illam accepisse a Patre. Id autem idem est ac dicere, se esse Dei Filium proprium sive naturalem.

Audiendus s. *Chrysostomus.* „Illud: ‚Pater meus operatur, et ego operor' id ipsum est acsi se Deo aequalem faceret. Nullam enim perhibet in his verbis differentiam. Neque enim dixit: Ille operatur, et ego subministro; sed: sicut ille operatur, ita et ego, magnamque ostendit aequalitatem. Quod si id non ille demonstrare voluisset, sed id Judaei frustra suspicati essent, non sivisset illos haec falso existimare, sed emendavisset. Neque hoc Evangelista siluisset, verum palam dixisset, sic Judaeos suspicatos fuisse, sed ipsum non se Deo aequalem fecisse; ut alibi fecit, cum videt rem alia mente dictam, alio sensu accipi, ut cum Christus dicit: Solvite templum hoc etc. Ib. n. 3.

Christus, ut diximus, Judaeorum opinionem non emendavit ut perversam, sed confirmavit, argumentis non quidem cuivis statim obviis, quae tamen primum Judaeorum attentionem provocare, dein etiam, saltem accedentibus aliis subsidiis, persuadere iisdem possent. Bene s. *Augustinus:* „Adversus eorum calumniam venientem vel de ignorantia vel de malitia. loquitur Dominus non omnino quod capiant, sed unde agitentur et conturbentur, et fortasse vel conturbati medicum quaerant. Dicebat autem quae scriberentur, ut etiam a nobis postea legerentur". In Joan. tr. 18, n. 1. Aliqua etiam ratione, videlicet spectatis verbis, quibus accusatio proferebatur, Christus Judaeorum opinionem correxisse dicendus est, ut idem s. doctor animadvertit. Accusabant, quod se aequalem faceret Deo. Ad haec s. doctor: „Non, inquit, ipse se *faciebat* aequalem, sed ille illum *genuerat* aequalem. Si se ipse faceret aequalem Deo, caderet per ruinam". Tract. 17, n. 16. Hinc est quod Christus per totam responsionem id potissimum urget, a Patre se accepisse, quidquid habeat. Hunc loquendi modum, utpote qui aliquid demissius prae se ferret, studiose a Christo usurpatum esse notat etiam s. *Chrysostomus:* „Quodsi, inquit humilia quaedam proferat, ne mireris. Quia enim sublimioribus quibusdam auditis persequebantur eum et Deo adversarium esse putabant, paulo demissius verborum tantum tenus

loquitur, ad sublimiora rursus evehitur, deinde ad humilia deflectit; sic doctrinam varians, ut facilius vel ab improbis admittatur. Animadverte, quaeso, postquam dixerat: ‚Pater meus operatur, et ego operor', et se Deo aequalem ostenderat, rursus dicit: ‚Non potest Filius a se ipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem'. Deinde altius: ‚Quaecunque fecerit ille, haec et Filius similiter facit'; rursumque humilius: ‚Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit; et majora his demonstrabit ei opera' ... Quando aliquid demissum dicit et humile, id cum hyperbole profert, ut vel improbis verborum vilitas suadeat, ut pia mente sensa percipiant". In Joan. hom. 38 (al. 37), n. 4.

Verum *Ariani*, *Sociniani* eorumque sequaces, asserunt Christum perversae Judaeorum intelligentiae remedium attulisse dicendo, alienum a se esse, facere se aequalem Deo. Ita enim interpretantur verba: „Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem". Ita *Grotius* in Joan. 5, 30. *Kuinoel* et alii recentiores.

At vero ipsa verba: „Amen, amen dico vobis", non attenuantis sunt, sed affirmantis. Affirmat igitur Christus quod dixerat: „Pater meus usque modo operatur, et ego operor"; simulque illorum verborum reddit causam. Videlicet, etiamsi Filius vellet, aliud facere ac facit Pater, non posset, quia eandem cum Patre habet potentiam et actionem, quum Pater generando eandem ei communicaverit naturam. Propterea Christus in tota orationis serie duo effert: Filium eadem possidere quae Pater, attamen tamquam accepta per generationem. Praeclare s. *Augustinus* Christi verba explicans: „Quid, inquit, scandalizati estis, quia Patrem meum dixi Deum, et quia aequalem me facio Deo? Ita sum aequalis, ut ille me genuerit; ita sum aequalis, ut non ille a me, sed ego ab illo sim. Hoc enim intelligitur in his verbis: ‚Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem'. Hoc est, quidquid Filius habet ut faciat, a Patre habet ut faciat. Quare habet a Patre ut faciat? Quia a Patre habet, ut Filius sit. Quia a Patre habet ut possit, quia a Patre habet ut sit. Filio enim hoc est esse quod posse. Homini non ita est." In Joan. tr. 20, n. 4. Juxta eandem doctrinam quum Filius dicitur ex Patre habere, ut videat vel audiat, nihil aliud dicitur nisi Filium e Patre habere ut sit. „Audit Filius et videt Filius, et ipsa visio et auditio est Filius; et hoc est illi audire, quod esse, et hoc est illi videre quod esse. Tibi non hoc est videre quod esse; quia etsi perdas visum, potes esse". Tract. 18, n. 10. Hunc esse sensum, patet ex eo, quod Patris potestas sine ulla restrictione Filio communicari dicitur: „*quaecunque* ille fecerit, haec et Filius similiter facit." Atqui tota Patris potestas communicari non potest Filio, nisi eidem et ipsa natura divina communicatur.

Asseri aequalitatem, s. *Chrysostomus* contra Anomoeos haereticos ita demonstrat: „Ipsum percontemur Christum, an secundum tuam, an secundum nostram opinionem dicta interpretetur. Quid ergo dicit? Quaecunque Pater fecerit, haec et Filius similiter facit! Viden' quomodo sententiam vestram radicitus evellat, nostramque confirmet? Nam si a se ipso nihil facit, neque Pater a seipso aliquid faciet, si quaecunque facit Pater, et ipse faciat." Itaque e s. doctoris sententia utique est consensus sive unitas moralis inter Patrem et Filium, sed hujus unitatis moralis causa physica est ipsa unitas in natura. In Joan. hom. 38 (al. 37) n.

Patet igitur, quam infirmum sit, quod Rationalistae recentiores objiciunt asserentes, hoc loco non agi nisi de unitate per dilectionem. K. *Hase* totum negotium confectum nostrumque argumentum repulsum esse existimat, quum allato versu 19 addit: „ergo unitas dilectionis". §. 61.

401. **3.** Jesus dicens se Dei Filium simul sibi tribuit eandem cum Deo Patre scientiam, eandemque cum Patre potentiam, hominibus impertiendi tum Patris tum sui ipsius cognitionem. At eadem cum Patre scientia, eadem potentia scientiam communicandi supponit eandem naturam divinam; unde Jesus se dicit Dei Filium natura, non adoptione.

„Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare". Mtth. 11, 27. „Confiteor tibi, Pater, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare". Luc. 10, 21. 22. Rationalistae nonnulli, qui fatentur, in Joannis Evangelio Christo tribui naturam quandam humana superiorem, fatentur hos duos locos, qui a Matthaeo et a Luca referuntur, similes omnino esse locis, qui leguntur apud Joannem. Ita *Hase* §. 61. Alii tamen, ut *Keim* (II, 382), asserunt, non esse sermonem nisi de illa Dei, et quidem ut patris, cognitione, quam Jesus, qui se existimaverat Messiam, hominibus communicare voluerit.

Verum de ampliore simul cognitione agitur, ut et de ampliore cognitionem communicandi potentia, quam quae puro homini inesse possit.

Orationis nexum ita exhibet s. Chrysostomus: „Quia dixerat: ‚Omnia mihi tradita sunt a Patre meo', subjungit: Ecquid mirum, si omnium sim dominus, cum aliud majus habeam, quod Patrem cognoscam et ejusdem cum eo substantiae sim. Etenim hoc occultius significat ex eo, quod solus ipsum cognoscat. Cum porro dicit: ‚Neque Patrem quis novit, nisi Filius', non indicat illum omnes ignorare; sed neminem illam habere, quam ipse haberet notitiam; quod etiam de Filio dicendum". Hom. 38 (al. 39) in Mtth. n. 2. Et vero quum sibi soli tribuat Patris cognitionem, non potest loqui de ullo genere cognitionis finitae, hinc nec de illa, quae competebat angelis beatis; loquitur proin de infinita, quae involvit ipsius naturae divinae participationem. Confirmatur hic sensus ex eo, quod etiam aliis in locis scientiam suam repetat ex eo, quod est „unigenitus Filius, qui est in sinu Patris" (Joan. 1, 18), vel ex eo, quod „ab ipso" est, „et ipse misit" cum. Joan. 7, 29. Et quamvis Christus qua homo doceat, hinc qua homo etiam intelligat, propria tamen ratio, cur finita haec intelligentia humana adeo sit excellens, repetenda est ex eo quod qua Filius per naturam divinam particeps est scientiae infinitae.

Porro omnis salutaris cognitio Patris revelatur per Filium; sed omnium mysteriorum revelatio tribuitur etiam Patri. Ergo eadem est utriusque potentia scientiam communicandi, idem in hominum animas influxus, quo trahuntur sive ad Patrem sive ad Filium. Nam ut Christus docet: „Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum" (Joan. 6, 44), ita etiam dicit: „Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum". Joan. 12, 32.

402. **4.** Jesus se dicit Filium Dei, non adoptione, ut homines justi Dei filii appellantur, neque propter voluntatum consensum aut mutuum amorem inter ipsum et Deum, in quo Rationalistae et Pseudocritici non pauci filii appellationem reponunt, sed modo omnino speciali, qui nimirum nonnisi Patre revelante cognoscitur et qui potestatem Deo soli propriam involvit, sic ut Jesus natura sit Dei Filius.

a. Mtth. 16, 13. „Venit Jesus in partes Caesareae Philippi et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. 15. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, *Filius Dei vivi*. 17. Respondens autem Jesus dixit: Beatus es Simon Bar Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est". — Duo confitetur Petrus: Jesum esse Christum sive Messiam, eundemque esse Filium Dei vivi. Hoc ultimum, cujus filius haberetur, Jesus potissimum interrogaverat. Patet hoc ex ipsa qua utitur appellatione filii hominis, cui opponitur altera Filii Dei. Patet ex eo, quod quum Petrus respondisset, a se quidem Jesum credi Messiam et Filium Dei vivi, Jesus quasi vicem reddens Petrum appellat *filium* Jona. Jesu mentem s. *Chrysostomus* ita exponit: „Quia, inquit, Patrem meum praedicasti, ego illum nomino, qui te genuit; acsi diceret: Sicut tu filius Jona, sic ego Patris mei Filius. Nam supervacaneum fuisset dicere: Tu es filius Jona". Hom. 54. al. 55. in Mtth. n. 2. Idem patet denique ex eo, quod Jesus et alias, Pharisaeis nimirum, hanc quaestionem ut totius rei cardinem proposuit: „Quid vobis videtur de Christo, cujus *filius* est?" Mtth. 22, 42.

Jesus Petri confessionem laudat ut eximiam, dicitque singularem hanc cognitionem et arduam a Deo revelante esse acceptam. Unde concludendum, Petrum utriusque vocis sensum attigisse. Jam vero professio haec non esset tam eximia, neque cognitio singularis et sublimis, si Petrus dixisset, Jesum esse Filium Dei adoptione, quo videlicet sensu justi omnes sunt Dei filii, vel ob mutuum amorem, quo sensu justi etiam sunt filii Dei, vel alia quacunque ratione creata.

Nam Jesum esse hominem justum, plerisque constabat; justos omnes aliqua ratione esse Dei filios, notissimum erat. Messiam aliquo sensu dicendum esse Dei Filium, Judaeis passim constabat, unde et Nathanael in primo cum Jesu congressu fassus erat: „Tu es Filius Dei, tu es rex Israel". Joan. 1, 49. Non tamen propterea laudatus est a Jesu, ut postea laudatus est Petrus.

Unde s. *Chrysostomus:* „Atqui, ait, nisi Petrus sic ipsum vere confessus fuisset, ut ab ipso Patre genitum, non fuisset hoc revelationis opus. Si unum ex multis illum esse putasset, non erat illud beatitudine dignum. Etenim jam antea dicebant ii qui in navigio erant, post tempestatem: ‚Vere filius Dei est hic' [Mtth. 14, 23.]. nec tamen beati dicti sunt, etsi vere dixerint. Non enim sic filium, ut Petrus, confessi sunt, sed unum ex multis vere filium esse putabant, eximium quidem inter multos, nec tamen ex ipsa Patris substantia. Nathanael quoque dicebat: ‚Rabbi. tu es Filius Dei, tu es rex Israel' [Joan. 1, 49]. Neque solum non beatus dicitur, verum etiam quasi multo inferiora quam oportebat dixisset, ab illo redarguitur. Cur

igitur Petrus beatus dicitur? Quia illum proprie Filium confessus est". In Mtth. hom. 54, al. 55, n. 1. 2.

Jesus Petri confessionem non tantum laudat, sed confirmat duplice promissione, quam facere non poterat, nisi esset verus Dei Filius et Deus: videlicet, se aedificaturum esse super Petrum Ecclesiam, quam inferorum potestas non possit subvertere, et se claves regni coelorum daturum Petro. S. *Chrysostomus* praeclare id exponit scribens: „Quia ille dixit Filium Dei, ut ostenderet, se esse Filium Dei, ut ille erat filius Jona, ejusdem cum Patre substantiae, propterea illud addidit: Et ego dico tibi etc. Quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognosceres, sic et ego tibi dabo. Neque dixit: rogabo Patrem, sed: ego dabo tibi . . . Vide quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat, et seipsum revelet, ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse demonstret! Nam quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur". Ib. n. 2.

Manifestum igitur est, etiamsi, quod nonnulli censent, Jesus alia etiam ratione, quam quod e Patris substantia prodierit, Dei Filius vocari posset, eum tamen in loco de quo agitur aliisque allatis ideo vocari Dei Filium, quia Deus sive naturae divinae particeps est. Posse vocari Dei Filium etiam ideo, quia ejus origo humana ad Deum referatur, existimat Maldonatus ita explicans verba angeli: „Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei". Luc. 1, 35. Provocat ad illud: „Qui fuit Seth, qui fuit Adam, *qui fuit Dei*". Luc. 3, 38. Maldonati explicationem, tamquam faventem Socinianis, reprehendit *Bossuet* (Ordonnance portant défense etc. Première instruction sur le dessein et le caractère du traducteur du N. T.) Eandem vero explicationem sequuntur et alii, ut *Jansenius* (in Concord.), quamvis et aliteram addens, quemadmodum et Maldonatus notat, quae leguntur apud Luc. 1, 35, satis explicari per illa, quae apud eundem leguntur paulo post (1, 43): „Unde hoc mihi, ut veniat mater *Domini mei* ad me?" (vid. Allioli in Luc. 1, 35). Provocant nonnulli ad s. Chrysostomi locum antea allatum, ex quo saltem id sequatur, nomine Filii Dei, quum Messias eodem insignitur, apud Judaeos non semper designari Filium Dei naturalem. At vero ex eo, quod Judaei non assecuti sint plenum sensum vocis „Filius Dei", non sequitur, Jesum, dum Filium Dei se appellat, quandoque vocem usurpare sensu illo improprio; nec sequitur, quum a Deo aut Spiritu Sancto Filii nomine insignitur, vocem quandoque intelligendam esse sensu improprio. Judaeos non esse assecutos sensum plenum appellationis Filii, quae in nonnullis locis v. Testamenti Messiae tribuitur, notant et alii: ex illis locis, ut *Jansenius* observat, „tantum intelligebant, eum fore Filium Dei singulari quadam et eximia prae aliis electione et adoptione divina, quomodo et Salomon filius Dei in typum Messiae dictus est in scripturis". In c. 119. Concord. Comp. Arguuntur ab ipso Christo, quod non intellexerint, quod David de Messia „Domino" suo dixerat. Mtth. 22, 43. E Chrysostomi doctrina id tantum sequitur, non omnes Judaeos sensum illius appellationis eodem modo esse assecutos. Neque necesse est, angeli verba ita accipere, acsi Christo Filii nomen proxime et directe ideo tribuatur, quia e Spiritu sancto conceptus sit. Verba angeli etiam hunc fundunt sensum: ideo quod nascetur ex te sanctum, i. e. ille homo Christus, erit et vocabitur Filius Dei, quum Messias, qui simul est Dei Filius, juxta prophetias e Virgine sit oriturus. Indicatur igitur appellationis causa remota et indirecta sive conditio: qui nascetur e Virgine erit Filius Dei, quia hujusmodi ortus Messiae, qui est Dei Filius naturalis, secundum Dei consilium et Prophetarum vaticinia proprius est. Cur

Christus, quamvis formatio corporis per Spiritum sanctum effecta constituat rationem imperfectam paternitatis, hinc et filiationis, tamen secundum hanc rationem imperfectam non sit appellandus, bene exponit s. *Thomas:* „Est autem considerandum, quod illud, quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam . . . Christus est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis; *unde quamvis secundum humanam rationem sit creatus et justificatus,* non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est filius Patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius Spiritus sancti, nec etiam totius Trinitatis". S. 3, q. 32, a. 3. in corp. Praemiserat s. doctor objectionem (3): „Deus dicitur pater noster secundum hoc, quod nos fecit, secundum illud Deut. 32, 6: *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te?* Sed Spiritus sanctus fecit corpus Christi; ergo Spiritus sanctus debet dici pater Christi secundum corpus ab ipso formatum". Itaque creatio fundat quidem rationem imperfectam filiationis. Secundum hanc autem Christus non est appellandus Filius Dei, quia ei competit ratio perfecta filiationis. Valet hic, quod de ratione imperfectae filiationis, quae est per gratiam: „Homines qui spiritualiter formantur a Spiritu sancto, non possunt dici filii Dei secundum perfectam rationem filiationis, et ideo dicuntur filii Dei secundum filiationem imperfectam, quae est secundum similitudinem gratiae, quae est a tota Trinitate. Sed de Christo est alia ratio, ut dictum est (in corp. art)". Ad 2.

403. **5. Jesus sibi tribuit, quae Ps. 109 Pharisaeis fatentibus tribuuntur Messiae. Illo autem Psalmo Messiae praeter ortum humanum alius etiam ortus tribuitur, quo fit, ut vivente Davide jam sit *major quam David* simulque gaudeat eadem cum Deo Patre *dignitate et potestate.***

„Congregatis Pharisaeis, interrogavit eos Jesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum." Mtth. 22, 41—46. Marc. 12, 35—37. Luc. 20, 41. Ut contextus docet, Christus Pharisaeos eo adigere cupit, ut per Scripturas edocti fateantur, Messiam sicuti spectata natura humana est filius Davidis, ita spectata natura divina esse Dei Filium, quem Jesus se esse profitebatur; Pharisaei enim in Messia regiam dignitatem potius attendebant quam divinam naturam, licet etiam haec in vetere Testamento eidem tribueretur. Unde s. *Augustinus:* „Responderunt, inquit, secundum opinationem suam: *David.* Sic enim legerant, et hoc solum tenebant; quia divinitatem ejus legebant, sed non intelligebant." In Joan. tract. 48, n. 3.

In Psalmo allato, quem Pharisaei de Messia intelligendum esse non diffitebantur, Messiae natura divina exprimitur. Advertendum est, Jesum primis ejusdem vocibus: „Dixit Dominus Domino meo" addidisse continuo quae sequuntur: „Sede a dextris meis, donec" etc. Hisce enim uberius explicatur, quo sensu Messias Dominus etiam Davidis dicatur. Illa enim a dextris sessione significatur societas potestatis illius, quae competit Deo Patri. Quam igitur potestatem Jesus et alibi sibi tribuerat Pharisaeis indigne ferentibus, hanc ei ut Messiae competere nunc docentur Scripturis ipsis. Et haec quidem potestas eidem competit ut Filio Dei in natura tum

divina tum humana subsistenti; id est: potestas judicandi, quam Christus et alibi singillatim sibi tribuerat, et potestas in res creatas omnes competit eidem tum ut Deo tum ut homini; ut homini vero ideo competit, quia eidem competit ut Deo, sicut ipse etiam ut homo adoratur, sed ideo, quia Deus est.

Intelligimus igitur, cur Pharisaei potestatis hujus divinae societatem in Jesu et Messia negantes respondere non potuerint. Satis enim perspiciebant, non sufficere responsum, quod eis suggerit *Knabel* in h. l. scribens: „Omnino Pharisaei, si voluissent, respondere potuissent: filium saepius superare patrem, et Messiam fore Davide longe potentiorem et majorem regem, atque reges ab aliis regibus hoc nomine insignitos fuisse.“ Comm. in Mtth. Non regiam potestatem quamcunque, sed divinam in Psalmo significari, nec Messiam dici Dominum appellatione quacunque, sed illa, qua Deus appellatur Dominus, probe norant Pharisaei. Unde etiam intelligitur, admittendam non esse explicationem, quam proferunt alii, inter quos *Keim* (l. c. III, 156) et *Wendt* (l. c. p. 437), Christum voluisse tantum dicere, dignitatem messianam esse potiorem dignitate regia Davidis. In Psalmo enim exponitur, qua ratione sit potior, videlicet societate potestatis divinae.

S. *Thomas* rem paucis complectitur dicens: „Sedere ad dexteram Patris nihil aliud est, quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis et beatitudinem et judiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. Hoc autem convenit Filio secundum quod est Deus. Unde manifestum est, quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris; ita tamen quod haec praepositio *ad*, quae transitiva est, solam distinctionem personalem importat, et originis ordinem, non autem gradum naturae vel dignitatis, qui nullus est in divinis personis“. Sum. 3, q. 58, a. 2.

404. **6.** Jesus non tantum Patri se aequalem, sed natura cum Patre unum profitetur. Joan. 10, 24—39. Qui natura unum est cum Deo sive ipsius naturae divinae particeps est, profecto Deus est.

24. „Circumdederunt eum Judaei et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis et non creditis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me; 26. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis . . . 28. Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est (*ὁ πατήρ μου, ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί*), et nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego et Pater unum sumus (*ἓν ἐσμεν*). 31. Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Judaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum. 34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: ‚quia ego dixi, dii estis?‘ (Ps. 81, 6). 35. Si illos dicit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: 36. quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. 39. Quaerebant ergo eum apprehendere, et exivit de manibus eorum.“ — Judaei scire cupiunt, an Jesus aperte

se dicat Messiam. Jesus ulterius progressus, Filium Dei se dicit et Deum ipsum idque declarat multiplice modo.

a. Dicit, se vitam aeternam dare suis ovibus; atqui vitam aeternam dare potissimum eo modo, quo Christus dat, solius Dei est. „Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius, quos vult, vivificat.“ Joan. 5, 21. Purus homo licet thaumaturgus, certe dicere nequit, se, quos vult, vivificare. Unde s. *Chrysostomus:* „Si, inquit, quos vult vivificat, a semetipso aliquid facere potest; velle enim potestatis est. Quod si non potest a seipso, jam non quos vult vivificat. Illud *sicut Pater suscitat* aequalem probat virtutem; illudque *quos vult*, potestatis paritatem.“ In Joan. hom. 38 (al. 37) n. 4.

b. Dicit, neminem oves suas posse eripere de manu sua, quia nemo eas eripere possit de manu Patris, quae est una et potentia cum manu Filii. Et vero hanc potentiam non reponit in eo solo, quod Pater efficiat, quae Filius velit. Dicit enim: „Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit nisi filius perditionis.“ Joan. 17, 12. In haec optime s. *Chrysostomus:* „Pergit, inquit, ostendens, suam et Patris manum unam esse. Nisi enim hoc ita esset, dicturus erat: Pater qui dedit mihi, major omnibus est, et nemo potest eas rapere de manu mea. Verum non ita dixit, sed: de manu Patris mei“. In Joan. Hom. 61 (al. 60) n. 2. Similiter s. *Augustinus:* „Si manum intelligamus potestatem, una est Patris et Filii potestas, quia una est divinitas.“ In Joan. tr. 49, n. 7.

Si cum Vulgata latina legimus: „Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est“, ipsum esse Filium dedit Pater. „Quid dedit Filio Pater majus omnibus? Ut ipse illi esset Filius.“ Ita s. Augustinus l. c. n. 6. Filiatio igitur accepta a Patre, hinc aequalitas cum Patre omnipotenti exhibetur ut causa, cur nemo oves rapere possit de manu Filii. Non sana apparet ratio, cur „majus“ illud cum nonnullis animae intelligantur salvandae; sermo enim est de potentia, qua res custodiatur, non de pretio rei custodiendae. Si cum textu graeco, quem Patres graeci sequi solent, legimus: „Pater, qui dedit mihi, major omnibus est“, potentia infinita Patris Filio communicata tamquam causa exhibetur. V. Maldon. in h. l.

c. Ultima ratio, cur potentia Patris sit Filii potentia aut cur, qui de Patris manu non possit, neque de Filii manu possit rapere, in eo est, quod Pater et Filius unum sunt. Exprimitur enim, ut Catholici contra Arianos semper tenuerunt, unitas Patris et Filii in ipsa natura sive substantia, non merus consensus voluntatum sive unitas moralis, ut voluerunt Ariani, Sociniani aliique. De his ita *Kuinoel* in h. l.: „Est ergo sermo de consensu voluntatis, studiorum, consiliorum, operumque Jesu atque Dei. Ita haec verba jam intellexerunt Erasmus, Calvinus, Bucerus, quos recentiorum interpretum [protestantium] plurimi secuti sunt.“ Ad hanc Patris et Filii unitatem moralem sive consensum etiam recentissimi divinitatis adversarii nonnulli relabuntur, ut *Wendt* I. p. 455. Falsam esse interpretationem, concluditur vel ex eo, quod, ut ostendimus, Christus in sermonis contextu sibi jam tribuerat perfectiones divinas, hinc Patri se aequalem dixerat; jam vero causa, cur perfectionum divinarum sit particeps Patrique aequalis, non est consensus voluntatum sive unitas moralis, sed unitas in natura. Velle autem Christum verbis illis: „Ego et Pater unum sumus“ indicare causam ultimam, cur potentia Patri sit aequalis, e contextu satis apparet. Praeterea Christus intendit indicare causam, cur ex ipsius manu nemo oves eripere possit, et hanc causam tandem reponit in eo, quod ipse et Pater unum sint.

Si non sunt unum natura, sed consensu voluntatum et operum, Christus diceret, e Dei infinita et Filii finita potentia conflari unam potentiam, et hanc esse causam ultimam, cur inimicorum conatus sint irriti. Id autem contrarium esset verbis praecedentibus: „nemo potest rapere de manu Patris mei.“ Et vero si Christi est creata tantum potentia, sequitur, causam ultimam, cur animae rapi non possint, non esse ejus cum Patre consensum, nec amborum consensum, sed solius Dei voluntatem et potentiam. Praeterea perquam temerarie, ut s. *Chrysostomus* et s. *Augustinus* observant, purus homo diceret, se esse unum idemque cum Deo.

Verissime doctor hipponensis: „Nos, inquit, aliquando possumus dicere: in Deo sumus et Deus in nobis; ego et Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus te continet; Deus est in te, quia templum Dei factus es; sed numquid quia in Deo es, et Deus est in te, potes dicere: Qui me vidit, videt et Patrem (Joan. 14, 9) et: Ego et Pater unum sumus? Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domini est aequalitas Patris, munus servi est participatio salvatoris“. In Joan. tract. 49, n. 10.

Adversarii exhibent locos quosdam, ubi unum esse significet unitatem moralem, ut dum Christus orat, „ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; . . . ut sint unum, sicut et nos unum sumus“. Joan. 17, 21. 22. Verum ut in omni alia re, ita etiam hic „unum esse“ intelligendum est pro ratione subjecti. Vult Christus, ut Apostoli, sicuti natura (specifica) et gratiae donis acceptis sunt unum, ita etiam voluntatis consensu uniantur, sive ut ad unitatem specificam, qualis est et esse potest in Apostolis, unitas moralis accedat. Hujus autem unitatis exemplar constituitur Patris et Filii unitas. Sicuti enim Pater et Filius natura sunt unum, ita etiam unum sunt voluntatis consensu; unde et discipuli, qui unitate specifica sunt unum sive eandem naturam humanam (specificam) et alia dona (specifice) communia habent, etiam moraliter sive consensu unum sint oportet. Valet igitur de unitate idem quod de perfectione. „Perfecti estote, sicut et Pater vester perfectus est“. Mtth. 5, 48. Nemo dixerit, hominem eo sensu, quo Deus, perfectum esse posse.

d. Auditis verbis Christi dicentis, se unum esse cum Patre, Judaei eum lapidare tentant atque ita ostendunt, verba illa de unitate in natura a se intellecta esse. Merito s. *Augustinus:* „Hucusque Judaei tolerare potuerunt; audierunt: ‚Ego et Pater unum sumus‘, et non potuerunt . . . Ecce Judaei intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici: ‚Ego et Pater unum sumus‘, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.“ In Joan. tract. 48, n. 8 Judaeorum agendi modo saltem id probatur, ipsos intellexisse, a Christo asseri unitatem non moralem tantum, sed naturalem: praeterea Christum illis verbis apertius etiam sibi vindicare divinitatem, quam in sermone praecedente.

e. Christus Judaeorum intelligentiam non corrigit, sed etiam confirmat. Si Judaei errabant opinantes, Jesum Patri se facere aequalem, nihil facilius erat quam errorem aperire et corrigere. Imo cum s. Chrysostomo dicere licet: „Si id falso opinati fuissent, illos emendare oportuit ac dicere: Non hoc dixi, ut parem paternae meam potentiam indicarem. Nunc contra, illis ferocientibus, illam opinionem confirmat et probat“. In Joan. hom. 61, n. 2.

Triplice modo sententiam suam confirmavit, primo quidem, ut s. *Chrysostomus* et s. *Augustinus* notant, paulo demissius et temperate, ut animos commotos sedaret. Etenim «. ex eo, quod homines ob aliqua Dei dona dii sint appellati utpote Dei auctoritatem aliquo modo participantes, concludit,

se, qui aliquid longe excellentius participet et e Deo processerit, multo magis appellari posse Dei Filium et Deum. Argumenti, quo utitur, sensum ita reddit s. *Chrysostomus:* „Si ii qui per gratiam hoc acceperunt, non accusantur, cum se deos vocant; qui ex natura sua hoc habet, quo jure increpetur?“ L. c. Simili modo s. *Augustinus:* „Si lumina illuminata dii sunt, lumen, quod illuminat, non est Deus?“ L. c. Jesum in eadem perstare sententia vel ex eo patet, quod Filium sanctificatum dicit et missum. Quum e multis locis constet, missionem, quum de Filio usurpatur, involvere generationem aeternam, idem dicendum est de sanctificatione. „Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit“; s. *Aug.* l. c. Nihilominus haec argumentandi ratio minus clare percipiebatur a Judaeis, et propterea Christus a s. Chrysostomo dicitur primum „demissius loquutus“, et a s. Augustino „temperasse in verbis“, quia viderit, „eos non ferre splendorem veritatis.“ — *β.* Alterum argumentum Christus petit ex operibus, idque perspicuum erat. Nam quia Christus, ut saepe explicuerat, eadem quae Pater et eodem modo quo Pater operabatur, eadem in utroque erat potestas. — *γ.* Tertia assertione, qua Patrem in Filio et Filium in Patre esse affirmabat, revertitur ad illam qua Filium et Patrem unum esse affirmaverat; nam ex potentiae aequalitate colligitur naturae unitas. Atque ita rem intellexerunt Judaei: nam „quaerebant eum apprehendere.“

405. **7. Christus a synedrio mortis reus judicatur et Pilato traditur, quia se *Dei Filium, Patri aequalem omniumque judicem* profitetur, qua professione se Deum declarat.**

Christo coram synedrio jam constituto „Princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti; verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam.“ Mtth. 26, 64. 65. „Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.“ Marc. 14, 61. 62. „Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis quia ego sum.“ Luc. 22, 70. Pilato, qui nullam mortis causam in Jesu invenerat, succlamant Judaei: „Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.“ Joan. 19, 7.

Christus se Dei Filium declarat eo sane sensu, quo toties se Dei Filium dixerat, et quo haec appellatio a Judaeis blasphemia judicabatur, i. e. sensu omnino proprio. Si quid dubii superesset, evanesceret ex eo, quod Christus addit, sedere se a dextris virtutis Dei et judicem esse futurum. Ita primum in mentem revocat illud quod aliquando, ut suam e Patre originem demonstraret, dixerat referens verba Davidis: „Dixit Dominus Domino meo; sede a dextris meis.“ Mtth. 22, 41—46. (p. 419) Judicii mentionem faciens alludit tum ad suam cum Patre aequalitatem tum ad suam missionem a Patre, tum ad virtutem divinam, qua judicat. A Deo exerceri judicium in omnes homines, nemo negabat; unde quum et Filius omnes judicare dicitur, omnium etiam Dominus esse intelligitur. Virtutem divinam extulerat dicens: „Si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non

sum, sed ego et qui misit me, Pater." Joan. 8, 16. „Tamquam diceret", ita prosequitur s. *Augustinus*, „verum est judicium meum, quia Filius Dei sum. Unde probas, quia Filius Dei es? Quia solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater." In Joan. tr. 37, n. 9.

Alias quidem judicandi potestatem sibi tribuit tamquam homini: sed Christus ut homo sive spectata natura humana non haberet judicandi potestatem nisi esset Filius Dei sive naturam haberet divinam; nam causa ultima, cur pro omnibus satisfacere et omnium caput esse posset, haec erat, quod naturam haberet divinam. S. Thom. 3, q. 59, a. 2. Judicium quod sibi soli tribuit, est illud quod modo manifesto exercetur. In verba: „Neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; et potestatem dedit ei, judicium facere, quia Filius hominis est" (Joan 5, 22. 27) s. *Augustinus* ita scribit: „Hominibus in judicio non apparebit nisi Filius; Pater occultus erit, Filius manifestus." Tr. 22, n. 13.

Christus igitur paucis quidem attamen apertis omnino verbis proprium Dei Filium se profitetur et pro hac confessione mortem obit.

406. ***Scholion.*** *Objectiones solvuntur.* E claris Christi verbis interpretanda sunt quae minus clara videri possint.

1. Huc pertinent Christi verba: „Haec est vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum". Joan. 17, 3. Sensus enim non est: ut cognoscant te, qui solus es verus Deus, sed: ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus est verus Deus. Vox *solus* ad vocem *Deus* referenda est, non ad vocem *Pater*. Patri attribuitur divinitas, quae sola est vera divinitas; atque haec negatur idolis, non negatur Filio aut Spiritui sancto. Pater tamquam verus Deus opponitur non Filio, sed diis fictitiis. Rationem, cur hoc loco Deus verus opponatur diis falsis, s. *Chrysostomus* reddit dicens: „Ad gentes namque mittendi erant Apostoli". In Joan. hom. 80, n. 2. Sensu congruit quod in hunc locum s. *Augustinus* scribit: „Ordo verborum est: ‚ut te et quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum'." Tr. 105, n. 3. Incassum igitur tum Ariani tum Sociniani aliique ex hoc loco patrocinium causae suae quaerere tentarunt.

2. Iidem ut et Rationalistae recentiores praesidium quaesierunt e loco: „Vado ad Patrem . . . Pater major me est". Joan. 14, 28. Attamen e contextu constat, Christum hic de se ut homine loqui; nam ut homo ascendit in coelum. Ut homo sive spectata natura humana sane minor est Patre. Haec etiam natura humana spectatur, quum Jesus Patrem orat aut Patri subjectus esse dicitur.

3. Matre filiorum Zebedaei petente, ut unus filiorum ad dexteram, alter ad sinistram sederet, Jesus respondit: „Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo". Mtth. 20, 23. Negat Christus, suum esse beatitudinem tribuere alia lege quam statutum est. Ut aganotheta coronam non tribuit athletis ideo quod sint consanguinei, sed tantum victoribus, ita etiam Christus filiis Zebedaei praemia et honores non tribuet eo quo illi petebant titulo, videlicet propinquitatis. S. *Chrys.* in Mtth. hom. 65, n. 3.

4. Non omnem, sed eam quam communicare possit, cognitionem negat in Filio quum dicit: „De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater". Marc. 13, 32. Ut s. *Chrysostomus* animadvertit, „cum dicit: ‚neque Filius', prohibet non modo ne discant, sed etiam ne quaerant". In Mtth. hom. 77, n. 1.

5. Nullatenus se Deum esse negabat quum adolescenti interroganti: „magister bone, quid boni faciam etc.", respondit: „Quid me interrogas de bono? Unus est

bonus, Deus". Mtth. 19, 17. Potius insinuat, si ab adolescente appelletur magister *bonus*, inquirendum esse, quo sensu bonus appellandus sit. Simpliciter et per se solus Deus bonus est: ergo si forte simpliciter bonus appelletur, insinuat, se Deum agnoscendum esse. V. Maldon. in h. l.

Propositio 91. *Jesu Nazareni Deum propriumque Dei Filium se declarantis doctrina divinitus confirmata est tum Joannis B. testimonio, tum voce coelesti, tum signis ad hunc finem a Jesu editis ac potissimum ipsius a mortuis resurrectione.*

407. Pars I. Dum Joannis B. testimonio doctrinam Christi de sua divinitate confirmatam esse dicimus, non loquimur de confirmatione indirecta, qua eum Dei legatum et Messiam declarando simul confirmavit quae Jesus docuit et quae in Messiae titulo continentur. Prop. 87. 88. Loquimur de confirmatione directa, qua Joannes sua auctoritate divinitus accepta Jesum Nazarenum Deum et proprium Dei Filium declaravit.

Probatur 1. *declaratione judicis, remuneratoris, vindicis.* Joannes B. Jesum exhibet judicem aeternum, bonorum remuneratorem, aeternumque malorum vindicem. Judex, remunerator et vindex aeternus non est nisi Deus. „Cujus ventilabrum in manu sua; et permundabit aream suam; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili." Mtth. 3, 12. Quam igitur judicandi potestatem Jesus, Dei Filium coram principe sacerdotum se declarans, sibi tribuit (Matth 24, 64), hanc ei tribuit Joannes. Cf. p. 423.

2. *Dei Filii.* Declarat Jesum esse Filium Dei. „Et ego vidi; et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei." Joan. 1, 34. Ut ibidem monet, a Deo ipso Jesus signo coelesti indicatus ei fuerat; unde concludendum est, eum appellationis illius sensum plenum sine dubio assecutum fuisse. Praeterea quum ut Dei legatus Jesum eadem designaret voce, qua Jesus se designaturus erat, dubium esse non potest, quin vocem eodem etiam sensu usurpaverit ac proin Jesum Dei Filium proprium et naturalem appellaverit.

408. Pars II. Voce coelesti Dei Filius proprius bis declaratus est.

Probatur 1. *declaratione Filii unigeniti.* Jesu baptizato „vox facta est de coelis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi". Luc. 3, 22. Marc. 1, 11. Mtth. 3, 17. Non sine ratione Evangelistae vocem „dilectus" (*ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός*) retulerunt. Nam filius dilectus Scripturae loquendi modo est filius unicus aut saltem primogenitus. Gen. 22, 2. Unde fit, ut Jesus modo vocetur filius dilectus, modo filius unigenitus, ut quum

Evangelista dicit: „Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.“ Joan. 3, 16. Praeterea Jesus duplice titulo, utpote singulari et speciali omnino ratione filius, a caeteris i. e. filiis adoptivis distinguitur.

2. *Filii qui judex erit.* Jesu transfigurato coram tribus discipulis, Petro, Jacobo et Joanne, insonuit „vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus (*οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός*), in quo mihi bene complacui; ipsum audite.“ Mtth. 17, 5. Praeterquam quod voces ipsae Filium Dei unicum et proprium indicant, eundem variae quoque circumstantiae probant. Toto enim eventu et voce prolata imprimis confirmatur quod Jesus paucis ante diebus docuerat: „Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus“. Mtth. 16, 27. Quod hisce sibi tribuerat, non competit nisi illi, qui Deus est et proprius Dei Filius; ergo cum gloria judicis venturi hic monstretur discipulis, appellatio Filii addita non potest non significare nisi Filium proprium. Praeterea transfiguratio haec brevi subsequuta est magnificam illam Petri professionem (Mtth. 16, 16), et Petri fidem confirmavit. At Petrus, ut ostendimus (Prop. 90), verum Dei Filium professus fuerat. Demum vocis illius sensum sine dubio intellexerunt Apostoli qui aderant. Jam quo sensu intellexerit Joannes, facile constat, quum nemo illo apertius Jesu divinitatem professus sit ipso Evangelii prologo.

409. Pars III. Duplice modo, implicite et explicite, Jesus signis ab ipso editis ac potissimum resurrectione praedicta et consecuta Dei Filius declaratus est.

Probatur 1. *implicite.* Signis omnibus tota ejus doctrina ad Dei cultum pertinens divinitus vera declarata est eo ipso, quod signa illa eum Dei legatum exhibuerunt. Prop. 86. Atqui in illo doctrinarum complexu doctrina de ejus divina natura non tantum quomodocunque continetur, sed ut una e praecipuis, quum in omni religione ante omnia nosse oporteat, quisnam cultu latriae sit adorandus seu quis proprium cultus objectum constituat. Falsa enim est religio, quae ut Deum colit illum, qui Deus non est. Unde sequitur, si Jesu de divina sua natura doctrina falsa est, falsam esse religionem christianam, et religionis falsae auctorem signis quam plurimis ut Dei legatum esse exhibitum; quod sane in se repugnat.

2. *explicite.* Quatenus Jesus ad divinitatem suam singillatim probandam miracula operatus est, Deum Deique Filium verum explicite declaratum esse dicimus.

a. Operatus est miracula ut probaret, se a Patre esse missum. „Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me". Joan. 5, 36. Cf. Joan. 9, 4. At haec missio non erat communis illa Prophetarum, sed, ut Jesus saepe declaravit, specialis, quae ejus praeexistentiam, ejus existentiam ante mundi originem, hinc divinitatem includeret. Prop 90. p. 411. Ergo Jesus operibus sive miraculis suam divinitatem probare voluit.

b. Operatus est miracula ut probaret, se aequalem esse Deo (Joan. 5, 18), se habere eandem cum Patre potentiam (19), se vivificare quos vult (21); nam his omnibus, quibus suam docet divinitatem, haec inserit: „Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit, et majora his demonstrabit opera, ut vos miremini" (20). His autem verbis aperte asserit, finem suorum operum hunc esse, ut eisdem sua probetur divinitas.

Simili modo alias eundem operum suorum finem esse dixit. Interrogatus, an esset Christus, imprimis professus est: „Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonia perhibent de me". Joan. 10, 25. Progressus deinde est ad asserendam suam divinitatem: „Ego et Pater unum sumus" (30) Concludit iterum provocando ad opera: „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre" (37—38).

Quaeri potest, an miracula ipsa per se, declaratione nulla addita, satis demonstrare potuerint, Jesum esse Deum. Eorundem multitudo, varietas et excellentia dici quidem potest aliquatenus insinuare, Jesum virtute propria ea produxisse; idem etiam existimari potest de modo quo eadem operabatur, jubendo scilicet, non autem orando. Attamen neutra ratio in se sola spectata ad illud demonstrandum absolute sufficit; non enim repugnat, ut Deus puro homini idem miraculorum donum eodem modo exercendum conferat. Unde ad illam quaestionem *Suarez* recte respondet: „Nisi Christus affirmasset se esse Deum, et in hujus veritatis confirmationem miracula edidisset, sola ipsa miracula per se sumpta non satis ostenderent, ipsum esse verum Deum." Comment. in s. Th. 3, q. 43, a. 4.

c. Provocavit ad futuram suam resurrectionem ut ad argumentum non solum divinae suae missionis, sed etiam suae potestatis suscitandi se et alios. Postquam dixerat: „(Pater) majora his demonstrabit ei (Filio) opera, ut vos miremini", continuo addit: „Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat". Joan. 5, 20. 21. Eandem potestatem et alias sibi vindicat. „Ego ponam animam meam, et iterum sumam eam". Joan. 10, 17. Eodem igitur sensu intelligendum, quod ab initio

praedicationis dixerat: „Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud“. Joan. 2, 19. Verbo: Jesus asserit, virtute propria se surrecturum. Atqui surrexit, et quidem virtute divina, cum virtus naturalis nulla ad id sufficiat. Ergo haec virtus divina Jesu propria virtus fuit.

His non obstat, quod Jesus a „Deo“ sive a Patre suscitatus esse dicatur. Act. 2, 24. Nam eadem est divina virtus et operatio Patris et Filii. Hinc necessario sequitur, si Jesus sua virtute divina surrexit et animam cum corpore iterum univit, idem et factum esse virtute et operatione Patris. Porro haec virtus divina et in anima et in corpore Christi mortui erat, quia per mortem anima quidem a corpore separata erat, sed divinitas nec ab anima nec a corpore fuit separata. Hinc „secundum unitae divinitatis virtutem et corpus resumpsit animam, quam deposuerat, et anima corpus resumpsit, quod dimiserat; et sic Christus propria virtute resurrexit“. S. *Thom.* 3, q. 53, a. 4.

Eodem modo intelligendum est, quod s. Petrus dicit „Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum“. Act. 2, 22. Quum una fuerit virtus et operatio divina Patris et Filii, ex eo quod Deus Pater per Jesum miracula fecisse dicitur, non sequitur, Jesum virtute propria non fecisse miracula; imo sequitur, et ipsum sua virtute divina miracula illa fecisse.[1])

Corollarium.

Nonnullorum fabulae de religionis christianae ortu rejiciuntur.

Demonstravimus verum esse, quod scribit Apostolus: „Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio“. Hebr. 1, 1. 2. Revelatio divina, quae in paradiso inceperat, per Patriarchas et Prophetas continuata, tandemque in Filio absoluta est.

410. I. Itaque religio quam profitemur, non e mente humana evoluta, ut Rationalistae asserunt, sed a Deo tradita est; et quidem per epochas singulas quibus religio distinguitur. Revelatio mosaica, quatenus patriarchalem excedit, incrementa sua non minus debet Deo ipsi, quam patriarchalis et primitiva. Idem dicendum de religione christiana. Non opera studioque humano efformata est e judaismo; Deus ipse eam instituit, postquam, ab imperfectioribus progrediens, revelatione praecedente eam praeparaverat. Neque est quoddam perfectissimae religionis exemplar a Jesu Nazareno tamquam puro homine primum efformatum, et ab ipso communicatum aliis.[2])

[1]) De Christi divinitate late agunt: Prudentius *Maranus* O. S. B., Divinitas D. N. Jesu Christi manifesta in Scripturis et traditione. Parisiis 1746 (Wirceburgi 1859); J. *Perrone* S. J., De D. N. Jesu Christi divinitate adversus incredulos, Rationalistas et Mythicos libri tres. Taurini 1870.

[2]) Religionis christianae notio, quam rejicimus, ut apud alios, ita apud Gul. *Bender* legitur: Im Christenthum ist, entsprechend der Auffassung des Lebensideals, auch die grundsätzliche Vorstellung von der Offenbarung die idealste, welche überhaupt in einer historischen Religion erreicht worden ist, denn als Organ der Offenbarung erscheint hier eine Persönlichkeit, welche nicht nur das denkbar höchste ethische Lebensideal aufgestellt, sondern dasselbe in ihrem Leben verwirklicht hat, wodurch dann die ethischen und religiösen Kräfte entbunden und zu organisatorischen

Neque ejus natura et indoles reponenda est in eo, quod Deum exhibeat ut patrem, homines ut Dei filios, quem patris et filiorum respectum mutuum Jesus purus homo conceperit primus et quem exprimendo et praedicando religionem suam instituerit[1]). Sed est veritatum, praeceptorum, rituum quaedam summa a Christo Jesu vero Dei Filio revelata et instituta.

411. II. Non defuerunt, qui religionis christianae originem partim quidem e religionibus peregrinis i. e. falsis repetere tentarent, et primo quidem e *Mithrae* cultu, inde a Persis in Romanum imperium propagato.

Provocant ad ritus quosdam in illo adhiberi solitos, qui etiam christianae religioni sint communes, ut sunt baptismus, et cujusdam cibi eucharistiam imitantis participatio. (Dupuis, Origine de tous les cultes. VI, p. 227.) Quum cultus ille antiquior sit religione christiana, hanc ex illo ortam esse concludunt. (Mythen der alten Perser als Quellen christlicher Glaubenslehren und Ritualien. Von F. *Nork*. Leipzig 1835).[2])

Mächten in der Geschichte erhoben worden sind . . . Und wenn das Christenthum . . . die Offenbarung als ein Herabkommen von Personen und Kräften der obern Welt in die diesseitige vorstellt, so entspricht diese für uns rein symbolische Vorstellungsform der Weltansicht der apostolischen Zeit. Aber diese Vorstellungsform berührt nicht den Kern der Sache. Das Wesen der Religion 4. Aufl. (Bonn 1888). S. 245. 246. (!!)

[1]) Istiusmodi notio proponitur a pluribus, inter quos est qui ita scribit: „Die vollendete Gotteserkenntniss ersteht auf jüdischem Boden, aus jüdischer Frömmigkeit, als ihre letzte und höchste Frucht, in der Anschauung vom *himmlischen Vatergotte*, dem *πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, der da lauterer Geist und lautere Liebe . . . das Gute allenthalben vollendende Liebe ist; dem Gotte, welchen *Jesus von Nazareth* lebendig wie kein anderer Mensch in sich trug, und den in gleicher Lebendigkeit den Seelen aller Menschen einzupflanzen er als seinen göttlichen Beruf ergriff, für den er Alles hingab. Die geschichtliche Wahrhaftigkeit kann nicht davon lassen, dass dieser Gott im vollen Verständnisse der ganzen Fülle dieses seines Wesens zuerst von Jesus erschaut und verkündigt worden ist." (!) Die Religion und die Religionen. Vorträge gehalten im deutschen Protestanten-Verein zu Leipzig, von Dr. Rudolph *Seydel*, Professor d. Philosophie an der Universität daselbst. (Leipzig. 1872) S. 166.

[2]) Mithrae cultus Romanis primum innotuit per praedones captos Pompejo in Asia bellum gerente. *Plutarch.* in Pomp. 24. Per Trajanum et potissimum per Commodum imperatorem Romae inter cultus legitimos receptus est. Tot subiit vicissitudines et tot populorum superstitionibus intermixtus ritibus variis auctus est, ut difficile sit dictu, quaenam fuerit prima ejus conditio. Comparet etiam duplex divinitas, Mithras vir et Mitra foemina, ignis virtutem simul designantes. Propterea *Firmicus Maternus:* „Persae, inquit, et Magi omnes, qui Persiae regionis incolunt fines, ignem praeferunt, omnibus elementis ignem putant debere proponi. Hi itaque Jovem in duas dividunt potestates, naturam ejus ad utriusque sexus tranferentes et viri et foeminae simulacra [al. simulacro] ignis substantiam deputantes. Et mulierem quidem triformi vultu constituunt, monstrosis eam serpentibus illigantes . . . Virum vero abactorem boum colentes sacra ejus ad ignis transferunt potestatem. Hunc Mithram dicunt". De errore profanar. rel. n. 5. Cf. De la *Cerda* in Tertul. de corona c. 15. *Creuzer,* Symbol. u. Mythol. I, p. 728. *Döllinger,* Heidenth. u. Judenth. p. 383. *Bekker-Marquardt.* Röm. Alterth. IV, 94. *Preller*, Röm. Mythol. II, 754. Aug. *Pauly,* Real-Encyclopädie der classischen Alterth. d. h. v.

Mithras sol invictus vocari solebat, utpote tenebras continuo vincens. Tamquam supremae potestatis symbolum apud Persas a regibus, apud Romanos ab imperatoribus

Verum notandum est a. Mithrae cultum, licet prout in Persarum regno exercebatur, antiquior sit religione christiana, tamen novis ritibus auctum propagari coepisse in occidente, quo tempore religio christiana propagabatur. Ergo saltem non constat, ritus a Mithrae cultoribus usurpari solitos antiquiores esse ritibus similibus Christianorum. Sancti Patres et scriptores ecclesiastici non verentur affirmare. Mithrae cultores sacramenta et ritus Christianorum imitatos esse. S. *Justin.* Apol. I, n. 66. Dial. 70. 78. *Tertul.* de praesc. 40; de coron. 15.

b. Rituum qualiscunque similitudo per se non probat, hosce ex illis aut illos ex hisce ortos esse. Fieri enim potest, ut apud diversas gentes ritus iidem adoptentur ad notiones similes designandas; ritus enim ad signa naturalia aliquatenus accedunt. Hinc reperimus, ablutiones corporales in diversis religionibus assumptas esse ad significandam ablutionem spiritualem. Ritus quidam sacri in omni religione reperiuntur. Nam, ut s. *Augustinus* observat, „in nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.“ Cont. Faustum XIX, 11.

c. Fieri non poterat, ut Christiani assumerent ritus proprios religionis asseclis, quibus se maxime exosos esse scirent. Nulla autem erat ratio, ut desisterent a ritibus exercendis vel festis celebrandis aut etiam instituendis, si gentiles festa similia alio quidem fine celebrarent. Id prae oculis habendum est, si agitur de Christi die natali celebrando, qui secundum traditionem communiorem incidit in diem 25. Decembris. Hoc enim die, videlicet circa solstitium hiemale, Mithrae, „solis invicti“ adoratores, solis reditum i. e. Mithrae quasi ortum celebrant. Imo sunt, qui censeant, Christi diem natalem, de quo minus certo constabat, a Christianae religionis praepositis de industria diei 25. Decembris assignatum fuisse, ut veri „solis justitiae“ ortum celebrando populum a gentilium festis averterent; ob similem rationem, videlicet ut populus ab Osiridis quodam festo averteretur, in ecclesia orientali Christi natalem celebratum fuisse d. 6. Januarii, quo die Osiridis illud festum agebatur. De Christi die natali. Cf. *Tillemont*, Hist. col. I. Note IV sur Jésus-Christ. *Benedict.* XIV. de festis. De Christianorum die festo substituto. *Creuzer,* Symbol. I, p. 762.

potissimum coli solebat. Marcus Aurelius illius cultum magnopere promovit. Quo magis diffundebatur religio christiana, eo magis a gentilibus Mithrae cultus promoveri solebat, quia idoneus esse videbatur, qui illius locum teneret. Profitebatur enim quandam quasi numinis unitatem et ritus assumpserat christianis similes; cultus illius mysteria in antris exerceri solebant. Ab initiandis austeritates quaedam subeundae erant. Nec deerant terriculamenta ad initiandorum constantiam explorandam. Per gradus varios, quorum singulis sua erant nomina, fiebat ascensus. Quorum aliquos ad Laetam scribens s. *Hieronymus* commemorat: „Propinquus vester Gracchus cum praefecturam gereret urbanam, nonne specum Mithrae et omnia portentosa simulacra, quibus Corax, Niphus [al. cryphius], Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius, [al. heliodromus] Pater initiantur, subvertit, fregit, exussit et his quasi obsidibus ante praemissis, impetravit baptismum Christi?“ Ep. 107, n. 2. Ed. M. Teste *Lampridio* Commodus imperator „sacra Mithriaca homicidio vero polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat“. C. 9. Ed. Bip. Sacrificia humana quandoque oblata esse, variis indiciis proditur. V. *Socrates,* Hist. eccl. III, 2; V, 16. *Preller,* Röm. Myth. p. 758. Anm.

d. Ex historia constat, religionis christianae auctorem esse Jesum Nazarenum; ergo non est, cur ad ejus originem explicandam conjecturis frivolis et absurdis indulgeatur.

412. III. Nec defuerunt, qui e similitudine qualicunque, quae inter *Buddhae* quaedam fata et Christi, et inter utriusque doctrinam esse dicitur, concluserunt, pleraque quae sint Buddhae, applicata esse Christo et praecipua quaedam doctrinae capita e Buddhismo, utpote antiquiore, migrasse in religionem christianam. Rud. *Seydel,* Das Evangelium von Jesu in seinen Verhältnissen zu Buddha-Sage und Buddha-Lehre, Leipzig 1882. — Paul *Carus,* The Gospel of Buddha according to old Records, 2. edit. Chicago 1895. Fundamento caret haec opinio.

a. Christi ortus, fata, tempora sunt notissima et multorum literis consignata aliquot annis post ejus mortem, dum Buddhae fata sunt obscurissima; libri enim illi antiquiores, quibus consignata fuisse dicuntur, perierunt; libri autem, qui nunc exhibentur, compositi sunt aliquot centenis annis post Buddhae mortem. Cf. supra n. 259. Absurdum igitur foret, factis historicis substituere facta fabulosa.

b. Buddhae doctrina nonnisi sero nota fuit in occidente et in Romano imperio. *Clemens* Alexandrinus, qui in ipso orbis terrarum emporio vivebat et religiones opinionesque omnes pervestigare solebat, ineunte saeculo III haec sola de Buddha refert: „Sunt autem etiam ex Indis, qui Buttae parent praeceptis, quem propter insignem virtutem ut Deum honorant." Strom. I, 15. Ed. M. tom. 1, p. 779. Clemens inter Christianos primus mentionem facit Buddhae.

c. Quod similitudinem, quae inter Christum et Buddham esse dicitur, attinet, dissimilitudo longe major est quam similitudo. Buddha antequam in terra nasceretur, jam exstitisse quidem dicitur; verum non unus, sed plures Buddhae temporis successu nati dicuntur, et qui tamquam Buddha nascitur, sub alia et alia forma succedente prius jam exstitisse perhibetur: alia longe de Verbo incarnato fides christiana docet. Buddha tentatur et superat tentationem antequam publicam vitam inchoat; attamen post eandem jam inchoatam aliquoties tentatur. Christus homines vulgares docet nec in principum aulis vivit; Buddha cum principibus vivit. Christus docet, adversa toleranda esse atque ita comparari thesauros coelestes; Buddha ostendere nititur, quomodo mala evitari et effugi possint. Christus miracula patrat, quibus beneficia praestantur hominibus, aegrotis, coecis, claudis; Buddha a scriptoribus diu post ipsum viventibus narratur mira patrasse ad commendandam suam potentiam et sanctitatem, tonitrua et terrae motus excitando etc. Christus mortuus est in cruce, aetate virili vix inchoata; Buddha mortuus est post aetatem consuetam emensam, correptus morbo, quem sibi paraverat comesta carne suilla. Itaque multiplex dissimilitudo in vitae ratione. Edm. *Hardy,* Der Buddhismus, Münster 1890, p. 127.

d. Maxima pariter dissimilitudo est inter utriusque doctrinam. Christus docet Dei unius existentiam, animae individuae immortalitatem, vitam aeternam; Buddhismus triplicem hunc doctrinarum cardinem negat.

Veritates christianae per legatos, Dei auctoritate instructos, traduntur, hinc e revelatione hauriuntur; Buddhismi doctrinae illuminatione interna cognoscuntur; hinc religio christiana et Buddhismus vel ob hanc solam rationem maxime inter se opponuntur.

Christus Ecclesiam instituit, quae ejus auctoritate praedita salutis subsidia exhiberet; nihil simile reperitur in Buddhismo; hujus enim asseclae singuli sibi sufficiunt et suis actibus solis, quae ad perfectionem attingendam necessaria sunt, sibi subministrant. Ipsa vita monastica, sive paupertatis et castitatis quaedam professio, quam Buddha instituit, fine quam maxime differt a vita monastica, quae in Ecclesia catholica exercetur. Haec enim potissimum Christi imitationem spectat, dum apud Buddhistas paupertatis et castitatis exercitium unice cupiditatum ac demum omnium actionum ipsiusque vitae cessationem intendit.

Peccatorum confessio apud Buddhistas monachos usurpari solita penitus differt a confessione, quae in Ecclesia catholica viget. Haec enim pars est sacramenti, quo Christi auctoritate peccata condonantur ideoque omnia peccata gravia confessioni subduntur. Apud Buddhistas monachos et moniales peccata, et quidem manifesta potissimum, confessione publicantur non ut auctoritate divina condonentur, sed ut a delinquentibus facilius emendentur; unde etiam Buddhae asseclae vulgares nulla confitendi lege tenentur. Cf. E. *Hardy*, Katholik, 1886, 1, 397. Die Beicht bei den Buddhisten. (Nach Ceylonesischen Quellen).

e. Mirum non esset, si Buddhismus pro flexibili sua indole e religione christiana, et quidem primis jam saeculis, nonnulla capita, immutata quidem, sibi junxisset. Non enim defuit occasio. Novimus, primis post Christum saeculis Evangelium latissime propagatum fuisse per orientis regiones, etiam illas, in quibus propagatus est aut propagari studuit Buddhismus. Thomam Apostolum apud Indos Evangelium nunciasse, antiquissima est traditio. Arnobius ad finem vergente saeculo tertio vel ineunte quarto, agens de religionis christianae propagatione, addit: „Enumerari possunt atque in usum computationis venire ea, quae in India gesta sunt, apud Seras, Persas et Medos . . . in insulis et provinciis omnibus, quas sol oriens atque occidens lustrat". Ad. nat. II, 12. Qui vocantur Seres, ipsum regnum Sinense aut provinciam adjacentem incolebant. *Wilmers*, Gesch. d. Rel. §. 131. E Persarum regno non tantum ad Indos, sed etiam usque ad insulas Oceani indici, nominatim ad Ceilanum insulam, ubi Buddhismus viget, primis saeculis religionem christianam propagatam et stabilitam esse et quidem per praecones Persas, discimus e Cosma Indicopleuste, monacho Aegyptio, qui quum adhuc saecularem vitam ageret, orientales regiones mercator inviserat et circa an. 536 quae viderat descripsit.[1]) Unde sequitur, quae Arnobius refert, non esse exaggerata. Facilius etiam explicatur qualiscunque illa inter Buddhismum Tibetanum et christianam religionem similitudo, quum in remotis Asiae regionibus per Franciscanos et Dominicanos medio aevo annunciatum fuerit Evangelium. Cf. *Pawlicki*, Der Ursprung des Christenthums (Mainz 1885) p. 47 seq. *Wilmers*, Gesch d. Rel. §. 184.

[1]) Topographia, christiana l. XI, Migne P. gr. 88, p. 446. „De Taprobana insula. Haec magna est Oceani insula, in mari indico sita; quae ab Indis Sicleliva, a Graecis Taprobana vocatur. . . . Exstat ea in insula Ecclesia Christi advenarum e Perside, ac presbyter in Perside ordinatus eoque missus, diaconus item cum reliquo ecclesiastico ministerio. Indigenae vero et una reges alieni cultus sunt." — De insulae variis nominibus v. *Malte-Brun*, Géographie complète et universelle III. livre 75. Carl *Ritter*, Erdkunde, VI. Theil. Bd. 4. (2. Aufl.) p. 14 seq.

Liber IV.

De religionis christianae veritate demonstrata ex ejusdem in orbem progressu.

Disputationis scopus.

413. Religio christiana prae legislatione mosaica etiam in hoc eminet, quod, dum lex Deum auctorem habuit invisibilem, Moysen promulgatorem visibilem, illa et Deum visibilem auctorem et Apostolos promulgatores visibiles habuit. „Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio". Hebr. 1, 1. 2. Hinc fit, ut, etsi religionis christianae veritas per Jesu miracula et vaticinia ejusque resurrectionem demonstrata non esset, tamen per illa, quibus Apostolorum divina missio probatur, non minus foret certa, quam legislatio antiqua per illa, quibus Moysis legatio divina demonstratur. Unde etiamsi ab aliquibus impugnarentur quaecunque vitam Jesu respiciunt, satis tamen isti revincerentur argumentis illis, quae e novo hoc demonstrandi genere enascuntur.

Miracula per Apostolos eorumque discipulos patrata certe non majore ad persuadendum in seipsis vi pollent quam Christi miracula; attamen quia in diversis regionibus evenerunt et ad tempora nobis viciniora continuata sunt, facilius cognoscuntur magisque quodammodo oculos perstringunt. Atque haec sola jam foret ratio plane sufficiens de Apostolorum et discipulorum quoque miraculis agendi.

Nova autem accedit ratio e modo diverso, quo Apostolorum et discipulorum miracula religionis christianae perennitatem demonstrant. Sane etiam e Christi miraculis probatur, religionem qualem ipse instituit, ad nostra usque tempora perduraturam esse et perdurare; attamen id remote potius et a priore tantum probatur, quatenus certo concluditur, quod praedixit, eventurum esse. Apostolorum vero aliorumque miracula idem proxime et eventu ipso demonstrant.

Caput I.

De divina Apostolorum legatione per eventus demonstrata.

Triplice modo spectanda nobis est Apostolorum legatio: in se sola sive formaliter; dein pro ratione qua Apostoli eam exercuerunt; demum cum respectu ad praedicatae doctrinae summam, prout videlicet quae libro superiore de Jesu, religionis christianae, auctore demonstrata sunt, praedicatione apostolica denuo confirmantur.

Articulus I.

De Apostolorum legatione in se spectata.

Propositio 92. *Eventibus supernaturalibus festum Pentecostes comitantibus, imprimis linguarum dono, tum religionis christianae veritas denuo confirmata, tum singillatim Apostolorum missio divina demonstrata est.*

414. Pars I. Eventus qui Pentecostes festum comitati sunt (Act. 2, 1—14), fuerunt vere supernaturales sive vera miracula, alia in ordine physico, in ordine morali alia.

Probatur 1. Supernaturalis erat, qui „factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes“. 2, 2. Id intelligitur inde, quod sonus ut „de coelo“ ortus describitur, quod restringebatur ad domum unam omnesque stupentes eo advocabat. Tempestati cum fragore vel tonitruis conjunctae, ut nonnulli volunt, haec minime congruunt.

2. Supernaturales erant, quae „apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, quae sederunt super singulos eorum“. 2, 3. Linguae illae flammeae sive flammis similes non erant fulgura, tum quia non erat tempestas cum tonitruis juncta, tum quia non laedebant; nec erant phaenomena electrica, tum quia non in summitate turrium vel tectorum apparebant, sed in cubiculo,

tum quia sederunt super singulos et quidem solos congregatos in cubiculo.

3. Supernaturalis erat facultas loquendi linguis peregrinis. Haec enim asseritur verbis: „Et repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis (ἑτέραις) linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Facta autem hac voce convenit multitudo et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, qui mirabantur dicentes: Nonne ecce! omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi et Medi et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Judaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam" etc. 2, 4—10. Itaque homines illi Galilaei loquebantur linguis alius Parthorum, alius Medorum, alius Cappadocum etc., aut unus etiam plurium nationum linguis, „prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis", et quidem linguis, quas non didicerant, „linguis novis", quas credituris promiserat Christus. Marc. 16, 17. Ergo non de novo enthusiasmo, quem illi linguae suae patriae addiderint, ut nonnulli volunt, sed de novis linguis agitur. Homines enim qui audiebant, non de novo illo enthusiasmo mirabantur, sed de eo, quod, licet illi Galilaei essent, tot diversarum nationum linguis loquerentur, tot diversis linguis Dei laudes celebrarent.

Neque obstat, quod Apostoli postea non compareant diversarum linguarum notitia instructi. Non enim asseritur, donum hoc fuisse continuum sive permanens.

4. Supernaturalis et nonnisi miraculo debita erat subita illa discipulorum in alios plane viros immutatio. Qui Jesu interfecto propter metum Judaeorum Hierosolymis degebant „januis clausis" (Joan. 20, 19. 26), jam se exhibent indutos „virtute ex alto" (Luc. 24, 49), ita ut Petrus non vereatur Judaeos congregatos deicidii commissi accusare dicens: „Hunc (Jesum) per manus iniquorum affigentes interemistis". Act. 2, 23.

415. Impugnata a multis est modo narratio tota, modo singillatim pars quae linguarum donum spectat.

a. Ridicula plane sunt, quae ad hoc miraculum explicandum vel negandum affert Ernestus *Renan* (Les Apôtres, Paris 1866, ch. 4). „Sonus" ille „tamquam advenientis spiritus vehementis" non erat nisi tempestas subito orta, quam comitabantur multa fulgura, quae, ut studiose animadvertit, in illis regionibus quam maxima esse solent. „Dispertitae linguae" non erant nisi flammae sive fulgura, quorum nonnulla aut in domum penetrarunt aut saltem faciem Apostolorum illuminarunt. Hae flammae ansam praebuerunt opinandi, Apostolos diversis linguis esse locutos. Proprie tamen quod donum linguarum credebatur et dicebatur, non nisi hanc exprimit sententiam, Evan-

gelium non sola lingua hebraea esse annunciandum, sed aliis etiam linguis licite annunciari. Videlicet, supponit ille, tot hominum millia, qui tempestates et fulgura toties viderant, eventum adeo consuetum ipsisque notum temere habuisse pro miraculo.

Fatendum tamen est, Ernestum Renan non primum hanc explicandi viam iniisse: secutus est semitam tritam. Alius jam locutus erat „de vehementiore procella et tonitru simul"; „quoniam, inquit, ingruente tempestate procella antecedere solet. Iisdem (Apostolis) apparent fulgura. Sed quia haec ipsa phaenomena naturae, quae praesentioris numinis signa semper habebantur, ut adventantis jam πνεύματος, quod pollicitus erat Jesus, nuncios contemplabantur, phantasiae indulgentes majus quid audire et videre sibi videbantur, quam quae per tempestatem vulgarem evenire solent". Ita J. H. *Heinrichs* (in acta apost. Gottingae 1809), qui et ipse aliorum vestigia terit. Explicandum imprimis erat, cur etiam illa hominum millia, qui in Jesum non credebant, phantasiae ita indulserint, ut simul cum Apostolis majus quid audire et videre sibi viderentur. Idem scriptor, quem modo nominavimus, donum linguarum ita explicat: „Neque jam, ut antea, secundum avitum morem in lingua Hebraeorum sanctiore festum celebratur, sed sua quisque et patria lingua et dialecto sursum fertur atque ad preces Deo fundendas abripitur". Nimirum supponere videtur, inter Apostolos et discipulos, qui „omnes Galilaei" dicuntur, fuisse „Parthos et Medos et Aelamitas . . . proselytos, Cretas et Arabes". Tunc vero non erat, cur homines mirarentur dicentes: „Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei." Sed nimirum id mirari dicuntur, quod Apostoli et discipuli alii non utantur „lingua Hebraeorum sanctiore"! Quasi haec illo tempore hominibus vulgaribus tam nota et familiaris fuerit! Aut quasi ulla ratione constet, hominibus privatis et vulgaribus illo tempore, quo lingua „hebraea sanctior" non amplius erat vulgaris, non licuisse aut non fuisse in usu, lingua aut dialecto vulgari preces fundere! Et demum si licitum non fuisset, quis dixerit, id tantam excitasse admirationem, quanta in Actibus describitur! In una tamen re plane consentiendum est scriptori; monuerat enim in commentarii principio (p. 310), hunc Actuum locum esse „difficillimum"; sane „difficillimus", imo contradictionum plenus est non agnito miraculo.

416. b. Nonnulli, qui caeteros quidem eventus revera supernaturales fuisse haud aegre admittunt et insuper fatentur, narrationem de *linguarum dono* a s. Luca tradi eo sensu quem diximus, nihilominus negant, hoc sensu narrationem accipi posse. Ratio illorum haec est, quod hujusmodi linguarum donum logice et physice sit impossibile; unde inferunt, s. Lucam narrationem suam hausisse e traditione, postquam haec linguarum dono, quod locum habuerit, alium sensum subdiderat. Ita Heinr. Aug. Wilh. *Meyer,* Handbuch über die Apostelgesch. 4. Aufl. Götting. 1870, p. 55. Id idem est ac dicere, logice et psychologice esse impossibile, id quod magister puerum docens intra aliquot menses praestat, Deum praestare uno momento. Magister puerum docens linguam peregrinam eidem imprimis communicat cognitionem duplicem, alteram signi sive soni, dein significationis, quae signo subest, alteram. Praeterea eum dirigit, ut organis utatur ad sonum auditum exprimendum. Jam quod magister, soni cognitionem communicaturus puero, in pueri mente praestat per auditum, ac proin adhibito adminiculo externo, id Deus sine dubio potest efficere in mente ipsa, sive non adhibito sono per auditum excipiendo, i. e. communicare potest ipse cognitionem et signi et significati; et quod magister efficere potest monito verbis expresso, dum puerum ad sonum imitandum hortatur, id Deus efficere potest monitione interna. Quum Deus ita agit in hominis mentem, hujus actio minime excluditur. Excluditur quidem illa, qua e signis sensibilibus abstrahat conceptus insensibiles, sed non excluditur illa, qua conceptus insensibiles agendo recipit iisque utitur. Quum mens nostra conceptum antea a rebus sensibilibus abstractum et in memoria repositum

postea revocat eodem usura, non agit quidem denuo laboriose formando conceptum, sed agit eodem utendo. Simili modo mens, supposita actione divina, qua conceptus eidem communicatus est, agit utens conceptu immisso a Deo.

Loquendo homo, ut diximus, duplice cognitione utitur, signorum et eorum respectus ad res significatas. Qui sententias peregrina lingua conceptas proferre novit significationis ignarus, sola signorum cognitione utitur; postquam sententiae sensum percepit, etiam altera utitur. Unde linguarum donum duplice sensu, ampliore et restrictiore, a Deo communicari potest, prout nimirum aut sola signorum, aut simul etiam significationis cognitio communicatur. Sensu restrictiore quandoque communicatum esse, Corinthiorum patet exemplo (1. Cor. 12).

Utraque etiam cognitio communicari potest aut per modum *habitus permanentis*, quo modo callemus linguas studio proprio acquisitas, aut per modum illuminationis actualis et *transeuntis*, ita ut homo ejusdem linguae dono modo sit praeditus modo careat. Ex hac diversa communicandi ratione sequitur, discipulos eosdem, qui die Pentecostes linguis diversis locuti sunt, earum cognitione postea carere potuisse. V. s. Thom. 2, 2, q. 177, a. 1. et 2.

417. Pars II. Eventibus iisdem religionis christianae veritas denuo confirmatur.

Probatur 1. *e Joelis vaticinio impleto.* Secundum hoc vaticinium (3, 1) „novissimis diebus" i. e. tempore messiano Spiritus sancti dona, imprimis scientiae et pietatis, summa ubertate communicabuntur hominibus. Id autem factum est festo Pentecostes, nec ullo alio tempore eadem donorum ubertas conspicitur; ergo concludendum est cum Petro Judaeos alloquente, tempus messianum jam adesse.

2. *e Christi vaticinio impleto.* Christus redivivus discipulis „praecepit, ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum . . . vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies". „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae". Act. 1, 4—8. Hisce verbis praedicitur et injungitur a Christo Domino religionis christianae propagatio; ergo iisdem impletis religio christiana declaratur opus divinum a Christo ipso institutum.

3. *ex indole supernaturali societatis christianae.* Societas christiana, cujus quidem fundamenta Christus antea posuerat, die Pentecostes primum apparuit in mundo et quidem talis, qualis est. Atqui ex dictis apparuit ut aliquid omnino supernaturale, et opus divinum. Ergo etiamsi non adverteremus mentem ad ea quae praecesserant, tamen certo nobis constaret, ejus originem esse divinam.

418. Pars III. Demonstratur Apostolorum missio divina.

Probatur 1. *e promissione singillatim respiciente Apostolos.* Ut finis, cur mittendus sit Spiritus sanctus, imprimis hic exhibetur,

ut Apostoli accipiant „virtutem Spiritus sancti“, et esse possint „testes usque ad ultimum terrae“. Act. 1, 4—8. Ergo accepta jam festo Pentecostes hac virtute promissa manifesto funguntur missione a Christo delata.

2. *e virtute Spiritus sancti in se ipsa spectata.* Etiam non attenta Christi promissione Apostoli in alios jam viros immutati sese exhibent virtute supernaturali ita suffultos et ornatos, ut, si Dei legatos se dicunt, fidem mereantur; quod enim testimonium Deus reddit per miracula physica, id etiam per miraculum morale, cujusmodi erat, quod in Apostolis evenerat, reddere potest. Aperte autem se praedicant Christi legatos, ut Petrus congregatos alloquens: „Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus“. Act. 2, 32. Ergo ipsa virtute accepta Dei legati declaratur.

Omnes quidem qui in domo illa congregati erant, replebantur Spiritu sancto, sed non omnes ad eadem praestanda sive ad eadem munera gerenda. Apostoli replebantur Spiritu sancto ad munus illud gerendum, quod Jesus eisdem singillatim injunxerat. Propterea in eventu ipso Apostoli a reliqua turba distinguuntur munus ipsis proprium continuo explentes: „Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam et locutus est eis“ etc. 2, 14.

3. *ex effectu.* Tria millia hominum, qui post Petri orationem illi ipsi, cujus mortem antea expetierant, adhaerere coeperunt, tam subito converti non poterant, nisi rationibus gravissimis propositis. Hae autem rationes comprehendebantur Petri testimonio sive missione, quam sibi aliisque tribuebat dicens: „Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus“. Act. 2, 32. Ergo illi hanc missionem sive Apostolorum praedicationem rationibus gravissimis suffultam et a Deo ipso comprobatam agnoverunt.

Propositio 93. *Apostolorum legatio, hinc et religionis christianae origo divina demonstratur miraculis per ipsos Apostolos et per discipulos patratis.*

Demonstratio haec a praecedente differt in eo, quod agit de miraculis, quae per Apostolos eorumque discipulos ad missionem suam divinam probandam patrata sunt, quum antea sermo tantum esset de miraculis, quae in eisdem Deus operatus est. Miracula per ipsos Apostolos eorumque discipulos patrata ejusmodi sunt, ut sola ad plenam fidem faciendam sufficerent illis, quibus de miraculis praevie factis non constaret. Omnia enim aut explicite aut implicite, aut formaliter aut exercite ad finem illum tendebant.

419. Pars I. Frequentia fuerunt miracula patrata per Apostolos.

Probatur 1. Apostoli post Pentecosten miraculis patrandis praedicationem *inchoarunt* eique auctoritatem conciliare *intenderunt*.

Narrata trium millium conversione et novae societatis formatione s. Lucas continuo pergit: „Fiebat autem omni animae timor; multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. Omnes etiam qui credebant, erant pariter . . . Dominus autem augebat, qui salvi fierent, quotidie in idipsum". Act. 2, 43—47. Quae de miraculorum effectu dicuntur, satis indicant, quem finem Apostoli miraculis patratis prosequuti fuerint, finem videlicet conciliandi fidem illis, quae praedicabant. Magis etiam id patet in narrata mox sanatione viri, „qui erat claudus ex utero matris suae, quem ponebant quotidie ante portam templi". Act. 3, 2. Petrus enim quum eum „in nomine Jesu" sanasset, continuo, exposita Christi resurrectione, ad suum et Apostolorum testimonium authenticum provocat: „cujus nos testes sumus". Act. 3, 15. Disertius etiam legationem suam Petrus et Joannes asseruerunt, quum a principibus prohibiti, ne ultra Jesum annunciarent, responderunt: „Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate; non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui". Act. 4, 19, 20.

420. **2.** Miraculis patrandis Evangelium *Hierosolymis* diffundere *perseverarunt.*

Narrata poena supernaturaliter inflicta Ananiae et Saphirae, s. Lucas ita pergit: „Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe . . . Magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis; qui curabantur omnes". Act: 5, 12—16. Ex hac narratione tria constant: Vera facta fuisse miracula per Apostolos; eosdem intendisse, miraculis demonstrare, auctoritatem divinitus sibi collatam esse, ut indicat haec illorum vox: „Obedire oportet Deo magis quam hominibus" (5, 29); demum, huic intentioni respondisse eventum.

Objic. Quae de umbra transeuntis Petri narrantur, exegetis nonnullis Protestantibus aut incredulis miras crearunt difficultates. Quidam in umbra sanante manifestam deprehendit magiam, unde concludit, narrationem totam ad mythos amandandam esse. Respondet alius, rem non esse adeo incredibilem, quum Petri transeuntis umbra aegros contra solis ardores protegere eosque hoc modo allevare potuerit, remittitque ad illud Ps. 120: „Per diem sol non uret te" . . . Id non sufficit aliis, qui ut difficultatem solvant, animadvertunt, non narrari, per umbram miracula revera esse patrata, sed tantum, credidisse homines, per umbram patrari posse; addunt, non frustra dici: „per manus Apostolorum", quam phrasin hic non per hebraismum explicant, sed manuum impositionem denotare existimant. Sed rursus id impugnatur ab aliis, argumentantibus e contextu, qui agat de miraculorum dono concesso Apostolis; notant, si effectus nullus umquam secutus esset, homines de Petri umbra non curasse; unde miracula illa potius ex hominum fide, quam e Petri virtute explicare vellent. Ernesto Renan, qui de Apostolorum miraculis idem dicendum putat quod de Jesu miraculis, haec umbra Petri adeo molesta est, ut eam in mythum vel in „legendam" mallet convertere: „on prétend" etc. Les Apôtres p. 104.

Resp. Non advertitur, Deum esse causam propriam efficientem miraculorum; ut dici possit, per hominem patrata esse miracula, sufficit ut homo sit causa moralis. Causa moralis tunc est, si Deus hominis intuitu ad miraculum efficiendum movetur. Unde ut Petrus transiens umbramque in aegrotos projiciens miraculi causa moralis dici possit, sufficit, ut Deus miraculis occasione illa patratis auctoritatem Petro tribuere voluerit. Non in umbra, sed in Petro transeunte vis ponenda est.

421. **3. Ut Hierosolymis, ita etiam *in aliis partibus* Apostoli miraculorum dono fulti Evangelium disseminarunt.**

Petrus Lyddae „hominem quendam, nomine Aeneam, ab octo annis jacentem in grabato, qui erat paralyticus", hac una voce sanavit: „Amen, sanat te Dominus Jesus Christus: surge et sterne tibi. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddae et Saronae: qui conversi sunt ad Dominum". Act. 9, 34. 35. In Joppe discipulam quandam, Tabitham nomine, mortuam et sepulturae jam paratam, Petrus e Lydda advocatus ita allocutus est: „Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro resedit . . . Notum autem factum est per universam Joppen, et crediderunt multi in Domino". Act. 9, 40—43. Quod autem defuncta Tabitha „discipuli audientes, quia Petrus esset in Joppe, miserunt duos viros ad eum rogantes: „Ne pigriteris venire usque ad nos" (38), demonstrat, quam manifesto constaret de miraculorum potestate collata Apostolis. Unde s. *Chrysostomus:* „Sciebant enim, inquit, illos mortis ac vitae potestatem habere; sciebant, coelestem principatum delapsum in terras". In princ. Act. hom. 3, n. 5. Ed. M. 3, 95.

Objic. F. Chr. *Baur,* qui in Actibus ubique deprehendit narrationes studiose conflictas et compositas, existimat, narrationem miraculorum, quae Petrus in Joppe et Lyddae operatus est, non esse nisi imitationem illorum, quae in Evangeliis de Christi miraculis narrantur. *(Paulus* der Apostel J. Ch. p. 192.) Rationes praecipuae afferuntur hae: quod, ut in Evangeliis, ita etiam in Actibus de paralytico sanato et de mortuo suscitato sermo sit; quod in Evangelio Jesus „ejectis omnibus assumit patrem et matrem puellae et qui secum erant, . . . et tenens manum puellae, ait illi: Tabitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge!" (Marc. 5, 41); in Actibus „ejectis omnibus foras, Petrus ponens genua oravit; et conversus ad corpus dixit: Tabitha, surge". Act. 9, 40. Est igitur quaedam in narratione similitudo.

Resp. Verum quod primam rationem attinet, si ex eo, quod Petrus sanat morbos eosdem, quos et Jesus, concludendum est, narrationem alteram esse conflictam, idem concludendum foret, si duo medici morbos eosdem sanasse narrantur. Dein si similitudo quaedam deprehensa inter Petri et Jesu actionem sufficit, ut altera dicatur conficta, etiam similitudo inter Apostolorum et Jesu praedicationem observata sufficeret ad Apostolorum praedicationem negandam. Imo non potest non esse quaedam similitudo, quum Jesus Apostolis et discipulis contulerit potestatem faciendi eadem quae ipse fecerat miracula et majora. Joan. 14, 12.

422. **Pars II. Patrata etiam sunt miracula per discipulos, quos Apostoli ad disseminandum Evangelium sibi sociarunt. Quae Stephanus et Philippus gesserunt, satis id evincunt.**

Stephanus, unus e diaconis, „plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo". Act. 6, 8. Post discipulorum dispersionem Philippus Samariae praedicabat Christum. „Intendebant autem turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes

signa quae faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi etiam paralytici et claudi curati sunt". Act. 8, 6. 7. Etiam Simon magus, „qui multo tempore magiis suis dementasset" Samaritanos, „credidit; et quum baptizatus esset, adhaerebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur". 8, 11—13. Miracula, quibus Samaritani, Simonis artibus assueti, ad fidem adducuntur et quibus ipse Simon, non minus quam magi Aegyptii Moysis miraculis, ad fidem adducitur, certissima fuisse oportet. Iisdem autem demonstrabatur non tantum Evangelii veritas, sed simul etiam discipulorum adlectorum auctoritas, atque sic innuebatur, Evangelium per alios etiam, qui per Apostolos assumpti, Apostolorum opus Dei auctoritate continuarent, tempore futuro propagandum esse.

423. *Contradictiones excluduntur.* Nonnullis displicet haec Samaritanorum fides auctoritate et miraculis parta („Auctoritäts- und Wunderglaube") tamquam aliquid minus perfectum. (J. P. *Lange,* Das apostolische Zeitalter II, p. 100.). Ergo displiceat etiam divina providentia, quae hac ratione non tantum in Samaritanis, sed etiam in aliis, imo in plerisque fidem producere voluit.

Ernesto *Renan* displicet, „hujusmodi chimaeris Evangelium praeparatum esse et suffultum".[1]) Sed imprimis Simonis praestigiae non alia ratione concurrerunt ad praeparandum et fulciendum Evangelium, quam magorum Aegyptiorum praestigiae ad Israelitarum liberationem procurandam, et incredulorum blasphemiae et mendacia ad religionis christianae veritatem illustrandam. Dein Simonis ad praestigias pristinas reditus et perversio religioni christianae primum natae non magis est dedecori, quam adultae est dedecori hominis in vera fide educati defectio.

Nullius momenti est quod contra Apostolorum miracula non raro objicitur, videlicet, si per eosdem patrata sint miracula, etiam in eorum epistolis horum miraculorum fieri debuisse mentionem; vix tamen ad eadem alludi in epistolis.

Argumentum hoc, etiam aliam ob causam exigui momenti, utpote negativum, male supponit, epistolis id propositum esse, ut doceant, Jesum esse legatum divinum sive veram esse christianam religionem; id enim proprie et per se demonstrant miracula. At non illud proprie et primo loco probandam sibi sumebant Apostoli, quum scriberent epistolas; nam ad illos scribebant, qui fidem christianam jam susceperant.

[1]) „On souffre de voir l'Evangile trouver une préparation et un appui en de telles Chimères". Les Apôtres, ch. IX, p. 153. Impietas augescit, si forte ultima verba etiam de miraculis intelligenda sunt, quae operatus est Philippus, de quo paulo ante (p. 152) scripserat: „Philippe parait avoir été un des hommes apostoliques les plus occupés de théurgie". His consentiunt quae addit: „Pour les auditoires grossiers, le miracle prouve la doctrine; pour nous, la doctrine fait oublier le miracle. Quand une croyance a consolé et amélioré l'humanité, elle est excusable d'avoir employé des preuves proportionnées à la faiblesse du public auquel elle s'adressait". p. 155. Excusatione istiusmodi nec religio christiana indiget nec sapientissimus et sanctissimus ejus auctor. Si constat, religione christiana genus humanum tam insigni modo emendatum esse, pariter constat, eam praestigiis non debere originem suam et diffusionem; e fructu enim arbor cognoscitur. Quae increduli nostro tempore objiciunt, primorum saeculorum apologetae jam refutaverant. *Origenes* contra Celsum scribens: „Miraculorum, inquit, Christi et ejus discipulorum fructus est non deceptio, sed animarum salus. Quis enim dixerit, deceptione effici, ut emendetur vita et malitia quotidie magis ac magis minuatur?" II, n. 50.

Si ipsa religionis christianae fundamenta exhibere volebant, satius ducebant ostendere Jesum Nazarenum prophetiis impletis et sua e mortuis resurrectione Messiam sese demonstrasse; verbo, *Christi* miracula praedicare malebant quam sua. Nihilominus urgente aliqua causa in epistolis et sua miracula commemorabant, ut quum s. Paulus post commemoratas suas visiones scribit: „Factus sum insipiens, vos me coëgistis ... Nihil minus feci ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum. *Signa* autem Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in *signis* et *prodigiis* et *virtutibus*“. 2. Cor. 12, 11, 12. Cf. Rom. 15, 18. 19; Thessal. 1, 5. Apostolorum de his miraculis silentium adeo conforme est virtuti christianae, ut, si Apostoli suorum miraculorum mentionem facerent creberrimam, ex eo potius objectio peti posset.

Propositio 94. *Paulus Christi redivivi conspectu, immediata per eundem vocatione, mirabili conversione et immutatione, miraculorum dono participato Christi legatus caeteris Apostolis par constitutus est.*

424. Momenta singula, quibus caeterorum Apostolorum legatio specialis sive Apostolatus partim constituitur partim distinguitur, etiam in Paulo reperiuntur atque inde efficitur, ut Paulus non in discipulorum inferiorum, sed in Apostolorum numero sit habendus. Momenta duo priora, videlicet Christi redivivi conspectus et vocatio immediata, Apostolatum constituunt, reliqua eundem distinguunt.

Pars I. Etiam Paulus Christum redivivum conspexit. Apostolorum imprimis erat testari facta illa, quae divinam religionis christianae originem demonstrabant, hinc potissimum resurrectionem. Christus redivivus dixerat: „Eritis mihi testes in Jerusalem etc.“ (Act. 1, 8), et Petrus, Mathiae electionem praeparans, monuerat: „Oportet ex his viris . . . testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis“. Act. 1, 22. Resurrectionis testis esse potuit Paulus aeque ac caeteri Apostoli.

425. **1.** Certum imprimis est, *eventum* quem narrat Lucas (Act. 9), *revera locum habuisse*, nec esse tantum narrationem studiose inventam et compositam. Praeterquam enim quod Actuum auctor omni fide dignus est, eundem eventum Paulus Hierosolymis narrat coram populo (Act. 22, 6), et iterum Caesareae coram rege Agrippa (Act. 26, 13). Attingit eundem in epistolis (Gal. 1, 11; Phil. 3, 6; 1. Tim. 1, 13).

Revelationis adversarii nonnulli *objecerunt* asserentes, totam hanc narrationem studiose compositam esse, ut facto aliquo demonstraretur, Paulum caeteris Apostolis esse aequalem, quum illi non minus quam istis Christus apparuerit. Ita Ferd. Christ. *Baur*, Paulus, der Apostel J. C. (Stuttgart 1845, p. 77).

Resp. Aequalis haec dignitas e mira illa vocatione sane consequitur; inde autem non est inferendum, eamdem a Pauli discipulis inventam, non a Deo stabilitam esse.

Alii narrationi fidem historicam denegant asserentes, Lucam hausisse e traditionibus diversis sibi mutuo oppositis. Ita *Hausrath*, Neutestamentl. Zeitgeschichte, 3. Th. Die Zeit der Apostel II (2. Aufl. Heidelb. 1875) S. 54. Liberam aliquatenus

historiae commentationem apud Lucam deprehendit etiam *Weizsäcker,* Das apostolische Zeitalter (Freib. 1886) S. 77. Argumentantur e quibusdam circumstantiis, quae in triplice apud Lucam narratione sibi mutuo opponi et contradicere videantur.

At mirum esset, si Lucas, qui scriptor prudens et diligens ab omnibus censetur, non animadvertisset, suam narrationem, quam Act. 9. legimus, non consentire cum duplice Pauli narratione, quam idem Lucas refert. Praeterea exigui momenti sunt quae notantur. Lucas narrat (9, 7): „Viri illi, qui comitabantur cum eo, *stabant* stupefacti, *audientes* quidem vocem, neminem autem videntes". Narrat Paulus (26, 14): „Omnes nos cum *cecidissemus* in terram"; et (22, 9): „Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, *vocem* autem non audierunt *ejus,* qui loquebatur mecum". At qui primum stupefactus in terram ceciderat, postea surgere et subsistere potest: quamvis qui cadit in terram et ab itinere cessat, etiam ob id solum *subsistere* in itinere dici possit. Dein qui audit i. e. sonum percipit, simul etiam non audire dici potest, si non percipit sensum. Unde audiendi vox in pluribus linguis modo soni, modo etiam significationis perceptionem denotat. Inanes igitur sunt conatus, quos F. Chr. Baur adhibet, ut narrationem secum ipsa pugnare ostendat.

426. **2.** Certum praeterea est, eventum integrum non fuisse internam tantum mentis, potissimum imaginationis operationem, sed *auribus* auditam fuisse vocem et *oculis* lumen conspectum. Patet hoc partim ex eo, quod et reliquus comitatus lumine illo singulari, orto „media die" (Act. 22, 6), percelleretur et vocem audiret; partim ex effectu producto tum in comitibus qui, sicut et Paulus, „ceciderunt in terram" (22, 9), tum in Paulo, qui „prae claritate luminis illius" non videbat manuque ducendus erat (22, 11); partim e modo supernaturali, quo visum recuperavit Paulus, manuum videlicet impositione (9, 17. 18).

Quanti momenti sit quod etiam comites „lumen vidisse" (22, 9) et „vocem audivisse" narrantur, sensit Ernestus *Renan,* qui idcirco hanc circumstantiam in fabulam transmutat (la circonstance etc. peut fort bien être légendaire. Les Apôtres ch. X. Paris 1866, p. 181). Caecitatem vero e „luce copiosa" (22, 11) ortam transmutat in oculorum infirmitatem eventui praeviam (il avait, à ce qu'il paraît, les yeux enflammés, peut être un commencement d'ophthalmie, p. 179). Putat, itineris molestias fortasse fuisse ejusdem causam, suaque experientia hypothesin fulcit.[1]) Dein existimat, transitum repentinum e regione radiis solis exposita in Damasci viciniam arboribus obsitam fortasse in causa fuisse. Attamen mox sentit, arborum viridantium umbram oculis infirmis potius esse proficuam. Propterea non abnuit admittere, ortam fuisse subito tempestatem (il n'est pas invraisemblable cependant qu'un orage ait éclaté tout à coup. p. 181). Ita Ernesto Renan tempestas subito orta percommode praesto est ad Pauli conversionem explicandam, ut percommode praesto fuerat ad explicandum adventum Spiritus sancti (p. 62). Sed etiam tempestas pro arbitrio advocata, ut non valuit ad explicandum Spiritus sancti adventum, ita non

[1]) Postquam descripsit, quomodo in regionibus illis subito oriri possint febres, addit: „J'ai éprouvé un accès de ce genre à Byblos; avec d'autres principes, j'aurais certainement pris les hallucinations que j'eus alors pour des visions". p. 180 note. Quod de suis „hallucinationibus" dicit, quum ipse affirmet, non est quod in dubium vocetur. Sed sola ipsius „principia" in causa fuisse, cur hallucinationes suas non habuerit pro visionibus, non aeque facile creditur.

sufficit ad explicandam Pauli conversionem. Nam etsi fingere licet tempestatem et oculos Pauli „inflammatos", tamen sine aperta absurditate fingere non licet, Paulum ejusque comites assuetos non fuisse tempestatibus inopinato concitatis, ut sine aperta absurditate fingere non licet, Pauli ejusque comitum oculos ita fuisse „inflammatos", ut omnes simul eodemque momento sibi visi sint videre lumen tam copiosum, ut stupefacti in terram caderent.

Weizsäcker (l. c. p. 77) non quidem contendit, Paulum illo jam tempore gravi oculorum infirmitate laborasse; et merito quidem ab hujusmodi infirmitate asserenda abstinet, quum nullum ejus indicium appareat; attamen aliquid suspicionis sibi moveri insinuat, quia Paulus postea hujusmodi infirmitate laborasse videatur secundum illa quae scripsit Gal. 4, 15. Quid hoc loco scripsit? „Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi". Scilicet, quod proverbio dicitur, Galatae oculis suis cariorem habebant Paulum; nihilque aliud proditur illa sententia.

427. **3.** Paulus *oculis corporeis conspexit Christum corporali specie ipsi apparentem.* Ipsa narrationis series indicat, Paulum audivisse et vidisse plura quam comites: „Viri autem illi stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes". 9, 7. Distinguitur inter comites solum audientes, „neminem videntes", et Paulum, qui et audierat et viderat, utique Jesum cum eo loquentem. Hunc esse sensum, patet ex Ananiae Paulum alloquentis verbis: „Saule frater! Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via" (*ὁ ὀφθείς σοι*, qui visus est tibi). Idem patet ex ejusdem verbis a Paulo relatis: „Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus et videres Justum (*καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον*) et audires vocem ex ore ejus". Act. 22, 14. Omnia indicant Jesu praesentiam corporalem, quem Paulus et viderit et audierit „Barnabas narravit illis (discipulis), quomodo in via vidisset Dominum et quia locutus est ei." 9, 27. Paulo testante Dominus dixit: „Ad hoc apparui tibi (*ὤφθην σοι*), ut constituam te ministrum et testem eorum, quae vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi". 26, 16. Omne dubium tollitur iis locis, quibus Paulus aequalem se Apostolis constituit eo, quod et ipse Dominum redivivum viderit, vel quibus ex eo, quod Dominum viderit, infert, eundem revera surrexisse. „Non sum apostolus? nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi?" 1. Cor. 9, 1. „Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium visus est et mihi". 1. Cor. 15, 8. Christus sane corporali specie apparuit reliquis Apostolis, et sola apparitio in corporali specie facta argumentum est sensibile resurrectionis. Temere igitur asserunt nonnulli, Paulum vidisse solum lumen et audivisse vocem, et ex hac conclusisse, Christum resurrexisse. Cf. s. *Thom.* 3, q. 57, a. 6, ad 3. *Estius* in 1. Cor. 15, 8.

Ut autem explicetur, quomodo Christi corpus videri potuerit a Paulo, quum non videretur a comitibus, necesse non est cum nonnullis supponere, Pauli sensus supernaturaliter elevatos esse, comitum non esse; merito supponitur, nec Pauli nec comitum sensus mirabiliter immutatos fuisse. Principii loco tenendum est, sensationem pendere e corporis externi in sensum immediata aut mediata actione, hanc autem actionem, si procedit a corpore humano, quod animae potestati penitus subest, non minus subesse liberae voluntati, quam nunc motus plurimi voluntati nostrae subsunt. Jam vero corpus gloriosum est spiritale i. e. subjectum spiritui. 1. Cor. 15, 44. Ergo Christus corporis sui gloriosi actionem in solum Paulum dirigere, in comites pro libitu restringere poterat. Caeterum quod de corpore glorioso quolibet, id ratione divinitatis Christi dicendum etiam est de corpore ejus nondum glorioso; penitus enim ejus imperio subditum erat.

Hinc s. *Thomas:* „Ad hoc quod sit omnino corpus subjectum spiritui, requiritur, quod omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum. Et ideo quicunque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri, quando vult, et quando non vult, non videri. Hoc tamen habuit Christus non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute divinitatis, per quam fieri potest, ut etiam corpora non gloriosa miraculose non videantur". S. 3, q. 54, a. 1, ad 2.

Itaque qui ex eo, quod comites Christum non viderunt, concludunt, eum nec Paulo forma corporali apparuisse, imbecillo nituntur fundamento.

Immerito *objicitur,* Paulum, qui Jesum antea non noverat, dijudicare non potuisse, utrum ille homo, qui ei apparuit, revera Jesus fuerit necne. Poterat enim id scire etiam aliunde: poterat scire et sciebat ex ipsa apparentis affirmatione, quam comitabantur miracula fidem facientia.

428. Pars II. Immediata per Christum vocatione Paulus reliquis Apostolis par effectus est. Quanti momenti esset haec vocatio immediata, ostendit modus quo electus est Mathias. Non ipsi Apostoli eligere voluerunt illum, qui cum undecim resurrectionis testis fieret, sed „orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et Apostolatus." Act. 1, 24. 25. Sorte, quae a Domino ipso regebatur, electus Mathias „annumeratus est cum undecim Apostolis."

Immediate electus est Paulus, cui Dominus dixit: „Surge, ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere." Quo autem spectarent omnia, indicant, quae Dominus ad Ananiam dixit: „Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israël." Act. 9, 15. Hinc patet, quo jure Paulus „vocatum Apostolum" sese appellare soleat, vel „Apostolum non ab hominibus neque per homines, sed per Jesum Christum et Deum Patrem." Gal. 1, 1.[1])

[1]) Etiam Barnabas a plerisque inter Apostolos sensu proprio intellectos adnumeratur propter vocationem immediatam, quae Antiochiae ei obtigit: „Dixit illis

Christi sermonem sive cum Paulo sive cum Anania habitum non fuisse mentis figmentum, docuit eventus, qui utrique praedictus fuerat. Paulus enim in civitatem ingredi jussus divinitus „vidit virum Ananiam nomine, introeuntem et imponentem sibi manus, ut visum recipiat.“ Ananias e Domino audiverat: „Surge et vade in vicum, qui vocatur rectus, et quaere in domo Judae Saulum nomine Tarsensem, ecce enim orat.“ 9, 11. 12. Saulus repertus Ananiae, visus per manus impositionem receptus Saulo signum fuit certissimum, non fuisse vanum figmentum illa, quae uterque audierat.

Ut supernaturalia omnia removeant, Rationalistae *fingunt*, Paulum, miserae conditionis suae sibi conscium, vigilem concepisse desiderium visendi Ananiam, quem ei familiarem antea fuisse gratis, imo contra narrationis seriem supponunt; nocte somniasse, Ananiam venturum esse. Ab amicis monitum Ananiam accessisse ad Paulum, sanitatem eidem restitutam esse eo „quod admoverit Ananias, senex, Sauli oculis manus frigidas“, vel quod „insignem laetitiam“ ei attulerit; vel denique eo quod abstinentia a cibo per triduum servata oculorum infirmitati remedium sit allatum. Ita *Eichhorn* aliique, et assentiens notat *Kuinoel:* „Locum nostrum commode hunc in modum explicari posse, in promptu est“. Comment. in Act. 9, 10. 18.

Attamen in promptu non est dicere, quomodo haec cohaereant cum Actuum narratione et cum fiducia, qua Ananias imponens manus dicere potuit: „Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas . . . Et confestim . . . visum recepit“. Act. 9, 17. 18.

Tribus illis causis Ernestus *Renan* aliam substituit, „suavem sermonem“, quo Ananias Pauli animum reddidit quietum; (il parla doucement à lui. Les Apôtres, ch. X); cessante autem mentis agitatione cessavit etiam infirmitas. Praeterea Ananiam non a Deo in visu doceri, sed a Pauli comitibus advocari facit.

At suavi sermoni, ad quem Ernestus Renan etiam in miraculis Jesu explicandis confugiebat, tantam inesse vim, ut coecitatem curare possit, nemo facile crediderit, etiamsi contra fidem historicam a narratione excludantur illa, e quibus manifesto constat, sanationem fuisse supernaturalem.

429. Pars III. Mirabilis fuit Pauli conversio, et quam mutationem subito expertus est, acque saltem mirabilis aut mirabilior etiam fuit mutatione, quam die Pentecostes subierunt Apostoli. Etiam Paulus „continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.“ Act. 9, 20.

Notandum est, ad hominis conversionem sive incipiendam sive perficiendam et ad ipsam fidem generandam, imo ad ipsum initium fidei et primum salutis desiderium excitandum non sufficere Dei influxum externum sive per Evangelii praedicationem sive etiam per miracula; sed requiri insuper influxum internum per gratiam

---

Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos . . . Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam“. Act. 13, 2. 4. Ut autem par cum Pauli vocatione sit ratio, supponendum est, missionem hanc fuisse perpetuam et absolutam i. e. nec ad tempus nec ad certa tantum ministeria fuisse restrictam. Cf. Otto *Braunsberger*. Der Apostel Barnabas, sein Leben und der ihm beigelegte Brief. Mainz 1876. p. 37 seqq.

i. e. per supernaturalem intellectus illuminationem et voluntatis motionem, cui motioni homo libere obsequitur et quam, si vult, abjicere potest. Hac gratiae actione motus peccator ad gratiam habitualem recipiendam sive ad amicitiam cum Deo ineundam se praeparat, desiderium salutis fovendo, fidem concipiendo, Dei justitiam perpendendo, spem excitando, verbo, varia quasi stadia percurrendo. Ordine consueto motus illi diversi nonnisi temporis successu fiunt, tum quia homo non subito a peccando voluntatem divellit, tum quia res quaelibet non subito ultimum perfectionis gradum acquirit, sed per bona imperfecta movetur ad bonum perfectum. Nihilominus Deus, ut s. *Thomas* animadvertit, hominem „quandoque statim perfecte movet ad bonum [perfectum]; . . . et ita contigit Paulo, quia subito, quum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo, audiendo, addiscendo et veniendo". S. 1, 2, q. 112, a. 2, ad 2. Hujusmodi conversio merito vocatur miraculum in ordine supernaturali, non ideo quod sit effectus operationis divinae sive effectus supernaturalis — omnis enim vera conversio est effectus supernaturalis — sed ideo quia a consueto ordine, quo Deus per gratiam operatur, recedit.

Multum adlaboratum est ut ostenderetur, Paulum non esse subito conversum, sed ejus immutationem e longiore tempore praeparatam fuisse, atque ita, ut „psychologice" explicari i. e. solis causis naturalibus tribui possit. Leges psychologicas solas non sufficere aperte constabit, si in Pauli conversione terminum, a quo incepit, et terminum, ad quem pervenit, comparaverimus. Nonnulli fingunt, Pauli menti jam ante iter Damascenum obversata esse argumenta illa, quibus postea in suis epistolis legis mosaicae infirmitatem et Jesu Messiae adventum demonstrat. *Weizsäcker*, l. c. p. 72 seq. Addunt alii, ipsi Paulo id, quod in ejus animo sensim sensimque effectum erat, tamquam subito effectum apparuisse. *Hausrath*, Neutestamentliche Zeitgeschichte, 3. Th. (2. Aufl. Heidelb. 1875) S. 57. Verum haec finguntur historia reclamante neque asseri possunt nisi negata veracitate Pauli pluries conversionem suam narrantis. Male etiam supponunt, discrepare inter se mutuoque sibi adversari narrationes, quae apud Lucam reperiuntur.

Repentinam Pauli conversionem asserentes intelligimus illam solam, quae actionibus externis manifesta est; non quaerimus de interna justificatione per gratiam habitualem. Praeterea gratiae influxum asserentes intelligimus generatim Dei in Paulum actionem, non distinguentes interim influxum internum, qui constituit gratiam proprie dictam, ab influxu externo supernaturali, qui etiam sensu latiore gratia, i. e. gratia externa, dici solet.

430. a. *terminus a quo.* Teste Luca Paulus itineri Damasceno se accingens, erat „adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini." Act. 9, 1. Nullum mutatae mentis indicium occurrit; imo obstinatum adhuc esse animum indicant Christi verba: „Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum tibi est contra stimulum calcitrare." Verba Pauli: „amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates" (26, 11) fatentur odium non interruptum. Sine dubio Paulus Stephani constantiam viderat et gratiae stimulos senserat. Non negamus, eum conversionis viam inire, a persequendo absistere, et sensim ad ipsam conversionis gratiam se praeparare *potuisse;* sed negamus, eum revera se praeparasse,

quum historia teste usque ad conversionis momentum odio in Christum et Christianos flagraverit.

431. b. *terminus ad quem.* Post odium in Christianos imo et in Christum a momento, quo Christum vidit, perfecta successit conversio, i. e. animus ad omnia pro Christo facienda et toleranda constanter paratus: „Domine, quid me vis facere?“ Atque in his perseveravit usque ad finem, pro Christo sanguinem ipsum vitamque denique profundens.

Bene s. *Augustinus:* „Quid volebat Saulus, nisi invadere, trahere, vincire, necare Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caeca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta saevitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior praedicator effectus est“. De div. quaest. ad Simplician. l. I, q. 2, n. 22.

432. c. *singularis auxilii necessitas.* Ad commutationem tam repentinam et tam constantem efficiendam non sufficit nisi causa supernaturalis eaque extraordinaria. Provocare imprimis licet ad testimonium adversariorum, qui ideo fingunt praeparationem diuturniorem, quia intelligunt et fatentur, hominem moraliter non posse subito talem mentis et voluntatis subire immutationem. Et vero! Si Apostolorum immutatio, quae die Pentecostes effecta est, mirabilis praedicatur, Pauli immutatio longe mirabilior fuit. Illi enim, jam discipuli, cum Christo redivivo saepe conversati, ad Spiritus sancti adventum diu praeparati, nihilominus gratia potentissima indiguerunt, ut ex amicis timidis immutarentur in praecones fortes et constantes; Paulus ex infideli in discipulum, ex inimico in amicum, e persecutore in praeconem fortissimum et constantissimum subito conversus est. Si quod in Apostolis aliquo modo sensim effectum est, gratiae debetur, sane quod in Paulo effectum est subito, nonnisi gratiae miraculo sive gratiae plane extraordinariae tribuendum est.

Objic. F. Chr. *Baur* miraculum evenisse negat, duplice ratione fultus: 1. quia voluntas sit libera, eandem ad talem in se mutationem faciendam sufficere existimat; 2. asserit, admisso miraculo Paulum constitui instrumentum inanime potentiae magicae eumque deprimentis. L. c. p. 74—77.

Resp. Qui haec serio objicit, et animae nostrae et gratiae notione se carere fatetur. Quis dixerit, hominem non esse liberum nisi ad omnia omnino, etiam ad difficillima ejusdem potestas se porrigat! Quis dixerit, Deum non posse ita in hominem influere, ut ejus voluntatem, libertate illaesa, inflectat, quum saepe contingat, ut homo hominem, quo cupit, volentem ducat! Quod homo efficit in puero (ut s. Augustini verbis utamur) nuces ei monstrando, cur Deus omnipotenti sua virtute efficere non possit in quolibet homine?

433. IV. Etiam *miraculorum dono* decoratus Paulus caeteris Apostolis par constitutus et declaratus est. Nam non solum aeque

frequenter de Pauli ac de reliquorum Apostolorum miraculis legitur, sed omnia etiam necessario eo spectabant, ut quam legationem Paulus sibi tribuebat, divinitus confirmarent. Passim vero Paulus sese Apostolum dicit, reliquis Apostolis se parem facit (Gal. 1, 16—19), a reliquis autem discipulis et adjutoribus se distinguit: „Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater.“ Col. 1, 1. Asserere potuit: „Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, prodigiis et virtutibus.“ 2. Cor. 12, 12.

Quae contra Pauli miracula *objiciuntur,* exigui sunt momenti. Ephesi „virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur“. Act. 19, 11. 12. Ut umbra Petri, ita etiam sudaria et semicinctia Pauli exegetas quosdam Protestantes magnopere turbant; haec quidem ideo, quia magiam aut saltem reliquiarum cultum redolere videantur. G. V. Lechler et K. Gerok (Bibelwerk von *Lange,* Apost.-Gesch. in h. l.) rationem, cur de reliquiarum cultu hic non agatur, hanc repererunt, quod non asseratur vis sudariis et semicinctiis propria et interna, ita ut eadem semper miracula patrare et sanitatem conferre potuerint (!); existimant, sanitatis restitutionem dependisse potius ex Apostolo ipso. Sentiunt, rem esse magnetismo analogam! Certo autem iisdem constat, hunc operandi modum esse limitem ultimum miraculorum, qui excedi non possit, nisi magiae periculum incurrendo! — Potius constat, neminem nisi temeritatis crimen incurrendo praescribere Deo posse, qua ratione miracula operari velit aut debeat.

Ferd. Ch. *Baur* (Paulus p. 188) detexit, quod quidem satis obvium erat, potestatem miracula operandi, quae Paulo hic tribuitur, similem esse illi, quae antea tributa erat Petro (5, 15). Ex hoc autem concludit, scriptorem, veritatis nulla ratione habita, de industria narrationem ita composuisse, ut Paulus Petro quam simillimus fieret. — Concludere debebat, Deum ipsum id intendisse et propterea Paulo quoque eximium miraculorum donum contulisse. Quis dixerit, si illis, quae quidam belli dux fortiter gesserat, alius simillima gessisse narratur, hujus historiam necessario esse confictam!

434. *Coroll.* Quum demonstratum sit, Pauli legationem fuisse parem legationi reliquorum Apostolorum, etiam demonstratum est, eandem fuisse divinam. Unde sequitur, e divina Pauli legatione etiam sola demonstrari posse religionis christianae divinam originem, quod argumentum expendit G. Littleton. V. *Migne,* Démonstrations évangéliques, tom. IX, p. 646.

Propositio 95. *Donis etiam supernaturalibus, quae fidelibus crebro conferebantur, religio christiana, hinc et Apostolorum legatio demonstratur divina.*

De illis loquimur donis gratuito collatis, quae quidem non constituunt sanctitatem illius, cui conferuntur, intendunt autem utilitatem spiritualem aliorum. Hujusmodi sunt dona miraculorum, linguarum, prophetiae etc. Quae enim dona sive charismata die Pentecostes collata fuerunt discipulis, non raro collata sunt et aliis, quorum quidem missio vel officium non constituebatur Evangelii praedicatione.

435. Pars I. Certum est, charismata sive dona supernaturalia quam saepissime collata a Deo esse fidelibus.

Probatur 1. Quod die Pentecostes accidit, quum „repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis“, *non de solis* Apostolis intelligendum est. Recte s. *Chrysostomus:* „An in duodecim tantum, inquit, venit, non in caeteros? Nequaquam, sed venit etiam in illos centum viginti. Neque enim sine causa Petrus prophetae testimonium protulit.“ In Act. hom. IV. n. 1. Ed. M. 9, p. 43. Effectus similes apparere solebant in illis, quibus Apostoli manus imponebant. Unde Simon magus, „quum vidisset, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit iis pecuniam dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.“ Act. 8, 17. Imo collata sunt charismata et illis, qui fide licet suscepta baptismi adhuc expertes erant, ut factum est in domo Cornelii, quando „loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum . . audiebant illos loquentes *linguis* et magnificantes Deum.“ Act. 10, 44—46.

Ephesi baptizatis quibusdam „cum imposuisset manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant.“ Act. 19, 6. Duo hic dona commemorantur, loquendi linguis et prophetandi sive abdita exponendi.

2. Donorum *frequentiam* et *varietatem* potissimum in Corinthiis s. Paulus multis prosequitur. „Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem . . . Alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.“ 1. Cor. 12, 7—11. Et quia donis ad aliorum aedificationem datis homo abuti potest in iisdem vane sibi complacendo, ideo Apostolus potissimum ad charitatem sectandam hortatur. In ipso donorum usu ordinem commendat et docet, praeferendum esse usum illorum, quae magis conducunt ad Ecclesiae utilitatem. Ib. c. 12—14. In aliis etiam epistolis de hisce charismatibus sermo est. Ad Galatas scribens Apostolus mentionem facit illius, „qui tribuit vobis Spiritum et operatur virtutes in vobis.“ Gal. 1, 5. Thessalonicenses monet: „Spiritum nolite exstinguere; prophetias nolite spernere.“ 1. Thess. 5, 19. 20.

436. Perperam omnino nonnulli asserere ausi sunt, Apostolorum contra ipsa supernaturalia in Corinthiis phaenomena egisse tamquam contra diabolicas praestigias. (*Sepp*, Geschichte der Apostel, XXXII. Kap.) Numquid diabolicas praestigias producit „Deus“, (12, 6), aut „unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult“ (12, 11)? Numquid de praestigiis diabolicis dicere poterat Apostolus: „Volo omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare“ (14, 5)? Numquid Paulus dicens: „Gratias

ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor“ (14, 18), gratias agit Deo, quod diabolicis praestigiis et ipse subjaceat? V. *Estius* in ep. s. Pauli.

Mirum videri non debet, quod circa charismata, quae a Deo ipso conferuntur, quaedam constituit et ordinat Apostolus. Distinguendum enim est inter ipsa charismata et eorum usum. Prophetiae et linguarum donum certe conferri non poterat ab Apostolo; sicuti autem praepositi vel magistratus, qui sunt in ordine naturali, quamvis bona quaedam naturalia, ut sanitatem et aeris serenitatem conferre non possint, circa eorum tamen usum jure nonnulla constituunt, ita etiam circa bonorum supernaturalium usum jure quaedam praescribebant Apostoli et quibus Ecclesiae regimen erat commissum. Etenim „quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes“ etc. 1. Cor. 12, 28. Cf. s. *Thom.* in 1. ad Cor. c. 12. lect. 3.

437. Pars II. Certum pariter est, hujusmodi donis confirmatam esse religionis christianae divinam originem, hinc et Apostolorum auctoritatem cum hac religione indivulse connexam.

Probatur 1. *e Christi promissione.* Imprimis enim haec donorum largitio a Christo promissa erat illis, qui ad Apostolorum praedicationem crediturі essent. „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient; linguis loquentur novis etc.“ Marc. 16, 17. Unde quum promissio et praedictio impleta sit, aperte demonstrat ad quae demonstranda ab ejus auctore donum hoc assumptum fuerat. Assumptum autem erat, ut e contextu et ipsa rei natura evincitur, ad demonstrandam divinam Apostolorum missionem et Evangelii originem.

2. *ex Apostolorum ad illa provocatione.* Apostoli ad illa charismata diserte provocabant ut argumenta, quae novi ordinis originem divinam attestarentur. Ita Petrus die Pentecostes Joëlis vaticinium adducens. Act. 2, 16. Unde Deus charismata illa etiam in posterum largiendo necessario censendus erat Apostolorum effatum confirmare: continuata largitio erat confirmatio continuata. Imo Apostolos affirmantes, se Dei voluntate Evangelium nunciare, charismata illa quandoque continuo sequebantur, ut factum est in domo Cornelii, quum Petrus dixerat; „Praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.“ Act. 10, 42. Quod in praedicationis suae confirmationem convertens, „respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos?“ 10, 47.

438. *Objectiones solvuntur.* Ut argumentum e charismatibus petitum infringant, nonnulli animadvertunt, effectus similes imprimis peregrinarum linguarum usum occurrere tum apud gentiles tum apud Mormones, Irvingianos aliasque sectas recentiores. *Sepp.* Gesch. d. Apostel, Kap. XXXII. 2. Aufl. *Renan,* Les Apôtres, p. 68.

Mirum esset, si non occurrerent, quum malitia sive daemonis sive hominum alia quoque miracula imitari semper studuerit. Sine dubio, qui utrosque effectus in

Christianis et in praestigiatoribus observare et comparare posset, facile etiam in externo habitu illorum aliquid divinum, istorum diabolicum aliquid deprehenderet. Et vero a spectatoribus effectus illos deprehensos esse divinos, monstravit eventus, plurimorum videlicet conversio, imprimis Samaritanorum, quibus Simonis praestigiae notissimae erant. Praeterea ut in aliis eventibus supernaturalibus, ita etiam in hisce, non e re sola, sed etiam e circumstantiis et fine judicandum est de eorum auctore.

Sed ex ipsa etiam effectuum natura, prout narratione nobis constat, eorum diversitas patet. Christiani loquebantur linguis proprie dictis, i. e. sonis articulatis mentis conceptum et sententiam significantibus, sive linguis in usu positis. De Apostolis et discipulis testatur hoc s. *Irenaeus,* temporum illorum vicinus: „Omnibus linguis conspirantes hymnum dicebant Deo, Spiritu ad unitatem redigente distantes tribus". Adv. haer. III, 17, n. 2. De suae aetatis Christianis scribit: „Sicut multos ex fratribus audimus in Ecclesia, qui prophetiae dona consecuti sunt, et omni linguarum genere per Spiritum loquuntur *(καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις)* et ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt atque arcana Dei mysteria exponunt". Apud *Euseb.* h. c. V, 7. Linguae „omnes", „omnis generis linguae" sunt linguae apud homines in usu positae. Similiter *Tertullianus,* cui „linguis" loqui idem est ac loqui „in aliis linguis et aliis labiis". Cont. Marcion. V, 8. Propterea addit: „Exhibeat Marcion Dei sui dona . . . edat aliquem Psalmum". Ibid. Nonnisi de linguis proprie dictis intelligi possunt verba: „genera linguarum" (1. Cor. 12, 10) et: „Quomodo nos audivimus unusquisque linguam *nostram,* in qua nati sumus . . . audivimus eos loquentes linguis *nostris* magnalia Dei". Act. 2, 8. 11. Gentiles et quidam sectarii, quibus aliqui aequiparare vellent Christi discipulos, ab adversariis ipsis dicuntur loqui sonis inarticulatis nullumque mentis conceptum aut sententiam, sed solam animi commotionem significantibus. *Renan,* Les Apôtres p. 69. Praeterea Corinthii nonnulli solo linguarum, alii solo eas interpretandi dono, alii utroque charismate praediti erant: unde iterum constat, sermone, quo utebantur, significatam fuisse sententiam. (1. Cor. 12, 30; 14, 5. 13.) Si enim solos animi affectus sonis quibusdam inarticulatis, hinc signis quasi naturalibus, ut sunt gestus, expressissent, ad haec interpretanda opus non fuisset dono speciali et supernaturali; signa enim naturalia ex seipsis intelliguntur. Unde Renan, qui dicit, quemlibet syllabis abruptis et ignotis sensum affixisse, quem juxta nativam suam linguam congruum crediderit, suis se conficit armis. Denique si linguae, quibus loquebantur Corinthii, non fuissent nisi soni abrupti et inarticulati cum magna corporis commotione prolati, quaenam esse potuisset causa, cur aliqui, illo dono carentes, anxie id expeterent, cum facillime imitari potuissent, ut imitari dicuntur sectarii; aut quae fuisset causa, cur Apostolus scriberet: „Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor?" 1. Cor. 14, 18.

Caeterum etsi gentiles, sectarii et somnambuli, ut alii volunt *(Sepp* l. c.), linguis articulatis et in usu positis, quas numquam didicerunt, quandoque locuti sint, inde minime concludendum esset, donum linguarum in primis Christianis non fuisse divinum. Nam Dei opera, quae daemon aliquatenus imitatur, divina esse ideo non cessant; a praestigiis daemonum, ut vidimus, discerni quoque possunt.

Ex eo quod aliqui solo linguis loquendi dono praediti essent, minime sequitur, illud inutile fuisse. Imprimis omni modo utile evadebat aliis, quam primum accedebat interpretatio. Deinde ipsa manifestatio divinae potentiae utilitatem aliquam afferebat audientibus. Ipsis etiam loquentibus accedebat fructus non exiguus, quum foverent sensus congruos illis, quae loquebantur. Ita etiam fructu non caret, qui preces profert conceptas lingua quam ignorat, dum tamen scit, iisdem Dei laudem exprimi, et propterea sensus pios fovendo mentem ad Deum elevat. Male asserit *Sepp* (l. c.), usum orandi in lingua, quam quis non intelligat, reprehendi ab Apostolo scribente:

„Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est". 14, 14. Certe non male orat, cujus „spiritus orat"; quamquam melius tunc orat, si „mens" simul fructum suum specialem percipit. Recte enim cum Estio „spiritus" pro affectu spirituali accipitur, qui adesse potest, etsi „mens" i. e. intellectus non percipit singulorum verborum sensum. V. Estius in ep. s. Pauli. Adalbert *Maier,* Comment. über den 1. Brief an die Kor. *Bisping,* Erklärung des Briefes an die Korinther.

Articulus II.

De duplice Evangelii disseminandi via.

439. Apostoli tum viva voce tum scriptis Evangelium propagarunt. Quaeri igitur potest, an parem utralibet ratione utentes auctoritatem exercuerint. In Evangelio viva voce praedicando partes habuerunt plures discipuli; quorum duo, Marcus et Lucas, etiam scriptis usi sunt. Quaeritur, an illorum verbis et horum scriptis divina auctoritas competat. Non agimus de auctoritate, quae competat verbo nunc proposito ab Ecclesia, nec de auctoritate illa, quae e divina inspiratione consequitur; agimus de auctoritate, quae verbo praedicato per singulos Apostolos aut discipulos propria erat, et de auctoritate, quam liber scriptus obtinet citra inspirationem.

Veracitas humana, quae Evangeliis et Actibus ut et Pentateucho suo loco i. e. introductione in Scripturam vindicatur, sufficere quidem poterat ad demonstrandos eventus illos, quibus religionis christianae origo divina innititur. Nihilominus pluribus de causis expedit, iisdem scriptis vindicare veracitatem illam altiorem, quam iisdem et Apostolorum epistolis competere hoc loco demonstrari potest. Praeterquam enim quod eventus ipsi certius cognoscuntur, si e fontibus divinitus veracibus deducuntur, in posterum ad doctrinas quasdam evolvendas utendum nobis est Apostolorum epistolis; patet, quanti momenti sit demonstrasse, doctrinas scripto traditas testimonio niti divino. Hoc enim testimonium interim solum invocamus, quum libros N. T., imprimis omnes, inspiratos i. e. a Deo ipso ut auctore principali profectos esse, hoc loco, quo nimirum Ecclesiae auctoritate nondum utimur, demonstrari nondum possit. Cf. supra n. 180—182.

Propositio 96. *Quae Apostoli ut Dei legati Evangelium disseminantes viva voce docuerunt, divinitus vera sunt.*

440. Rebus ad Evangelium spectantibus Apostolorum legatio continebatur; unde etiam has solas hic, e sola illa legatione, non ex inspiratione argumentantes, asserimus divinitus veras. Duplice modo Apostoli docere poterant: aut ut omnes simul in unum collegium sociati, prouti Hierosolymis de ritibus mosaicis quaedam statuerunt; aut singuli diversas regiones peragrantes; non illo tantum, sed hoc etiam modo docentes eadem divina legatione fungebantur.

Probatur 1. *ex auctoritate divina ad omnem divulgationem porrecta.* Quidquid Dei legatus interposita Dei auctoritate nunciat, divinitus verum est, nisi ejus legatio et traditae auctoritatis usus ad definitum annunciandi modum restringatur. Atqui quae Apostoli viva voce praedicarunt, divina auctoritate interposita nunciarunt, ut in Actibus passim legimus, nec ulla ratione vivae vocis usus a Christo exclusus erat; ergo quae ita praedicarunt, divinitus vera sunt.

2. *e Christi commendatione.* Divinitus vera saltem illa sunt, quae legatus Dei nomine nunciat usus via illa, quae ei saltem ut ordinaria commendata erat. Ut via ordinaria Apostolis commendatum erat vivae vocis magisterium. Jubentur enim „praedicare" Evangelium. Praedicandi autem vox (κηρύσσω) si in se minus esset definita, saltem definita omnino foret e perpetuo usu, quem in Evangeliis nacta est, ubi vivae vocis magisterium passim denotat. „Venit Joannes Baptista praedicans (κηρύσσων) in deserto Judaeae, et dicens etc." Mtth. 3, 1.

3. *e prima prolusione.* Apostoli non poterant non censere legitimum et a Christo commendatum esse illum docendi modum, cui ipse eosdem, quando ad tempus misit, initiaverat; missio enim illa prolusio quaedam et praeparatio erat missionis post Christi mortem exercendae. Ad tempus missi Apostoli Evangelium viva voce praedicare jussi fuerant. „Euntes praedicate dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum. Intrantes autem domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui. Et quicunque non receperit vos neque audierit sermones vestros etc. Mtth. 10, 7. 12. 14.

4. *Christi exemplo.* Legitimus, imo et praecipuus Apostolis habendus erat ille docendi modus, quo usus fuerat Jesus; Apostoli enim Jesu praedicationem continuare jussi fuerant. Jesus autem viva voce docuerat; unde et Apostoli ejus praedicationem maxime tunc continuabant, si non tantum eandem doctrinam tradebant, sed etiam eundem tradendi modum sequebantur.

5. *e miraculis et obligatione credendi.* Divinitus vera sunt, quae miraculis confirmabantur et ab omnibus credenda erant. Utrumque dicendum est de doctrinis viva voce praedicatis. Ad has enim referuntur miracula, quae in Actibus legimus, et has credere tenebantur omnes, ut salutem obtinere possent. Marc. 16, 16.

Propositio 97. *Quae Apostoli in rebus ad religionem spectantibus scripto docuerunt, pariter divinitus vera sunt.*

441. Quum non de illa veracitate agatur, quae e divina inspiratione sequitur, utendum est restrictione, qua in libro inspirato opus non esse suo loco docetur.

Probatur 1. *ex auctoritate comprehendente scripturam.* Ex eodem principio, quo vivae vocis magisterium modum legitimum esse ostendimus, concludendum est, scribendo magisterium legitime ac proinde infallibiliter exerceri posse. Etenim divinitus verum est, quidquid Dei legatus divina auctoritate interposita nunciat, nisi nunciandi officium diserte ad certum modum sit restrictum. Atqui Apostoli etiam scribendo Dei auctoritatem interponere poterant, neque ulla ratione constat, a Christo nunciandi officium ad

certum modum fuisse restrictum. Ergo divinitus vera sunt, si Dei auctoritate interposita scripto quaedam nunciarunt.

2. *ex usu divinitus comprobato.* Quae scripto docuerunt Apostoli, divina auctoritate revera nituntur, si Apostoli scribentes acceptam a Christo auctoritatem exercere intenderunt, obedientiam exegerunt, atque ita agentes continuo miraculorum dono a Deo commendati sunt. Jam intentione illa Apostolos scripsisse constat, eorumque praedicationem signis et charismatibus continuo confirmatam fuisse pariter constat. Joannes ita concludit: „Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus." Joan. 20, 31. Ipsum scribendi exordium quo in epistolis uti solent, Christi Apostolos se vocantes, indicat, ipsos commissa sibi potestate uti velle. Plenae sunt eorum epistolae praeceptis et monitis. Aperte docent, sese per epistolas potestatem eandem exercere, absentes quam praesentes: „Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ac praesens . . . tradere hujusmodi Satanae." 1. Cor. 5, 4. Si absentes per litteras exercere poterant et exercebant plenam imperandi potestatem, pariter exercere poterant et exercebant plenam docendi potestatem.

3. *refellendo rationes contrarias.* Si Apostolis loquentibus quidem divina auctoritas praesto fuisset, scripto autem Dei mandata deferentibus defuisset, causa hujus discriminis petenda esset aut e rerum natura, aut e speciali Christi dispositione. E rei natura peti non potest. Scriptura enim non minus est mandata transmittendi vehiculum quam loquela; ut enim loquela suis gaudet commodis, laborat incommodis, ita et scriptura; unde plerumque expedit uti utraque docendi ratione. Neque e Christi dispositione et voluntate peti potest causa. Quamvis enim non legatur Apostolis injunxisse, ut etiam scribendo Evangelium transmittant, tamen nec prohibuit; praeceptum enim affirmativum, viva voce Evangelium praedicandi, non includit prohibitionem, utendi etiam scriptura, quum modus uterque simul subsistere possit et soleat.

4. *ex antiquitatis judicio.* Consentit demum tota antiquitas, quae in Apostolis sive voce sive scripto docentibus parem auctoritatem agnovit.

442. Omnium loco audiendus *Tertullianus:* „Quid, inquit, praedicaverint (Apostoli), id est, quid illis Christus revelaverit, et hinc praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea". Praescr. c. 21. Non potuit ignorare antiquitas, quae Apostolorum scribentium mens esset et auctoritas. De auctoritate ipsa, non de inspiratione agitur, quum de vivae etiam vocis magisterio sermo sit.

Propositio 98. *Quae Apostolorum discipuli aut ipsi miraculorum dono Dei legati exhibiti, aut ab Apostolis approbata praedicarunt, pariter divinitus vera cognoscuntur.*

443. De discipulorum legatione non ita constat ut de Apostolorum, qui a Christo ipso variis modis auctoritatem acceperunt, et quidem plenam. Quum discipuli proxime ab Apostolis auctoritatem acceperunt, eadem magis minusve restringi poterat ab illis, quibus submissi erant. Ipsum miraculorum donum ad fines varios conferri poterat discipulis, quum simplices etiam fideles, qui ad Evangelium pro auctoritate annunciandum non essent destinati, eodem insignitos fuisse noverimus.

444. Pars I. Quod discipuli miraculorum dono confirmabant, divinitus verum agnoscendum erat.

Probatur 1. *principio communi.* Valet de discipulis, quod de omni homine, qui miraculis se Dei legatum exhibet. Ex eo, quod aliquis est alterius discipulus eique subjectus, Deus impediri non potest, quominus eumdem suum statuat legatum et miraculis id attestetur.

2. *ex facto per Apostolos agnito.* Deum etiam discipulos quosdam statuisse et miraculis declarasse suos legatos, novimus ex Actibus. Unus diaconorum, „Stephanus, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.“ Haec autem signa respiciebant doctrinam; hinc valebant ad vera declaranda, quae praedicabat. Nam „surrexerunt quidam de Synagoga . . . disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur.“ 6, 8. 9. Alius diaconus, Philippus, Samaritanis „praedicabat Christum; intendebant autem turbae his, quae a Philippo dicebantur unanimiter audientes, et videntes signa quae faciebat.“ 8, 5. 6. Etiam hic quae faciebat signa, ad ejus legationem divinam, hinc ad praedicationis veritatem demonstrandam natura sua tendebant. Porro Apostoli inter illos, qui discipulorum praedicatione miraculis confirmata ad fidem adducti fuerant, et illos, quos ipsi adduxerant, nullum statuebant discrimen. Parem igitur, spectata veracitate, faciebant praedicationem utramque, et factum, quod evenisse asserimus, agnoverunt.

445. Pars II. Divinitus verum etiam agnoscendum est, quod a discipulis ut evangelica doctrina praedicatum et traditum ab Apostolis verum esse affirmabatur. Ut in priore hypothesi signa in discipulo conspicua, ita in hac hypothesi Apostolorum affirmatio sive attestatio criterium veritatis constituit.

Probatur 1. *e judicandi potestate inclusa in Apostolorum missione.* Apostoli utpote Christi legati simul judices constituti erant in rebus ad Evangelium spectantibus i. e. pro auctoritate discernere et declarare poterant, quid evangelica doctrina contineret, quid

eidem contradiceret; hoc enim ni possent, etiam ipsi errorem pro veritate tradere et commendare potuissent. Ergo hac eadem auctoritate declarare poterant, discipulorum praedicationem veram esse. Porro de hac judicandi auctoritate idem dicendum est quod de legatione divina, cujus est pars. Legatione divina efficitur, ut quae Apostoli sive voce sive scripto docuerunt, divinitus vera sint. Prop. 96. 97. Ergo etiam auctoritate illa divina efficitur, ut judicium, quod de aliorum doctrina ferunt, divinitus verum sit, ac proinde discipulorum doctrina, quae judicio illo evangelica declaratur, certitudine divina ut evangelica agnoscenda sit.

2. *approbatione continente praedicationem.* Doctrinam quam quis ut veram approbat, respectu veritatis suam facit; ergo Apostoli doctrinam, quam discipuli tradebant, approbantes eamdem faciebant suam et ut suam proponebant. Sed Apostoli in sua doctrina proponenda errare non poterant (Prop. 96); ergo nec in discipulorum doctrina approbanda.

3. *exemplis.* Approbationis exempla aut vestigia reperiuntur in Actibus. Quamvis quae Philippus Samariae docuerat, approbationem ulteriorem non requirerent, eam tamen implicite saltem acceperunt, Petro et Joanne Samariam missis. Act. 8, 14. Multis Antiochiae conversis discipulorum praedicatione, ecclesia Hierosolymorum illuc misit Barnabam, „qui cum pervenisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est et hortabatur omnes, in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide.“ 10, 22. 24. Discipulus jam probatus mittitur, ut de aliorum praedicatione et doctrina cognoscat.

146. ***Scholion.*** *Alii modi de doctrinae per alios traditae veritate judicandi.* Si quis discipulorum nec dono miraculorum insignitus erat, neque ejus doctrina ab Apostolis diserte commendabatur, non sequitur, hanc omni approbatione et auctoritate necessario caruisse. Commendabatur enim communi auctoritate concessa Apostolis, quamdiu constabat, eum non docere, nisi quae docebant Apostoli. Id autem humana inquisitione constare poterat. Inquisitio haec institui poterat duplice modo: aut singulas doctrinas, quas tradebat discipulus, comparando cum Apostolorum doctrina, quae via erat longior et operosior; aut quaerendo, discipulus ille essetne submissus Apostolorum auctoritati et regimini. Ex hac enim submissione sequebatur, eum nolle tradere nisi quae Apostoli tradiderant. Viam priorem *Tertullianus* insinuat scribens: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa; hoc est testimonium veritatis.“ De praesc. c. 21. Alteram indicat haereticos monens: „Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveravit, habuerit auctorem et antecessorem“. Ib. c. 32.

Propositio 99. *Divinitus vera sunt, quae a discipulis in rebus ad religionem spectantibus conscripta, per Apostolos comprobata populisque tradita sunt; unde hoc etiam titulo divinitus vera sunt, quae a Marco et Luca conscripta legimus.*

447. Etsi Marcum et Lucam Apostolorum discipulos et adjutores fuisse novimus, non tamen constat, eosdem ut Stephanum et Philippum miraculorum dono Dei legatos fuisse exhibitos. Quamdiu e traditione et Ecclesiae auctoritate exhibita de rerum quas scripserunt, inspiratione nobis non constat, juvat alium divinae veracitatis titulum eisdem vindicare, praesertim quum inspiratio non excludat, sed includat divinam attestationem, quam eorum scriptis asserimus.

Pars I. Sufficere ad finem propositum Apostolorum approbationem, e principiis expositis constare potest.

Probatur 1. *ex approbatione ut comprehensa in missione.* Quidquid Apostoli in rebus ad ipsorum missionem spectantibus affirmant, id Deus verum esse testatur. Affirmant autem aliquid ad ipsorum missionem spectans, si librum de Evangelii rebus a discipulo conscriptum ut vera continentem approbant, eumque fidelibus legendum tradunt; ergo Deus id quod liber ille continet, verum esse testatur.

2. *e paritate.* Si quis Apostolorum, quae ipse olim scripsit, denuo affirmaret vera esse, sine dubio propter novam hanc affirmationem illa vera esse divinitus affirmarentur; de nova enim hac Apostoli affirmatione, quum eadem auctoritate fulciatur, idem dicendum est quod de prima. Non autem differt haec secunda affirmatio, sive circa ipsius Apostoli sive circa alterius scripta versetur; ergo quum Apostolus quae ab aliis scripta sunt, vera esse affirmat, eadem divina auctoritate vera esse affirmantur.

448. Pars II. Marci et Lucae scripta ab Apostolis approbata et fidelibus tradita sunt. Quamvis autem proprie ut divinitus inspirata fidelibus tradita sunt, hoc tamen altiore inspirationis titulo non excluditur titulus inferior in approbatione externa constitutus.

Probatur 1. *ex auctoritate his scriptis semper tributa.* Constat, inde ab initio Marci et Lucae Evangeliis et Lucae Actibus ubique eandem veracitatem et auctoritatem divinam tributam fuisse ac Matthaei et Joannis Evangeliis et Apostolorum epistolis. Cf. n. 301. Haec vero par auctoritas scriptis discipulorum tribui non poterat, nisi aut de eorum inspiratione constaret aut de approbatione per Apostolos eisdem impertita. Si de approbatione constabat, sequitur, quod volebamus, scripta illa approbata esse per

Apostolos. Si de inspiratione constabat, per Apostolos constabat, per quos totius fidei depositum, simul cum libris, qui ipsum continerent, transmittendum erat fidelibus. At haec libri ut inspirati traditio et transmissio simul erat externa ejusdem approbatio; unde semper verum est, Marci et Lucae scripta ab Apostolis approbata et fidelibus tradita fuisse.

2. *ex historia.* Scriptores ecclesiastici referunt, Marci et Lucae Evangelia ab Apostolis tradita esse atque ita eorum auctoritatem stabiliunt.

Tertullianus: „Si constat, inquit, id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis, pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum". Cont. Marcion. IV, 5. Ex hoc principio infert Marci et Lucae Evangeliorum auctoritatem. *Clemens* Alex. postquam Marcum quibusdam petentibus Evangelium scripsisse narravit, ita pergit: „Quod cum Petrus per revelationem s. Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur". Apud Euseb. hist. eccl. II, 15. Eadem de Marco retulerat et *Papias,* ut apud *Eusebium* (l. c.) et s. *Hieronymum* (de viris ill. c. 8) legimus. Quum Lucas Pauli fuerit comes, ut Marcus Petri, dubium esse non potest, quin Lucae Evangelium Pauli auctoritate pariter fuerit commendatum. Concluditur id aliquatenus ex eo, quod quandoque ut Marci Evangelium Petro, ita Lucae Paulo fuit attributum. Ita *Tertullianus:* „Nam et Lucae, inquit, digestum Paulo adscribere solent". Cont. Marcion. IV, 5. Denique sive Paulus sive alius Apostolus Evangelium Lucae approbarit, Tertulliano certum est, approbationem, qua opus habuit, eidem obtigisse. Alludens ad s. Paulum, „qui propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos et consultandos, ne forte in vacuum cucurrisset", concludit: „Igitur si et ipse illuminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae optavit, quanto magis eam Evangelio Lucae expostulem, quae Evangelio magistri ejus fuit necessaria?" Cont. Marc. IV, 2. Ut enim Paulo, licet ab ipso Christo esset vocatus, ex Apostolorum consortio auctoritas accedebat externa, ita etiam Lucae Evangelio, quod inspiratum erat, ex Apostolorum approbatione auctoritas externa nascebatur. Tum Marci tum Lucae ut et Matthaei Evangelium a Joanne diserte comprobatum esse, e veterum narratione refert *Eusebius:* „Perlatis jam in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supra dictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur". Hist. eccl. III, 24.

Denique scripta de quibus agimus, jam a priscis Patribus citantur simul cum illis sive veteris sive novi Testamenti libris, quibus omnium consensu divina tribuebatur auctoritas hisque paria censebantur. Id vero fieri non poterat, nisi ab Apostolis ecclesiis tradita et hac ratione approbata fuissent. A priscis Patribus scripta illa laudari, ostendere solent Exegetae de eorum genuina origine agentes. Nobis hoc loco sufficit, provocare ad indicem, qui ab editoribus illorum ad calcem adjectus est. Vide Patres apost. ed. Hefele; Doctrin. duodecim apost. ed. Funk.

449. **Scholion.** *Quatenus discipuli scriptis per miracula auctoritas accedere possit.* Ut Apostolorum approbatione, ita etiam miraculis ab ipso discipulo scriptore patratis ejusdem libro auctoritas divina conciliari potest. Nam quod de praedicatione (Prop 98), id etiam de scriptis sentiendum est. Duplex autem conditio in his locum habeat oportet.

Imprimis constare debet, scripta haec fidelibus tradita fuisse ad sacram doctrinam stabiliendam aut disseminandam. Nam sicut in Evangelii praecone miraculis patratis non omnia quae privatim dicit, multoque minus quaecunque sentit, comprobantur, sed tantum illa, quae revera annunciat et quidem qua Dei legatus, ita etiam non omnia, quae scribit, neccessario comprobantur, sed illa sola, quae ad Evangelium disseminandum destinantur et inserviunt. (Non loquimur de inspiratione ejusque extensione, quam locum habuisse postea ostendendum est.)

Praeterea etsi discipulus, cujus praedicatio quondam miraculis comprobata est, quaedam postea conscripsisset ad doctrinam sacram spectantia eademque aliis tradidisset, non continuo constaret, miraculis iisdem, quibus ejus praedicatio quondam confirmata fuerat, confirmari etiam illa quae postea conscripsit. Est enim discrimen inter discipulum et Apostolum. Apostolorum missio amplior erat et quodam sensu absoluta, quatens videlicet eorum ordine nullus est altior. Discipulorum missio ut ad locum, ita etiam ad tempus restricta erat, quum discipuli non immediate a Deo, sed ab Apostolis potestatem accepissent iisque subderentur. Discipulorum per miracula approbatio per modum exceptionis locum habebat; eorundem per Apostolos approbatio ordinaria erat. Hinc fit, ut per miracula in gratiam Apostolorum edita eorum missio absoluta et perpetua confirmaretur, per eadem vero miracula in discipulorum gratiam facta non missio perpetua, qua carebant, sed missio ad tempus sive illa tantum praedicatio, quam Apostolorum jussu exercebant, confirmaretur. Si igitur discipulo litteris doctrinam evangelicam tradente, speciali huic docendi modo nec miracula adstipularentur nec Apostolorum approbatio postea accederet; de hoc speciali docendi modo idem dicendum esset, quod antea diximus de discipulorum praedicatione, cui nec miracula praesto essent neque diserta Apostolorum comprobatio. Prop. 98. 446. Scholion.

Articulus III.

De doctrina per Apostolos tradita ut religionis christianae confirmatione novaque demonstratione.

450. Doctrinam per Apostolos traditam hoc loco eatenus tantum attendimus, quatenus ex ea religionis christianae divina origo demonstratur. Duplice ratione hic finis attingitur. Imprimis enim Apostoli Jesu Nazareno triplicem illum titulum legati, legislatoris promissi Deique Filii vindicarunt, quo titulo religionis christianae divina origo constituitur, et hanc suam doctrinam novis miraculis confirmarunt; unde triplice illo titulo ex Apostolorum doctrina denuo demonstrato, religionis christianae origo divina confirmatur et denuo demonstratur. Dein concentus integer doctrinae evangelicae, quam Apostoli vel ut e Christi ore exceptam vel per Spiritum sanctum suggestam et explicatam tradunt, non exigua divinae originis vestigia exhibet; unde demonstratio quae ex hac doctrinae

indole conficitur, merito proponitur hoc loco, quo de integra doctrina evangelica in mundum invecta agitur.

Propositio 100. *Apostoli Jesum Nazarenum non tantum Dei legatum promissumque Messiam, sed etiam Dei Filium Deumque esse docuerunt; unde religionis christianae origo divina e triplice auctoris titulo denuo demonstrato denuo confirmatur.*

451. Legatio divina Apostolorum duplice modo considerari hic potest: aut absolute, solum prout miraculis demonstrata est: aut simul cum respectu ad Christum eosdem mittentem, et hanc missionem miraculorum dono confirmantem. Utrolibet modo consideretur, Christi titulus triplex, etsi de eo non jam constaret, sola praedicatione Apostolorum certo demonstratur. Unde Christi de se ipso attestatio, quam libro superiore evolvimus (Prop. 90), non tantum divinitus confirmatur, sed authentico legatorum testimonio etiam explicatur.

Pars I. Christum esse Dei *legatum* et *Messiam* Apostoli eorumque discipuli passim docent.

Probatur 1. *ostendendo prophetias impletas.* Evangelistae singulari studio demonstrant, in Jesu Nazareno impleta esse prophetias messianas. Hinc illud, quod toties recurrit apud Evangelistas singulos: „Ut adimpleretur quod dictum est, ut adimplerentur Scripturae, ut adimpleatur Scriptura; ut Scriptura impleretur; impleta est Scriptura" etc.

Praedicatio Apostolorum praesertim quoties cum Judaeis agerent, potissimum circa messianam Jesu dignitatem versabatur. Elucet hoc ex eo, quod s. Petrus, prolatis Prophetarum testimoniis, ita demum concludit: „Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis." Act. 2, 36. Circa idem argumentum versatur altera ejusdem Apostoli oratio: „Deus, inquit, quae pronunciavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit." Act. 3, 18.

2. *Christi appellatione perpetuo assumpta.* Apostoli passim se nominando „Christi" Apostolos, „Christi" servos, „Christi" ministros, Jesu Nazareni messianam dignitatem ipsa sua appellatione profitebantur. Ipsae epistolarum inscriptiones ferre solent: „Paulus, servus Jesu Christi", „Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi", „Paulus et Timotheus, servi Christi"; „Jacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus": „Petrus Apostolus Jesu Christi"; „Judas Jesu Christi servus". Ipsum Christianorum nomen, quod paucis post ascensionem annis inditum est fidelibus (Act. 11, 26), abunde ostendit, Apostolos docuisse, Jesum Nazarenum esse Messiam.

Pars II. Aperte variisque modis docent Apostoli, Jesum esse *verum Dei Filium* et *Deum.*

452. **Probatur 1.** Christo *naturam divinam* tribuunt Deoque Patri *aequalem* praedicant.

Paulus fidelibus modestiae exemplar exhibet Jesum Christum, „qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo." Phil. 2, 6. 7. Filius, quum in forma Dei esset, non immerito Deo se aequalem constituit; sed formam servi sive hominis assumens nobis exhibuit humilitatis exemplum. Duo hic tribuuntur Christo: esse in forma Dei, et ideo aequalem esse Deo. Forma Dei est natura Dei, ut constat ex eo quod dicitur accepisse formam servi sive hominis, quae utique est natura humana, ut patet ex illis, quae sequuntur. Unde s. *Chrysostomus*: „Quid jam adversus Arium dicemus, qui alterius essentiae Filium facit? Dic mihi, quid hoc est, formam servi accepit? Homo factus est, inquit. Ergo et in forma Dei existens Deus erat; nam et hic et illic nomen formae ponitur." In ep. ad Phil. hom. 6. n. 2. Praeterea juxta Apostolum „forma Dei" erat causa, cur Christus Deo esset aequalis; at Deo Patri aequalis esse non poterat nisi per naturam divinam. Voluit autem Apostolus potius formae quam naturae nomen usurpare, quia, ut s. Thomas advertit, formae denominatio „competit nominibus propriis Filii tripliciter. Dicitur enim et Filius, et Verbum, et imago. Filius enim est qui generatur, et finis generationis est forma; et ideo, ut ostendatur perfectus Dei Filius, dicit „in forma", quasi habens perfecte formam Patris. Similiter verbum non est perfectum nisi quando ducit in cognitionem naturae rei, et sic Verbum Dei in forma Dei dicitur, quia habet *totam* naturam Patris. Similiter nec imago dicitur perfecta, nisi habeat formam, cujus est imago." Comment. in ep. ad Phil. Christus porro sese exinanivisse dicitur non alio sensu nisi quo de coelis dicitur descendisse. Nam ut angelicus doctor ibidem pergit, „sicut descendit de coelo, non quod desineret esse in coelo, sed quia incepit esse novo modo in terra, sic etiam se exinanivit, non deponendo divinam naturam, sed assumendo naturam humanam."

Incassum igitur Sociniani eorumque asseclae recentiores contra hunc locum *obnituntur* ex eo, quod a. Christus Dei formam dicatur exinanivisse *(Lipsius*, Dogm. §. 557), quod b. forma servi significare non possit naturam humanam, quum servum esse ad fortunam et conditionem externam referatur, quod c. alibi vox forma *(μορφή)* Christi externam effigiem significet. Marc. 16, 12. Catechesis Racov. qu. 147.

a. Ad primam objectionem brevius etiam, quam s. *Thomas*, pridem jam responderat s. Augustinus: „Semetipsum exinanivit, non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accipiens". In Joan. tr. 67. b. Dein servum hominis esse certe non designat naturam humanam, quum homo non propter naturam humanam sit servus hominis, sed propter conditionem externam; sed servus Dei homo est propter ipsam naturam humanam, creatam videlicet a Deo. c. Demum vox *μορφή* sine dubio etiam speciem exteriorem significare potest. Sed certe Apostolus Christo antequam se exinaniret, tribuere non potest speciem exteriorem; tribuit porro speciem qua Deo fieret aequalis, hinc naturam. Si quis contenderet, voce *μορφή* significari gloriam quam Christus, antequam homo fieret, habebat apud Patrem, etiam ita Christo tribueretur divinitas, videlicet aeternitas et aequalitas cum Patre.

453. **2.** Apostoli Christo *respectu mundi* tribuunt id, quod soli *Deo proprium* est, docentes, eum *ante mundum* et *ab aeterno* fuisse, mundum per ipsum *creatum* esse et *conservari*.

a. „Qui (Filius) est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae. Quoniam in ipso condita sunt universa in coelo et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni . . . omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes (ἔστι πρὸ πάντων) et omnia in ipso constant." Col. 1, 15—17.

Christo hic tribuitur *α. existentia ante omnem creaturam.* Dicitur enim „primogenitus omnis creaturae" i. e. genitus a Patre ante omnem creaturam. Si dubius esset sensus vocis „primogenitus omnis creaturae", satis explicaretur addito: „ipse est ante omnes." Non vero ita est ante omnem creaturam, ut ipse sit prima creatura; non enim creatus dicitur, ut reliqua, sed genitus (πρωτότοκος). Profecto non sine ratione ab Apostolo vocatur genitus, quum reliqua omnia condita sive creata dicuntur (ἐκτίσθη). Advertit id s. *Chrysostomus:* „Non dixit primocreatus (πρωτόκτιστος), sed primogenitus." Si genitus est sive ex ipsa Patris substantia prodiit, non potest non esse aeternus, quum quidquid in Deo est, aeternum sit. Itaque cum Christus aeternus dicatur generatione, non creatione, intactum manet argumentum nostrum, etiamsi quis sustinere velit, creationem ab aeterno per se non repugnare.

β. Omnia dicuntur *creata* in Christo sive per Christum; creandi autem virtus nonnisi Deo competit. Agi hic de prima rerum omnium productione, non de qualicumque hominum renovatione, ut Sociniani eorumque sequaces volunt, patet ex ipsis verbis quae coelum et terram omnesque omnino res complectuntur.

γ. Christo tribuitur omnium rerum *conservatio,* quum omnia in ipso sive per ipsum constare dicantur. Rerum conservatio non minus quam creatio soli Deo competit, alibi docente Apostolo: „In ipso vivimus et movemur et sumus". Act. 17, 28.

b. Quae Paulus, eadem et Joannes Christo vindicat: „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, (ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος). Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est." Joan. 1. 1—3. „Verbum" (ὁ λόγος) hic intelligitur idem, de quo postea (14) dicitur: „Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis" etc.

α. Etiam hic Verbo tribuitur *aeternitas,* quum in rerum principio jam fuisse dicatur. Si enim Verbum aliquando incepisset, factum fuisset in temporis principio, nec dici posset, in principio jam fuisse. Discipulus igitur dicit idem quod aliis verbis dixerat magister: „quam habui (claritatem) prius quam mundus esset, apud te". Joan. 17, 5. Principium rerum sive temporis intelligi, elucet ex eo, quod mox (3) de prima rerum productione sermo instituitur et dein (10) repetitur; „Mundus per ipsum factus est." Iterum exprimitur Verbi aeternitas, quum „in principio apud Deum" dicitur fuisse. „Quemadmodum illud: „in principio erat Verbum", aeternitatem denotat, ita et illud: „hoc erat in principio apud Deum", coaeternitatem nobis significat." Verba sunt s. Chrys. in Joan. hom. 4, al. 3, n. 1.

Secundum recentiores nonnullos (Biederman, Dogm. II, §. 304. 305) Verbum ab aeterno existens non est nisi idea illius hominis, Jesu Nazareni, prototypi omnium

filiorum Dei. Sed non advertunt, magnifica illa et singularia, quae Verbo tribuuntur, non posse convenire meae ideae; imprimis autem aeternitas, quae ut singulare aliquid tribuitur Verbo, non esse aliquid singulare, si supponatur de sola idea agi; omnium enim hominum et rerum ideae aeternae sunt. Praeterea non per ideam illius hominis facta sunt omnia, ut omnia facta leguntur per Verbum. Denique si „Deus erat Verbum", et „Verbum caro factum est", non idea nudi hominis incarnata, sed Deus incarnatus est.

β. *Per Verbum facta sunt omnia.* Ariani eorumque sequaces Sociniani argumenti vim elidere tentabant reponentes, quum omnia facta dicantur non a Verbo, sed per Verbum, exprimi causam non principalem, sed instrumentalem sive inferiorem; unde Ariani admittebant, mundum visibilem factum esse per Filium tamquam servum, dum Sociniani fatentur, homines per Christum quomodocunque ad meliorem conditionem esse evectos. Sed falsa est expositio. E praecedentibus manifestum est, Verbum a Joanne non dici instrumentum. Ut enim Paulus, ita et Joannes Verbo aequalitatem cum Patre, aeternitatem et naturam divinam tribuit; at instrumentum non est aequale opifici; ergo non ut instrumentum exhibetur Verbum. Neque verum est, particula *per* necessario exprimi rationem instrumenti. Etiam *per* causam principalem quandoque aliquid effici dicitur, ut: „Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per (διά) Jesum Christum et Deum Patrem" (Gal. 1. 1); „quoniam ex ipso (Deo), et per (διά) ipsum et in ipso sunt omnia." Rom. 11, 36. Cf. 1. Cor. 1. 9. Hoc autem loco Joannes, quum Filium Verbi nomine significasset, attento usu loquendi, aptius dicebat *per* Verbum quam *a* Verbo facta esse omnia. Congruit et ipsi rerum ordini, quum Filius sit Verbum Patris consubstantiale et ejusdem cum Patre virtutis, artifex vero per mentis verbum sive per sapientiam operatur. Denique attenta relatione Filii ad Patrem Deus mundum per Filium creasse dicitur „non quia Filius sit instrumentum, sed quia ipse est principium de principio". S. Thom. 1, q. 49, a. 8.

Unde ut *Toletus* notat, „creare Patrem per Filium est, Patrem una cum Filio creare, sed communicando Filio essentiam et virtutem, qua una cum ipso Patre creat; et proinde quadam ratione assimilatur instrumento, nempe in hoc, quod sicut agens communicat virtutem instrumento ut una cum ipso operetur, ita Pater Filio virtutem communicat. At est maxima differentia, quia agens non communicat suam substantiam nec suammet virtutem, quam habet, instrumento; at Pater communicat suammet substantiam et virtutem Filio". In Joan. c. 1, nota 13.

c. „Deus . . . novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui quum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae . . ." Hebr. 1, 1—3.

Apostolus explicans divinam et humanam Christi naturam, «. *creationem mundi* eidem attribuit, dum Deum saecula sive tempora, hinc mundum per eum fecisse dicit. „Dicitur per eum fecisse saecula, quia genuit eum operantem saecula". Ita paucis s. *Thomas* comment. in epp. Exemplum s. *Chrysostomus* affert. „Sicut, inquit, Pater neminem judicat et dicitur judicare per Filium, quatenus judicem illum genuit; ita etiam dicitur operari, quia genuit opificem". In ep. ad Hebr. hom. 2, n. 2.

β. *Conservationem* ei attribuit, dum omnia eum portare dicit. Neque quidquam perit argumento, si portandi verbo (φέρειν) rerum administrationem et gubernationem designari existimetur: nam rerum administratio

et gubernatio, quae pariter Deo soli competit, conservationem includit. Non sine ratione Apostolus dicit, eum verbo „virtutis suae“ omnia portare. Cum enim praemisisset, Deum „per“ Filium creasse, ne quis existimaret, eum non virtute sua, sed tantum virtute illius, qui per eum creavit, operari, diserte dicit, sua eum virtute conservare omnia, quum Patris virtus sive potentia Filii quoque sit potentia. „Verbo“ virtutis suae omnia portat, quum seipso, qui est Verbum potens, omnia conservet.

γ. Filii *aeternitas* exprimitur dicendo, per ipsum saecula sive tempora esse effecta. Causa enim praecedit effectum. Si Filius ipse in tempore esset productus, ipse comprehendebatur inter res illas, quae tempus constituunt, et sic verum jam non esset, per eum effecta esse tempora. Praeterea quum vocetur „splendor gloriae“ Dei sive Dei gloriosi, eo ipso indicatur, eum tamdiu fuisse quamdiu fuit Deus.

454. **3.** Docent, Christum esse *adorandum* et quidem illo adorationis genere, quod *Deo soli* competit.

a. Apostolus postquam de „forma Dei“, in qua Christus erat, et de „forma servi“ accepta loquutus est, humiliationis et obedientiae praemium ita effert: „Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris“. Phil. 2, 9—11. Agitur quidem hic proxime de Christo homine sive de Christo, qui ut homo exaltatus et jam adorandus est; verum non qualiscunque honor deferendus dicitur Christo, sed idem honor et eadem adoratio, quae Patri debetur. Nam Christus agnoscendus est esse „in gloria Patris“. „Gloria Patris“ est gloria divinitatis sive illa, de qua dixerat Christus: „Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te“. Joan. 17, 5. Propterea etiam adoratio, quae Christo debetur, iisdem verbis exprimitur ac quae debetur Patri: „Scriptum est: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectatur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo“. Rom. 14, 11. Praeterea non agi de gloria et de cultu, qui exhiberi possit creaturae sive homini puro, ex eo intelligitur, quod Christus adorandus dicatur eo, quod se humiliaverit „in forma Dei“ existens. Non e nudo adorationis aut gloriae nomine, sed ex ejusdem causa argumentamur. „Forma Dei“, qua est „aequalis Deo“, exhibetur ut ultima adorationis ratio. Itaque is qui adoratur, est totus Christus spectatus quoad naturam tum divinam tum humanam; sed ratio, cur adoratur, est natura divina.

b. In epistola ad Hebraeos inter alia, quae Christi divinitatem demonstrant, haec afferuntur: „Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei“. Cujusmodi haec sit adoratio, mox indicatur: „Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nonne omnes sunt administratorii spiritus?“ Hebr. 1, 6. 13. 14. Christo igitur adoratio debetur ut sedenti a dextris Dei Patris, qua voce aequalitas designatur. Supra n. 403. Praeterea debetur adoratio, quae competit illi, qui non est administratorius spiritus sive qui non est Dei servus, qui non est creatura; verbo, competit Christo adoratio sensu strictissimo sive adoratio latriae.

455. **4. Christum dicunt esse *Deum* et quidem *sensu proprio*.**

a. Ita s. Joannes in Evangelii prologo: „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum". Sensu omnino proprio vocem esse intelligendam, patet tum ex eo, quod nulla restrictio additur, tum praesertim ex eo, quod quae adduntur, intelligi non possunt nisi de Deo, rerum omnium principio, ut vidimus. Nec ulla ratio vel tantillum probabilis affertur a Socinianis eorumque asseclis, quae suadeat, vocem accipiendam esse sensu improprio, ut ipsi volunt. Imo id praecaverat Evangelista, ut contra Arianos bene notat s. *Chrysostomus:* „Quum prius dixisset: ‚et Deus erat Verbum', ne quis putaret, minorem esse Filii divinitatem, statim veram divinitatis ejus documenta profert, aeternitatem nempe sic resumens: ‚Hic erat in principio apud Deum'; creandi vim cum addit: ‚Omnia per ipsum facta sunt'." In Joan. hom. 4 (al. 3), n. 3.

b. De Judaeis Evangelium recusantibus loquens Apostolus ait: „Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen" *(ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας).* Rom. 9, 5. Apostolus hic ut alibi duplicem Christi naturam designat, alteram humanam, quam habet e patriarchis, alteram quam non habet e patriarchis; nam dicendo, Christum secundum carnem esse e patribus, aperte indicat, eum secundum aliquid sui non esse e patribus. Illud autem quid sit, indicat addendo: „qui est super omnia Deus benedictus in saecula". Haec verba, si non necterentur cum praecedentibus, sensus esset mancus; Paulus enim non diceret, secundum quid Christus non sit e patribus. Praeterea appellando eum Deum sive tribuendo ei naturam divinam, alio tantum verbo dicit idem, quod dixerat tribuendo ei „formam Dei". Loquendi formula „Deus benedictus in saecula" Israelitae Deum verum designare solebant. Jungebatur autem appositi instar ad nomen praecedens, ut constat ex ipsius Pauli usu: „Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus nobis" *(ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων)* Eph. 4, 6. „Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula, scit, quia non mentior". *Ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι.* 2. Cor. 11, 31.

456. Inane igitur est Socinianorum aliorumque effugium dicentium, non designari Deum verum. Cat. Racov. q. 160.

Irrito etiam conatu alii, post verba „secundum carnem" interpungentes, a verbis: „qui est super omnia" sententiam novam incipiunt, quae non referatur ad Christum. Ostendimus, contextum exigere, ut sententia jungatur cum praecedentibus. Qui sententiam separant, fatentur, s. Patres et scriptores ecclesiasticos inde a s. *Irenaeo* et *Tertulliano* eandem junxisse cum praecedentibus. Ita H. A. M. *Meyer* in h. l. Inde potius concludendum erat, sensum obvium esse, quem Patres communi sententia admittunt. Ad sententiae separationem suadendam dicunt 1., a Paulo in nullo alio loco Christum diserte vocari Deum. At etiam a Joanne non alio loco nisi in prologo Christus diserte vocatur Deus. Dicunt 2., doxologiam illam in aliis locis non conjungi nisi appellationi Dei Patris. At 2. Petri 3, 18 aperte conjungitur Christo. Dicunt 3., a Paulo Filium semper exhiberi ut subordinatum Patri, ideoque doxologiam non posse jungi appellationi Patris. At Paulus Filium nonnisi ejus humanitate spectata subordinatum exhibet: divinitate spectata exhibet aequalem. Cf. Adalbert *Maier* in h. l.

Alii post verba „qui est super omnia“ interpungere voluerunt, ita ut verba: „Deus benedictus in saecula“ absolute et absque nexu efferantur. Rationes allatae pariter contra hunc separandi modum militant, qui etiam a loquendi usu abhorret. Praeterea verba „qui est super omnia“ tam arcte nectuntur cum sequentibus, praesertim secundum Pauli loquendi modum, ut separari non possint. Cf. Eph. 4, 6.

c. Suam aliorumque fidem expressit Thomas Apostolus: „Dicit (Jesus) Thomae: Infer digitum tuum huc . . . et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus! *(ἀποκριθη Θωμᾶς καὶ εἰπεν αὐτῷ· ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου).* Dixit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, et crediderunt“. Joan. 20, 27—29. Thomae verba non sunt exclamatio mirantis directa ad Deum Patrem, sunt potius professio fidei oblata Jesu Christo. Id aperte testatur Evangelista, quo narrante Thomas haec dixit Jesu *(εἰπεν αὐτῷ).* Praeterea vox „Dominus“ sine dubio dirigitur ad Christum, qui hac voce a discipulis designari solebat; ergo etiam vox „Deus“. Sensus igitur est: Tu es Dominus meus et Deus meus. Vox „Deus“ sine dubio intelligenda est sensu proprio, quo sensu ab Evangelista in prologo Verbum vocatum fuerat Deus. Porro Thomae professio, quum a Jesu collaudetur et ab aliis imitanda exhibeatur, eo ipso proponitur ut communis Apostolorum omniumque discipulorum fides.

457. ***Scholion.*** *Objicitur e Theosophia Alexandrina.* Argumentum infringere tentant qui asserunt, quam Joannes de Verbo doctrinam proponit, ad quam etiam s. Paulus in pluribus epistolarum locis alludit, petitam esse e Theosophia Alexandrina, illa videlicet doctrinae revelatae cum graeca philosophia mixtione, quae duobus ultimis ante Christum saeculis a Judaeis Alexandriae tentata et etiam Palaestinam pervagata sit; unde explicatur, quomodo innotescere potuerit Joanni.[1]) Majore etiam libertate utuntur qui fingunt, Evangelium quartum post Joannis aetatem compositum esse; hi non verentur asserere, quae in hujus Evangelii prologo leguntur, e *Philone* potissimum, Joannis coaevo et praecipuo Theosophiae Alexandrinae cultore, hausta esse. Plura etiam ex Aegyptologia huc congerit Ernestus Renan (L'Eglise chrétienne ch. 5), quorum tamen pleraque rem nullatenus attingunt, quum solum testentur, antiquissimum esse pantheismum emanationis, quod demonstratione non indiget. Concludere demum solent, quae ut a Deo revelata proponuntur, profanis deberi fontibus.

[1]) August. *Gfrörer* ita scripsit: Es ergibt sich von selbst die Gewissheit dass ein Theil der heiligen Schriftsteller aus einer gemeinschaftlichen Quelle mit ihm (Philo), nämlich aus der alexandrinisch jüdischen Theosophie, geschöpft hat. Weil aber diese Ansicht im Widerspruche steht mit sonst verbreiteten, weil sie gewisse Grundsätze des (ob groben, ob feinen) Offenbarungsglaubens an der Wurzel angreift, und weil es nothwendig ist, in diesem Felde mit eisernen Beweisen gewappnet aufzutreten, so werden wir zeigen: 1. dass die Hauptlehren Philo's sich auf zwei Jahrhunderte zurückverfolgen lassen; 2. dass sie zu seiner Zeit Eigenthum grosser Partheien waren; 3. dass sie längst in Judaea, und sogar im Sitze der jüdischen Orthodoxie, in Jerusalem, Eingang gefunden hatten. Philo und die alex. Theosophie, Stuttgart 1831. II, p. 4. — Similia apud *Keim,* Geschichte Jesu von Nazara, I, 215 ff.; *Hausrath,* Neutestamentliche Zeitgeschichte, 2. Aufl. Heidelberg 1877, IV, 381 ff.

Resp. 1. Ut ab ultima conclusione refellenda incipiamus, si doctrina, quam Evangelista tradit, e Theosophia Alexandrina hausta esset, nullatenus sequeretur, eam non esse revelatam; idque pluribus de causis. Imprimis non constat, doctrinas nonnullas, quas schola illa profitebatur, non fuisse revelatas. Nihil obstat, quominus Deus ad Christi usque tempora novas etiam revelationes populo hebraico aut ejusdem parti largitus esse censeatur: imo certum est, etiam post Malachiae tempora Deo inspirante conscriptos esse libros, qui tum a Judaeis tum a Christianis Scripturis divinis annumerarentur. Cf. *Malon*, La lecture de la sainte Bible, II, 44. *Franzelin*, De divinis scripturis Thes. XI (Ed. alt.) p. 446. Dein poterant doctrinae antea revelatae in schola illa accuratius evolvi et investigari, saltem ita ut distincte jam cognosceretur a multis, quod antea a paucis tantum et modo confuso cognitum fuerat. Demum si doctrinae quaedam ratione primum subobscure cognitae, postea autem ab auctore inspirato traditae fuissent, aeque certo jam revelatae dicendae forent, ac revelata sunt, quae Evangelistae oculis a se conspecta scripto tradunt. Unde patet, revelationem male intelligi ab illis, qui eam ratione exposita convelli existimant.

2. Si supponere velimus, Evangelistam doctrinam suam de Verbo divino alicubi hausisse, necesse non est supponere, eam haustam esse ex auctoribus sive profanis, sive judaicis i. e. post Christum viventibus. Doctrinae enim semina in revelatione praecedente reperiuntur.

Certum est, apud Israelitas, jam pridem, videlicet a Salomonis tempore, sapientiam divinam aliquo modo in Deo distinctam fuisse. Vid. Prov. 8, 22 seq. Ad quem locum etiam Philo provocat suam de Verbo sive logo doctrinam exponens. De ebrietate ed. Mangey-Pfeiffer, III, p. 183. Ed. 2. Erlangae. Eadem distinctio occurrit in libris subsequentibus, Ecclesiastic. 24, Sap. 7, 26. Ipsa vox *λόγος* non fuit necessario aliunde haurienda, quum eadem sapientia etiam vocatur *λόγος*: „Omnipotens sermo tuus *(ὁ παντοδύναμός σου λόγος)* de coelo a regalibus sedibus . . . prosiliit". Sap. 18, 15. Neque opus est supponere, libri Sapientiae Scriptorem vocem hanc e Theosophia Alexandrina hausisse, quamvis nihil vetet dicere, eum doctrinam revelatam expressisse voce apud Theosophos illos usitata. De Scriptore enim merito dicitur, quod alii dixerunt de Joanne: „Non opus est, ut curiosius inquiramus, unde Evangelista petierit hunc titulum, cum toties repetatur in historia creationis: *Et dixit Deus*. Ab omnibus fere in hunc Evangelistam nuperius commentantibus observatur, *Verbum Domini* adhiberi frequentissime a Targumistis, quod facere videtur in rem praesentem". *Lightfoot*. Horae hebr. et thalm. in Ev. Joan. Licet igitur dicere, Joannem hanc vocem reperisse in usu positam.

3. At magnum est discrimen inter doctrinae semina sive vocis usum et plenam ejusdem expositionem, quam legimus apud Evangelistam. Haec e fontibus sacris a Joanne peti non poterat, quum nullibi expositio tam plena et tam distincta occurrat. Innuitur sapientiae sive Verbi quaedam in Deo distinctio; longe plura et accuratissime exposita apud Evangelistam leguntur. Cf. *Schoettgen*. Horae hebr. et talm. l. I, c. 1.

4. Joannes doctrinam suam e Theosophia Alexandrina, qualem e *Philone* novimus, neque immediate neque mediate haurire potuit. Theosophia enim illa in multis capitibus Evangelistae doctrinae penitus adversatur.

a. Verbum sive logos apud Joannem persona est et quidem aeterna. Logos Philonis modo tamquam persona exhibetur, videlicet tamquam angelus

Jehovae, vel archangelus, modo tamquam aliquid *non personale;* estque *libere productus.* Est enim idea in mente formata, simulacrum mundi condendi, mundus intelligibilis, et haec idea propterea formata est, quia Deus mundum producere decreverat. Docet: „Deus ubi pro sua deitate praevidit, imitamentum *(μίμημα)* pulchrum non posse absque exemplari pulchro *(καλοῦ δίχα παραδείγματος)* existere, nec sensibile quidquam reprehensionis expers fore, quod non archetypae et intelligibili ideae respondeat, postquam decrevit visibilem hunc mundum condere, prius formavit simulacrum ejus intelligibile, ut ad exemplar incorporei Deoque simillimi corporeum hunc absolveret, antiquioris imaginis recentius simulacrum, totidem complexurum sensibilia genera, quot intelligibilia; mundum autem illum qui ex ideis constat, nefas est loco ullo dicendo cogitandove circumscribere". Adhibita dein comparatione urbis ab imperatore condendae, cujus prius imago mente concipitur, ita pergit: „Eodem ferme modo de Deo sentiendum est, qui ubi decrevit ingentem hanc urbem condere, prius formas ejus concepit, ex quibus postquam intelligibilem mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit". De mundi opific. I, p. 9. Concludit dein: „Quod si cui libeat apertioribus uti vocabulis, nihil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quam mentem Dei jam mundum condentis *(θεοῦ λόγος ἤδη κοσμοποιοῦντος);* nec enim intelligibilis urbs est aliud quid, quam illa architecti mens *(λογισμός)* cogitantis jam urbem sensibilem ex intelligibili condere. Moysis est haec opinio, non mea; ergo hominis creationem aggressus scribere, procedente sermone diserte fatetur, formatum eum utique ad Dei imaginem . . . Liquet quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum, verbum Dei" *(ὁ τοῦ θεοῦ λόγος).* Ib. p. 15. Ex hoc loco etiam patet, de verbi formatione sentiendum esse quod de mundi creatione: libera illa est, quia libera ista; libera illa propterea, quod Verbum sive idea exemplaris non producitur, nisi quia statutum est mundum condere.

b. Apud Joannem Verbum Deus est et quidem unus idemque natura cum Patre; apud Philonem logos *Deus secundus* aut *quasi secundus* est et Deo Patre *inferior.* Eusebius nobis servavit hunc ejus locum ex opere deperdito: „Cur, inquit, proinde ac si de alio Deo loqueretur *(ὡς περὶ ἑτέρου θεοῦ),* ad imaginem Dei factum ab sese hominem esse ait, non autem ad suam? Id vero praeclare omnino atque sapienter divino celebratur oraculo. Prorsus enim mortale nihil erat, quod summi illius ac rerum universarum parentis imagine consignari posset; erat tamen quod secundi Dei, qui est ejusdem Verbum, posset" *(πρὸς τὸν δεύτερον θεὸν, ὅς ἐστιν ἐκείνου λόγος).* Praepar. ev. l. VII, c. 13. Alibi Verbum a Deo vero distinguit eique opponit. „Igitur, inquit, quando dicit: ‚Ego sum ille Deus, qui apparui tibi in loco Dei', illud sic intelligendum est, eum tenuisse locum angeli, ut tunc videbatur, salva sua natura, ut prodesset nondum valenti verum Deum cernere. Quemadmodum enim radios solis repercussos sicut solem vident etiam, qui non possunt ipsum obtueri, et circa lunam fulgores, sicut lunam ipsam; sic imago Dei, ipsius Verbum, angelus, tamquam ipse intelligitur" *(τὴν τοῦ θεοῦ εἰκόνα τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον, ὡς αὐτὸν καταγοῦσιν).* De Somniis t. V, p. 107. Hisce viam paratam esse Ario et Arianis, facile intelligitur. Cf. Petavius de trin. l. I, c. 2 et 11. Logos Philonis nec Deus est nec eo modo creatus quo res cacterae. „Illi angelorum principi, verbo antiqissimo *(τῷ δὲ ἀρχαγγέλῳ καὶ πρεσβυτάτῳ λόγῳ)* hoc

eximium donum concessit Pater omnipotens, ut in confinio stans facturam a factore discerneret ... Idem supplex immortalem appellat ... Videlicet nec ingenitus ut Deus *(οὔτε ἀγέννητος ὡς ὁ θεὸς ὤν)*, nec genitus ut vos, sed inter extrema medius, apud utrosque agens obsidem". Quis rerum divinarum haeres. t. IV. p. 91.

c. Apud Joannem omnia, etiam materia, per Verbum facta sunt et quidem ita ut Verbum non sit causa mere instrumentalis, sed et principalis non minus quam Pater. Apud Philonem *materia*, utpote non creata, *non est facta per Verbum*, et Verbum non est causa principalis, sed *tantum instrumentalis*. „Deus, inquit, causa est, non instrumentum; at quod factum est, per instrumentum quidem, sed utique a causa producitur. Nam ut producatur aliquid, multa oportet concurrere: a quo, ex quo, per quod, propter quod. A quo, causa est; ex quo, materia; per quod, instrumentum; propter quod, finis". Postquam hoc urbis vel domus condendae exemplo illustravit, ita pergit: „Transi nunc a privatis aedificiis ad illam domum sive urbem maximam, i. e. mundum, et hunc quoque similiter considera; invenies auctorem ejus Deum, a quo factus est; materiam vero quatuor elementa, ex quibus temperatus est; instrumentum vero Verbum Dei *(ὄργανον δὲ λόγος θεοῦ)*, per quod est conditus, caeterum finalem causam, cur conderetur, benignitatem ipsius opificis". De Cherubim t. II, p. 67. Manifestum est, supponi jam materiam, in quam Verbum utpote instrumentum agat. Aliis etiam locis materia supponitur non producta, et Deus opifex, non creator, mundi est, etsi aliis iterum locis mundi creatio doceri videtur, nimirum prout modo philosophos graecos, modo Moysem sequitur. Cf. *Gfrörer*, Philo etc. I, Cap. IX. *Dähne*, Gesch. der jüd. alexandr. Religions-Philosophie (Halle 1834) I, p. 199.

d. Joannes disertissime docet, Verbum incarnatum esse in Messia. Philo, qui quidem Messiam exspectat, et pluries de eo agit (De praemiis et poenis; De execrationibus), quod Ern. Renan perperam negat, de Verbi ad Messiam respectu tam *ambigue* loquitur, ut plerisque Verbi incarnationem negare, aliis de eadem nihil certo affirmare videatur. Cf. praeter auctores indicatos Adalb. *Maier*, Commentar über das Ev. d. Johannes, t. I, p. 115 seqq. Etudes sur le Christianisme par M. L. Abbé *Thomas*, l. IV, ch. IV. Joseph *Langen*, Das Judenthum in Palästina zur Zeit Christi, p. 248 seqq.

Propositio 101. *Ipse doctrinarum, praeceptorum, salutariumque institutorum complexus, quo religio christiana constat, non exiguum est divinae suae originis argumentum.*

458. Prae oculis habendum est, quod supra diximus de criteriis internis. Non asserimus, argumentum quod e religionis christianae excellentia ducimus, semper esse hujusmodi, ut omne dubium prudens praesertim in quolibet homine excludat. Veritates speculativae quum pro majore vel minore intellectus acumine magis minusve penetrentur, certiorem aut minus certam pariunt persuasionem; veritates practicae, quum pro varia indolis dispositione magis minusve alliciant, magis etiam minusve humanae naturae congruere videntur. Nihilominus tum per se utrisque magna persuadendi vis inest, tum, quod est praecipuum, eisdem plane evincitur, religionem omnem aut non revelatam aut e revelatione spuria haustam christianae religioni posthabendam esse. Unde etiam primos religionis christianae Apologetas saepe in hoc argumento versatos esse conspicimus. Ipsi etiam haeretici

non raro ex hoc argumento revincuntur. Facile enim ostenditur, omnes qui religionem christianam aut demendo aut, quod vix accidit, addendo emendare voluerunt, eidem decus aliquod abstulisse, dedecus addidisse.

459. Pars I. Doctrinae speculativae sive dogmata sua se partim veritate perspecta, partim excellentia commendant.

Probatur 1. Si spectantur doctrinae, quae humanae intelligentiae sunt *perviae*, ut sunt Dei existentia, unitas et attributa, animae humanae immortalitas, aliaeque plurimae ex utroque capite profluentes, non tantum nulla detegitur falsitas, sed quo diligentius in easdem inquiritur, eo apertius quoque cognoscitur earum veritas. Jam etsi per se non repugnat, ut quod rationi est pervium, homo conatu proprio cognoscat, tamen generis humani et praesertim philosophiae spectata historia merito creditur, nonnisi speciali Dei auxilio in amplo doctrinarum complexu errorem omnem evitari posse. Saltem philosophorum summi gravissimos errores non praecaverunt. Novimus etiam, quanto cum successu primorum saeculorum Apologetae argumento hoc usi sint, et quot viri eximii, etiam philosophi, dogmatum veritate allecti christianae religioni nomen dederint. Exemplum illustre est s. *Justinus* philosophus, qui postquam apud varias philosophorum sectas diu veram Dei cognitionem frustra quaesiverat, tandem apud Christianos eam reperit (Dial. cum Tryph.). Revelatae veritatis explicatione et illustratione schola Catechumenorum sub s. *Pantaeno, Clemente, Origene* aliisque Alexandriae diu florens viros plurimos gentilium philosophiae addictos ad christiana castra transtulit. Cf. Prop. 32.

2. Evidens veritas doctrinarum, quae humano intellectui perviae sunt, efficit, ut facilius judicemus, veras etiam esse doctrinas illas, quae intellectui *non sunt perviae*, eadem vero auctoritate proponuntur. Praeterea doctrinae hujusmodi sive mysteria diligenti consideratione plerumque tam congruae deprehenduntur, ut ratio ipsarum veritatem internam, postquam revelatae sunt, aliquo modo suspicetur. Primum sane locum obtinet ss. Trinitatis mysterium. Etsi intellectus per se cognoscere non potest, divinam naturam in tribus subsistere personis, imo nec postquam ita esse revelatione doctus est, percipere potest, cur in Deo tres personae esse debeant aut quomodo esse possint; nihilominus rationes aliquae analogae aliquo modo explicant, cur in Deo tres sint personae. Similitudines et argumenta probabilia, quae apud ss. Patres et Theologos reperiuntur, satis id demonstrant. Demum mysterii hujus sublimitas mentem adeo percellit, ut attenta praesertim piscatorum, qui id proponunt, simplicitate et ignorantia quilibet facile

in hanc ducatur opinionem, non ab ipsis inventum, sed e fonte omnium sublimissimo esse haustum.

S. *Hilarius,* acerrimus hujus mysterii defensor, postquam in ejusdem utut difficilis patrocinium tot miracula patrata appellavit, non veretur scribere: „Exspectate nil minus claudorum cursu, caecorum visu, fuga daemonum, vita mortuorum. Consistit enim mecum, in patrocinium editarum superius difficultatum piscator egens, ignarus, indoctus, manibus lino occupatus, veste uvida, pedibus limo oblitus, totus e navi. Quaerite et intelligite, utrum mirabilius fuerit mortuos excitasse, an imperito scientiam doctrinae istius intimasse. Ait enim: In principio erat verbum" etc. De Trin. II, n. 13.

460. Pars II. Religionis christianae sanctitas cernitur potissimum in morum institutione eximia.

Probatur 1. Lex Evangelica imprimis *nihil* continet quod morum *sanctitati adversari* intelligatur, atque ita praecellit prae philosophorum legibus et institutis, quibus aliqua rationi adversantia admisceri solent. Praecellit etiam prae lege mosaica, quae licet nihil Deo indignum contineat, aliqua tamen statuit, quae nonnisi speciali Dei ordinatione mala et pericula removentis, licita fieri poterant. Prop. 68. Quidquid boni lege mosaica continetur, id etiam lege christiana continetur et insuper ad majorem evehitur perfectionem. Mtth. 5.

2. Lege evangelica quamvis *virtutes omnes* commendentur, potissimum tamen efferuntur et celebrantur illae, quarum meritum a plurimis non attingitur, licet quam maxime hominem *evehant* et ad societatis humanae pacem et *felicitatem* quam maxime conferant. Christus et Apostoli commendant humilitatem, mansuetudinem, patientiam, verbo, legis evangelicae indoles a Christo quam maxime explicata est sermone in monte habito. Mtth. 5, 1—10. Non est necesse singillatim demonstrare, quantopere haec differant a philosophorum praeceptis, quam sublimem animum, ut exerceantur, requirant, denique quantopere ad singulorum et totius societatis pacem et salutem conferant.

3. Lex evangelica praeter praecepta complectitur etiam *consilia,* dum alia injungit, alia suadet. Non enim praecepti rationem habet illud: „Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me." Mtth. 19, 21. Neque praecepti rationem habet perpetua virginitas, quam cum commendasset, Christus addit: „Qui potest capere capiat." Mtth. 19, 12. Hac distinctione duplex imprimis obtinetur emolumentum. Fovetur in christiana societate perfectionis studium, quum opus eximium quod suadetur, generoso conatu a multis semper intenditur, ab aliquibus perficitur; nec tamen jugum

nimis durum imponitur singulis. Dein ad nobiliorem operandi modum homines instituuntur, quum generose et liberaliter praestent, ad quod legislator allicere quidem, non tamen obligare voluit.

Rem ita se habere, ipse testatur eventus; nam ut s. *Chrysostomus* recte animadvertit, „magistri nostri universum orbem virginitatis germine repleverunt". In Mtth. hom. 1, n. 5. Hac virginitatis et voluntariae paupertatis suasione lex evangelica etiam prae mosaica multum eminet. Audiendus s. Chrysostomus: „Magna de virginitate dixerat (Christus) . . . Res est natura sua ardua, ut inde palam est, quod in veteri lege ne sancti quidem magnique viri illam exercuerint, et in nova nulla legis necessitate jubeatur. Neque enim hoc praecepit, sed audientium arbitrio illud reliquit. Ideo ait Paulus: ‚De virginibus autem praeceptum Domini non habeo'. Laudo quidem illud servantem, sed nolentem non cogo, neque praeceptum id facio". In Mtth. hom. 78 (al. 79), n. 1.

4. *Rationes impellentes* proponuntur sanctissimae. Imprimis excluditur omnis vana ostentatio et laudis cupido, illae igitur operandi rationes, quae philosophorum virtutes in vitia commutare solebant. Non quidem exigit Christus, ut non operemur intuitu mercedis. Attamen vult, ut remunerationem quaeramus supernaturalem et coelestem, spiritualem, quam „nec oculus vidit nec auris audivit." 1. Cor. 2, 9. Atque ita lex christiana longe excellentior est lege mosaica, quae utpote ipsa imperfecta imperfectam etiam mercedem proponebat.

5. Christus seipsum, Deum Patrem, ipsamque sanctissimam Trinitatem proponit ut perfectionis et sanctitatis *exemplar*. Huc spectant illa: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde." Mtth. 11, 29. „Estote perfecti, sicut et Pater vester perfectus est." Mtth. 5, 48. „Diligite inimicos vestros . . . ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos . . ." Mtth. 5, 44. 45. „Ut sint unum, sicut et nos unum sumus." Joan. 17, 22. Poterat tanto magis Deus ipse proponi ut exemplar, quum, Filio Dei incarnato, Deus nobis visibilis et quasi propinquior redditus sit. Hujusmodi autem exemplar praeterquam quod efficacissimum est, ad sanctissimum simul operandi modum singulos provocat. Ostendit hoc suo exemplo Apostolus, fideles omnes adhortans: „Imitatores mei estote, sicut et ego Christi." 1. Cor. 4, 16[1]).

[1]) Religionis christianae praestantiam et Jesu indolem increduli quandoque magnis extulerunt laudibus. Praestans quidem et mirabilis foret utraque etiamsi id non faterentur increduli. Quae J. J. Rousseau variis locis de hoc argumento scripsit, saepe fuerunt repetita. Vide ea, si lubet, apud Migne, Démonstrations évangéliques tom. IX, p. 1203.

6. Legis evangelicae perfectio patet etiam ex illis, quae de matrimonio, totius societatis *fonte*, statuit. Imprimis matrimonium ad pristinam revocatur unitatem ita, ut polygamia aliquamdiu permissa abrogetur: „Jam non sunt duo. sed una caro.“ Deinde abrogato repudio, indissolubile et perpetuum statuitur matrimonium: „quod Deus conjunxit, homo non separet.“ Marc. 10, 8. 9. Demum conjunctio matrimonialis ex ordine naturali ad altiorem et supernaturalem evehitur, dum conjunctionis illius, quam Christus cum Ecclesia iniit, imago quaedam efficitur: unde jam „sacramentum magnum est, in Christo et in Ecclesia.“ Eph. 5, 32.

461. Pars III. Instituta salutem hominum spectantia, quae religio christiana complectitur, modo plane mirabili Dei bonitatem, justitiam, sapientiam patefaciunt et illustrant.

Probatur 1. *Finis* exhibetur homini praefixus omnium nobilissimus. Poterat quidem Deus hominem ad illum tantum beatitudinis modum destinare, qui ab ejus natura rationali exigitur, et in Dei cognitione illa, quae solis naturae viribus attingi potest, constituendus est. Singulari autem benevolentia destinavit eum ad beatitudinis et cognitionis modum creaturae omnis tum vires tum exigentiam longe excedentem, ad immediatam videlicet Dei visionem. „Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.“ 1. Joan. 3, 2. Supremo huic consilio instituta omnia adaptantur. Non enim permisit consilium illud plane everti lapsu primi parentis, sed relevare statuit hominem mediisque congruis ad finem supernaturalem primitus statutum perducere.

2. Deus qui genus humanum ad pristinum statum plurimis modis revocare poterat, voluit revocare *modo excellentissimo*, statuendo, ut Filius unigenitus natura humana assumpta pro genere humano infinitam praestaret satisfactionem. Plena haec satisfactio ut congruit infinitae justitiae, ita etiam infinitae congruit bonitati simulque infinitae sapientiae, quae hunc satisfaciendi modum concepit.

3. Unigenitus Dei Filius, qui visibili modo apparuit, docuit, satisfecit, modo maxime congruo beneficia nobis allata et promerita conservare nobisque communicare voluit, instituendo videlicet *societatem*, in qua Christi auctoritate homines docerentur, in via salutis dirigerentur, subsidiis a Christo institutis sanctificarentur. Mtth. 16, 18. Congruum erat operi divino, ut, quum visibili modo incepisset, visibili etiam modo continuaretur; congruum erat naturae humanae, ut, quum ipsa sit visibilis, visibili etiam modo

doceretur, dirigeretur, sanctificaretur; congruum erat divino religionis auctori, ut, sicuti in ordine naturali et mundo naturali potentiam suam communicavit creaturis, ita etiam in ordine supernaturali et mundo novo supernaturali potentiae suae homines redderet participes.

4. Attamen non ad externa tantum dona nobis largienda Filii incarnatio et redemptionis opus valuit; imo dona et gratiae externae *internam* hominis renovationem, sanctificationem, et *cum Deo similitudinem* potissimum spectabant, docente Apostolo: „Per quem (Jesum Christum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.“ 2. Pet. 1, 4. Interna haec sanctificatio et cum Deo similitudo efficitur per gratiam sanctificantem, quae animae infunditur eique inhaeret. Propter hanc similitudinem in nobis effectam dicere poterat alius Apostolus: „Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.“ 1. Joan. 3, 1. Attamen similitudo haec imperfectior adhuc et huic vitae congrua eo spectat, ut aliquando perfectior etiam similitudo in nobis producatur, dicente eodem Apostolo: „Nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.“ Ib. 3, 2. Et vere similis Deo est, qui beneficio speciali elevatur ad immediatam divinae essentiae *visionem*, quae visio Deo soli competit per naturam, quum creato intellectui nonnisi mediata Dei cognitio competat, qua nimirum ex effectu concluditur ad causam. Hinc s. Paulus: „Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. 1. Cor. 13, 12.

Religio hanc salutis oeconomiam exhibens non tantum divinis perfectionibus summe congruit, sed eandem propter admirabilem rerum et doctrinarum nexum non ab hominibus inventam, sed a Deo statutam et revelatam esse, saltem signis externis accedentibus, libenter admittitur.

Articulus IV.

De legis mosaicae abrogatione et abrogationis tempore.

162. Ut religionis christianae institutio et propagatio plenius intelligatur, simulque falsae nonnullae de ejusdem ortu sententiae refellantur, de legis mosaicae illam praeparantis sorte distinctius agendum est. Sunt enim qui contendant, non tantum Apostolos, sed etiam Jesum ipsum de ratione, quae inter novam legem et veterem intercedat, nonnisi incerta tradidisse. *Hase*, Gesch. Jesu §. 57.

Ex eo, quod Christus religionem instituit, sequitur quidem continuo, cultum judaicum esse falsum eatenus saltem, quatenus per eum religio christiana excluditur, ut Judaei eam revera excludunt; attamen nondum aperte constat, legem mosaicam omni sub respectu abrogatam esse. Dici enim posset, legem mosaicam jungendam esse cum religione christiana ut figuram cum re figurata, quod revera dixerunt Ebionitae et Nazaraei, sicut et Cerinthus. Existimari praeterea posset, legem mosaicam saltem in aliquibus suis partibus perdurare aut pro Christianis, aut pro Judaeis illis, qui religionem christianam suscipere nolint. Nihil horum dici posse, singulatim ostendendum est. Inquirendum praeterea est, legis mosaicae abrogatio quo tempore locum habuerit, utrum singulae ejus partes simul, an diverso tempore abrogatae sint.

Propositio 102. *Lex mosaica abrogata est: et quidem lex caeremonialis et judicialis quoad formam et materiam; lex moralis quoad solam formam; cum lege etiam abrogata est sanctio temporalis.*

463. Legis materia sive substantia constituitur illis, quae praecipiuntur; legis forma est ipsa Dei ordinatio, qua exigit, ut aliqua praestentur vel omittantur, sivè est voluntas illa positiva, qua efficit, ut opera quaedam in se indifferentia fiant necessaria i. e. aut praestanda aut vitanda, opera autem in se ipsis bona aut mala, necessitate sive obligatione nova aut praestanda sint aut vitanda. Quando lex abrogata fuerit, nondum quaerimus.

Pars I. Lex caeremonialis i. e. lex cultum divinum disponens et ordinans cessavit tum quoad formam tum quoad materiam: i. e. ordinatio sive voluntas, qua Deus Israelitas olim obligavit, non amplius obligat; neque ad illa, ad quae lex caeremonialis olim obligabat, Christiani alia Dei vel Christi ordinatione obligantur.

Probatur 1. *e legis fine cessante.* Lex, quae lata erat, ut solum ad certum terminum seu finem duraret, cessat quum ad terminum illum perventum est, neque necesse est, ut a legislatore diserte revocetur. At perventum est ad illum terminum. Legi mosaicae ut terminus propositus erat Christi adventus; ad hunc enim praeparandum instituta erat. „Finis legis Christus.“ Rom. 10, 4. Cessavit igitur cum lege tota imprimis lex caeremonialis, Christum praefigurans, et quidem respectu tum formae tum etiam materiae cessavit, quum nulla ratione ostendi possit, nos alio titulo nunc obligari ad ritus eosdem, ad quos lex mosaica obligabat.

2. *e legis ratione cessante.* Cessat lex, quando cultus, quem praescribit, propter eventuum successionem in se falsus est. Tunc enim cessat ratio legis i. e. bonum commune societatis, quod lege intenditur; cessante autem ratione legis ipsa lex cessat (s. *Thom.* 1, 2, q. 96, a. 6. *Suarez* de leg. VI, 9). Jam vero cultus qui lege mosaica praescribitur, temporis successu factus est falsus, quum tamquam futura exhibeat, quae dudum evenerunt. (S. *Thom.* 1, 2, q. 103, a. 3.) Posset quidem falsitas illa in significando corrigi

juncta lege nova, quae ut praesentia exhibet, quae ritibus mosaicis praefigurantur ut futura. Attamen ex hoc tantum sequitur, aliquamdiu licitum fuisse ritus veteres conjungere novis; de quo postea agetur. Non sequitur, legem caeremonialem in se ipsa spectatam nunc non esse falsam.

3. *e societate nova adversante veteri.* Legislator quam legem statuerat, ipse saltem implicite et exercite revocat, statuendo alteram priori adversantem. Lex nova veteri caeremoniali adversatur respectu personarum. Utraque enim lege arcta quaedam constituitur societas religiosa; lege vetere societas constituitur particularis sub uno Pontifice, ad unum populum restricta et a gentibus maxime separanda, quae religionis officia primaria nonnisi in loco uno obire possit; lege nova societas constituitur altera, sub uno pariter Pontifice, diffundenda et diffusa per totum orbem, gentes omnes complectens, in omni loco sacrificium offerens. At societas haec nova veteri opponitur societati religiosae. Revocata igitur est lex vetus adversante sibi lege nova.

4. *Apostolorum doctrina et exemplo.* Legem veterem abrogatam esse, verbo et exemplo docent Apostoli. E sacerdotio translato immutationem legis infert s. Paulus: „Translato enim sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat.“ Hebr. 7, 12. Sacerdotium sive regimen spirituale et lex, imprimis caeremonialis, arctissime nectuntur; unde abolito sacerdotio antiquo, quod legem caeremonialem administrabat, abolenda etiam est lex ipsa. Translatum sacerdotium in Christum, qui non fuit sacerdos secundum ordinem Aaronicum, satis indicat, abolitam esse legem caeremonialem, quae alia praescribebat de sacerdote ejusque officiis. Paulo post ex eo, quod testamentum promissum a Jeremia Propheta vocatur „novum“ (Hebr. 8, 8), concludit Apostolus, abolendum esse antiquum. „Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.“ 8, 8. 13. — Abolitam esse legem Apostoli et discipuli ipso suo exemplo docuerunt, quum, prout ferebat opportunitas, legem modo observabant modo non observabant Qui enim ea, quae legis sunt, hac solum ratione observat, legem abolitam esse demonstrat, praesertim si agitur de lege, quae observationem accuratissimam natura sua exigit. Verbo: abolitam fuisse legem demonstratur illis omnibus, quibus inferius probandum est, legis observationem quamdiu fuit licita, non fuisse credendam necessariam.

464. Pars II. Abrogata est lex judicialis, qua videlicet ordo principum ad subditos, subditorum inter se invicem, civium ad ex-

traneos, domesticorum inter se statuebatur, quatenus ille ordo non jam lege naturali praescribebatur.

Probatur 1. *e sublato fundamento.* Sublato fundamento reliqua omnia sublata sint necesse est. Legis totius, hinc et judicialis, servandae fundamentum erat circumcisio, quae sane sublata est cum lege caeremoniali; ergo tota lex judicialis sublata est. Circumcisionem fuisse fundamentum totius legis servandae docet Apostolus: „Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.“ Gal. 5, 3. Sicuti homo baptismate suscepto, quum sit christianae religionis professio, ad hominis christiani officia implenda, ita suscepta circumcisione ad legis mosaicae praecepta servanda obligabatur; neque alia ulla re ad legem observandam adstringi poterat. Ergo circumcisionis necessitate sublata pariter sublata erat legis servandae necessitas, ac proinde ipsa lex.

2. *e cessatione finis specialis.* Sublato fine tolluntur etiam, quae sunt ad finem. Post Christi adventum cessavit finis specialis, qui legibus judicialibus intendebatur, qui scilicet in eo situs erat, ut populus etiam in vita civili modo prorsus singulari institueretur, regeretur et sic ad Christi adventum praepararetur. Ergo fine illo jam cessante lex ipsa cessabat.

3. *e cessatione populi electi.* Ipse etiam populus legibus judicialibus regendus post Christi adventum esse desiit; unde nova erat ratio, ut etiam cessarent leges civiles. Desiit populus israeliticus non quidem quatenus ex Abrahami sensu materiali posteris constituebatur, sed quatenus erat populus a Deo electus. In ejus locum successit populus christianus, videlicet ille, cui Deus praesentiam suam et protectionem specialem promisit dicens: „Ecce ego vobiscum sum“ etc. (Mtth. 28, 20), sive ille, qui colligendus est in unum ovile sub uno pastore Christo. Joan. 10, 16.

465. Pars III. De lege morali, qua videlicet illis, quae lege naturali praescribuntur, nova sanctio addebatur, diverso modo loquuntur Theologi.

Consentiunt omnes, materiam legis moralis, quatenus hac voce intelliguntur illa, ad quae lege naturali omnes homines obligantur, non esse abrogatam. Consentiunt pariter, Christi novi legislatoris voluntate nos obligari ad illa, ad quae Israelitae Dei per Moysen loquentis voluntate obligabantur. Sed disputant, utrum etiam Dei per Moysen loquentis, an solius Christi voluntate obligemur. Qui utraque voluntate nos obligari affirmant, eoipso negant, legem moralem formaliter spectatam abrogatam esse. Ita sentit *Bellarminus* docens, „legem Moisis quoad praecepta caeremonialia et judicialia simpliciter abrogatam; quoad moralia praecepta et doctrinam fidei mutatam esse, non abrogatione, sed profectu“. De justif. l. IV, c. 4.

Sequuntur *Becanus* (Theol. schol. de lege mosaica q. 8) et *Vasquez*, qui primo notat, praecepta decalogi a Christo confirmata esse, atque inde infert, non fuisse primum abolita, sed in suo permansisse vigore; idque eo magis tenendum censet, quod supponendum non sit. legem moralem aeque ac caeremonialem in monte Sinai ad tempus tantum a Deo fuisse latam. Disp. 180. c. 3. Sententia opposita est longe communior. Non est dubium de lege, quatenus e septem diebus unum integrum cultui divino et quidem per cessationem ab operibus servilibus cultui divino consecrandum statuit; eatenus enim positiva et caeremonialis est, non naturalis.

466. A. Lex moralis si spectatur ipsa ejus materia, non est abrogata, sed a Christo novo legislatore ad perfectionem adducta.

Probatur 1. *e legis natura.* Non esse sublatam legis materiam, ex ipsa ejus natura patet. Haec enim constituitur illis, quae lege naturali jubentur aut vetantur; unde quum lex naturalis non cessaverit, neque legis moralis materia sublata est.

2. *e perfectione per Christum addita.* Christus quae decalogo continentur confirmavit et perfecit.

Perfecit a. *extensive*, addendo non quidem praecepta moralia positiva, sed consilia; praeterea apertiorem reddendo sensum decalogi et ostendendo, multa eo contineri, quae per ignorantiam latuerant (Mtth. 5); demum novas veritates revelando et ita obligationem credendi ad plura jam extendendo.

Perfecit b. *intensive*, addendo legis observandae rationes sublimiores, exhibendo praemium excellentius, provocando ad observandi modum excelsiorem, desumptum ex ipsius exemplo.

Perfecit c. legem, conciliando ei majorem auctoritatem, dum ipse eam promulgat, non homo, non angelus.

Perfecit denique d. longe abundantius subministrando auxilium ad legem observandam. Cf. Suarez de leg. X, 2. S. Thom. 1, 2, q. 108, a. 1. et 2.

467. B. Lex moralis formaliter spectata, et quidem ut *constitutiva*, recte dicitur abrogata, ita ut Christiani ad praecepta decalogi observanda non Dei in monte Sinai loquentis, sed Christi legem renovantis voluntate obligentur.

In decalogo duplex ratio legis distingui potest. Est primo lex *declarativa*, quatenus Deus declarat sive docet, quid sit lege naturali bonum vel malum, hinc faciendum vel omittendum. Dein etiam est lex *constitutiva* sive praeceptiva, quia Deus novo et positivo modo jubet alia facere, alia omittere. Lex moralis spectata ut declaratio non est abrogata, quum haec declaratio veritatem immutabilem revelet. De sola lege ut praeceptiva sermo esse potest. V. Suarez de leg. IX, c. 11, n. 19.

Probatur 1. *e populo diverso.* Ut tota lex mosaica, ita etiam sinaitica, continens decalogum, data est soli populo ex Aegypto educto et sub Moyse constituto; nam hunc solum Deus alloquebatur. Ex. 20. Populus autem christianus alius omnino est a

populo illo; ergo populo christiano lex illa data non est ac proin eum non afficit. Cf. S. Thom. 1, 2, q. 98, a. 4. et 5.

2. *e termino statuto.* Quod de totius legis, id etiam de legis moralis termino sentiendum est, quum nullibi statuatur exceptio. Terminus totius legis erat Christi adventus: „Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat.“ Gal. 3, 19. Id certe non est restringendum ad caeremonialia et judicialia praecepta, quum moralia transgrediendi longe crebrior esset occasio. Ergo quum ad terminum perventum est, sponte cessavit ut lex vetus tota, ita etiam lex moralis.

3. *e legislatore novo.* Consentaneum erat, ut lex vetus, spectata formali et positiva obligatione, cessaret, quum per novum legislatorem lex moralis nova et perfectior danda erat. Ut enim lex nova et perfectior successit legi antiquae et imperfectae, ita Christus legislator novus et excellentior Moysi successit legis promulgatori. Sed lex nova non foret simpliciter nova, si pars ejus potior sive decalogus antiqui legislatoris auctoritate aut unice aut simul niteretur; et novus legislator non simpliciter succederet Moysi, sed ei jungeretur, si non sua sola auctoritate totam legem fulciret.

Apostoli provocant quidem ad legem moralem scriptam, ut Paulus Rom. 13, 9; Eph. 6, 2; Jac. 2, 8. Ex hoc tamen non sequitur, tribui legi pristinam auctoritatem. Poterant enim ad legem moralem scriptam provocare tum quia Christus novam ei auctoritatem addiderat, tum quia lex ut *declarativa* veritatem exhibebat perpetuam. Pertinent igitur praecepta illa etiam ad Christianos, etsi non ea prorsus ratione, qua ad Israelitas.

Ex eo quod Christus declarat: „Non veni solvere (legem), sed adimplere“ (Mtth. 5, 18), certe inferri non potest, eum non abrogasse legem moralem. Nam si id significarent verba, pariter significarent, etiam legem caeremonialem non esse abrogatam. Christus igitur legem adimplevit legi toti obediendo quamdiu viguit, legis caeremonialis umbris et figuris substituendo ipsam veritatem, legis judicialis finem adducendo, legem moralem explicando, perficiendo, ad altiorem dignitatem evehendo.

468. Pars IV. Sanctio temporalis sublata est, videlicet illa, quae constituebatur poenis temporalibus, quas Deus transgressoribus minatus erat, praemiis temporalibus, quae observatoribus promiserat.

Probatur 1. *e foedere sublato.* Sanctio temporalis per modum foederis cum populo israelitico initi statuta erat. At foedus cum illo populo non nisi ad tempus initum erat; ergo et sanctio non nisi ad tempus duravit, idque eo magis quod populo, qui populi israelitici locum nunc tenet, sanctio temporalis minus congruit, ut imprimis s. *Augustinus* saepe monet. Cont. Faust. l. X, c. 2.

2. *e lege sublata.* Aut lex vetus tota desiit, ut plerique sentiunt, aut sola lex moralis perdurare dicenda est. Si lex tota de-

siit, etiam desiisse censenda est sanctio temporalis, quum sanctio sequatur legem utpote rem principalem. Si lex moralis perduravit, non perduravit nisi in illis, quae sunt legis naturalis proprie dictae; quaecunque enim positiva tantum voluntate statuta sunt, cessarunt, quum ad legem caeremonialem aut judicialem referantur. At sanctio temporalis non est legis naturalis, sed positivae ideoque quamvis etiam legem moralem respiciens, tamen in se ipsa legis judicialis pars est. Sine dubio igitur sublata est una cum lege judiciali.

469. *Objectio.* Difficultas peti potest ex eo, quod quarto saltem mandato addita videatur sanctio temporalis, dicente Apostolo: „Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae". 1. Tim. 4, 8. „Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram". Eph. 6, 2. 3.

Solvitur. Nihilominus promissio, cujus hic fit mentio, non est proprie illa, quae fuit in V. T. Haec ipsis verbis differt: „ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi". Ex. 20, 12. Apostolus vitam felicem in terra Chanaan pietati erga parentes singulariter olim promissam commemorat, ut ostendat, quam grata Deo sit pietas; ex eo autem non concludit, eam promissam esse pariter in N. T. Et vero: vita sive felicitas in utroque testamento promissa intelligenda est pro conditione utriusque testamenti, i. e felicitati temporali sive vitae corporali promissae in vetere testamento respondet felicitas spiritualis sive bonum vitae spiritualis promissum in novo. — Caeterum facile etiam intelligitur ratio, cur Deus, etsi non certa lege, saepe tamen etiam in N. T. vitam corporalem ut praemium temporale conferat pietati. Ad rem s. *Thomas:* „Qui est, inquit, gratus beneficio, meretur secundum quandam congruentiam, ut sibi beneficium conservetur; propter ingratitudinem meretur aliquis beneficium perdere. Beneficium autem vitae corporalis post Deum a parentibus habemus; et ideo ille, qui honorat parentes, quasi beneficio gratus, meretur vitae conservationem . . . Quia tamen praesentia bona vel mala non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem, ideo quandoque secundum occultam rationem divinorum judiciorum, quae maxime futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui sunt pii in parentes, citius vita privantur; alii vero, qui sunt impii in parentes, diutius vivunt. S. 2, 2, q. 122, a. 5, ad 4.

470. ***Scholion.*** *Utriusque legis et veteris et novae in sanctione paritas universalis male a quibusdam asseritur.* E. W. *Hengstenberg,* ad hanc probandam (Authentie des Pent. II, p. 579.) inter alia argumenta profert octo beatitudines quae dicuntur, existimatque nulla illarum promitti sola bona coelestia aut etiam spiritualia. Reliqui loci, quos invocat, aeque parum ipsius assertum demonstrant.

Non firmiores sunt rationes aliunde petitae. Existimat enim: a. Deum non posse esse justum, nisi etiam in hac vita justitiam suam manifestet (p. 583); b. hominem peccandi illecebris resistere non posse, nisi peccata etiam in hac vita puniri sciat; c. negata remuneratione hujus vitae extingui pietatem et fidem; d. hominem in desperationem esse lapsurum; e. mancipari rerum temporalium, quas sine Dei auxilio obtinere velit, cupiditati et curae; f. extingui justitiae publicae curam, quum si Deus peccata non puniat, etiam magistratus injurias impunitas relinquere possit.

At plurima hic confunduntur et multa inferuntur, quae in praemissis nullatenus continentur. Sufficit ad haec attendere: a. Ex eo quod Deus est justus, certe non sequitur, eum singulis momentis praemia largiri et poenas infligere debere; potest sane differre; ergo neque sequitur, eum semper in hac vita hominum actiones compensare debere. b. Ad resistendum peccandi illecebris homo efficacissime impellitur remunerationis et poenae aeternae fide. c. Quam primum homo fide certus est, compensationis tempus esse vitam alteram, sermo esse non potest de pietate necessario extinguenda, de desperatione incurrenda. d. Bona aeterna per revelationem manifestata et a Deo promissa desperationem procul arcent. e. Remuneratio non est confundenda cum providentia. Etsi remuneratio locum habitura est in altera vita, Deus tamen in hac vita providum se exhibere potest in largiendis bonis temporalibus ut nudis subsidiis ad bene agendum. f. Deus utpote supremus Dominus hominemque subditum habens tum in hac tum in altera vita, eundem aut in hac aut in altera vita punire potest; hac libertate non gaudet magistratus civilis, qui eo modo, quo Deus, ordinis civilis auctor, exigit, administrare justitiam debet, eamque in hac tantum vita administrare potest. Generatim notandum est, ex eo, quod congruum et utile sit, ut Deus *quandoque* etiam in hac vita hominibus pro merito retribuat, nullatenus sequi, *necesse esse,* ut id *semper* faciat.

Propositio 103. *Lex vetus non cessavit ante Christi mortem; in suo fundamento spectata Christo moriente abrogata est.*

Ob duplicem causam agendum est de tempore, quo lex abrogata sit. Constat enim, non subito totam legem, sed sensim et per varia quasi sui momenta abrogatam esse; praeterea aliquamdiu legis abrogatae quidem observationem licitam, postea illicitam fuisse.

471. Pars I. Dicendo, legem veterem non cessasse ante Christi mortem, intelligimus legem sensu pleno, videlicet ut regulam agendorum et omittendorum, hinc prout veram obligationem inducit.

Probatur 1. *e Moysis cathedra adhuc existente.* Christus doctrinam novam populo jam proponens, Moysis cathedram adhuc existere et Judaeos legi mosaicae adhuc obnoxios esse declarat. Mtth. 23, 1—3. Ratio, cur, quae Pharisaei praecipiunt, sint facienda, est Moysis auctoritas sive Moysis cathedra adhuc existens; ergo lex ab eo lata sive potius promulgata Christo publice docente adhuc pollet auctoritate. Hanc auctoritatem adhuc vigentem s. *Augustinus* agnoscit, dum allatis illis verbis ita pergit: „Illa ergo cathedra, non eorum (Pharisaeorum), sed Moysis, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.“ De doct. christ. IV, 27, n. 59.

Caeterum Christus in illo loco non praecipit, ut „quaecunque dixerint“ Pharisaei, Judaei *credant*, sed tantum ut *faciant*. Agitur proin de praeceptis, proxime quidem de praeceptis mosaicis, quum Moysis cathedrae mentio fiat. Si quid autem e suis traditionibus addebant legi mosaicae, illud pariter, quum auctoritate legitima pollerent sacerdotes, opere exequen-

dum erat, hac tamen cautione, ut legi divinae non adversaretur. Unde idem Dominus monet, cavendum esse „a fermento Pharisaeorum et Saducaeorum", id est, „a doctrina Pharisaeorum et Saducaeorum." Mtth. 16, 6. 11.

2. *ex indole testamenti utrique legi propria.* Lex vetus, spectatis promissionibus, Israelitis data erat instar testamenti, quod vim haberet, donec conderetur testamentum novum, cujus illud esset praeparatio. Novum autem testamentum per Christum conditum, vim non habuit nisi post mortem Christi testatoris; ergo etiam vetus illud testamentum non cessavit nisi post Christi mortem. Legem novam sive legem evangelicam instar testamenti datam esse, ut et veterem, late prosequitur Apostolus Hebr. 9.

472. ***Nota**: abrogationis inchoatio distinguenda est ab ipsa abrogatione.* Quum Jesus dicit: „Lex et Prophetae usque ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur" (Luc. 16, 16), de lege nova jam inchoata et primum innotescente, hinc de legis veteris abrogatione inchoata quidem, sed nondum perfecta loquitur. Unde etiam a circumcisione, veteris foederis signo, exemptus non fuisset infans a Judaeo ortus et Christi in terris adhuc agentis baptismate jam initiatus. Circumcisio enim si justitiam conferebat, non ad hanc unice conferendam, sed simul ut veteris foederis signum instituta erat; unde conferenda erat, quamdiu foedus illud durabat. Aliud dicendum est de infante patris gentilis baptismate Christi initiato: in hoc exercendus non fuisset ritus, quo extra foedus israëliticum infantibus justitia conferri poterat. Hujusmodi enim ritus hoc tantum fine, ut salutis esset remedium, non ut foederis esset signum, usurpabatur; praeterquam quod nulla est ratio quae suadeat, ritum, quo extra legem mosaicam justitia conferri poterat, aeque ac circumcisionem a Deo ipso determinatum fuisse. Ut enim notat Suarez. „in lege naturae non erat determinatio facta alicujus sacramenti, nec peculiare praeceptum positum, praeter illud generale subveniendi filiis per aliquod remedium sufficiens, quale erat fidei applicatio quocunque modo fieret; et ideo per baptismum haec obligatio sufficienter implebatur; imo jam non manebat parvulus [baptizatus] capax sacramenti legis naturae, quia eo ipso, quod non erat primum [primo applicatum], nullum erat." De leg. IX, 12, n. 10.

473. Pars II. Lex vetus in suo fundamento spectata cessavit in Christi morte.

Legis fundamentum hic dicimus legislatoris voluntatem utpote obligationis causam. Ut lex perfecta sit sive obligationem inducat, ad legislatoris voluntatem promulgatio accedat necesse est. Similiter etiam ut lex obligare cesset, legislatoris voluntas contraria aliquo modo monstretur oportet. Non quaerimus hoc loco, quo tempore lex vetus actu obligare desierit, sed tantum quo momento positum sit illud, ex quo legis cessatio est secuta.

Probatur 1. *e Christi morte ut constituente novum testamentum.* Christi morte abrogatam esse legem veterem, patet ex eo, quod morte illa generis humani redemptio absoluta et sic novum testamentum constitutum est. Novo autem testamento condito abrogatur vetus. Unde Apostolus: „Dicendo novum (testamentum), veteravit

prius.“ Hebr. 8, 13. — Attamen ut in ordine civili testamentum vim obtineat, sola testatoris mors non sufficit; requiritur insuper, ut testamentum aperiatur et promulgetur. Simili modo Christi mors sola non continuo omnes habuit effectus; testamentum ab ipso conditum erat aperiendum et promulgandum, ut testamentum antiquum actu rescinderetur.

2. *e legis fine per Christi mortem obtento.* Legis fine primario sublato etiam reliqua omnia, quae ad hunc finem primarium convergebant, sublata fuisse censendum est; finis enim primarius ratio est, cur sint reliqua. At finis primarius legis veteris sublatus est morte Christi. Ad hanc enim, utpote causam redemptionis, convergebant omnia legis veteris, quum sacrificia primaria i. e. cruenta ejusdem essent figura, reliqua omnia populum ad redemptionis fructum percipiendum disponerent. Ergo redemptione per Christi mortem parta, quum legis veteris finis et fundamentum esset sublatum, ipsa lex sublata est. Huc etiam spectabat tum Christi illa vox emissa in cruce: „Consummatum est“ (Joan. 19, 30), tum quod ut rem mysterii plenam referunt Evangelistae, moriente Christo „velum templi scissum in duas partes a summo usque deorsum.“ Mtth. 27, 51.

Propositio 104. *Spectata obligatione lex vetus abrogata est lege nova die Pentecostes promulgata.*

474. De lege et quidem positiva loquimur tum vetere tum nova; proinde legem omnino distinguimus a fide. Fides in Jesum Messiam obligare incipiebat singulos quam primum iis sufficienter innotuerat, Jesum esse Messiam. Cum hac tamen fide obligatio legem veterem servandi usque ad diem Pentecostes urgebat Judaeos omnes, hac autem die cessabat saltem pro illis, quibus lex nova promulgata erat.

Probatur 1. *e novae legis obligatione incipiente.* Lex vetus, spectata obligatione, non erat abroganda nisi promulgata lege nova, cujus erat praeparatio; nam homines a lege iisdem posita eximendi non erant nisi manifestata Dei voluntate eosdem a lege eximentis. Hanc autem voluntatem non manifestavit nisi promulgando legem novam. Porro promulgatio haec facta est die Pentecostes. Ergo hac die abrogata est lex vetus, quantum obligationem attinet. — Erat quidem legis terminus Christus; at in Christo sive Christi vita plura continentur momenta; unde statuto illo termino nondum determinatum erat ejusdem momentum.

2. *excludendo alium terminum.* Si lex vetus non fuit abrogata pro Judaeis, quo tempore lex nova solemniter promulgata est, dicendum est, eam abrogatam fuisse in ipsa morte vel etiam resurrectione Christi, aut intra spatium quod a morte vel re-

surrectione usque ad diem Pentecostes decurrebat, aut denique aliquamdiu post solemnem legis novae promulgationem. Nihil horum asseri potest, ac proinde in die Pentecostes abrogata est.

a. Nec in morte nec in resurrectione Christi nec intra spatium ad diem Pentecostes intercurrens lex vetus abrogata fuit spectata obligatione. Nam in lege vetere tria distinguenda sunt: fundamentum, obligatio et utilitas. Sublato licet fundamento sive sublata lege prout dicit actum Dei ordinantis, manet tamen obligatio, quamdiu Deus voluntatem, qua ab obligatione eximit, non manifestavit. Hanc autem non manifestavit ante diem Pentecostes.

b. Nec sublata est aliquamdiu post diem Pentecostes. Nam certe non licet supponere, Judaeos aliquamdiu obligatos fuisse lege vetere et nova simul, et quidem ita, ut ritibus legis veteris profiterentur, Christum nondum venisse, legis novae ritibus, sacrificio imprimis et baptismo profiterentur, eundem jam venisse et mortuum esse. Fuissent autem obligati lege duplice, altera Christi adventum praefigurante, altera eundem supponente, si post legem novam die Pentecostes promulgatam lex vetus tota adhuc obligasset. V. *Suarez* de leg. IX, 13.

Propositio 105. *Etiam post diem Pentecostes et promulgatum inter Judaeos Evangelium ritus nonnulli per aliquod adhuc tempus licite exercebantur.*

475. Non exigua s. *Hieronymum* inter et s. *Augustinum* exorta est disceptatio de hac quaestione, an legalia, postquam eorum cessavit obligatio, continuo fuerint illicita sive mortifera. Affirmabat id s. Hieronymus. Cum autem constet, Apostolos ipsos aliquamdiu observasse quaedam legalia, sentiebat, eos per simulationem quandam egisse i. e. ritus illos non observasse tamquam religiosos, sed ad alios fines, ut dum quis ablutionibus quibusdam apud Judaeos in more positis non ideo utatur, quod sint sacri, sed tantum ad usus corporales. S. Augustinus cum s. Hieronymo in hoc consentiebat, post Christi mortem legalia quidem ita abrogata fuisse, ut non amplius obligarent, atque ideo *mortua* dicenda esse; existimabat autem, non statim *mortifera* sive illicita esse reddita. (*Hier.* ep. 112. ad Aug.; *Aug.* ep. 82. ad Hier.) Atque haec sententia evasit communis, ad quam postea etiam s. Hieronymus accessit, ut notat s Augustinus (ep. 180. ad Oceau. n. 5). Attamen nonnullos tantum ritus licite exercitos fuisse asserimus, quum desint rationes, quae omnes omnino exercitos fuisse demonstrent aut exerceri potuisse aliqua ratione suadeant.

Probatur 1. *exemplo Apostolorum observantium ritus ut religiosos.* Licite exerceri potuisse ritus quosdam, evincitur exemplo Apostolorum, qui eos et quidem ut religiosos usurparunt. S. Paulus circumcidit Timotheum discipulum, natum e patre gentili et matre Judaea (Act. 16, 3). Jacobus suasit Paulo, ut sanctificaret se in

templo sive ritus quosdam obiret sanctioribus legis observatoribus proprios (Num. 6), et quidem hoc fine, ut omnes scirent, legem ab ipso custodiri (Act. 21, 24); quod et religiose praestitit Paulus. Neque dici potest, Apostolos ritus illos ficte tantum sive ut profanos observasse. Jacobus enim aperte dicit: „Et scient omnes, quia quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.“ Volunt igitur Apostoli, ut omnes existiment, Paulum ritus illos exercere ut legales sive religiosos. Praeterea istiusmodi fictio, si observatio rituum fuisset illicita, in morum corruptionem et tandem in ipsius fidei ruinam necessario redundasset. Ritus illos ut religiosos a se servari, docet Apostolus scribens: „Factus sum Judaeis tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer.“ 1. Cor. 9, 20.

476. *Objectio solvitur.* His non obstat, quod Paulus reprehendit Cepham Antiochiae ritus quosdam observantem. Non enim absolute reprehendit, sed ideo quod illos ritus observaret tempore et loco quo non expediret. Cephas enim qui antea cum gentibus cibum sumebat, ab illis se subtrahebat, quum timere coepisset, ne illa cum gentibus conversatio Judaeis displiceret. Existimabat Paulus, hoc Cephae exemplo Christianos e gentibus conversos adduci posse ut crederent, rituum observationem esse necessariam. Hoc indicant Pauli reprehendentis verba: „Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis et non judaice: quomodo gentes cogis judaizare?“ Gal. 2, 14. Licebat sane Christianis e gentibus conversis non minus quam Judaeis ritus quosdam observare; quum autem Cephas praesentibus Judaeis eosdem observare inciperet resque per se molesta esset, timendum erat, ne Christiani crederent, observationem illam non tantum licitam, sed etiam necessariam esse. Non quaerebatur, quid in se licitum aut illicitum, sed quid opportunum aut non opportunum esset.

2. *ex utilitate quae obtinebatur.* Si rei natura spectatur, variis de causis aliquis legalium usus aliquamdiu una cum Evangelio subsistere poterat.

a. Etsi rerum ordo, ad quem praefigurandum ritus illi instituti erant, jam advenerat, utile tamen erat, ut cum rei veritate aliquamdiu ejus servaretur imago. Ritus enim vaticinia erant realia; hinc promptior Evangelio fides habebatur, quum sonante adhuc vaticinii voce oculis cernebatur eventus.

b. Primo quo Evangelium propagabatur tempore etsi praecipua rituum significatio Christi morte erat impleta, secundaria tamen eorum vel latissimo sensu accepta significatio impleri tantum incipiebat. Nam praeter Christi adventum et mortem simul etiam significabant Ecclesiae institutionem et Evangelii per gentes diffusionem. Unde quamdiu Evangelium latius propagatum nondum erat, ritus illi, etiam quatenus tempus futurum spectabant, non omni carebant veritate. Atque hanc rationem non obscure indicat s. *Augustinus* contra Faustum l. XXXII, c. 13.

3. *e studio honeste sepeliendi ritus.* Congruebat, ut Judaeorum ritus utpote a Deo instituti, etiam postquam, praecipua significatione jam impleta, quasi anima carere coeperant, alio loco haberentur ac ritus gentilium, qui continuo interdicebantur. Ideo de his Judaeorum sacramentis s. *Augustinus* ita scribit: „Sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose; non autem deserenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus projicienda.“ Ep. 82, ad Hier. n. 16.

477. *Nota: restrictio quoad ritus et personas.* Diximus, ritus *nonnullos* exercere licuisse. Non enim legimus, ritus omnes exercitos fuisse: nihil legimus de sacrificiis cruentis. Facile etiam intelligitur, finem illum ritibus jam abolendis deferendi quendam honorem, satis fuisse obtentum continuato nonnullorum tantum exercitio. Sacrificia cruenta quum tam aperte significarent cruentum sacrificium crucis, congruentius omittebantur oblato crucis sacrificio. Circumcisio, quum foedus cum Abrahamo initum significaret, continuari aliquamdiu poterat ad significandum foedus novum, in quod foedus antiquum transierat. Id autem aptius significabatur in illis, qui e Judaeis essent conversi quam qui e gentilibus. Unde non legimus, hos fuisse umquam circumcisos. Poterat esse ratio specialis in his abstinendi a circumcisionis usu, ne videlicet quidam existimarent, eandem esse necessariam aut ea suscepta legem totam esse servandam. Hoc indicare videtur Paulus, qui Titum „gentilem“ i. e. e patre et matre gentili natum circumcidi noluit. Gal. 2. Cf. *Suarez* de leg. IX, c. 17. 18. *Becan.* Analogia V. ac N. T. c. VI, q. 2.

Propositio 106. *Quo tempore ritus legales licite adhuc observabantur, eosdem tamen non ita observare licebat, ut ad salutem necessarii crederentur.*

478. In hac sententia concordabant Hieronymus et Augustinus, ut et tota antiquitas, quae sectas judaizantes propterea damnavit, quod legis observationem crederent necessariam. S. *Augustinus* ad Hieronymum de errore illo ita scribit: „Haeretici dum volunt et Judaei esse et Christiani, nec Judaei nec Christiani esse potuerunt. Quorum sententiam mihi cavendam, quamvis in ea numquam fuerim, tamen benevolentissime admonere dignatus es.“ Ep. 82, n. 15. Communem Ecclesiae doctrinam Concilium Florentinum hisce tradit verbis: „Non tamen negat (Ecclesia), a Christi passione usque ad promulgatum Evangelium illa (legalia V. T.) potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur“. Decr. pro Jacobitis.

Legis mosaicae observationem ad salutem esse necessariam docuerant Ebionitae, „quasi per solam in Christum fidem vitamque ex ea fide traductam, salutem consequi non valerent.“ *Euseb.* h. e. III, 27. Tota eorum vivendi ratio judaicae simillima erat, teste *Irenaeo:* „Circumciduntur, ac perseverant in his consuetudinibus, quae sunt secundum legem, et judaico charactere vitae, uti et Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei.“ Cont. haer. I, 26.

Non eousque progressi videntur *Nazaraei*, saltem postquam ab iisdem secesserunt Ebionitae: una enim videtur utrisque esse origo. *Epiph.* haer. 29 et 30. Solos Christianos e Judaeis ortos ad legem servandam adstrictos esse voluerunt. S. *Hieronymus* agens de sacrificiis antiquis aliquando

abrogandis: „Audiant, inquit, Ebionaei, qui post passionem Christi abolitam legem putant esse servandam. Audiant Ebionitarum socii, qui Judaeis tantum et de stirpe israelitici generis haec custodienda decernunt.“ In Is. 1, 12.

Duplice modo necessaria dici potest observatio legis: necessitate aut medii aut solius praecepti. Necessitate medii caeremoniae necessariae censerentur, si iisdem gratiae collatio tribueretur, ut circumcisione vel alio ritu infantibus in V. T. justificatio conferebatur, aut si sacramenta novae legis sine legalium usu gratiam non conferre existimarentur. Necessitate praecepti necessariae dicerentur, si easdem observandi necessitas e sola voluntate divina statuente repeteretur. Neutra necessitas licite asserebatur propagato Evangelio.

Si de solius praecepti necessitate agitur, haec quidem a Judaeis non minus quam a gentilibus excludenda est; inde tamen non sequitur, observationem, quae nulla necessitate injungebatur, non potuisse convenientia aliqua suaderi, ut antea ostendimus. Prop. 105.

Probatur 1. *e concilii Hieros. decreto.* Legalium usum neque gentilibus neque Judaeis esse necessarium necessitate medii, gentilibus non esse imponendum ut necessarium necessitate praecepti, Apostoli in concilio Hierosolymitano aperte docent, simul insinuantes, Judaeis jam non esse praeceptum.

Non legalium usu, sed fide prout in N. T. traditur, Judaeis et gentilibus salutem conferri docet Petrus: „Nihil discrevit (Deus) inter nos et illos, fide purificans corda eorum . . . Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi“, i. e. patres nostri, qui et ipsi non per legem in se spectatam, sed per Christi gratiam salvati sunt. Gentes ad legem servandam non adstringi, ostendit ex eo, quod Deus non tantum Cornelio, sed etiam gentilibus aliis dederit „Spiritum sanctum, sicut et nobis.“ Unde concludit: „Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?“ Act. 15, 7. 11. Ultima verba innuunt, legem esse antiquatam nec satis jam accommodatam novo rerum ordini.

2. *Apostolorum doctrina et exemplo.* Apostoli occasione data verbo et exemplo idem tradunt. Galatas, inter quos Pseudoapostoli nonnulli errorem oppositum spargebant, Paulus ita redarguit: „Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.“ Galatis persuasum fuerat, circumcisione, hinc legis observatione ad justitiam obtinendam opus esse. Unde Apostolus: „Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem justitiae expectamus.“ Gal. 5, 2—5. Sententia universalis est, nec solos Galatas e gentibus conversos, sed etiam Judaeos spectat. Hinc s. *Augustinus*: „Propterea, inquit, volebant circumcidi, quod aliter se putabant in

Christo salvos esse non posse. Hoc ergo animo, hac voluntate, ista intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei nihil omnino proderat." Ep. 82. ad Hier. n. 19.

Ritus mosaicos, etsi licitos, tamen non praeceptos fuisse exemplo docent Apostoli, dum eos modo observant modo non observant. Ita agebat Paulus, qui de se profitetur: „Factus sum Judaeis tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer . . . iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant." 1. Cor. 9, 20. 21. Eadem ratione agebat Cephas, qui modo „gentiliter", modo „judaice" vivebat; videlicet „gentiliter", quum esset inter gentiles conversos, „judaice" quum adventibus Judaeis opportunum censeret, eorum ritus sectari. Gal. 2, 14. Solius opportunitatis rationem habentes Cephas aliique satis indicant, ritus judaicos a nemine servandos esse ut praeceptos.

3. *e pugna cum religionis christianae indole.* Sententia qua legis mosaicae observatio omnibus censebatur necessaria, non poterat non esse injuriosa legi novae ejusque auctori.

Etenim si a. observatio illa e natura rei credebatur necessaria, ita videlicet ut in Christianis perfectionem crearet, quam lex nova producere non posset, lex nova infirma censebatur ejusque auctor Christus sua privabatur dignitate. Et vero Ebionitae Christum verum Deum esse negabant. *Epiph.* haer. 30, n. 18.

b. Si lex vetus necessaria dicebatur sola necessitate praecepti divini, quam primum haec necessitas extendebatur ad Christianos omnes, christianae religionis indoles universalis negabatur. Nam lex vetus natura sua illos quos obligabat, a reliquorum populorum commercio separabat et ad regionem unam restringebat, saltem si praeceptum, statutis temporibus locum a Deo electum adeundi, observabatur. Unde sicut religio judaica nonnisi particularis erat, etiam religio christiana particularis et limitibus adstricta fuisset.

c. Si legalia observandi divinum praeceptum ad solos Judaeos conversos restringebatur, ut restrinxerunt Nazaraei, imprimis asserebatur error, quum abunde constet, legem veterem cum suis ritibus esse abolitam. Praeterea in summum periculum adduceretur unitas Ecclesiae, quum insinuaretur, quod judaizantes plures aperte profitebantur, Ecclesiam proprie Judaeorum esse, non gentilium, et ad illos, non ad istos redimendos Messiam esse missum. Cf. *Suarez* de leg. IX, 14, n. 4. 5.

479. ***Scholion.*** *Statutum de sanguine et suffocato.* Quum Apostoli in concilio statuunt, ut gentiles conversi a sanguine et a suffocato abstineant, a quibus abstinere

lex mosaica praecipiebat, non ideo id statuunt, quasi lege mosaica gentiles obligentur. Quum enim non obligentur ad subeundam circumcisionem, neque ad illa obligantur, quae e circumcisione consequuntur. Apostoli sua qua praediti erant auctoritate legem illam ad tempus duraturam statuunt. Legis ratio primaria haec fuisse videtur, ut facilior fieret Judaeorum et gentilium convictus. Illi enim non tantum propter legem mosaicam, sed propter antiquam consuetudinem abhorrebant a sanguine, hinc etiam a suffocato (Gen. 9, 4). Itaque Apostoli, ut s. *Augustinus* notat, elegerunt „pro tempore rem facilem et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem duos in se condentem aliquid communiter observarent". Cont. Faust. XXXII, c. 13. Altera ratio repeti poterat ex ipsis gentilibus, apud quos in usu positum erat, sanguinem libare diis: a sanguine igitur abstinendum est ea fere de causa, propter quam abstinendum ab idololythis. Unde *Origenes:* „Ad suffocata quod attinet, cum sanguis ex eis non expressus fuerit et sanguinem ferant alimentum esse daemonum, qui partibus ex illo exhalantibus nutriuntur, illis interdicit nobis Scriptura, ut ne nos daemonum cibo nutriamur". Cont Cels. VIII, n. 30.

Intra prima saecula, quamdiu legis ratio existebat, legem observatam esse multis indiciis constat. S. *Augustini* tempore in desuetudinem abierat. Scribit enim: „Ubi ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a caeteris irridentur." Cont Faust. l, XXXII, c. 13. Poterat etiam in aliis regionibus citius, in aliis tardius aboleri, pro locorum et populorum ratione. Eadem de causa renovari poterat in conciliis particularibus, ut renovatum legimus in Gangrensi can. 2 (saec. 4), in II. Aurelianensi can. 20 (an. 533), in Wormatiensi can. 6 (an. 868).

Propositio 107. *Post divulgatum plane Evangelium legis mosaicae observatio facta est illicita; et quidem ita, ut praeceptorum judicialium tunc tantum illicita sit, si cum respectu ad legem ea praescribentem vel ad significationem a lege iisdem additam serventur; caeremonialium etiam tunc, quando solius cultus intentione servantur.*

Quod dici solet, legem mosaicam non tantum mortuam, sed etiam mortiferam sive illicitam evasisse, intelligendum imprimis est de lege mosaica formaliter spectata, prout a lege morali sive naturali distinguitur; haec enim in se abrogata non est. Praeterea alio modo loquendum est de praeceptis judicialibus, alio modo de caeremonialibus.

480. Pars I. Praeceptorum judicialium observatio illicita est, si est formalis sive si fit cum respectu ad legem mosaicam eadem commendantem et ad fines religiosos legi mosaicae proprios dirigentem: verbo, institutorum judicialium observatio est illicita, si est religiosa et quidem sensu legis mosaicae.

Probatur 1. *e cultu falso annexo.* Illicitum est cultum exercere falsum. Hunc vero exercet, qui usus rituales obit intendens fines illos religiosos, qui *lege* cum illis conjuncti erant. Quod enim proprium erat legi caeremoniali, ut videlicet praefiguraret ordinem futurum,

id aliqua etiam ratione extendebatur ad legem judicialem, licet primarius ejus finis circa civium actiones ordinandas versaretur. Nam quod valet de lege mosaica tota, quam legis novae sive Evangelii praeparationem esse diximus, id etiam de singulis ejus partibus aliqua ratione intelligendum est.

2. *ex affirmatione implicita perdurantis legis.* Illicitum pariter est affirmare, legem mosaicam adhuc existere. Id sua agendi ratione affirmat, qui opus lege judiciali praescriptum ideo exercet, quia illa lege saltem commendatur; legi enim vim ad mores suos ordinandos tribuendo legem existere affirmat.

481. Pars II. Licita est judicialium observatio quoties est materialis sive quoties actionis convenientia vel utilitas in se ipsa spectatur, aut actio ad fines religiosos, qui a legis mosaicae cultu speciali *distincti* sunt, dirigitur.

Probatur 1. *e cultus falsi et erroris exclusione.* Licita est actio caeteroquin honesta et utilis, quae nullum errorem nullumque cultum falsum per se includit. Hujusmodi sunt actiones quae lege judiciali praescribebantur: lege enim illa Hebraeorum vita socialis et civilis modo conveniente ordinabatur, et hic erat finis primarius, cui si alii fines adderentur, tantummodo secundarii et accidentales erant.

2. *ex usuum judaicorum et gentilium comparatione.* De actionibus et usibus, circa quos lex judicialis versabatur, sane non est severius judicandum, quam de multis actionibus, in se bonis, quibus ad fines superstitiosos abusi sunt gentiles; ex eo quod gentiles numina sua falsa colentes sese prosternere aut thus adolere consueverint, certe non sequitur, actionibus illis in veri Dei cultu esse abstinendum. Ergo etiam ex eo, quod lex judicialis actiones varias hominum societatem apte ordinantes praescripsit iisque ulteriorem aliquam significationem addidit, minime sequitur, Christianis ab illis actionibus abstinendum esse.

3. *e distinctione inter actionis utilitatem ejusque per Moysen usurpationem.* Usus lege judiciali praescripti tunc solum illiciti essent, si eorum per Moysem institutio aut addita significatio iisdem ita inhaereret, ut separari non posset. At non ita inhaeret; aliud enim est actio in se spectata ejusque utilitas moralis, aliud eandem per Moysem esse imperatam et assumptam ad aliquid significandum. Actionis utilitas erat naturalis et prior lege; potest igitur attendi ipsa actio non attenta lege mosaica.

482. Pars III. Praecepta caeremonialia illicite observantur, etiamsi non respiciatur ad legem mosaicam vel ad significationem iisdem

propriam; illicitus jam est ritus judaicus in se spectatus, modo tamquam religiosus sive ad Deum quomodocunque colendum exerceatur. Si non ad finem religiosum, sed ad alium finem honestum, v. g. sanitatis causa assumeretur, illicitus non esset. Intelliguntur tamen caeremoniae hujusmodi, quae legis mosaicae sint *propriae*, ut est circumcisio, et sabbati observatio, aliaeque quibus Judaei *distinguuntur;* intelligendae non sunt caeremoniae *communes*, ut thuris incensio. „Thurificatio", ut s. Thomas, observat, „principaliter non est signum futuri, sed ejus, quod semper esse debet." In II. sent. d. 37, q. 1, a. 5, sol. 3.

De illis ita concilium Florentinum: „Post promulgatum Evangelium sine interitu salutis aeternae asserit (Ecclesia) non posse servari (legalia). Omnes ergo post illud tempus circumcisionis et sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denunciat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocunque tempore, vel ante vel post baptismum, a circumcisione cessandum; quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest". Decr. pro Jacobitis. Perstringitur hoc decreto usus Eutychianorum Aethiopiae, circumcisionis ritum conservantium.

Probatur 1. *e fine praecipuo.* Illicitam esse legis caeremonialis observationem, ultro fluit ex ejusdem fine. Finis enim legis caeremonialis primus et praecipuus erat, Deo exhibere cultum et quidem temporibus illis congruum, praefigurando nimirum ordinem a Christo aliquando instituendum; unde et hic finis sive haec significatio propriam rituum caeremonialium naturam constituebat, ut vocis i. e. signi, ad arbitrium assumpti, naturam sensus eidem additus constituit. At divulgato plane Evangelio ordo praefiguratus jam advenerat; ergo cultus caeremoniis illis Deo exhibitus jam falsus evaserat, exhibens videlicet tamquam futurum quod futurum non erat. Et vero, Evangelio plane divulgato cessabant rationes illae omnes, propter quas utriusque legis ritus aliquamdiu simul existere poterant. Prop. 105. Unde sicut verbis i. e. signis sonantibus profiteri non licet fidem, qua creditur, Messiam nondum venisse, sed venturum esse, ita illam fidem profiteri non licet signis visibilibus sive caeremoniis ad id institutis.

2. *ex impossibilitate tollendi significationem falsam iis inhaerentem* Significatio perversa quae caeremoniis judaicis nunc inhaeret, corrigi tantum posset iisdem jungendo aliam significationem vel intentionem cultui christiano congruam, ut si quis easdem exerceret in memoriam Christi, qui eas usurpavit. At tali significatione vel intentione addita corrigi jam non posset. Dei enim institutione ritus illi acceperant significationem omnino determinatam, pro-

priam et essentialem, quae nunc etiam apud Judaeos perseverat; ritus autem, cujus significatio propria et essentialis a Deo ipso determinata est et hanc significationem usu retinet, voluntate humana ad aliam significationem trahi non potest. Atque ideo caeremoniis judaicis significatio perversa semper inhaeret. — Hinc etiam patet, a ritibus inter gentiles usurpatis facilius quandoque, ob rationes dispares, tolli posse significationem falsam quam a ritibus judaicis.

3. *e scandalo secuturo.* Caeremoniae legales constituunt cultum a Deo nunc reprobatum apud Judaeos perdurantem. At sola jam scandali ratio prohibet usurpare cultum reprobatum. Qui pro arbitrio aliam significationem ritibus illis adderet, aeque parum excusaretur, ac qui verba impia in usu posita pronunciaret aliam eisdem addens significationem. S. Thom. 1, 2, q. 104, a. 3.

483. ***Scholion.*** Contra doctrinam expositam potest objici, quod quaedam lege mosaica primum statuta postea inter Christianos recepta sunt et e V. T. demonstrari solent. Huc spectant a. *decimarum* solutio; b. *sabbati quies;* c. quaedam matrimonii *impedimenta* propter gradus quosdam consanguinitatis; d. mulierum *post partum* ab ecclesia abstinendi consuetudo. Haec enim si ad legem caeremonialem spectant, in scipsis illicita sunt; si ad legem judicialem, saltem fieri non possunt cum respectu ad legem mosaicam.

Resp. Generatim notandum est, quae per se caeremonialia et Judaeorum propria sunt, non servari ab Ecclesia; quae judicialia sunt, si servantur, non servari propter legem veterem, sed ab Ecclesia ad legis veteris imitationem esse instituta; quae moralia sunt, observari, quia per Christum et Apostolos commendata aut per se bona sunt.

484. a. Praeceptum de *decimis* persolvendis quadam ratione naturale sive morale est; in V. T. erat simul judiciale utpote mutuum hominum sive reliquarum tribuum ad tribum leviticam ordinans respectum. Nunc est partim positive divinum, partim ecclesiasticum. Est naturale; nam ut s. *Thomas* advertit „quod eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat. Hoc sensu praeceptum idem positive confirmatum est a Christo dicente: „Dignus est operarius mercede sua.“ Mtth. 10, 10. Cf. 1. Cor. 9. Quantum ad determinationem decimae partis, praeceptum erat judiciale ac proinde cessavit. Successit jus ecclesiasticum. „Determinatio decimae partis solvendae est auctoritate Ecclesiae tempore novae legis instituta, secundum quandam humanitatem; ut scilicet non minus populus novae legis ministris novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris legis ministris veteris Testamenti exhibebat.“ Ita s. *Thomas* 2, 2, q. 87, a. 1. Quum vero in decretis ecclesiasticis ad mosaicae legis instituta provocatur, sola analogia quaeritur, ut decreti aequitas monstretur. Ita quum Paschalis II. dicit: „Novum genus exactionis est, ut clerici a clericis decimas exigant; quum nusquam in lege Domini hoc legamus. Non enim Levitae a Levitis decimas accepisse leguntur.“ Decr. l. III. tit. 30, c. 2. Cf. *Suarez* de relig. tr. II, l. 1, c. 9—11.

485. b. *Sabbati* praeceptum partim morale, partim judiciale, partim caeremoniale erat. Qua morale exigit, „ut aliquo tempore homo contemplationi

vacet". Judiciale erat, quatenus impediebat, quominus qui praecerant, propter avaritiam subditos labore diuturno onerarent. Qua caeremoniale erat „umbra futurorum" (Col. 2, 17); juxta nonnullos praefigurabat „principaliter requiem Christi in sepulchro, et per consequens quietem quam habemus per ipsum, consepulti cum eo per baptismum in mortem", quamvis haec significatio ante Christi mortem fortasse non fuerit cognita. Simul tamen et praecipue in memoriam revocabat creationis beneficium. Haec quidem significatio in seipsa spectata etiam post Christi adventum falsitatem non involvit; attamen cum redemptionis beneficio conjuncta indirecte ingereret errorem. Quum enim aequum sit, ut beneficium primarium primario etiam loco habeatur et celebretur, si quis nunc sabbatum celebraret, innueret, redemptionem nondum habuisse locum. Si quis autem et sabbati diei et dominici celebrandi onus in se susciperet, is insinuaret, sabbati legem adhuc perdurare. *Suarez* de relig. tr. II, l. II, c. 1. Quod caeremoniale erat et Israëlitis proprium, Ecclesia sustulit, tum aliud beneficium celebrando, tum alium diem designando, tum ipsum quietis modum immutando. Nam „non oportet, quod ab omnibus in die dominica cessemus, a quibus in die sabbati cessabant; quia antiquorum cessatio ab omnibus operibus servilibus in significationem est, non autem nostra cessatio". S. Thom. III, sent. d. 37, q. 1, a. 5. Patet igitur, legem caeremonialem judaicam non revocari ab Ecclesia catholica, quae non praecipit quietem judaicam, quamquam sectae nonnullae ut ad alios usus judaicos, ita etiam ad sabbatum judaicum nimio quietis rigore revocandum propendent. Cf. *Harper*, Peace through the Truth, Part. I. (London 1874) p. 33. 486. c. Matrimonii *impedimenta* lege mosaica statuta si ejusmodi sunt, ut jure naturae matrimonium aut invalidum reddant aut illicitum, sine dubio etiam in N. T. perseverant. Si autem ejusmodi sunt, ut non jure naturae matrimonium aut invalidum reddant aut illicitum, sed legē tantum positiva, in N. T. per se non subsistunt. Lex enim positiva, cui matrimoniales causae impedimenta saltem nonnulla spectantes subdebantur, judicialis erat, utpote vitam socialem ordinans. S. *Thom.* 1, 2, q. 105, a. 4. Quum praecepta judicialia cessaverint, matrimonii impedimenta illis statuta in N. T. vim per se non habent. Attamen quia lex judicialis legem naturalem pro fundamento habebat eamque ad vitam socialem applicabat, universe dicendum est, prohibita fuisse connubia illa, quae periculi aliquid afferrent, ut erant connubia cum extraneis, aut quae aliquatenus dedecerent, nisi adessent rationes speciales, ob quas indecentia illa tolleretur. Indecentiam aliquam involvunt matrimonia inita intra nimis propinquos consanguinitatis et affinitatis gradus, et morum periculum facile oriretur, si inter personas, quae in eadem domo habitare solent, matrimonia iniri possent. S. Thom. 4. sent. d. 40, q. 1, a. 4. Hinc ergo ratio oriebatur sufficiens, matrimonia hujusmodi prohibendi, a qua prohibitione tamen eximebatur matrimonium, quod ineundum erat cum uxore fratris absque liberis defuncti. Deut. 25, 5. Ratio hujus exceptionis haec erat, ut ille, qui non habebat successores secundum carnis originem, haberet per quandam adoptionem, et ita memoria defuncti non penitus deleretur. – At probe notandum est, aliud esse de prohibendi ratione, aliud de ipsa prohibitione. Sunt quandoque rationes matrimonia quaedam prohibendi; attamen propter rationes illas solas, quamdiu non accedit legislatoris prohibitio, nec invalida sunt nec illicita. Ex eo, quod ecclesia impedimenta nonnulla in lege mosaica statuta servat,

si non sunt juris naturalis, ut plura non sunt, tantummodo sequitur, eam in illis conservandis sequi rationes easdem aut similes, ob quas in lege vetere prohibita erant, nullatenus autem sequitur, impedimenta illa ex ipsa legislatione mosaica vim habere. Haec non attenduntur a Protestantibus pluribus, qui docent, omnes consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitic. 18 enumerantur, matrimonium reddere jure naturae et divino invalidum. Cf. *Valentia* tom. IV, disp. X, q. 5, p. 3. Vide quae contra D. Pusey solide disputat *Harper,* Peace through the Truth, Part I.

487. d. De *puerperarum* consuetudine notandum est cum Suarezio, „separationem illam seu abstinentiam ab ingressu ecclesiae propter aliquam corporalem immunditiam vel indecentiam non pertinere ad caeremoniam legalem, sed ad honestam circumspectionem et moralem prudentiam. Nec caeremonia legis consistebat in sola illa separatione, sed in modo et observatione dierum et in aliis caeremoniis, quae in die ingressus et purificationis fiebant". De leg. IX, c. 14, n. 11.

Hae rationes sunt ad mentem Innocentii III., Armachano archiepiscopo respondentis: „Licet secundum legem mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum a templi cessarent ingressu: quia tamen lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Chr. facta est: Nos sanctorum Patrum vestigiis inhaerentes, taliter tibi duximus respondendum, quod postquam umbra legis evanuit, et illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem enixam acturae gratias ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur nec ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne poenam illis in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. Reg. l. I, ep. 63. Decret. l. III, tit. 47, c. un.

Caput II.

De religionis christianae post Apostolos perdurantis indole divina.

488. Ut religionis christianae per Apostolos propagatae divina indoles a priori demonstrari potest e Christi eosdem mittentis auctoritate, ita ejusdem religionis post Apostolos perdurantis indoles divina pariter demonstrari potest ex auctoritate Christi, qui dum mittit Apostolos, simul eorum etiam successores mittit suaeque potestatis participes reddit. Non utimur hic isto demonstrandi modo, qui alteri loco, disputationi videlicet de vera ecclesia, proprius est, quum supponat societatem per Christum immediate institutam. Ut antea religionem per Apostolos praedicatam divinam ostendimus argumentis in dies accedentibus, ita etiam religionem post Apostolos perdurantem, eventibus supernaturalibus in dies illustratam, divinam ostendemus.

Articulus I.

De miraculorum dono aliisque charismatibus post Apostolorum tempora perdurantibus.

489. Acatholici non pauci, praesertim Anglicani, Christi et Apostolorum miracula non negantes, post aetatem apostolicam miracula penitus cessasse affirmant, hanc allegantes causam, quod eorum finis, quem in sola religionis veritate primum attestanda collocant, tempore illo cessaverit, religione scilicet satis demonstrata et stabilita. Alii tamen, quum miracula omnia, quae a s. Patribus aliisque scriptoribus referuntur, penitus negare non audeant, tribus primis saeculis miracula perdurasse fatentur. Alii denique ad s. Augustini tempora miraculorum potestatem extendunt. Pauci etiam ulterius progrediuntur. Gibbon asserit, e primitivis miraculis solum exorcismum a Protestantibus „esse assumptum“. Ejus tamen editor recens, Rev. Milman, monendum censet, Protestantes illos nec saeculi cultioris esse nec mente sagaciore conspicuos. The history of the Decline and Fall of the Roman empire. Vol. II, ch. 15. Paris 1840, pag. 71.

Causam praecipuam, cur a Protestantibus admitti non debeat, saeculis succedentibus miracula esse facta, Middleton nobis indicat. Postquam dixit, apud Protestantes hanc praevaluisse opinionem, tribus primis saeculis perdurasse miracula, a quibusdam etiam admitti, ea continuata esse ad saeculum quartum et quintum, animadvertit, per hosce causam Protestantismi incaute prodi inimicis; nam primis saeculis, praesertim tertio, quarto et quinto, tempore foecundo miraculorum, praecipuas corruptiones papismi, cultum reliquiarum, invocationem Sanctorum, inductas esse; miracula pleraque facta esse signo crucis; unde qui miracula admittat, ab eodem etiam admittendos esse ritus, quibus patrata sint. Atque sic denique concludit, admissis post aetatem apostolicam miraculis, creari quam plurimas difficultates, quibus nemo sese extricare possit nisi admittendo, eandem potestatem et nunc existere. (Free Inquiry, Preface, Introduct. Apud Milner, End of religious controversy, letter 23).

Si qui miracula post Apostolorum aetatem facta esse admittit, Protestantismi causam prodit, profecto qui facta esse negat, timendum est ne Christianismi prodat causam, quia miracula subsequentia negando facile adigetur ad neganda miracula apostolica et evangelica. Hanc rationem contra Protestantes magnopere urget auctor anglus anonymus, revelationi omni adversans. Censet, miracula multa, quae a Patribus aliisque scriptoribus referuntur, in se ipsis simillima esse miraculis evangelicis et testimoniis gravissimis confirmata; unde qui haec neganda ducant, necessario adigi ad evangelica miracula neganda. Supernatural Religion, 6th edition. London 1875. I. ch. 5. Hoc non intellexerat Milman, qui libentissime indulget, quod Gibbon miracula post Apostolos facta aboleverit, id solum aegre ferens, quod non pepercerit miraculis evangelicis[1]). Caeterum hic non agitur de causa Protestantismi, sed de religionis christianae causa; nec de sanctorum invocatione nec de crucis signo agitur, sed de miraculis in religionis christianae gratiam patratis. Miracula usque ad ultima saecula continuata esse hoc loco non ideo ostendimus, ut Protestantismi falsitas, sed ut religionis christianae veritas demonstretur.

Recentiores illos, sive Rationalistas sive Pseudocriticos, qui Apostolorum et Jesu ipsius miracula negant, miracula post Apostolorum tempus patrata similiter negare, non est quod singillatim notetur.

Propositio 108. *Religionem christianam per totum saeculorum decursum donis supernaturalibus illustrandam esse, ex ejusdem institutione et indole constat; saeculis post aetatem apostolicam proxime succedentibus eandem miraculis aliisque charismatibus revera illustratam fuisse, monumentis historicis certum est; atque sic per totam illam epocham vera declarata est.*

490. Pars I. Non quidem asserimus, aetate subsequente miracula tam frequentia esse debere, quam Apostolorum fuerunt aetate; nec enim causae omnes, ob quas primo tempore facta sunt, tempore subsequente subsistunt. Aliquae tamen rationes, cur fiant, omni tempore locum habent.

[1]) He (Gibbon) might have annihilated the whole fabric of post-apostolic miracles, if he had left uninjured by sarcastic insinuation those of the New Testament. Preface by the editor XVII.

Probatur 1. Quod asserimus, aliqua ratione concludimus ex *legis novae ad veterem respectu.* Quidquid perfectionis fuit in lege vetere, novae legis umbra, id etiam in nova lege fore certum est. Atqui in lege vetere jam stabilita et signis plane demonstrata Deus per eventus supernaturales praesentiae suae non raro dedit indicia et ita honorem non exiguum conciliavit Synagogae; ergo Deum in Ecclesia idem facturum esse minime dubitandum est.

Duplicis generis dona supernaturalia etiam expugnata terra Chanaan occurrebant apud Hebraeos, miracula et vaticinia, et haec quidem de rebus etiam privatis. Quam opportune id Deus disposuerit, *Origenes* animadvertit scribens: „Nihil mirum, apud illorum (Hebraeorum) prophetas etiam de vulgaribus rebus esse vaticinia, ad eorum solamen, qui ejusmodi rerum desiderio tenerentur. Hujusmodi vaticinia fuerunt Samuelis de asinis perditis, et Abiae de morbo filii regis". Cont. Cels. I, n. 36.

2. Charismata aliqua inter fideles perduratura esse *Christus praedixerat.* „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt". Marc. 16, 17, 18. Magnam hanc operum mirabilium varietatem Christus alias voce una complexus fuerat dicens: „Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet". Joan. 14, 12. Majorem sane operum et virtutum varietatem in Apostolis, imo et in Corinthiis conspicimus. Promissio haec, praesertim quae ultimo loco est allata, non ad tempus ullum restringitur, sed fidei connectitur; unde quamdiu perdurabit fides, tamdiu et dona perdurabunt, non quidem in singulis omnia, ut vel Corinthiorum exemplum docet; nec semper in singulis aliqua, sed in aliquibus religiosae societatis membris pro temporis et circumstantiarum ratione dona aliqua apparebunt. Hunc sensum insinuat exemplum corporis, quo Apostolus utitur de eodem argumento scribens: „Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra". 1. Cor. 12, 26.

Verum quidem est, non raro hanc miraculorum potestatem a Christo ut meritum fidei magnae et vivae exhiberi, ut quum discipulis quaerentibus, cur non potuerint ejicere daemonem, respondet: „Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis". Mtth. 17, 19. Quod respiciens Apostolus scripsit: „Si habuero omnem fidem, sic ut montes transferam". 1. Cor. 13, 2. Attamen non semper fidei merito confertur. Nam plures qui sanctitate, hinc et fide insignes erant, quamdiu vixerunt his in terris, miracula nulla patrasse leguntur, ut s. Augustinus aliique. Quandoque etiam, quum confertur, non ob fidei meritum confertur. Nam „multi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia

ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?“ Mtth. 7, 22. Ipsis Apostolis ad tempus missis non ob meritum fidei, sed ad alios fines donum miraculorum Christus contulit, quando videlicet „convocatis discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem“. Mtth. 10, 1. Et quamvis haec dona individuis quandoque ob meritum fidei vivae conferantur, Ecclesiae tamen promittuntur ob solam fidem veram sive fidem in Christum, tum quia nulla alia conditio exprimitur, tum quia conferuntur ad honorandum Christi corpus, quod est Ecclesia, tum quia de donis istis extraordinariis Apostolus eodem modo loquitur ac de muneribus ordinariis, quae sane absolute constituta sunt in Ecclesia. 1. Cor. 12, 27. 28. Cf. *Maldon.* in Mtth. 7, 22.

3. Non desunt *rationes ex ipsa religionis christianae indole* petitae, quibus miraculorum inter fideles perdurationem divinae occonomiae congruam esse demonstretur.

491. a. Miracula inter subsidia, quibus religio christiana *propagetur*, principem locum obtinent, et historia tum evangelica tum apostolica teste Deus in subsidii usu non solius necessitatis, sed majoris utilitatis rationem habuit; licet enim Christi miracula absolute sufficerent, tamen et per Apostolos miracula et quidem plurima, imo et per Apostolorum discipulos operatus est. Divinae igitur oeconomiae non adversatur, sed congruit, si subsequentibus etiam temporibus in locis, ubi primum plantanda est religio, pro majore sua liberalitate operatur miracula, licet quae primo tempore et in aliis locis patrata sunt, absolute sufficiant. — Et vero Protestantibus illis, qui miracula omnia post tempora apostolica negant hac sola ratione, quod, religione jam demonstrata, miracula ulteriora non sint necessaria, etiam quamplurima Apostolorum et discipulorum miracula, quae in Actibus referuntur, neganda sunt, utpote non jam necessaria post Christi et prima Apostolorum miracula.

b. Exortis erroribus miracula nova ad veritatem *contra haereticos tuendam* non minus sunt idonea, quam ad eandem infidelibus primo manifestandam; quamvis enim veritas miraculis olim demonstrata non indigeat novis miraculis, facilius tamen cognoscitur et certius retinetur miraculis novis accedentibus. Unde sicut divinae sapientiae et bonitati congruit, veritatis jam demonstratae lucem novis miraculis augere, ita eidem congruit, veritatis, quam aliqui obnubilare conantur, lucem novis miraculis tueri.

c. Miraculis Christianos in fide suscepta *confirmare* saeculis subsequentibus non minus Deo dignum est quam aetate Apostolorum. Primos Christianos Apostolorum miraculis aliisque charismatibus in fide suscepta confirmatos fuisse dubium non est; unde et concludendum, Deum charismata largiendo effectum hunc intendisse. Patet id etiam ex eo, quod dona nonnulla non infideles, sed ipsos jam fideles spectabant, docente Apostolo: „Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus“. 1. Cor. 14, 22. Prophetia enim collata nonnullis Corinthiis ordinabatur ad erudiendos et instituendos illos, qui fidem jam susceperant. Sicuti igitur miracula inter fideles patrata non erant inutilia aetate apostolica, ita etiam subsequente aetate non sunt dicenda inutilia.

d. Miraculorum finis congruus etiam *Christianorum emolumentis* promovendis, malis repellendis constituitur. Non enim indignum fuit Paulo, adolescentem, qui somno oppressus e fenestra deciderat, miraculo revocare ad vitam; nam reliqui „consolati sunt non minime". Act. 20, 12. Quamquam ut aliis, ita etiam hoc miraculo confirmata est religio, proxime tamen vitae temporalis beneficium intendebatur. S. *Gregorius* Nyssenus de miraculo, quo s. Gregorius Thaumaturgus Lycum fluvium exundantem coërcuit, ita profitetur: „Propositum ac finis eorum, quae fiebant, non erat, ut ii, qui videbant, in stuporem adducerentur, verum ut accolae fluminis servarentur". Vita s. Greg. Thaum. Ed. M. III, p. 934.

e. Specialis omnino ratio erat, ut inter dona primitus collata perpetuum esset illud, quo *imperium* exercetur *in daemones*. Pugna enim contra principem tenebrarum ut finis erat incarnationis, ita et religionis christianae instituendae finis erat proprius et perpetuus, quum daemon perpetuo insidietur hominibus. Potestatis in daemones evidens cum religione nexus fortasse in causa est, cur Protestantes nonnulli, qui charismata omnia rejiciunt, exorcismos tamen retinere vellent.

f. Demum Christi dignitati summopere congruit, ut suae in Ecclesia *praesentiae*, quam promisit, quandoque *apertiora signa* exhibeat. Signa omnium manifestissima quaeque attentionem maxime movent, sunt miracula. Ad Christi autem honorem vergit non tantum ut ipsius praesentia et potestas manifestetur, sed etiam ut sanctitas, quam Ecclesiae membris impertiit, et gloria coelestis, quam nonnullis jam largitus est, nota fiat hominibus. Id evenit, quoties per Martyres aliosque sanctos a nobis honoratos et invocatos miracula operatur.

Male igitur nonnulli miracula omnia, quae post tempora Apostolorum facta esse leguntur, *a priori* rejiciunt, quia nimirum, religione christiana satis demonstrata, nullus amplius esse possit miraculorum finis. Falso enim supponunt 1. miracula non fieri nisi ad demonstrandam religionis veritatem, et 2. etiam ad hunc finem obtinendum non fieri nisi quatenus necessaria sint, quum etiam fine illo supposito fieri possint quatenus sunt utilia. Neque provocare possunt ad illud: „Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus". 1. Cor. 14, 22. Linguarum donum potissimum ad infideles convertendos pertinet, dum prophetiae donum potissimum fidelium institutionem et utilitatem spectat. Memorato linguarum dono certe non excluduntur reliqua charismata tamquam fidelibus inutilia; imo ipsum prophetiae donum, quod fidelibus potissimum utile praedicatur, est inter charismata.

492. Pars II. Quod e Christi institutione et promissione certum est, id de saeculis aetatem apostolicam proxime succedentibus gravissimorum testium auctoritate confirmatur.

Probatur 1. *a saec. I. ad III.* Miraculis plurimis religio christiana illustrata est tribus post Christum saeculis elabentibus. Distinguimus hanc epocham a subsequente, quia tantum de religione primum diffundenda nobis hoc loco agendum est.

493. Medio saeculo II. s. *Justinus* Christianorum in daemones potentiam ut Christi potentiae argumentum gentilibus proponit, dicens: „Plurimos daemoniis agitatos in toto orbe et urbe vestra multi ex nostris Christianis, cum per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurarent, ab aliis

adjuratoribus, incantatoribus et veneficis non sanatos sanaverunt, atque etiamnum sanant fractis et ejectis daemonibus homines detinentibus". Atque hoc „in omnium oculis geri" asserit. Apol. II, n. 6. His similia Justinus habet in dialogo cum Tryphone Judaeo, addens, Christum dona largiri „his, qui in ipsum credunt, prout quemque dignum judicat" (n. 87); „hic enim accipit spiritum sapientiae, ille consilii, alius fortitudinis, alius curationis, alius praecognitionis, alius doctrinae, alius timoris" (n. 39). Diserte iterumque monet, dona hujusmodi conferri juxta promissa sive prophetarum, ut Joelis (2, 28), sive ipsius Christi. n. 87.

494. Frequentia quoque fuerunt charismata saeculo II. exeunte. S. *Irenaeus* de sua aetate ita refert: „In illius (Christi) nomine, qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt miracula ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum et visiones et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt et perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia . . . per singulos dies in opitulationem gentium perficit". Adv. haer. l. II, c. 32, n. 4.

Neque existimandus est Irenaeus nimia credulitate referre tamquam miracula quae vera miracula non sint. Curam omnem et diligentiam in miraculis examinandis commendabat quorundam haereticorum studium, Catholicorum miracula imitandi. De quibus ita *Irenaeus:* „Super haec, inquit, arguentur qui sunt a Simone et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei neque in veritate neque ut benefici hominibus facientes ea, quae faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones et universa fraude, plus laedentes, quam utilitatem praestantes his, qui credunt eis, in eo quod seducant. Nec enim caecis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes daemones effugare, praeter eos, qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt; neque debiles aut claudos aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos; quemadmodum saepe evenit fieri secundum corporalem infirmitatem, vel earum, quae a foris accidunt, infirmitatum bonas valetudines restaurare. Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit et Apostoli per orationem: et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea, quae est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum), ut nequidem credant hoc in totum posse fieri: esse autem resurrectionem a mortuis, agnitionem ejus, quae ab eis dicitur, veritatis". Ib. l. II, c. 31, n. 2.

Rev. *Milman* existimat, difficile esse refellere, quae contra hoc de mortuis suscitatis testimonium objecerit Middleton, qui animadvertit, non occurrere in historia trium primorum saeculorum vel unum hujusmodi miraculum praeter illud quod e Papia retulerit Eusebius, qui et ipse illius viri narrationi non multum videatur fidere. Gibbon, history ch. 15, p. 71. Note.

At imprimis Eusebius (h. e. III, 39) mortui ad vitam revocati narrationem e Papia referens, dubium nullum prodit. Dein etsi s. Irenaei testimonium esset

solum, non exigui foret ponderis. Demum e saeculis illis, quorum plura exstant monumenta, plura hujusmodi miraculi exempla referuntur; unde pronum est concludere, plura etiam exstitisse saeculis illis, quorum monumenta pauciora ad nos pervenerunt.

Quanta eodem saeculo exeunte fuerit Christianorum potestas in daemones, *Tertullianus* testatur, ita provocans gentiles: „Edatur hic aliquis ibidem sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aeque producatur aliquis ex his, qui de Deo pati existimantur . . . nisi se daemones confessi fuerint Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius!“ Apol. c. 23. Cf. Ad Scapul. c. 2. et 4. Falsum igitur est, quod asserunt nonnulli (Gibbon ch. 16), Apologetas non provocasse nisi ad vaticinia, quae gentiles ignoraverint, impleta, non provocasse ad miracula.

495. Medio saeculo III. charismata non infrequentia fuisse pluribus locis testatur *Origenes*. Postquam de Christi et Apostolorum miraculis locutus est, ita pergit: „Quin et etiamnum apud Christianos nonnulla supersunt illius Spiritus sancti, qui columbae specie apparuit, vestigia. Nam daemonia ejiciunt, morbos curant et volente Verbo futura praevident“. Cont. Cels. I, n. 46. Religionem christianam donis hisce ornari, Synagogam illo ornatu jam carere, alibi notat. „Videre est, inquit, Judaeos, ex quo Jesus advenit, omnino derelictos, nec quidquam jam habere eorum, quae olim illis digna veneratione videbantur, nullum signum ullam eis adesse divinitatem (*μηδὲν σημεῖον τοῦ εἶναί τινα θειότητα*). Non enim amplius eis sunt prophetae, non miracula; cum contra apud Christianos etiamnum miraculorum aliquantum supersint vestigia, imo majora, quam apud illos fuerunt, aliquando fiant; et si hac in re quid ponderis habet nostrum testimonium, ipsi vidimus“. Cont. Cels. II, n. 8. Cf. I, n. 2. Inter argumenta, quibus religio christiana demonstretur vera, etiam hoc proponit: „Quidam (credentium) in iis, quos curant, significant, se per hanc fidem mirificum quidpiam accepisse; quippe nihil aliud in eos, qui curatione opus habent, invocant, quam supremum Deum Jesuque nomen, adjuncta de isto historia. His et nos vidimus multos gravibus incommodis liberatos, alienatione mentis, insania aliisque sexcentis, quae neque homines neque daemonia sanaverant“. III, n. 24.

De Christianorum in daemones imperio ita *Cyprianus:* „Hi (daemones) adjurati per Deum verum a nobis statim cedunt et fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et operatione majestatis occultae flagris caedi, igne torreri, incremento poenae propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant et quando discedant ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri; ut vel exiliant statim, vel evanescant gradatim, prout fides patientis adjuvat aut gratia curantis aspirat“. Quod idola dii non sint c. 7. Ed. Hartel. Alibi de Spiritus s. donis agens: „Inde, inquit, facultas datur, immundos et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, ut recedant urgere“ etc. Ad Donatum, c. 5. Praeterea: „O si audire eos velis et videre, quando adjurantur a nobis, torquentur spiritualibus flagris et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes voce humana et potestate divina flagella et verbera

sentientes venturum judicium confitentur: veni et cognosce vera esse quae dicimus". Ad Demetrianum c. 15.

Arnobius post enumerata miracula, quibus adversus gentiles demonstratum sit, Jesum non fuisse hominem vulgarem, concludens quaerit: „Unus fuit e nobis, cujus nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore ut dicitis nominis, sed majoris licentia potestatis?" Adv. nation. l. I, n. 46.

496. *Paley* omnia secundi et tertii saeculi miracula abolere tentat asserendo, haec miracula communiter reponi in aegrotis sanandis et daemonibus ejiciendis, quibus in rebus errori et deceptioni locus sit, nosque nihil audire de visu caecis reddito, de auditu reddito surdis, de claudis sanatis, de leprosis mundatis. A view of the evidences of christianity, Edinburgh 1823, p. 198.

Verum si miracula in aegrotis et daemoniacis patrata ipsa sua natura sunt incerta ideoque rejicienda, idem dicendum foret de miraculis quae Christus operatus est sanando aegrotos et ejiciendo daemones: Christi tamen miracula non rejicit.

Praeterea falso asserit, nos nihil audire „de visu caecis, de auditu surdis reddito, de claudis sanatis", aut de miraculis, in quibus errori et deceptioni non possit esse locus. Audivimus enim (p. 501) Irenaeum dicentem, haereticos non posse „caecis donare visum, neque surdis auditum, neque debiles aut claudos sanare"; haec autem fieri apud Catholicos, apud quos et mortui quandoque suscitentur[1]).

Propositio 109. *Miraculis post aetatem apostolicam factis demonstratur, religionem christianam non tantum origine esse divinam, sed etiam toto illo tempore, quo miraculis illustrata est, divinam et incorruptam permansisse.*

E miraculis post aetatem apostolicam perdurantibus nonnulli id tantum intulerunt, religionem christianam origine esse divinam; sed negarunt, iisdem miraculis probari, eam divinam et incorruptam permansisse. Ita necessario sentiunt Protestantes illi, qui miracula admittunt, simul autem fatentur, doctrinas, quas ipsi ut

[1]) *Gibbon* (History of the Decline etc. vol. II, ch. 15) miratur, quod s. *Theophilus* Antiochenus non admiserit Autolici amici provocationem, qui promiserit, se velle fieri Christianum, si mortuum viderit redivivum. Nimirum fingit Gibbon, ex eo quod primis saeculis miracula frequenter accidisse dicuntur, necessario sequi, quemlibet Christianum cujuslibet generis miracula patrare potuisse! Dein historiam ipsam invertit. Autolicus enim non promiserat, se velle fieri Christianum, sed se velle credere mortuum suscitatum, si viderit suscitatum. Mortuos aliquando surrecturos esse negaverat Autolicus. Ita enim Theophilus scribit: „Quod autem mortuos excitari negas, ais enim: Ostende mihi vel unum ex mortuis suscitatum, ut credam cum videro". Ad ineptam hanc provocationem s. Theophilus inter alia aptissime haec respondet: „Primum quidem quid magni praestabis, si tum credes, cum rem factam videris? Deinde vero credis Herculem, qui se ipse combussit, vivere . . . quae vero tibi a Deo dicuntur, ea non credis? Fortasse ostendam tibi mortuum ad vitam revocatum et viventem, nec tamen id credes. Ac multa quidem tibi Deus exhibet argumenta, cur ei credas". S. Theoph. ad Autol. l. I, n. 13. Cf. n. 8. Caeterum etsi Autolicus promisisset, se velle fieri Christianum conspecto miraculo quod postulabat, nihil aliud sequitur, nisi eum similem fuisse Pharisaeis signum postulantibus a Christo,

falsas rejiciunt, primis jam saeculis agnitas fuisse. Parum sibi constant, quum miraculis illis utrumque demonstretur.

497. Pars I. Miraculis, quae diximus, religionis christianae divina origo ita demonstratur, ut si de ea non jam aliunde constaret, iisdem vel solis constare posset.

Probatur 1. *e Christi promissione impleta.* Religio, cujus auctor suis sive in se credentium coetui miraculorum donum etiam in posterum promisit promissionemque suam implevit, sine dubio origine nititur divina. Christus utrumque praestitit, miraculorum enim donum promisit (Joan. 14, 12; Marc. 16, 15), et per saecula succedentia contulit. Ergo promissione impleta christianae religionis origo exhibetur divina; idque adeo verum est, ut etiam ille, qui argumenta priora non penetrasset, ex hoc solo divinam religionis originem certo cognoscere posset.

2. *e Christiani coetus provocatione speciali ad miracula.* De Christianorum coetu modo suo dicendum est, quod de persona singulari verum esse ostendimus (Prop. 42): i. e. ut homo singularis, Dei legatum se esse asserens, vera dicere censendus est, si Deus miraculis ejus verba confirmat, ita etiam Christianorum coetus a Deo esse et vera tenere ac profiteri dicendus est, si Deus miraculis eidem auctoritatem conciliat. Nam aperta doctrinae professio est quaedam praedicatio, et totus Christianorum coetus legatione divina aeque fungitur, ac pauci illi, Apostoli videlicet eorumque discipuli, qui ejus partem constituunt, hoc quidem discrimine, quod Apostoli veritatem revelatam primum attulerunt, eorum successores eandem conservarunt. Porro miraculis illis Deus toti Christianorum coetui aeque conciliavit auctoritatem in munere suo, ac legatis primis et individuis in suo. Nam operatus est miracula in gratiam illius coetus provocantis ad miracula ut ad argumenta religionis christianae divinam originem demonstrantia, et quidem singillatim illius doctrinae, quam coetus ille profitebatur. Id testantur, quae ex Irenaeo, Tertulliano, Origene, Cypriano aliisque Apologetis attulimus. Ergo miracula religionem christianam comitantia ejusdem divinam originem manifesto demonstrant.

Et vero, quum de Catholicorum coetu, quem hic prae oculis habemus, agitur, miraculis non unam alteramve tantum doctrinam, sed integrum doctrinarum complexum confirmari, patet ex Ecclesiae mira unitate, qua e sinu suo excludit quemcunque qui vel unum dogma negat. Non id apud haereticos usu venit.

3. *e miraculorum respectu speciali ad Christi potestatem.* Deus miraculis plurimis in religionis christianae gratiam factis ejusdem divinam originem immediate demonstravit. Huc referenda sunt

miracula omnia, quibus Christi, ejusdem auctoris, potestas demonstratur, itaque silentium vatibus imponi solitum Jesu nomine invocato, sacrificia impia turbata per signum crucis quod assistentium aliquis in fronte gereret, daemonum fuga, quoties per Jesu nomen juberentur discedere.

Argumento e crucis signo Apologetae frequenter utuntur. Ita *Lactantius:* „Quum, inquit, diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. . . .

Nec responsa potest consultus reddere vates.

Et haec saepe causa praecipua justitiam persequendi malis regibus fuit . . . Nec tamen ex hoc ipso caeci homines intelligere possunt, aut hanc esse veram religionem, cui ad vincendum tanta vis inest, aut illam falsam, quae subsistere aut congredi non potest. Sed ajunt, hoc deos non metu, verum odio facere. Quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat aut possit nocere!“ Instit. l. IV, c. 27.

498. Pars II. Religio christiana per totam illam epocham, qua miraculis illustrata est, vera et incorrupta demonstratur.

Probatur 1. *e praerogativa verae fidei promissa.* Vera et incorrupta est religio, quamdiu gaudet praerogativa supernaturali, quam divinus ejus auctor promisit illis, qui doctrinam ab ipso traditam tenerent. Atqui praerogativa illa supernaturali religio christiana gavisa est non tantum Apostolorum aetate, sed etiam saeculis subsequentibus. Religionem christianam intelligimus coetum illum magnum, qui se vocabat Ecclesiam, a qua qui deficerent, haeretici vocabantur. Impletum enim est illud: „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur etc.“ Marc. 16, 17.

2. *e provocatione universali.* Christianorum coetus per saeculorum decursum ut semper professus est, se e Christo esse oriundum, ita pariter professus est, totam suam fidei doctrinam esse divinam, et hoc profitens miraculis, ad quae ut veritatis testimonium provocavit, illustratus est. Ergo ut prior illa professio, etiam haec altera iisdem miraculis divinitus confirmata est. Christianos autem provocasse ad miracula ut argumentum, quo tota ipsorum doctrina vera declararetur, discimus quum ex aliis tum e s. *Irenaeo*, qui e miraculis illis argumentatur adversus haereticos (II, c. 31, n. 2). Vid. Prop. 108.

3. *ex universali commendatione.* Deus iisdem miraculis saepe immediate declaravit, doctrinam totam, quam Christianorum coetus teneret, veram esse. Plurima enim miracula patrata sunt in memoriis et per reliquias martyrum; ideoque ad commendandos ipsos martyres et fidem illam, pro qua mortem obierant. Martyres autem pro fide illa tota, quam Christianorum coetus tenebat, mortui fuerant, quum nemo ad coetum illum pertinere posset, nisi fidem

ejus totam profiteretur. Supra n. 498. Tota ergo quae primis saeculis fidei doctrina tenebatur, miraculis comprobata est. Argumento hoc s. *Ambrosius* Arianos impugnat. Ep. XXII, n. 20.

Articulus II.

De religionis christianae diffusione.

499. Latissima religionis christianae diffusio primis jam saeculis facta et deinceps continuata Apologetis multiplicem praebuit veritatis demonstrationem. Quum enim diffusio haec per prophetas et Jesum religionis auctorem esset praedicta, e vaticinio manifesto impleto imprimis jure merito inferebant religionis divinam originem. Porro quum religio haec humanis praesidiis destituta et exigua offerens emolumenta humana plurimorum animos ad se attraheret, concludebant, firmissimis argumentis niti debere religionem, quae non admitteretur, nisi quia sola deprehensa esset vera. Demum ex eo, quod religionis christianae professio tot difficultatibus obnoxia esset ejusque propagatio tot impedimentis retardaretur, concludebant, ejusdem diffusionem tam amplam brevi tempore factam signum et effectum esse illius influxus interni, quo Deus in hominum animis efficit, quod per nullam vim humanam effici potest. Atque haec divina operatio proprium est hujus oci argumentum.

Argumentum quod e mirabili christianae religionis intra tria saecula diffusione peti solet, duplice modo impugnatur. Alii ipsam diffusionem tam amplam fuisse negant, quam supponitur; alii hanc diffusionem, qualiscunque fuerit, e causis naturalibus explicari posse contendunt. Utroque impugnandi modo excelluit *Gibbon* (History of the fall etc. ch. 15), multosque habuit et etiamnum habet sequaces. Recentiores nonnulli, inter quos Ernestus *Renan* (Marc-Aurèle ch. 25), libenter fatentur, primis jam saeculis religionem christanam stupenda praeditam fuisse diffusione; hanc autem causis naturalibus deberi affirmant.

Quod diffusionem ipsam attinet, qualis fuerit, e monumentis historicis discimus; unde nos quaestionem hanc, quantum fieri potest, jure merito ad historiam ecclesiasticam rejicimus. Sufficiat provocare ad scriptores veteres, ex quibus cognosci potest, saeculo secundo exeunte non tantum intra imperium Romanum, sed etiam extra ejusdem fines late diffusam fuisse religionem. Cf. s. Justin. dial. n. 117; s. Iren. adv. haer. I, 10. 2; Tertul. adv. Jud. 7, ad Scapul. 2; Arnob. adv. nat. II, 12; Euseb. h. e. (pluribus in locis). De religionis christianae diffusione antea jam questi erant scriptores gentiles. Plin. X, ep. 97, Tacit. Annal. XV, 44, Lucian. Alexander n. 25, 38. Cf. *Wilmers,* Gesch. d. Rel. 6. Aufl. §. 108.

Propositio 110. *Amplissima et celerrima religionis diffusio locum non obtinuit nisi quam plurimis et gravissimis superatis obstaculis.*

500. Non e diffusione nude in se spectata veritatis argumentum petitur; nam et aliae religiones longe lateque diffusae fuerunt et quidem brevi tempore. Inquirendum est in principium sive vim illam, qua religio diffusa sit. Haec autem vis cognoscitur tum e difficultatibus sive obstaculis superandis, tum e subsidiis sive viis, quae ad

illa superanda praesto fuerunt. Unde de illis primum agendum est. Neque unum tantum alterumve obstaculum attendendum est; minor enim vis ad pauca quam ad multa superanda requiritur. Aliae etiam religiones unum alterumque obstaculum vicerunt; nulla autem religio tot superavit, quot religio christiana. De illis potissimum obstaculis loquimur, quae tum e religionis tum ex hominis natura sequuntur ac proinde in omni loco et in omni populo superanda erant.

Probatur 1. Impedimentum non exiguum in eo situm erat, quod religio christiana, quum apud omnes populos esset propaganda, omni paene populo erat *religio et lex peregrina.* Ut *Origenes* (*Περὶ ἀρχ.* l. IV, n. 1) bene observat, nullus inter legislatores antiquos, sive graecos sive barbaros, legem quam tulit, aliis quoque gentibus destinavit, quamvis, ut merito supponitur, plures etiam apud alios populos leges suas propagari optarint. Causa repetenda est ex eo, quod perspexerint, rem esse nimis difficilem, imo impossibilem, quum nullus populus alterius populi placitis sponte se submittat. Quod nemo alius vel tentavit, id Christus ejusque discipuli aggressi sunt, idque prospere eisdem successit, et quidem brevi tempore.

Sunt qui ex eo, quod religio christiana erat peregrina, concludunt, eam facilius potuisse recipi, quia illo tempore hominum mentes orientem spectaverint et non exiguus fuerit peregrinarum religionum amor, quum legibus ipsis fuerit cohibendus.

Verum quidem est, hominum mentes spectasse orientem. At e Taciti et Suetonii testimoniis allatis scimus, novi ordinis auctores nihilominus creditos fuisse Romanos ex oriente victores revertentes. Delectabantur etiam non pauci sacris peregrinis et quidem ex Aegypto et Syria allatis. Attamen non delectabantur ipsis ut peregrinis, sed ut curiositatem pascentibus omnesque perversas cupiditates nutrientibus. Rituum horum natura compensabat vitium, quo tamquam peregrini laborabant.

501. **2.** Propagationis obstaculum novum ex eo nascebatur, quod religio christiana ortum ducebat *e Judaeis.*

a. Origo haec ipsi ejus *inter Judaeos* propagationi, hominum sane culpa, impedimentum evaserat. Quod divinae providentiae dispositionem attinet, populus hebraeus quam maxime praeparatus erat ad religionem christianam recipiendam; sed hominum perversitate effectum erat, ut populi pars, quia exspectabat Messiam bona temporalia largiturum, Jesum Nazarenum aegerrime Messiam agnosceret. Ipsa etiam lex, etsi ad alium prorsus finem data erat, fieri poterat impedimentum et revera facta est, quum plures adhaererent umbrae prae veritate, corticem nucleo praeferrent. Laedebat etiam quam plurimos, quod in religione christiana gentiles bonorum omnium, quibus populus electus hucusque gavisus erat, fierent participes et Judaeis pares constituerentur. Hinc accidit, ut qui christianam religionem susciperent, legis proditores et transfugae a plurimis dicerentur. Judaeus apud Celsum populares suos,

qui Jesum sequuti fuerant, accusat, quod a patria lege defecerint, quod sacra judaica, quae olim coluerint, jam contemnant. *Orig.* c. Cels. l. II, n. 4.

c. Multo magis haec origo *reliquis populis* invisa erat. Religioni apud Judaeos ortae, quae omnem aliam religionem excluderet, sese submittere, pluribus idem erat ac sese submittere populo judaeo ipsi. Id quum per se durum esset, plane indignum videbatur tum quia populus judaeus nonnisi exiguus erat, tum quia a reliquis populis separatus, eorum sive contemptum sive odium incurrerat.

Celsus Christianos ita perstringit: „Comoedus, ut in theatro risum excitaret, scripsit, Mercurium ab expergefacto Jove missum ad Athenienses et Lacedaemonios fuisse; tu vero non putas te magis esse ridiculum, qui Dei Filium ad Judaeos missum esse contendis?“ Apud *Orig.* c. Cels. l. VI, n. 78. Romanis potissimum populus judaeus utpote subactus et identidem rebellans maxime invisus erat. Quid de Judaeis senserint, discimus e *Tacito* scribente. Judaeos orta per Aegyptum tabe ut „genus hominum invisum deis“ ejectos esse, apud eosdem „adversus omnes alios hostile odium“, esse „projectissimam ad libidinem gentem“; qui ad eos transgrediuntur, „non quidquam prius imbui, quam contemnere deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres vilia habere“. Hist. l. V, c. 3, 5. Secundum ipsum Christiani, Judaeis affines, „per flagitia invisi“ sunt; Christo per Pontium Pilatum occiso „repressa in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat“ Nerone imperante, „non modo per Judaeam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque“. Annal. l. XV, c. 44. Fama invaluerat, apud Hebraeos coli effigiem asini, quo videlicet monstrante in deserto fontem reperisset Moyses. *Tacit.* hist. l. V, c. 4. Inde eadem calumnia impacta est Christianis, ut *Tertullianus* refert: „Somniastis, inquit, caput asininum esse Deum nostrum“. Apol. c. 16. *Minuc. Felix,* Octav. c. 28. Alii rerum Romanarum scriptores Judaeos „impiae gentis“ appellatione designant. *Florus,* Rer. Rom. l. III, c. 6. Verum quidem est, post exilium babylonicum Judaeos allaborasse, ut religionis suae asseclas sive proselytos inter gentiles colligerent horumque non paucos ad unius Dei cultum transiisse. Attamen proselytorum numerus, si comparetur cum Judaeorum inimicis, nonnisi exiguus erat, ipsique, ut e profanis scriptoribus discimus, mox eodem quo Hebraei odio laborabant. Ex eo autem, quod Christiani non raro cum proselytis confundebantur, major etiam in illos invidia excitabatur.

c. Judaei, Jesu Nazareno repulso et interfecto, inter gentes dispersi etsi id emolumenti afferebant, quod vaticinia servarent, dum, ut s. *Augustinus* loquitur, „tamquam capsarii nostri studentibus nobis libros portant“ (in Ps. 40, n. 14), tamen alia ratione duplex excitabant obstaculum. Imprimis enim contra Jesum ejusque religionem praejudicium creabatur ex eo, quod a majore gentis parte non esset agnitus. Non enim notum erat gentilibus, idipsum per Prophetas fuisse praedictum. Et vero, Celsus Christianos incusat, quod seditioni et defectioni suam debeant originem. Apud *Orig.* c. Cels. l. III, n. 7. Deinde perpetuum Judaeorum in Chri-

stianos odium plurimas excitabat calumnias, quibus persecutiones gravissimae aut provocabantur aut nutriebantur. Pluribus in locis hujus rei mentionem facit s. *Justinus*. Cf. supra Prop. 79. n. 312. 502. **3.** *Doctrina* christiana quamvis hominem optime affectum et rationi obsequentem posset allicere, *plerosque* tamen non una de causa *repellebat.*

a. Religio auctorem suum exhibet hominem *crucifixum,* eumque docet esse *adorandum:* „Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam." 1. Cor. 1, 23. Quidquid caeteroquin commendare poterat Jesu indolem, nec ab illis Judaeis, qui Messiam exspectabant potentem et victorem, neque a gentilibus attendebatur, qui non capiebant, hominem justum morti turpissimae sese tradere et Deum mori. Celsus ita argumentabatur: „Quis deus, aut daemon, aut vir prudens, qui hujusmodi incommoda sibi obventura esse praevideat, non illa, siquidem posset, evitaret, sed in ea, quae praevidit, se praecipitem daret?" *Orig.* c. Cels. II, n. 17. Crucis supplicium adeo ignominiosum censebatur, ut civem Romanum quamvis sceleratum eodem afficere non liceret. Gentilibus notum erat, christianae religionis auctorem ab ejusdem asseclis credi Deum. Hinc *Libanius* sophista Christianos irridens dicebat, „hominem quendam ex Palaestina Deum Deique Filium ab eis fieri". Apud *Socrat.* h. e. l. III, c. 23. Facile est conjicere, quae scommata vulgus protulerit [1]). Quia autem eosdem non fugiebat, quanto honore apud Christianos crux esset, novo calumniandi genere dicebant, crucem esse Deum Christianorum. *Tertul.* Apol. c. 16. *Minuc. Fel.* Octav. c. 29.

b. Doctrinae quae credendae proponebantur, quatenus rationem excedebant, vehementer repellebant homines. Religio autem quam plurima continet *mysteria.* Etsi quaedam non exponebantur

[1]) Effigies stylo efformata in pariete palatii Caesarum hanc habet inscriptionem: *Αλεξαμενος σεβετε [ω] θεον — Alexamenus adorat Deum.* Homo prope constitutus (Alexamenus) manum sinistram elevat versus crucifixum quasi adorans. Quum mythologia sive romana sive graeca sive orientalis non norit Deum ullum crucifixum, dubium esse nequit, designari Deum Christianorum. Et vero quae Apologetae referunt, satis insinuant, e fama de asino Deo Judaeorum et de Jesu crucifixo Deo Christianorum conflatum esse monstrum, quod effigies illa exhibet. Tertullianus scribit: „Somniastis, caput asininum esse Deum nostrum". Apolog. c. 16. Caecilius gentilis apud Minucium Felicem dicit: „Audio eos (Christianos) turpissimae pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari. Octav. c. 9. Vid. *Garrucci* in periodico Civiltà cattolica an. 1856, vol. IV, p. 529. *Kraus,* Real-Encyklopädie der christl. Alterth. Art. Spottkrucifix des Palatin. M. l'Abbé *Martigny,* Antiquités chrétiennes, Nouv. édit. Paris 1877, Art. Calomnies, p. 110.

promiscue omnibus, sed iis tantum, qui ad ea percipienda jam praeparati essent; omnibus tamen antequam baptizabantur, Symbolum exponebatur, ut e Patrum orationibus ad Catechumenos habitis satis constat. Enucleatior quidem explicatio nonnullorum; quae brevius exposita fuerant Catechumenis, postea tradebatur. V. s. Cyrill. Hier. Cat. XVIII. n. 32. 33. Ipsa Symboli apostolici formula paulo ante baptismum tradebatur competentibus memoriae mandanda. Etiam gentilibus nota erant quamplurima, imo pleraque. Quum enim tantus esset numerus Christianorum, non poterant inter eos non esse apostatae; unde etsi voluissent, non potuissent celare omnia, quae offendere possent gentiles.

Celsum, qui Christianorum doctrinam vocabat „clancularian" (*κρύφιον*), *Origenes* refellit dicens, doctrinam Christianorum toti orbi magis cognitam esse quam philosophorum placita. „Quem, inquit, fugit, Jesum natum esse ex virgine et suffixum cruci, et quod jam tot homines credunt, illum e mortuis surrexisse, venturum esse judicium, quo injusti meritis suppliciis, justi meritis praemiis affici debeant? Et mysterium resurrectionis nonne in ore est etiam infidelibus, quibus deridiculo est, quia illud non intelligunt? Post haec ineptus sane fuerit, qui nostram doctrinam occultam esse diceret. Caeterum esse quaedam reconditiora nec omnibus retecta, id christianae doctrinae commune est cum philosophia, ubi quaedam exteriora, quaedam etiam interiora sunt (*λόγοι ἐξωτερικοί, ἐσωτερικοί*)". Cont. Cels. l. I, n. 7. Coram ipsis judicibus Martyres aperte profitebantur fidem trium in uno Deo personarum, ut patet e martyrio s. Polycarpi, ss. Epipodii et Alexandri, s. Vincentii Levitae, s. Eupli diaconi, s. Afrae etc. V. *Ruinart*. Acta Mart.

c. Propter *morum praecepta* religionem christianam plurimis fuisse invisam, facile intelligitur, modo attendatur hinc summa vitae puritas, quae Christianis praescribitur, illinc summa morum licentia, quae gentilibus permittebatur, imo ipso deorum cultu honestabatur. Non tantum voluptatum, sed ipsius vitae amor primis saeculis exuendus erat illis, qui religionem christianam amplectebantur.

Voluptatum abdicatio et mortis contemtus tam arcte inter se connecti videbantur, ut Tertulliano teste gentiles existimarent, a Christianis voluptates ideo tantum sperni, ut ad mortem subeundam paratiores essent. „Sunt, inquit, qui existiment, Christianos, expeditum morti genus, ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contemnant amputatis quasi retinaculis ejus, ne desiderent, quam jam supervacaneam sibi fecerint". De spectac. c. 1.

Magnam illam vitae commutationem omnibus subeundam s. *Justinus* ita exhibet: „Qui olim luxuriis gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quae possidemus, in commune conferimus et cum indigentibus quibuscunque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus et cum iis qui contribules nostri non essent, communem focum

ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus". Apol. I, 14. Cf. *Orig.* c. Cels. III, n. 29, 30.

Perfectio haec adeo sublimis quam stulta existimaretur plerisque, e *Luciano* discere possumus, qui paulo post medium saeculum II., agens de Peregrino Philosopho, quem aliquamdiu inter Christianos fuisse tradit, de his ita scribit: „Persuaserunt sibi miseri *(πεπείκασι αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες)*, in universum se immortales futuros et perpetuo victuros esse; unde etiam contemnunt mortem, et sponte seipsos occidendos praebent. Deinde vero primus illis legislator persuasit, omnes invicem fratres, postquam semel transgressi graecos deos abnegaverint, illum autem suum cruci affixum sophistam adorent atque ex ipsius legibus vivant. Quare omnia aeque contemnunt et arbitrantur communia. Si quis ergo ad eos veniat impostor et callidus homo, brevi tempore dives factus homines imperitos deridet". De morte Peregrini, n. 13. ed. Schmidius.

503. **4.** Religioni christianae propagandae plurimum oberant *haeretici*, de quibus illud Apostoli: „Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis". 1. Joan. 2, 19. Divisi inter se esse Christiani videbantur ac propterea minus fide digni.

Ut *Clemens* Alex. refert (Strom. l. VII, M. 2, p. 541), argumentum hoc adversus Christianos urgebant et Judaei et gentiles; quibus merito quidem respondet ille, et apud Judaeos et inter philosophos gentiles fuisse haereses et sectas, nec tamen illos conclusisse, non esse sequendam legem mosaicam, neque istos, non esse philosophandum. Etiam Celsus ex hac Christianorum inter se dissensione argumenta petere non negligit. *Orig.* c. Cels. V, n. 59—65. Sine magna quidem difficultate ut Clemens, ita et *Origenes* eadem infringit dicens, qui Jesum Christum non fateantur Dei Filium, Christianorum nomine appellari non posse; male etiam sibi hoc nomen tribuere illos, qui Christi doctrinam non intelligebant sensu illo, quo intelligitur ab illa societate, quam ipse Celsus vocat „Ecclesiam magnam" (n. 59) vel quam ob multitudinem vocat „vulgus" (n. 61), et quam Origenes absolute vocat „Ecclesiam" *(οἱ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας* n. 61). Attamen quod etiam in aliis rebus, id potissimum in religionis negotio accidit, ut videlicet quae objiciuntur, facilius intelligantur et promiore recipiantur animo, quam quibus illa enervantur. Christianae religioni propagandae maxima obstacula opponebant Gnostici, vitiis infames. De his s. *Epiphanius:* „Hoc, inquit, hominum genus ad Ecclesiae Dei probrum et offendiculum adornasse ac submisisse Satanas videtur; quippe qui Christianorum sibi nomen indiderint, ut propter illos offensae nationes a sanctae Dei Ecclesiae utilitate abhorreant, nunciatamque veritatem ob immania illorum facinora et incredibilem nequitiam repudient". Adv. haer. l. I, haer. 27.

504. **5.** Religioni christianae non poterant non excitari obstacula gravissima, et quidem interna sive ex ipsis *suis asseclis*, ob proprietates quas sibi tribuit *universalitatis* et *unitatis*.

a. Etenim quum non sit nationalis, sed universalis, Judaeos et Graecos, populos cultos et nationes barbaras complectitur; unde Graecus cum Judaeo, Judaeus cum Graeco, barbarus cum Graeco

et Graecus cum barbaro societatem init. Id autem durum erat tum Judaeis tum Graecis, qui se mutuo aeque ac barbaros odio habebant. Celsus quidem sentiebat, penitus fieri non posse, „ut omnes Asiae, Europae, Libyae habitatores, Graeci et barbari, usque ad extremos terrae fines, in unam legem consentiant". Respondet *Origenes*, fieri id posse Christi virtute, omnibus vitiis potentiore. Orig. c. Cels. l. VIII. n. 72.

b. Religio christiana utpote una, omnibus easdem tradit doctrinas et praecepta, omnes eisdem submittit legibus eidemque auctoritati. Unde fit, ut homines vulgares et idiotae pares fiant hominibus doctis, pauperes non postponantur divitibus. Id autem quam maxime laedebat illos, qui existimabant, aliam religionem competere philosophis et hominibus cultis, aliam vulgo et indoctis. Constat, illo potissimum tempore, quo religio christiana propagari coepit, quam plurimos fuisse, qui idolorum cultum, quem vulgus exercebat, irriderent, dum ipsi aut athei essent aut sceptici aut, quum plurimum, divinitatem aliquam agnoscerent, quae res humanas non curaret. Quantopere pauperum et divitum in eandem societatem cooptatio displiceret plurimis, non raro prodit Celsus. 505. **6.** Ob alias proprietates, quas sibi vindicat, necessario odium incurrebat *exterorum*. Etenim quum se profiteatur solam veram et ab omnibus suscipiendam, rejicit necessario et falsitatis arguit omnem aliam religionem et cultum, non tantum barbarorum, sed etiam Graecorum et Romanorum, atque etiam Judaeorum. Poterant Romani aliique populi polytheismo addicti tolerare omnem aliam religionem, quae polytheismo tamquam communi principio admisso, suos haberet deos nationales; poterant tolerare Judaeos monotheismum licet profitentes, quamdiu suum cultum ad alios extendere non studebant; non poterant consentire religioni christianae, quae se et solam veram et in omnes populos propagandam profitebatur. Et vero non poterat non fieri, quin omnium in se odium converteret, potissimum tamen eorum, qui cultui falso praeessent aut ad eum conferrent, sacerdotum, magorum, artificum. „Prope jam desolata templa, sacra solemnia diu intermissa, rarissimus victimarum emtor." Haec quae teste *Plinio* (l. 10, ep. 96) Bithyniam commoverant, non poterant non commovere omnem aliam provinciam. Quin etiam imperatores, qui summorum Pontificum nomen et munus gerebant, dignitate sua privari videbantur. Excitabatur suspicio hominum, qui rebus publicis praecerant; nam religio omnis, Romanorum imprimis, rebus publicis adaptata erat eisque subserviebat. Jurisconsulti eximium suum justitiae amorem

nulla re melius se probare posse existimabant quam studiose colligendo leges tum veteres tum recentiores, quibus religio christiana adversaretur. Teste *Lactantio* „Domitius *de officio proconsulis* libro septimo rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores Dei profiterentur". De vera Relig. l. V, c. 11. Qui muneribus fungebantur, ipso munere injustitiam suam tuebantur. De his *Lactantius:* „Accepta potestate pro suis moribus quisque saeviit. Alii prae nimia timiditate plus ausi sunt, quam jubebantur; alii suo proprio adversus justos odio; quidam naturali mentis feritate; nonnulli, ut placerent et hoc officio viam sibi ad altiora munirent." Ib. Excitabatur odium omnium illorum, qui quum sacrificiis publicis deos placari et calamitates averti crederent, Christianos ab illis sacrificiis abstinere cernebant.

506. Quod e rei natura demonstravimus fieri debuisse. id *Origenes* revera factum esse suo jam tempore dicere poterat. Celso, qui Christianorum periculum contulerat cum illo, quod propter philosophiam subierat Socrates, respondet: „Athenienses contestim poenituisse sui in Socratem facinoris, suumque odium omnino posuisse; sed ad Christianos quod attinet, senatum Romanum, imperatores diversis temporibus, milites, populos, ipsos eorum qui credebant parentes, in eorum doctrinam conspirasse; ut tot undique hostium insidiis circumvallata haud dubie suppressa fuisset, nisi divina virtute sustentata non modo evasisset atque emersisset, sed etiam orbem universum vicisset vel in se conjuratum". Cont. Cels. I, 3.

Nullius rei frequentius accusati sunt Christiani quam calamitatum publicarum, quarum ipsi essent causa.

Teste *Tertulliano* plerique existimabant, „omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in maenia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: „Christianos ad leones". Apol. c. 40. Hujus calumniae mentionem etiam facit *Origenes* (c. Cels. III, 15). Late de ea agit *Arnobius* (adv. nation. l. I). Urbis per Gothos eversionem, s. *Augustino* teste, „deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine paganos vocamus, in christianam religionem referre conantes, solito acerbius et amarius Deum verum blasphemare coeperunt". Retr. l. II, c. 43. Calumniam s. doctor refellit primis libris de civitate Dei.

Caeterum non vulgus tantum, sed ipsi etiam philosophi e cultu deorum jam omisso calamitatum publicarum originem repetebant. Peste per imperium grassante *Porphyrius* scribebat: „Et nunc mirum ulli videatur, civitatem hoc morbo tot jam annos conflictari, cum Aesculapius caeterique dii hominum se consuetudini consortioque subtraxerint! Ex quo enim Jesus coli coeptus est, communem ac publicam deorum opem nemo sensit". Apud Euseb. praep. evang. l. V, c. 1.

507. Crimen hoc etiam collapso jam paganismo saepissime intentatum est a viris, qui rebus publicis praeerant. Pace jam data Christianis, et irritis etiam Juliani conatibus, *Symmachus* Romae praefectus senatus nomine supplicabat Valentiniano

imperatori christiano, ut veteribus religionibus sua redderet privilegia, ut ara Victoriae repararetur, ad quam nimirum etiam christiani senatores jurarent, ut vestales virgines publico aerario alerentur etc. Horum autem privilegiorum hanc afferebat causam: „Repetimus religionum statum, qui reipublicae diu profuit". E negatis privilegiis mala omnia repetit dicens: „Nemo me putet solam causam religionum tueri: ex ejusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honoraverat lex parentum vestales virgines ac ministros deorum victu modico justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacrae castitatis alimenta verterunt. Secuta est hoc factum fames publica et spem provinciarum omnium messis aegra decepit. Non sunt haec vitia terrarum. Nihil imputamus astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges negavit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur". Inter s. *Ambros.* epp. Relatio Sym. n. 3. 14. Egregie s. Ambrosius ostendit, quam injuste petant gentiles, ut imperator christianus Christianorum expensis aras constituat, ad quas christiani senatores jusjurandum praestent; ut publice agnoscat imperator, deorum auxilio salutem reipublicae deberi; ut aere publico alat idolorum sacerdotes, dum religionis christianae sacerdotibus etiam „privatae successionis emolumenta legibus negentur"; ut aere publico virginitatis praemium statuatur sex vestalibus puellis — non plures enim „privilegia maxima, lucra ingentia, praescripta denique pudicitiae tempora coëgerunt" — dum virgines christianae praemium nec recipiunt nec postulant. S. *Ambros.* ep. 26. et 27. Ed. M. 3, p. 999, 1001.

Zosimus, scriptor gentilis qui sub Theodosio juniore florebat et Christianis summe iniquum se exhibet, postquam late exposuit ritus et superstitiones ex oraculorum mandato ludis saecularibus annexas, qui ludi post Diocletianum intermissi sint, ita prosequitur: „Cum igitur recte, sicut oraculum tradit et ipsa res exigit, haec omnia suo modo ac ritu peragerentur, salvum erat Romanorum imperium, et universum, prope dixerim, orbem nostrum perpetuo sibi subjectum habebant. Iisdem vero ludis neglectis, cum imperio sese Diocletianus abdicasset, paulatim quasi deliquit taciteque redactum est ad barbariem majori ex parte, sicut res ipsae testantur". Hist. l. II, c. 6 (ed. Bekker).

Si post tria et amplius saecula multi praesertim illorum, qui res publicas curabant, tam diro adhuc odio flagrabant in religionem christianam, nemo ulla veritatis specie affirmabit, eam communi studio exceptam fuisse.

Propositio III. *Praesidia et rationes mere naturales, quae finguntur, non sufficiebant ad tot et tanta obstacula superanda.*

508. Praesidiorum naturalium nomine designamus industrias naturales, sive subsidia naturalia, quibus religionis christianae propagatores ad homines alliciendos uti potuerint aut usi fuisse a nonnullis supponuntur. Rationum nomine significatur omne illud, quo ad religionem suscipiendam moveri homo quomodocunque possit. Ratio igitur naturalis est omnis ratio inducens, quae a veritate supernaturali perspecta et Dei supernaturali in hominem influxu distincta est. Praesidia illa et rationes causarum naturalium nomine complecti possumus. Quum de religionis propagatione celerrima agatur sive de religione christiana brevi tempore suscepta a plurimis et quidem omnis conditionis hominibus, ad sententiam nostram refellendam nullatenus sufficeret ostendisse, per causas naturales explicari posse nonnullorum ad religionem christianam accessum. Ostendendum foret, illam plurimorum conversionem e causis naturalibus explicari. Tentarunt id tempore recentiore quam plurimi praeeunte potissimum Eduardo *Gibbon*, cujus „quinque propagationis causae" alio alioque modo amplificatae et nonnihil immutatae apud plerosque recurrunt. (History etc. vol. II, ch. 15).

Unde inferunt, religionis christianae diffusionem non tantum non esse eventum mirabilem et supernaturalem, sed mirandum potius esse, quod diffusio haec non fuerit celerior. *Renan,* Les Apôtres p. 366; Marc-Aurèle p. 585. Ferdin. Christ. *Baur,* Das Christenthum u. die Kirche der drei ersten christl. Jahrh. p. 449.

Causae omnes quae fingi possunt, sitae sunt aut 1. in religionis propagatoribus, aut 2. in hominum eandem suscipientium natura et conditione, aut 3. in doctrinis a religione traditis, aut denique 4. in societatis religiosae forma. Nec ulla harum causarum nec omnes simul quatenus mere naturales sunt sive causas supernaturales excludunt, ad effectum illum explicandum sufficiunt. Universe praenotare juvat, adversarios plerumque causam cum conditione confundere. Causa ipsum effectum producit; conditio non producit effectum, sed locum praebet causae, ut haec agere possit. Radius solaris est causa, quae cubiculum illuminat; foramen per quod incidit, conditio est, ut radius solaris cubiculum penetrare et illuminare possit.

509. Pars I. Religionis diffusio tam ampla non debetur eorum, qui eam praedicarunt, auctoritati naturali per potentiam vel scientiam vel eloquentiam partae.

Probatur. Quales fuerint Apostoli, ex Evangeliis et Actibus novimus. Etsi inter eorum discipulos et successores fuerunt nonnulli, qui scientiae laude florerent, ut Justinus et Origenes, hi non floruerunt, nisi quamplurimis jam conversis per Apostolos eorumque discipulos simplices; neque horum paucorum scientia fuit tanta, ut hominum admirationem moveret; nec legimus, per hos praecipue conversas fuisse gentes. Imo qui populos converterunt, sequendum ducebant exemplum Apostolorum, qui praesidiis naturalibus de industria uti noluerunt.

De Apostolis eorumque sociis et successoribus valet illud: „Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei". 1. Cor. 2, 4. 5. Hanc loquendi imperitiam primi Apologetae non raro efferunt, ut ethnicos convincant, religionis divulgationem Deum ipsum habere auctorem. Ita s. *Justinus:* „Hierosolymis viri numero duodecim in mundum profecti sunt, iique imperiti nec dicendi facultate praediti; sed Dei virtute communiti denunciarunt omni hominum generi missos se esse a Christo, ut omnes verbum Dei docerent. Et qui olim caedibus mutuis grassabamur, non modo cum inimicis bellum non gerimus, sed etiam ne mentiamur, aut eos qui interrogant decipiamus, libenter Christum confitendo morimur". Apol. I, n. 39. *Origenes* existimat, Jesum ideo elegisse Apostolos simplices, tum ut nulla oriri posset suspicio, doctrinam illorum pro libitu esse confictam, tum ut constaret, divina potestate, non eloquentia humana propagatum esse Evangelium. Cont. Cels. l. III, n. 39.

510. *Objic.* A primis Apologetis magnopere dissentit Ernestus *Renan* existimans, Apostolorum aliorumque Evangelii praeconum res tenues et imperitiam nequaquam fuisse naturale religionis propagandae obstaculum. Concedit quidem, nostris temporibus fieri non posse, ut ab hominibus plebejis propagetur doctrina et institutio, quae sensim omnes ordines et classes pervadat: sed negat, saeculo I varias hominum classes

aeque fuisse disctinctas; unde concludit, male supponi, Apostolis altiorem quandam virtutem adfuisse. Les Apôtres ch. XIX.

Respond. Nihilominus verum est, etiam primis saeculis tenuem Apostolorum et Christianorum conditionem Evangelio disseminando obstitisse. Conditionem tenuem contemptui fuisse, patet ex infidelium accusationibus, quas Apologetae refellunt. Ita *Origenes:* „Falsum est, inquit, ‚fatuos, ignobiles, stupidos, mancipia, mulierculas, puerulos', hos omnes solos esse, quos divinae doctrinae praecones sibi comparare velint". Cont. Cels. l. III, n. 49. Christianos ‚de ultima plebe' esse, Caecilius deorum cultor asserit. *Minuc. Fel.* Octav. n. 31. Patres, qui suorum temporum mores certe longe melius norant quam nos, existimant, tenuem Apostolorum conditionem tam magnum fuisse obstaculum, ut nonnisi supernaturali auxilio vinci potuerit. Ita censet *Origenes:* „Si de prima Christianorum constitutione verisimilis habendus est sermo, dicemus, probabile non esse, Apostolos, plebejos et sine litteris viros, ad religionem christianam hominibus annunciandam alia re confisos esse quam collata sibi potestate et gratia, quae eorum praedicationis comes erat, ut annunciata ab ipsis doctrina reciperetur". Cont. Cels. l. VIII, n. 47. Multis etiam argumentum hoc evolvit *Eusebius,* Graecorum et Romanorum mores pristinos et recentiores plene edoctus. „Dum, inquit, ad ipsius Verbi potentiam respicio, ut innumerabilibus hominum conventibus persuaserit, atque ut ab ipsis illis ignobilissimis et agrestibus Jesu discipulis numerosissimae ecclesiae constitutae sint, non in quibusdam ignotis atque obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus erectae, in ipsa inquam aliarum urbium regina, Romana urbe . . . retro cogor necessitate quadam ad ipsius rei causam inquirendam recurrere, faterique, non aliter ipsos facinus tam audax obtinuisse, quam diviniori quadam longeque humanam superante potentia". Dem. evang. l. III, c. 7. 511. *Objic. Gibbon* primam amplissimae diffusionis causam repetit e Christianorum „zelo inflexibili et intolerante" religionem propagandi, qui zelus derivatus quidem sit e Judaismo, attamen immunis fuerit ab illis, quae inopportunum Judaeorum proselytismum fructu privarent.

Respond. Verum est, Christianos ardore magno religionem propagasse. Sed falsum est, eundem derivatum fuisse e Judaismo; derivabatur enim e Christi praecepto, Apostolorum exemplo et ipsa religionis christianae indole. Verum pariter est, zelum illum fuisse „intolerantem" hoc sensu, quod Christiani existimarent, omnem aliam religionem esse falsam. Sed perperam asseritur, hunc propagandi ardorem nude spectatum causam esse illius amplissimae diffusionis. Nam in se solo spectatus non sufficiebat ad vincenda obstacula, quae indicavimus. Praedicatio in se sola spectata erat tantum conditio, cui adjungi debebant alia, quae ut causae obstacula illa vincerent. Gibbon fatetur, religionem judaicam quaedam continuisse, quae ejusdem propagationi obsisterent et Judaeorum proselytismum minus fructuosum redderent. Verum etiam in religione christiana continebantur multa, quae ejusdem propagationi obsisterent: unde concludendum est, etiam Christianorum zelum fructu carere debuisse, nisi accederent illa, quibus carebat Judaeorum zelus.

At praeterquam quod causa allegata effectum, de quo agitur, non explicat, zelus ille tam communis et constans ratione naturali explicari non potest. Unde enim est, quod tot homines, nullo lucro temporali, imo saepissime ultimo supplicio proposito, tantum ardorem conceperint? Sed audiendus est *Origenes,* illorum temporum scriptor, qui Celsum ita redarguit: „Quoniam vero manifeste mentitur (Celsus), age verba ejus in medium adducamus: ‚Si vellent, inquit, omnes homines fieri Christiani, hoc isti jam recusarent'. Hoc verum non esse inde liquet, quod Christiani, quantum in se est, curent ut quocunque terrarum sua doctrina dispergatur. Quo fit, ut quidam id sibi negotium desumpserint, ut non solum urbes, sed etiam vicos

et villas obambularent, quo alios ad pium Dei cultum adducerent. Neque quisquam dixerit, id eos lucri causa facere, quando interdum nec necessaria ad victum sumunt. Quae si interdum inopia coguntur accipere, id illis satis est quantum est opus, tametsi plurimi plura largiri velint. At nunc fortasse, cum in multitudine doctrinam hanc amplectentium divites quidam, quidam in dignitatibus constituti, delicatae etiam nobilesque feminae sint, quae eos, qui ab ista doctrina stant, excipiunt, audebit quisquam dicere, quosdam gloriae desiderio Christianorum doctrinam praedicare. Sed initio Christianismi, quando doctoribus maxime periculum impendebat, haec suspicio non poterat habere locum. Et hodie major eorum apud exteros ignominia, quam apud suos gloria est, quae nec ipsa conceditur omnibus". Cont. Cels. III, n. 9. Neque opponi potest Judaeorum legem suam propagandi ardor. Non enim tot periculis obnoxii erant quot obnoxios fuisse novimus Christianos, neque, si quando erant obnoxii, pericula constantia tanta contempserunt, quanta contempsisse novimus Christianos, neque a lucri studio immunis erat illorum zelus. Unde contemptui apud ipsos Judaeos erant proselyti. Talmudicorum sunt effata: „Proselyti impediunt adventum Messiae; Proselyti sunt sicut scabies Israeli". Apud *Lightfoot,* Horae hebr. in Mtth. 23, 15. Cf. Flav. Jos. Ant. XVIII, 3, 5. Denique pauci tantum fuerunt, qui circumcisione suscepta legi mosaicae se submitterent sive qui proselyti sensu proprio essent, licet plures fuerint, qui Deum unum colere inceperint.

512. Pars II. Causa celerrimae diffusionis reponenda non est in singulari animorum dispositione saeculo I. et II. propria, sive in magno rerum mirabilium studio et amore, juncto quodam universali credendi pruritu.

Gibbon, probe sentiens, Christianorum zelum solum non sufficere ad explicandum religionis progressum, aliam annectit causam, miraculorum videlicet donum Ecclesiae primitivae attributum, cui par hominum credulitas sive superstitio responderit. Hanc saeculi primi et secundi credulitatem, superstitionem, hoc rerum mirabilium studium magnopere amplificat Ernestus *Renan*, ut magistri sui exemplo celerem religionis christianae diffusionem explicet. Marc-Aurèle et la fin du monde antique, ch. XXXI.

Probatur 1. Superstitio et rerum supernaturalium studium *nullatenus* fuit *tam commune* quam fingitur. Ut tum e gentilibus tum e christianis scriptoribus abunde constat, erant quam plurimi qui aut omnem religionem vilipenderent, aut paucissima tantum e rebus ad religionem spectantibus admitterent. Erant athei, erant sceptici tum theoretici tum practici.

2. Non omnes, qui rerum mirabilium amore ducebantur, si hic amor religionis alicujus amplectendae causa fuisse fingitur, religionem christianam adoptasse supponendi sunt. *Aliae erant religiones,* praesertim ex Aegypto, Syria et e Persis allatae, quae hominibus rerum illarum curiosis longe magis placere possent quam religio christiana. Curiositatem pascebant mysteria sive vetera, ut Eleusina, sive recentiora, ut Isidis et Mithrae, potissimum astrologiae, eventuum futurorum praedictionem promittens,

et magia ad commoda quaecunque procuranda et ad damna aliis inferenda adhiberi solita.

De astrologis ita *Tacitus:* „Genus, inquit, hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vitabitur semper et retinebitur". Hist. I. 22. Magi in Germanici morte partes egisse credebantur. „Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo et parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari". Annal II, 69. Imperatores non pauci mire dediti erant astrologiae et artibus magicis. Inter quos eminuit Heliogabalus, qui, *Lampridio* narrante, „caedit et humanas hostias lectis ad hoc pueris nobilibus et decoris per omnem Italiam . . . Omne denique magorum genus aderat illi operaturque quotidie, hortante illo et gratias diis agente, quod amicos eorum invenisset, quum inspicet exta puerilia et excuteret hostias ad ritum gentilem suum". Hist. August. Antonin. Heliog. c. 8. Cf. *Firmicus Maternus,* De errore prof. relig. ad Constantium et Constantem augg. *Bekker-Marquardt.* Handb. der Röm. Alterth. IV. B. pag. 81 seqq. *Preller,* Röm. Mythol. II. B. pag. 854 seqq.

3. Superstitio et artium magicarum studium religioni christianae diffundendae potius *oberat* quam proderat. Religiones enim quae artibus magicis aut quocunque superstitionis modo auctoritatem aliquam sibi conciliare studebant, suos asseclas a vera religione avertebant, alios autem pronos reddebant ut crederent, religiones omnes eodem habendas esse loco. Et vero animadvertimus, etiam illas sectas philosophicas, quae alioquin a rebus mirabilibus abhorrebant, artes magicas commendasse, ut christianae religioni sua adimerent praesidia, unde et Epicuraei, quo facilius eam oppugnarent, quandoque in Platonicorum castra migrarunt. *Celsus,* qui Epicuraeus fuisse philosophus creditur, Judaeorum prophetis oracula Graecorum opponere non veretur. Apud *Orig.* c. Cels. l. VII, n. 3. l. VIII, n. 45 seq.

Obstaculum singulare creabat Mithrae cultus, quum in rebus nonnullis quaedam religionis christianae esset imitatio, et quidem, ut *Justinus* (Apol. I, n. 66) censet, invecta a daemonibus. Aut enim quidquid insanum moribusque adversum continebat, facile aspergebatur Christianis, aut, si illud honestate aliqua externa celare contingebat, mysteriis suis alliciebat incautos et a religione christiana amplectenda prohibebat.

4. Etsi ad alias religiones admittendas superstitio illa et rerum mirabilium amor fortasse sufficiebat, procul dubio non sufficiebat ad amplectendam religionem christianam. Haec enim imprimis morum emendationem exigit, quam non exigebant mysteria gentilium. Praeterea non promittit passim omnibus rerum mirabilium participationem aut eventuum futurorum et rerum arcanarum cognitionem. Denique quae in religione christiana eveniunt miracula, non inserviunt ad commoda terrena pro libitu obtinenda, multoque minus ad damna aliis inferenda.

Discrimen quod inter miracula christiana et gentilium artes arcanas intercedebat, manifestum imprimis est ex illis, quae Lucianus narrat de Alexandro quodam, qui singulis pro libitu arcana aperiebat. „Jam vero in peregrinas etiam regiones quosdam emiserat, qui famam apud gentes excitarent de oraculo, ac narrarent, ut praedicat, et inveniat fugitivos, ac fures et latrones convincat, et effodiendos thesauros praebeat, sanetque aegrotos, ut aliquos jam mortuos resuscitaverit. Concursus igitur et urgentium se undique turba orta est". Lucianus tam sobrios et prudentes deprehenderat Christianos, ut eos philosophis, et „atheis" pares faciat. Alexander sive Pseudomantis, n. 23—25.

5. Denique superstitio illa ubi vigebat, facillime in christianae religionis odium plebem excitabat et novum eidem creabat periculum; unde ejusdem propagationi oberat potius quam proderat.

Inter sexcenta hujus rei exempla illud est, quod *Dionysius* Alexandrinus ante Decii persecutionem evenisse ita narrat: „Non ex imperatoris edicto persecutio coepta est, quippe quae integro anno anteverterat. Etenim infaustus quidam vates et poëta, quisquis ille fuit, commoverat jam ante atque incitaverat adversus nos gentilium turbas, ad innatam genti superstitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine stimulati omnemque ad patranda scelera licentiam nacti, hanc solam pietatem cultumque daemonum suorum existimabant, si caedibus adversus nos saevirent". Apud *Euseb.* h. e. l. VI, c. 41.

513. *Obj.* 1. Ernestus *Renan* illum, quem fingit, universalem credendi pruritum adeo exaggerat, ut asserat, difficilius esse impedire hominem, quominus credat, quam efficere, ut credat[1]).

Resp. Certe non est adeo facile, decalogi ut a Deo propositi jugo se submittere aut ad mortem usque fidem profiteri; ad utrumque religio christiana suos obligat asseclas, quamvis Renan inepte asserat (Marc-Aurèle p. 584), Christianis nihil injunctum fuisse nisi „fidem in Jesum"!

Obj. 2. Asserit porro, tempore illo non fuisse notas objectiones illas contra miraculorum possibilitatem, quae nunc ab hominibus cultioribus excitari soleant.

Resp. Notae erant; erant enim athei, sceptici, Deismi asseclae. Athei omnes quum Deum negent, necessario etiam negant fieri a Deo posse quod vires naturae excedat. Sceptici necessario negant, cognosci posse miracula. Deismi asseclae quum negent providentiam, negant eo magis supernaturalem Dei in res humanas actionem. Late haec prosequitur ethnicus ille Caecilius apud *Minuc. Fel.* Octav. c. 5. Pariter notae erant objectiones, quae e magorum praestigiis contra vera Christi et Apostolorum miracula peti possunt. Admittenda esse vera miracula eaque discerni posse a magorum praestigiis. *Origenes* demonstrat contra Celsum l. II, n. 51.

[1]) Marc-Aurèle ch. XXXI. „En général, il est plus difficile d'empêcher l'homme de croire, que de le faire croire". p. 582. Haec tamen non conveniunt cum illis quae antea scripserat agens de prima Apostolorum praedicatione: „Les religions, en effet, sont affaire de foi. Croire est chose vulgaire; le chef-d'oeuvre est de savoir inspirer la foi". Les Apôtres ch. XIX. p. 368. Quomodo tam eximium tamque arduum est fidem inspirare, si tam difficile est hominem impedire, quominus credat? At haec una est e sexcentis contradictionibus, quae apud Ernestum Renan passim occurrunt.

Obj. 3. Demum rationem redditurus, cur religionem christianam prae caeteris amplexi sint plerique, asserit, illam rationi pauciora sacrificia injunxisse quam istas; ac proinde magis congruum fuisse rationi, illam amplecti prae istis.

Resp. Quum auctor sacrificiis rationi injunctis designet absurda quae credenda proponuntur, verum est, religione gentilium imponi absurda quam plurima, sed falsum, christiana religione absurdi quidquam credendum injungi. Inde quidem sequitur, rationi congruere, dimissa omni superstitione religionem eligere christianam. Sed quum quod rationi magis est congruum, non semper sit facilius, non sequitur, facilius etiam fuisse, amplecti religionem christianam falsis dimissis. Sine dubio decalogi mandata observare magis congruit rationi quam eadem transgredi; illud tamen difficilius est quam istud.[1])

514. Pars III. Religionis celerrime propagatae causa naturalis non erat vis singularis, qua doctrinae illae, quae religionis constituunt quasi fundamentum naturale, ut sunt animae immortalitas, Dei unius cultus, morum praecepta pura et eximia, omnium animos ad se traherent.

Ostendimus suo loco, religionis christianae originem divinam sive revelationem suaderi aliquatenus posse ex eo, quod quae rationi sunt pervia, sine ullo errore proponat. Non ita argumentantur adversarii. Asserunt, religionem christianam admissam esse solum ideo, quia quo apparuit tempore, singularis fuerit propensio ad amplectenda praecipua quaedam doctrinae christianae capita, nec inquisitum esse ulterius, sitne revelata necne. Unde inferunt, rationes, quae ad eam adoptandam impulerint, fuisse mere naturales, ejusque propagationem fuisse opus minime difficile, neque ad id perficiendum Dei auxilium fuisse necessarium.

515. A. Doctrina de animae immortalitate et felicitas aeterna promissa non ita excitabat naturale hominum desiderium, ut per hoc solum, religionis veritate aliunde non perspecta, ad eam comple-

[1]) Ut ostendat, etiam hominum opinione fuisse facilius, utpote rationi magis congruum, religionem christianam amplecti, Ernestus Renan recurrit ad nomen „paganorum", quo designati sint qui deorum cultui inhaerebant. Argumentum falso supposito nititur. Haec enim denominatio, neque II. neque III. saeculo in usu erat; non invaluit nisi post Constantinum ejusque filios, quum in urbibus sacrificia diis offerre lege esset prohibitum: neque tunc proxime ad inscitiam denotandam adhibita est. V. *Du Cange*. Glossarium s. h. v. Fortasse autem hujus denominationis ideo tantum mentionem fecit Ernestus Renan, ut vaticinandi sibi occasio praeberetur. Scribit enim: Le fidèle aux anciens dieux fut le *paganus*, le paysan, toujours réfractaire au progrès, en arrière de son siècle; comme un jour, au XX^e^ siècle peut-être, les derniers Chrétiens seront à leur tour appelés pagani, „des ruraux". Marc-Aurèle ch. XXXI. Vaticinia de proximo religionis christianae interitu nec rara sunt nec nova; nonnulla sunt octodecim saeculis vetustiora.

ctendam compellerentur. Quod negamus, asserunt Gibbon (l. c.) et *Renan* (Marc-Aurèle p. 562)[1]).

Probatur 1. Si, ut adversarii volunt, ob solam promissam vitam alteram et proborum felicitatem quam plurimi religionem christianam suscepissent, supponendum foret, *alias religiones* illa promissione caruisse. At constat, in aliis etiam religionibus vitam alteram fuisse promissam et quidem felicissimam. In idem fere recidunt, qui existimant, spem peccatorum condonandorum fuisse latissimae et celerrimae propagationis causam. Poëtae, ut impiorum poenas, ita piorum felicitatem coloribus vividissimis pingere assolent. Nec tantum vulgi religiones, sed pleraeque etiam philosophorum sectae, imprimis neoplatonicae, animae immortalitatem profitebantur. Ipse *Celsus*, qui Christianos incusabat, quod fingant terricula, declarat: „Dii prohibeant, ne aut ego aut illi aut quilibet hominum tollamus dogma illud, injustos punitum iri, justos mercede esse donandos." Apud Orig. c. C. III. n. 16. Idem de peccatorum venia speranda est dicendum. Hanc enim promittebant religiones pleraeque, ut e variis lustrationibus, expiationibus, votis sacrificiisque constat. Imo utile esse poenitere peccati, vox est naturae, testante s. Augustino. De duab. anim. cont. Manich. c. 14. Cf. Pfanneri Syst. theol. gentil. c. 13.

2. Scriptores sive gentiles sive christiani testantur, plurimos fuisse, quibus doctrina de vita altera, praesertim qualis tenebatur a Christianis, videlicet prout poenam aeternam et corporis resurrectionem statuebat, *invisa* esset aut *ridicula*. Unde sequitur, immortalitatis fidem in concreto spectatam simul etiam fuisse diffusionis impedimentum.

Tacitus inter Judaeorum „instituta", quae „foeda pravitate valuere", etiam hoc refert: „Animas proelio aut suppliciis interemptorum aeternas putant; hinc generandi amor et moriendi contemptus". Hist. V, 6. *Lucianus* ob immortalitatis fidem irridebat Christianos. De morte Peregr. 13. Potissimum quae de poenae ratione Christiani docebant, a gentilibus traducebantur, ut *Arnobius* testatur: „Audetis, inquit, ridere nos, cum gehennas dicimus et inexstinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisque cognovimus?" Adv. nat. III, 14. Corporis resurrectio ludibrio erat; *Caecilius* ethnicus Christianos ita alloquitur: „Nec resurgitis,

[1]) Renan ita censet: On voulait sur tout des assurances pour une vie ultérieure où fussent réparées les injustices de celle-ci. La religion qui promet l'immortalité et assure qu'on reverra un jour ceux qu'on a aimés l'emporte toujours. p. 563 Etiam hic ut tot aliis locis Renan argumentum suum ipse infringit addens, alias etiam religiones doctrinam eandem saeculo II esse professas. Cur ergo capitis inscriptio: Raisons de la victoire du Christianisme?

miseri, nec interim vivitis". *Minuc. Fel.* Octav. n. 12. Unde Apologetae toties hoc dogma defendendum sumunt, ut *Athenogoras* praestitit libro singulari et s. *Hippolytus*.

3. Ut immortalitatis doctrina, quatenus naturae rationali consentanea est, alios ad religionem amplectendam efficaciter moveret, quatenus autem invisa erat, alios a religione amplectenda non deterreret, opus erat, ut et illis et istis per alia argumenta praevie constaret, revelatam esse religionem, quae doctrinam illam tradebat. Sequitur hoc ex dictis. Nam quamdiu de divina religionis origine non constabat, non erat, cur immortalitatem amantes et peccatorum veniam cupientes potius a religione christiana quam ab alia quacunque utramque peterent. Nemo prudens fidem habet promittenti, nisi eundem promissis stare posse constet.

Simili modo *Origenes* argumentatur. Celsus objecerat: „Quemadmodum tu credis aeterna supplicia, sic illorum sacrorum interpretes, initiatores et mystagogi. Quas aliis tu minaris poenas, easdem illi minantur tibi. Considerandum enim, an illi veriora aut firmiora dicant". Respondet *Origenes:* „Equidem affirmaverim, penes eos esse veritatem, qui possunt doctrinae suae auditores ita afficere, ut vivant, quasi certi, eam esse verissimam. Atqui Judaei et Christiani sic affecti sunt de saeculo, ut vocant, futuro, de praemiis, quae in illo justos, de poenis, quae peccatores manent. Ostendat igitur Celsus, aut quisquis voluerit, quos sic de suppliciis aeternis affecerint sacrorum principes et mystagogi". Cont. Cels. VIII, n. 48.

516. B. Neque doctrina de Dei unitate homines ad religionem christianam ita impellere potuit, ut volunt adversarii.

Ut prioris hypotheseos patroni saeculi II. et III. superstitionem et rerum mirabilium amorem, ita qui in monotheismi veritate naturaliter intellecta causam diffusionis celerrimae constituunt, eorundem saeculorum in colendis diis negligentiam et a polytheismo defectionem efferre solent. Inter hos est Ferd. Christ. *Baur*, qui existimat, religionis christianae per tria saecula triumphum nullatenus esse mirandum, quum illo tempore paucissimi fuerint, qui polytheismi mythis adhuc delectarentur; consequens autem fuisse, ut, qui polytheismum abjecerant, ad religionem christianam accesserint, quippe quae monotheismum profiteretur. (L. c. pag. 447.) Verum etiam haec sententia tum in factis statuendis tum in consecutione inde deducenda deficit a veritate.

Probatur 1. Falso asseritur, imperatorum tempore deorum cultum adeo fuisse neglectum aut polytheismi vanitatem plurimis fuisse perspectam. Collapsa quidem fuerat ultimis reipublicae temporibus religio antiqua Romana, quum philosophia graeca duce, qui eousque dii habiti fuerant, aut homines fuisse aut virium naturalium imagines et symbola esse doceretur. At sub imperatoribus antiquus cultus Romanus instauratus est, cui mox nova sacra etiam publica accesserunt.

Suetonio teste *Augustus* „publica opera plurima exstruxit, ex quibus vel praecipua forum cum aede Martis, templum Apollinis in Palatio, aedem

Tonantis Jovis in Capitolio. Tonanti Jovi aedem consecravit, liberatus periculo. Aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit, easque et ceteras opulentissimis donis adornavit. Sacerdotum et numerum et dignitatem, sed et commoda auxit, praecipue Vestalium virginum. Nonnulla etiam ex antiquis caeremoniis paulatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale, ludos saeculares et compitalitios". Octav. Aug. n. 29—31. Eminuerunt hac cultum Romanum fovendi cura et diligentia alii quoque imperatores. *Hadrianus* „Romae instauravit Pantheum, sacras aedes plurimas". Idem „sacra Romana diligentissime curavit, peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit". Ael. *Spartiani* Hadrian. c. 19. 22. Eminuit imprimis *Marcus Aurelius*, quem Hadrianus sibi successurum „octavo aetatis anno in Saliorum collegium retulit. Fuit in eo sacerdotio et praesul et vates et magister". Jul. *Capitolini* M. Antonin. Philos. c. 4. Quantum Saliorum disciplina profecerit, per omnem vitam demonstravit, praesertim ingruente bello Marcomannico. Nam ut idem scriptor refert, „tantus terror belli Marcomannici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, retardatusque a bellica profectione sit; celebravit et Romano ritu lectisternia per septem dies". Ibid. *Marcus Aurelius*, quem scriptores veteres, imo et recentiores, ut *Gibbon* (l. c. p. 107), *Renan* aliique non satis possunt laudare tamquam „immunem a superstitione vulgari", Capitolino teste „tantae sanctitatis fuit, ut Veri (imperatoris) vitia et celaverit et defenderit, cum ei vehementissime displiceret, mortuumque eum Divum appellaverit, sacrisque eum plurimis honoraverit: flaminem et Antonianos sodales, et omnes honores, qui Divis habentur, eidem dedicavit". Ibid. Cultus antiqui Romani postea tenacissimos se praebuerunt Decius et Diocletianus. Cf. *Tillemont*. Hist. des empereurs. II. Marc-Aurèle, art. 2.

Cultus peregrini, summopere vesani et morum honestati adversi, qui prius jam induci coeperant, devictis per orientem populis tanto magis Romam confluebant. Isidis cultus, ex Aegypto advectus, cum pluries, etiam sub Tiberio prohibitus fuisset (*Sueton.* Tiber. 36), postea ab ipsis imperatoribus exerceri coepit. Suetonius refert, *Othonem* „sacra etiam Isidis saepe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse". Otho, 12. *Commodus* „sacra Isidis coluit, ut et caput raderet et Anubin portaret". *Lampridii* Commod. c. 9. *Caracallus* „sacra Isidis Romam deportavit, et templa ubique magnifica eidem deae fecit. Sacra etiam majore reverentia celebravit, quam antea celebrabantur". *Spartiani* Antonin. Caracallus, c. 9. Isidis cultus per omnes provincias diffusus est. Propagata pariter erant sacra e Phrygia et Cappadocia allata, praesertim Bellonae et Magnae Matris, inter quae et Taurobolia et Criobolia; sacra allata e Syria et Phoenicia, inter quae Deus Sol, quem potissimum coluit Heliogabalus imperator (*Herodian.* V, 6. *Dio Cass.* LXXIX. *Lampridii* Antonin. Heliog. c. 3); sacra e Persis allata, inter quae erat cultus Mithrae, adeo propagatus per imperium Romanum.

Hisce omnibus accessit ipsorum imperatorum cultus. Ut *Dio Cassius* refert, Octavio *Augusto* defuncto Senatus „flamines ei cum sacris et sacerdotem Liviam constituerunt. Decretum quoque Romae Augusto fanum, a Livia autem et Tiberio exaedificatum. Alibi quoque multis locis ei fana exstructa sunt a populis, partim volentibus partim invitis". Hist. l. LVI, c. 46. Etiam huic cultus generi populum mox assuefactum esse, e Julio

Capitolino discimus, qui in Marci Aurelii Antonini vita, quam sub Diocletiano scripsit, ait: „Parum sane fuit, quod illi (M. Antonino) honores divinos omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas dedit, nisi quod etiam sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere vel debuit. Denique hodieque in multis domibus Marci Antonini statuae consistunt inter deos penates; nec defuerunt homines, qui somniis eum multa praedixisse futura et vera conciuuerunt. Unde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniani, et sodales, et flamines, et omnia, quae de sacratis decrevit antiquitas". *Jul. Capit.* Marc. Ant. Phil. c 18. Haec aliaque sexcenta mire illustrant sententiam illorum, qui existimant, polytheismum sponte sua collapsum esse in Romano imperio. Cf. *Preller,* Röm. Mythol. Berlin 1865. II. 12. Absch. *Bekker-Marquardt,* Röm. Alterth. IV, p. 81 seqq.

2. Illi ipsi, qui a polytheismo defecerant, non solebant profiteri *monotheismum genuinum* sive Deum illum, quem religio christiana colebat. Alii enim admittebant Deum cum mundo confusum, alii Deum sive naturam quandam vel vim supremam, quae nullam exerceret providentiam hominumque res non curaret; alii, ut Neoplatonici, simul cum Deo natura quadam suprema daemones colebant; alii denique omni deorum cultu abjecto nonnisi materialia curabant.

Imperatorum aetate a nonnullis renovabatur sententia, quam inter alios Varro (natus 116 a. C.) tenuerat, de quo s. Augustinus scribit: „Dicit *Varro,* Deum se arbitrari esse animam mundi, et hunc ipsum mundum esse Deum . . . Hic videtur quoquo modo confiteri unum Deum: sed ut plures etiam introducat, adjungit, mundum dividi in duas partes, coelum et terram, et coelum bifariam, in aethera et aëra; terram vero in aquam et humum . . . quas omnes partes quatuor animarum esse plenas, in aethere et aëre immortalium, in aqua et terra mortalium". De civ. VII, 6. Varronis igitur monotheismus in polytheismum recidebat.

Non melior erat monotheismus, quem *Plinius* Secundus (defunctus a. 97 p. C.) professus est. Ita enim scribit: „Nomina alia aliis gentibus, et numina in iisdem innumerabilia reperimus; inferis quoque in genera descriptis, morbisque et multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus. Ideoque etiam publice Febri fanum in Palatio dedicatum est, Orbonae ad aedem Larium ara, at malae Fortunae Esquiliis . . . Irridendum vero, agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusve?" Hist. nat. l. II, c. 7.

Notum est, inter philosophos etiam neoplatonicos, fuisse acerrimos religionis christianae hostes. Unde jam patet, monotheismum illum qualemcunque, quem profitebantur, non potuisse vinculum constituere ipsos inter et Christianos. Et vero, praeter naturam supremam unam agnoscebant daemones, quibus sacrificia essent deferenda, ut Celsus testis est. *Orig.* c. C. VIII, 24. 25. Cf. *Baltus,* Défense des ss. Pères accusés de Platonisme, l. I, ch. 7 seqq. *De Champagny,* Les Antonins, tom. I, p. 392. Fuerunt sane, qui, ut s. *Justinus,* veritatis desiderio tenerentur; at hi

exiguum constituerunt numerum. Pauci e philosophorum, longe plures rhetorum scholis ad religionem christianam accesserunt.

3. Etiamsi monotheismum genuinum professi fuissent illi, quibus cultus falsus, sive Romanus sive peregrinus, displicere coeperat, *non propter monotheismum solum* amplexi fuissent aut amplecti potuissent religionem christianam. Haec sane docet, Deum esse unum; at hanc doctrinam non tradit ut haustam e sola ratione; proponit eandem ut a Deo revelatam. Praeterea non tantum docet, unam esse divinam naturam; hanc naturam unam docet in tribus esse personis. Ergo quicunque cum Christianis unum profiteri Deum volebat, antea omnia aliis argumentis docendus erat, eorum religionem a Deo esse revelatam.

517. *Objic.* 1. Nonnulli e magno judaicorum proselytorum numero, qui sub primis imperatoribus fuerit, concludunt, gentiles polytheismo parum fuisse addictos; unde inferunt, si gentiles tam facile admiserint religionem judaicam variis de causis invisam, longe facilius admittere potuisse religionem christianam.

Respond. At notandum est, proselytorum qualemcunque numerum non deprehendi nisi tempore illo, quo religio christiana aut nondum instituta aut parum propagata erat, quo proin tempore religio judaica aut nondum abolita erat aut recentibus adhuc argumentis originem suam divinam tueri poterat. Neque magnus unquam fuit numerus eorum, qui circumcisione suscepta ad totam legem observandam obstringebantur, Judaeorum autem conatus religionem suam propagandi legibus civilibus mox irriti facti sunt.

Objic. 2. Monotheismum fuisse totius rei cardinem, ita ut illo admisso etiam religio christiana admittenda esset, nonnulli, inter quos Ferd. Chr. *Baur* (l. c.), ex eo concludunt, quod Christiani controversiam inter ipsos et gentiles agitatam fere totam eo restrinxerint, ut ostenderent, polytheismum esse falsum; unde consequi videtur, Christianos censuisse, gentiles, polytheismo rejecto, non potuisse non amplecti religionem christianam.

Respond. Prae oculis habendum est, quod suo tempore dictum est de criteriis positivis et negativis (Prop. 31 et 32). Quam primum demonstratum erat, polytheismum esse falsum, constabat illico, omnem gentilium cultum esse falsum. Propterea Christiani praecipuam controversiae partem merito huc revocabant. Pariter quamprimum demonstratum erat, non esse nisi Deum unum, simul etiam constabat, veram esse doctrinam, quam revelatio christiana primo statuit loco. At non sequebatur continuo, ipsam hanc revelationem esse divinam. Caeterum Ferd. Christ. *Baur* suis se armis laedit, dum primo asserit, paucissimos illo tempore fuisse, qui polytheismo addicti essent, dein addit, controversiam prope totam ad polytheismum fuisse restrictam. L. c. p. 449. Non enim intenduntur vires omnes ad hostem debellandum, qui non est.

518. C. Neque pura et eximia morum praecepta, quae religio christiana tradebat aut quae Christiani vitae suae ratione exprimebant, celerrimae propagationis causa naturalis erant, hoc videlicet sensu, quasi religio christiana a plurimis ideo suscepta sit, quia illa morum puritas naturali hominum desiderio responderit.

Probatur 1. Male fingitur, imperatorum praesertim tempore adeo commune fuisse vitae aut cultus purioris desiderium, quum mores fuisse summe depravatos non tantum Christiani testentur, sed etiam gentiles. Nec una alterave humanae societatis pars, sed societas integra, paucissimis forte exceptis, miram depravationem prodit; integra enim societas spectaculis intererat; quae autem in theatris gererentur, notum est. Octavius Augustus, qui severiorem disciplinam instituisse celebratur, praecepit, ut mulieres in theatris sederent sejunctae a viris: „foeminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solemne olim erat, nisi ex superiore loco, spectare concessit, solis. Virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, et contra praetoris tribunal, dedit.“ *Sueton.* Octav. 44. Quae de virginibus Vestalibus adduntur, satis indicant, quale fuerit in reliquis „desiderium vitae purioris.“ *Tertullianus*, qui suae aetatis mores probe noverat, non veretur scribere: „Plures invenias, quos magis periculum voluptatis quam vitae avocet ab hac secta.“ De spect. 2. Notum est, idololatriam praesertim spectaculis et voluptatibus animos hominum devinctos tenuisse. Ludi obscoeni, qui populo integro spectante ad deos colendos institui solebant, imperatorum tempore non tantum non abolebantur, sed novis etiam incrementis augebantur, ut de lascivis Florae ludibus singillatim constat. *Lactant.* instit. I, 20. *Sueton.* Galba 6. Cf. *Preller*, Röm. Mythol. p. 378.

Mira plane sunt, quae *Renan* fabulatur de excitato inter gentiles „sensu morali“, de „moribus mitioribus“, de „cultus purioris desiderio“. Les Apôtres p. 366. Judicium quod s. Paulus (Rom. 1, 24 seq.) de gentilium moribus profert, nimis severum dicit; erroris causam ex eo repetit, quod s. Paulus Romanos cultiores non noverit. p. 309. At scriptores historiae augustae aliique optime norant Romanos cultiores et plane consentiunt cum s. Paulo. Taedio afficiunt, quae in eorum voluminibus leguntur de publicis Romanorum moribus imperatorum tempore. Caeterum Ernestus Renan, quod ei saepissime accidit, etiam hic ipse se refellit. Fatetur, antiquorum theatra fuisse omnis corruptelae plena, ideoque horrorem injecisse non tantum Christianis, sed etiam aliis hominibus nonnihil honestis. Fatetur simul, in theatris omnia peracta fuisse palam, coram civium multitudine, secus ac nunc fieri consuevit. p. 320. 321. Atqui societas, in qua palam, toto populo spectante et plaudente, obscoena quaecunque geruntur, mores prodit maxime corruptos, et istiusmodi societas, obscoenis voluptatibus inhians, non tenetur desiderio morum disciplinae purioris.

2. Etiamsi morum puriorum desiderium longe communius fuisset, quam fuit, propter hoc desiderium solum suscipi non poterat christiana religio. Haec enim ut divinitus revelata amplectenda est; qui autem religionem amplectitur ut revelatam, non solo desiderio naturali movetur, ut ex antea dictis patet. Cf. Franz de *Champagny*, Les Césars, tom. III, Paris 1859. Id. Les Anto-

nius, Paris 1865. Gaston *Boissier,* La Religion Romaine d'Auguste aux Antonins, Paris 1874.

519. Pars IV. Celerrimae propagationis causa naturalis non erat forma socialis, qua donata erat religio christiana. Gibbon (l. c. p. 81) existimat, plurimos ad Christianorum societatem allectos fuisse pruritu administrandi et regendi, alios cupiditate bonorum temporalium, quae haec societas possederit. Sententiam hanc adoptat et amplificat Renan. Marc-Aurèle p. 586. Les Apôtres VII. Alii, ut Ferd. Ch. Bauer (l. c. p. 447), perpendentes, pleraque acta esse per episcopos, auctoritatem episcopalem saltem proximam diffusionis causam esse existimant.

520. A. Dici non potest, ambitionem aut vitae socialis commoda universe spectata tantae diffusionis causam fuisse.

Probatur 1. Quum pauci essent, qui gubernarent, plurimi qui obedirent, certe non poterant esse multi qui gubernandi spe allicerentur; poterant autem esse plurimi, qui obediendi difficultate deterrerentur, ut etiam historia testatur, non paucos fuisse, qui hac difficultate ab Ecclesia defecerint.

2. Quae finguntur aut extolluntur vitae socialis commoda, etiam in religione judaica, imo et in gentilibus religionibus sperari poterant. Notum est, Judaeos arctissime inter se fuisse junctos. Sed idolorum etiam cultores in collegia coire variasque societates et sodalitia formare solebant. Cf. *Bekker-Marquardt,* Röm. Alterth. IV. p. 154.

3. Christianis non erat integrum, quam vellent societatem inire aut societatem qua vellent forma constituere; ut religioni, ita etiam societatis formae, quae divinitus instituta censebatur, se submittere tenebantur; ergo argumentis supernaturalibus persuadendum illis erat, societatis formam non minus quam religionem ipsam divinitus institutam esse.

521. B. Religionis diffusio non debetur auctoritati episcopali tamquam institutioni humanae, prout adversarii fingunt. Sine dubio episcopatus ut ad ordinem et unitatem servandam, ita ad religionem disseminandam quam plurimum contulit; sed haec ejus vis et efficacia supernaturali fundamento nitebatur, quod adversarii negant.

Probatur 1. Si auctoritas sola inter praecipuas diffusionis causas numeranda esset, omnis religio, in qua res auctoritate aliqua suprema administrantur, diffusione illa gauderet. Unde imprimis judaica religio, quum auctoritate suprema in summo Pontifice in-

structa sit, progressu aeque felice gaudere deberet. Idem dicendum de gentilium religionibus, quae sane non carebant auctoritate residente in sacerdotibus et potissimum in imperatore tamquam supremo Pontifice. At vero omnes illae religiones etsi auctoritate similes erant religioni christianae, diffusione omnino dissimiles fuerunt. Ergo auctoritati ut humanae institutioni diffusio illa tribuenda non est.

2. Auctoritas tunc solum, si agnoscitur eidemque obedientia praestatur, subditos ad finem propositum dirigere potest; ergo etiam Ecclesiae auctoritas, ut usui esse posset, imprimis agnoscenda erat et quidem ut talis, qualem se praedicabat. Ecclesiae autem auctoritas residens in episcopis praedicatur esse ex Deo. Act. 20, 28. Ergo praevie agnoscenda erat ut a Deo instituta. Porro ut talis agnosci non poterat nisi agnita simul Ecclesiae institutione divina. Ergo episcopatus qua agnitus et qua efficax non praecedit religionis agnitionem et diffusionem, sed eandem sequitur vel comitatur.

522. C. Religio latissimam illam diffusionem non debet suo pauperes sublevandi studio, ita ut temporalis emolumenti desiderio naturali plurimi ad eam capessendam allecti fuerint. Non negamus, nonnullos studio illo allici potuisse; negamus quod asserunt adversarii, allectos fuisse plurimos.

Probatur 1. Primo saltem tempore desiderio illo aut nulli aut paucissimi moveri poterant; ergo primae diffusionis causa quaerenda est alia. Et vero bonorum illa communitas nonnisi Hierosolymis instituta conspicitur, nec multo duravit tempore. Quum porro maxima Christianorum pars nonnisi tenuis conditionis esset, prudenter non egisset, qui emolumenta temporalia sperasset.

2. Si bonorum temporalium cupido plerosque movisset, Judaeis potius et gentilibus sese conjungere debebant. Adversarii enim ut charitatis praerogativam adimant Christianis, asserunt, eosdem a Judaeis didicisse auxilium illud mutuum (Renan, Les Apôtres, VII p. 129). Gentilium sodalitia bonis quam plurimis per imperatores ornata fuisse, saepe legimus in historia augusta. Sed neque ad Judaeos neque ad gentiles multitudo illa accessit; ad Christianos accessit bonis temporalibus inferiores.

3. Bona temporalia allicere non poterant multos, quamdiu religionem christianam profitendo capitis periculum incurrebatur. Qui bonorum illorum desiderio religionem suscepissent, persecutione ingruente sine dubio eam abjecissent. Non tamen

legimus, egenos multos ob persecutiones defecisse; frequentius deficiebant divites, ut e Decianae persecutionis historia discimus.

4. Si inter illos, qui charitatis officiis per Christianos non tantum pauperibus, sed etiam aegrotis frequenter exhibitis, ad religionem christianam amplectendam movebantur, etiam pauperes fuerant, non est necessario supponendum, eos adductos fuisse rerum temporalium cupiditate. Charitas illa eximia fructus erat religionis revelatae ejusque signum; ergo ut divites, ita etiam pauperes argumento illo supernaturali religionis veritatem doceri poterant. Argumentum supernaturale non agnoscunt adversarii. Cf. Franz de *Champagny,* La charité chrétienne dans les premiers siècles de l'Eglise. Paris 1856.

523. *Objic.* Nonnulli celerem religionis christianae propagationem saltem saeculo post Christi ascensum III. exeunte Constantini ejusque successorum legibus tribuunt; alii magnopere reprehendunt et exaggerant, quod religio christiana, quamprimum persecutiones evaserit, ipsa ethnicismum persecuta sit eundemque tandem in toto imperio exstirparit. Cf. inter alios Bekker-Marquardt, Röm. Alterth. IV, p. 137.

Resp. Plurima hic confunduntur, quae omnino sunt distinguenda.

1. Quum Constantinus de Maxentio victoriam retulit (312), religio christiana illam diffusionem jam obtinuerat, quam causis naturalibus non deberi ostendimus. Unde etsi omnia quae in objectione supponuntur, vera essent, argumentum nostrum integrum maneret.

2. Imperatores christiani nunquam mortis aliave poena proposita ad ethnicismum ejurandum aut religionem christianam amplectendam subditos coegerunt, ut imperatores ethnici ad religionem christianam ejurandam subditos cogere tentarant; injustum igitur est imperatores christianos comparare gentilibus.

3. Quam parum imperatorum christianorum metus ethnicos ad religionem christianam amplectendam permoverit, facile patet ex eo, quod imprimis patricii Romani diutius quam alii ethnicismo inhaeserint, quod eundem liberrime professi sint, quod nihilominus muneribus publicis domi bellique fungi consuerint. Novimus e s. *Hieronymo* (ep. ad Laetam), Mithrae spelaeum, in quo ejus cultus maxime solemnis exercebatur, demum per Gracchum urbis praefectum destructum esse. Gracchus autem urbis erat praefectus an. 378. V. Philipp. a Turre, de Mithra c. 6 in Graevii Thesaur. ant. Ital. tom. VIII, part. IV.

524. 4. Quod leges ipsas spectat, *Constantinus* Christianis primum nonnisi religionem suam exercendi libertatem concessit, dein (a. 313) clericos „ab omnibus omnino publicis functionibus immunes conservari" voluit, „ne errore aliquo aut casu sacrilego a cultu summae divinitati debito" abstraherentur. *Euseb.* h. e. l. X, c. 7. Concessit igitur iisdem immunitatem illam, qua idolorum sacerdotes gaudebant.

Leges tulit (a. 319) contra magos et haruspices; hae autem leges gentilium cultum minime tangebant. Duplex enim erat apud Romanos

magia et ars divinatoria, altera quae publice, altera quae clam exercebatur et damna inferre tentabat. Haec vel ipsa XII tabularum lege prohibita erat. Tiberius „haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit“ (Sueton. in Tiber. c. 63). Sub eodem Tiberio „facta de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta“. Tacit. annal. II, 32. Germanici morbus magorum arti tribuebatur. Ibid. n. 69.

Scripsit quidem *Eusebius:* „Cunctis sub Romano imperio degentibus tam plebejis quam militibus, occlusae erant fores cultus simulacrorum, et quodvis sacrificiorum genus interdictum“. Vita Const. l. IV, c. 23. Pariter in lege quam Constantius (a. 341) tulit, Constantini quaedam lex in memoriam revocatur hisce verbis: „Cesset superstitio: sacrificiorum aboleatur insania. Nam quicunque contra legem divi principis parentis nostri et hanc nostrae mansuetudinis jussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta et praesens sententia exerceatur“. Cod. Theodos. cum comment. Gothofredi. Lib. XVI. tit. X. Attamen ut *Valesius* in illum Eusebii locum notat, „haec benigne interpretanda sunt. Constat enim sacrificia gentilium a Constantino M. non fuisse nominatim prohibita, ut diserte docet Libanius in oratione pro templis. Privata quidem et domestica sacrificia Constantinus lege lata prohibuit, ut patet ex codice Theodosiano de maleficis et mathematicis, et ex lege prima de paganis. Sed publica ac solemnia, quae a majoribus instituta fuerant, non inhibuit“. Et vero, tot documentis constat, post Constantinum sacrificia offerri consuevisse, ut *Tillemont*, qui quidem omnia lege abrogata censet, fateatur, legem Romae saltem executioni non fuisse mandatam. Hist. des emp. tom. IV, p. 203. Quid quod senatores gentiles Constantinum mortuum inter Deos retulerunt, sacerdotes „divo Constantino Augusto“ monumenta posuerunt! Honore hoc dignum fuisse judicat Eutropius, scriptor gentilis: „inter divos, inquit, meruit referri“. Hist. 8. V. *Beugnot*. Hist. de la destruction du pagan. I, p. 110. Inscriptiones multae testantur, sub Constantino ejusque filiis senatores aliosque muneribus publicis fungentes diis erexisse altaria, eorumque cultum exercuisse. Ib. p. 150 seq.

525. Primus omnium *Gratianus* imperator (375—385) Pontificis Maximi titulum, quem inde a Numa reges et imperatores gesserant, repudiavit; quod, ut *Zosimus*, scriptor gentilis, narrat (hist. l. IV, c. 36), aegerrime tulerunt gentiles. Aram Victoriae, ad quam jurare solebant senatores, e senatu removit. Templorum fundos addixit fisco; Pontificum privilegia abrogavit, virgines Vestales abolevit.

Neque mirum est, imperatores christianos tandem abolevisse privilegia et instituta, quae a regibus et a civitate Pontificibus et Vestalibus ad id collata fuerant, ut publice i. e. civitatis aut regum nomine sacra curarent. Quod enim regum aut civitatis auctoritate institutum fuerat, ut deorum praesidium obtineretur, id sua auctoritate tandem abolendum censebant, ne et ipsi et Christiani cultum non tantum falsum, sed et religioni christianae summopere inimicum publice profiteri et multiplicis morum corruptionis, quam invehebat, participes esse viderentur. Cf. s. *Ambrosii* epist. 26 et 27 supra (Prop. 105) ex parte allatas. Solius etiam honestatis naturalis ratione habita dubitari poterat, licitene permitteretur cultus, qui tot rationibus mores corrumpebat etiam postquam gentiles pleraque

allegorice explicare tentaverant. Ad Nectarium paganum s. *Augustinus*, imperatorum leges, gentilium sacra prohibentes, justas esse ostensurus, haec scribit: „At enim illa omnia, quae antiquitus de vita deorum moribusque conscripta sunt, longe aliter sunt intelligenda atque interpretanda sapientibus? Ita vero in templis populis congregatis recitari hujusmodi salubres interpretationes heri et nudius tertius audivimus. Quaeso te, siccine caecum est humanum genus adversus veritatem, ut tam aperta et manifesta non sentiat? Tot locis pingitur, funditur, tunditur, sculpitur, scribitur, legitur, cantatur, saltatur Jupiter adulteria tanta committens; quantum erat, ut in suo saltem capitolio ista prohibens legeretur? Haec mala dedecoris impietatisque plenissima, si nemine prohibente in populis ferveant, adorentur in templis, rideantur in theatris, quum his victimas immolant, vastetur pecus etiam pauperum, quum haec histriones agunt et saltant, effundantur patrimonia divitum, civitates florere dicuntur?“ Ep. 91, n. 5.

526. Gratiani vestigia secutus est *Theodosius*, de quo *Sozomenus* scribit: „Cum imperator animadverteret, praeteriti temporis consuetudinem ad majorum caeremonias et ad loca ab illis culta subditos suos pertrahere, sub ipsa imperii sui primordia vetuit, ne quisquam ad ea loca accederet“. Hist. eccl. l. VII, c. 20. Lex illa Theodosiana an. 381 lata his concepta est verbis: „Si quis vetitis sacrificiis diurnis nocturnisque velut vesanus ac sacrilegus incertorum consultorum immiserit, fanumque sibi aut templum ad hujusmodi sceleris excusationem assumendum crediderit, vel putaverit adeundum, proscriptioni se noverit subjugandum; cum nos justa institutione moneamus: castis Deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum“. Cod. Theod. l. XVI, tit. 10, l. 7. Eo usque fuisse „facultatem adeundi fana patriisque ritibus numina placandi“, testatur *Zosimus* acerrimus ut religionis christianae ita et Theodosii inimicus (l. IV, c. 29). Gentiles ad religionem christianam amplectendam nulla lege adigebantur; injuriosi in imperatores christianos sunt scriptores, qui asserunt, quem agendi modum in Christianos secuti sunt imperatores ethnici, eundem postea in ethnicos tenuisse imperatores christianos. Contra apostatas vero a Theodosio latae sunt leges. Fatendum sane est, lege exclusis illecebris illis, quibus quamplurimi ad idolorum cultum alliciebantur, non potuisse non augeri Christianorum numerum; quod et *Sozomenus* animadvertit, addens: „Ita pagani sacris aedibus destituti, progressu temporis ecclesias adire assuefacti sunt“. Multos etiam juvabat quod videbant, auctoritate publica cessasse sacrificia, quae pro imperii et civium prosperitate offerri gentiles assidue monebant. Operae pretium est notare, quum Theodosius Romae in Senatu dixisset, nolle se, „fiscum sumptu gravari, qui in sacra et hostias fieret“, senatores gentiles, ut Zosimus refert, respondisse, „non rite fieri sacrificia, nisi de publico fierent expensae“. L. IV, c. 59. Volebant igitur, ut imperium ipsum deorum cultum exerceret et ut imperatores publice gentiles se profiterentur. Ad idololatriam contemptui habendam multum etiam contulit, quod cum templa quaedam, imprimis Alexandriae, destruerentur (*Sozom.* VII, 15), multa quam maxime abominanda omnium conspectui patuerunt. Cf. *Beugnot*. Hist. de la destruction du paganisme en Occident, Paris 1835. *Dubelman*. Das Heidenth. in Nordafrica, nach den Briefen des h. August. Bonn 1859.

Propositio 112. *Obstacula illa superata sunt et religio christiana diffusa est singulari Dei interventu et auxilio; singillatim quidem ipsius Dei in hominum animos influxu, quo ad religionis veritatem percipiendam eamque amplectendam moverentur et juvarentur.*

527. Celerrima religionis christianae propagatio argumentum pro ejusdem origine divina variis modis suppeditat. *Imprimis* spectari potest ut Christi vaticinium eventu completum, et sic Jesu divinam missionem manifesto probat. Considerari *dein* possunt argumenta sive rationes objectivae ad eam suadendam adhiberi solitae. Christi, Apostolorum aliorumque facta mirabilia; quum haec tot hominibus persuaserint, divinam esse religionis originem, e persuasione tam communi concluditur, non posse non esse vera et genuina, quae tot hominum inquisitioni commissa, vera et genuina reperta sunt. Possumus *denique* ostendere, praeter suasionem per externa credibilitatis motiva manifesto aliam fuisse suasionem internam, qua Deus ipse per se in hominum animis operaretur: isto argumentandi genere hic potissimum utimur. Cf. Prop. 44.

528. Pars I. Certum est, religionis christianae celerrimam diffusionem deberi singulari Dei providentiae et auxilio, quacunque demum ratione auxilium illud explicare placuerit.

Probatur 1. *illatione.* Ita necessario infertur ex illis quae demonstravimus. Si enim causa nulla naturalis ad amplissimam illam religionis diffusionem explicandam sufficit, causa supernaturalis advocanda est, sive auxilium aliquod singulare, quo tot ac tanta obstacula superata sint.

2. *auctoritate testium.* De causa, qua effectus quicunque productus sit, generatim optime judicare solent illi, qui modum quo productus est, ipsi observarunt; idque potissimum valet, quoties agitur de momentis moralibus, quae accuratiore observatione et majore hominum agentium peritia et cognitione indigent. Jam vero, qui religionis propagationi interfuerunt et hominum tunc viventium peritia accuratissima instructi erant, passim testantur et contra adversarios ipsos ut factum manifestum tuentur, propagationem illam singulari Dei providentiae et auxilio deberi. Ex hac enim propagatione Apologetae consensu unanimi demonstrant, religionem christianam opus esse divinum.

S. *Justinus* Judaeis et gentilibus coaevis hanc celerem et stabilem tot hominum conversionem ut divinae potentiae opus contemplandam proponebat: „Neminem esse, qui nos in Jesum totum per orbem terrarum credentes exterreat, in promptu est. Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis, a confessione, ut manifestum est, non discedimus. Sed quanto magis magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles et pii fiunt. Quemadmodum vitis, si qui partes illas amputat, quae fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat: idem nobis quoque evenit". Dial. n. 110.

Auxilium divinum et necessarium fuisse et praestitum esse docet *Origenes:* „Si quis consideret Apostolorum Christi per singula loca discursus, in quibus ab eo missi Evangelium praedicarunt, inveniet quod et quae ausi sunt aggredi, supra hominem sunt, et quod explere potuerunt, ex Deo est. Si consideremus, quomodo homines, novam doctrinam ab eis audientes inferri, suscipere eos potuerunt, vel potius quod saepe, eis volentes inferre perniciem, divina quadam, quae eis aderat, virtute repressi sunt, inveniemus, nihil in hac causa humanis viribus, sed totum divina virtute ac providentia procuratum, evidentibus procul dubio signis et virtutibus testimonium reddentibus verbo et doctrinae eorum". *Περὶ ἀρχ.* IV, 5.

Momentum multiplex, quod est in hac diffusione, *Lactantius* ob oculos ponit: „Cum noster numerus semper de deorum cultoribus augeretur, nunquam vero, ne in ipsa quidem persecutione minuatur (quoniam peccare homines et inquinari sacrificio possunt, averti autem non possunt a Deo; valet enim vi sua veritas), quis est tandem tam vecors tamque coecus, qui non videat, in utra sit parte sapientia? Sed illi malitia et furore coecantur, ne videant, stultosque arbitrantur esse, qui quum habeant in potestate, supplicia sua vitare, cruciari tamen et emori malunt, quum possint ex eo ipso pervidere, non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per orbem totum una et pari mente consentiant. Si enim foeminae sexus infirmitate labuntur (nam interdum isti muliebrem aut anilem superstitionem vocant), viri certe sapiunt. Si pueri, si adolescentes improvidi sunt per aetatem, maturi certe ac senes habent stabile judicium. Si una civitas desipit, ceterae, utique innumerabiles, stultae esse non possunt. Si una provincia, una natio prudentia caret, ceteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit et omnis sexus et omnis aetas et gens et regio et natio unis ac paribus animis Deo serviat, eadem sit ubique patientia, idem contemtus mortis: intelligere debuerant, aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexatione non solvat, sed augeat semper et faciat firmiorem". Instit. V, 13.

Idem argumentum late prosequitur *Arnobius* ac tandem concludit: „Numquid haec fieri passim. et inaniter creditis. fortuitis incursibus adsumi has mentes? Itane istud non divinum et sacrum est? Aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones?" Adv. gent. II, n. 5.

Graviter et copiose vim divinam in Evangelii diffusione manifestam s. *Chrysostomus* exponit: „Si dixerit gentilis, unde manifestum est, Christum esse Deum? non e coelo demonstrationem petemus, neque ab aliis id genus. Nam si illi dixero: coelum creavit, terram item vel mare, id ipse non feret. Si dixero: mortuos suscitavit, coecos curavit, daemones fugavit, neque hoc admittet . . . Unde igitur, maxime si idiota sit, illum instituemus? Unde inquam, nisi ex iis, quae apud me et illum in confesso sunt nec in dubium vocari possunt. Quaenam igitur sunt ea, quae ipsum fecisse gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod Christianorum genus ipse fundaverit, quod universas per orbem ecclesias condiderit. Hinc ejus potentiae argumentum ducemus, et ostendemus, ipsum vere Deum esse; dicemusque, non esse puri hominis tantum orbem, terram, mare, tam brevi tempore pervadere et ad res tantas evocare: cum maxime tam absurdis moribus assueti homines essent et tot malis irretiti". Adv. Jud. et gent. demonstratio, quod Christus sit Deus. Ed. M. I, 814.

529. Pars II. Auxilium illud singulare reponendum imprimis est in motibus internis, quibus Deus ad religionem amplectendam et retinendam hominum animos inducebat. Sine dubio partes etiam

suas habuerunt argumenta objectiva ipsa; attamen horum vis et actio propria non poterat esse talis, ut ad diffusionem illam explicandam sola sufficeret.

Probatur 1. *e voluntatis influxu in intellectum.* Sine speciali illo influxu tot hominibus non fuisset persuasum, veram et amplectendam esse religionem christianam. Quoties enim agitur de obligatione, qua cupiditates refrenantur, gravia incommoda sensibilia et praesentia imponuntur, licet commoda futura et spiritualia promittantur, homo nihilominus ita comparatus est, ut quamvis obligatio illa argumentis solidis moraliter certa demonstretur, eam tamen saepissime non ut certam admittat, sed aut absolute neget, aut saltem aliquando in dubium vocet. Si fortasse dici possit, paucos quosdam rationis imperio ita esse submissos, ut veritatem, ubicunque affulget, percipiant, id tamen in plerisque locum non habet, praesertim quum agitur de negotio, quod gravissima secum vehit onera. Hinc fit, ut voluntas in intellectum ita influat, ut eundem impediat non tantum quominus veritatis propositae argumenta perpendat, sed etiam quominus veritati, quamdiu non est penitus evidens, assensum praestet. At religione christiana praedicata non unus alterve, non pauci tantum fecerunt, quod ab hominum consuetudine abhorret, sed quamplurimi. Nullis videlicet incommodis internis et externis nullisque obstaculis impediti sunt, quominus rationes, quibus religio vera demonstratur, perpenderent et veritati cognitae assensum praestarent firmissimum et constantem. Ergo simul cum rationibus illis alius influxus effecit, ut homines praestarent, quod alias non praestant. Manifestiora haec sunt e doctrina de gratia ejusque necessitate.

2. *e voluntatis infirmitate et difficultatum horrore.* Etsi sola argumentorum vi persuaderi hominibus potuisset, ut veram crederent religionem christianam, tamen sola illa vi induci non potuissent, ut ejusdem legibus se submitterent et omnia ejus praecepta implere sedulo et constanter niterentur. Homo enim suis viribus permissus experientia quotidiana edoctus merito repetit illud: „Video meliora proboque, deteriora sequor.“ Haec autem voluntatis infirmitas tanto major est, quo remotiora a sensibus sunt bona, quae sectari, et quo magis sensibus blandiuntur, quae aversari jubetur. Quum igitur homines religionem suscipiunt, quae non unum alterumve vitium, sed quaecunque sunt mala evitare jubet, atque ad hoc onus subeundum nonnisi spiritualibus et invisibilibus bonis propositis invitat, manifestum est, eosdem divino auxilio ad-

jutos praestare, quod natura humana sibi soli commissa praestare non potest.

3. *e conversionibus subitis.* Saepissime accidit, ut homines religionem christianam subito amplecterentur et profiterentur, et quidem in hujusmodi adjunctis, quibus spectata natura sola quam maxime ab ea repellerentur; saepe enim accidit, ut, quum ad mortem ducerentur Christiani, e circumfusa gentilium multitudine vel ex militibus illos ducentibus, aliqui fidei christianae veritatem agnoscerent eamque morte contempta profiterentur. Id sane nonnisi Deo adjuvante fieri potuit. Ex eo autem, quod Dei auxilium quandoque modo tam mirabili ad religionem amplectendam juvabat, merito concluditur, idem auxilium hominibus praesto etiam fuisse aliis temporibus.

Huc spectat, quod scripsit *Origenes:* „Irrideat licet Celsus aut Judaeus quem introduxit, quod dicetur, dicam nihilominus, multos ad religionem christianam accessisse velut invitos: spiritu quodam repente sive per visum sive per somnium in illorum animos agente atque ita illos immutante, ut quod in illam conceperant odium deponerent, et pro illa mortem oppetere statuerent. Multa ejusmodi novimus, quae si scriberemus, tametsi illorum oculati testes fuerimus, benignam risus materiam praeberemus incredulis, qui nos ex illorum ingeniis, quos talia finxisse norunt, judicantes, haec etiam a nobis conficta esse existimarent". Cont. Cels. l. I, n. 46.

530. ***Scholion.*** *Aliae religiones.* Contra argumentum expositum objici non potest aliarum etiam religionum celerrima et amplissima diffusio, ut Buddhismi. Islamismi aut etiam Protestantismi. Etenim non e sola diffusione, sed e diffusione quae omnia obstacula externa et interna vicerit, et quidem speciali Dei auxilio vicerit, religionis christianae originem divinam demonstravimus. Unde sequitur, hujusmodi argumentum praesto non esse religioni vel sectae, quae non injungit quae sunt difficilia, quae potius commoda specialia et sensibilia praestat suis sectatoribus, quae armis aut vi physica propagata est, quae suos asseclas eximit ab oneribus eousque portandis.

E causis naturalibus facile explicatur latissima propagatio *Buddhismi,* qui classium divisionem, qua populi orientales premebantur, tollebat, quietem, cui populi illi inhiant, imprimis commendabat, maximam permittebat sentiendi et credendi libertatem, principes, quorum despotismo favebat, patronos habuit. Caeterum Buddhismi vox non designat proprie unam eandemque religionem sive unum doctrinarum complexum, nec unam aliquam societatem religiosam. Est enim in rebus religiosis maximus dissensus inter illos qui vocantur Buddhistae longeque major, quam est inter diversas partes eorum, qui se vocant Christianos. Cf. n. 250.

Islamismus armorum vi propagatus est, bona sensibilia suis promittit asseclis et cupiditatibus illis, quae maxime indigent freno, indulgere permittit.

Sectae omnes propagantur onera non assumendo, sed abjiciendo. Deficiendo ab Ecclesia sese eximunt ab ejusdem potestate. Si, ut fit plerumque, credendorum ambitus restringitur, si, quod accidit in Protestantismo, bonorum operum ad salutem necessitas negatur, et homines faciliora sectari docentur, nemo sane dixerit, absque speciali Dei auxilio haec praestari non posse. Protestantismum magna ex parte propagatum esse principum

bona saecularia appetentium armis et violentia, abunde docet historia. Religio christiana potestatem civilem sibi adversam vicit patiendo, Protestantismus potestatem civilem sibi adversantem aut vicit manu armata dimicando, aut ubi ita non vicit, repressus est.

Articulus III.

De martyrum testimonio.

531. **Praenotanda.** I. *Argumenti a praecedente discrimen.* In martyrio spectatur constans fidei professio ad mortem usque pro fide toleratam; in fidei propagatione attenditur prompta fidei susceptio devictis obstaculis sive externis sive internis. Quum agitur de fide suscipienda, spectari quidem simul potest constantia in eadem fide. Attamen non necessario spectatur; ipsa prompta et generosa fidei susceptio, quum sincera est, argumentum per se sufficiens praebet, quamquam onus, quod cum fide suscipitur, majus est, si simul temporis diuturnitas attenditur. Praeterea si cum fidei susceptione simul attendere volumus hominis in fide suscepta constantiam, necesse non est supponere, hanc constantiam ipsa morte patienter tolerata exhibendam esse; multi enim sine martyrio magnam in fide constantiam exhibuerunt. Hoc quod a generosa fidei susceptione differt, videlicet patiens pro jam suscepta mortis tolerantia, propriam hujus argumenti rationem constituit.

532. II. *Martyrii conditio triplex.* Secundum s. *Augustini* explicationem martyres ideo vocantur martyres i. e. testes, quia „fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum et crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt.“ De civ. XXII, 9. Tria igitur spectanda sunt in martyrio: fides, cui testimonium redditur; tyrannus, qui fidem persequitur et punit; patientia, qua poena excipitur.

1. *Veritas revelata.* Causa persecutionis veritas revelata sit oportet; martyrium enim est fidei sive veritatis revelatae attestatio. Duplex autem est veritas revelata: altera credenda, altera simul opere complenda. Nec sola voce fidem profitemur, sed etiam operibus, ut non sola voce, sed etiam operibus fidem homo negare potest. Jac. 2, 18; Tit. 1, 16. Unde et tyrannus detestari et persequi potest non solum fidem, quam quis ore, sed etiam quam quis opera bona perficiendo et mala vitando profitetur. Illa prohibendo et ista praecipiendo simul detestatur principium et regulam revelatam, qua alia sunt laudabilia et a Deo remuneratore praemio donanda, alia mala et a Deo vindice punienda.

2. *Veritatis odium causa persecutionis.* Ad rationem martyrii requiritur, ut persecutor, quisquis ille est, ex odio religionis aut virtutis christianae aliquid agat, e quo mortis supplicium sequatur. Necesse non est, ut sit gentilis, aut infidelis, aut haereticus; etiam persecutor christianus

vel catholicus ex odio virtutis christianae agere potest. Neque necesse est, ut ipse tyrannus qui legem statuit, aut judex, qui poenam infligit, religionis odio motus agat, dum accusator, aut qui ultima legis vel poenae causa est, religionis odio ducatur; tunc enim tyrannus vel judex est causa tantum instrumentalis, accusator autem vel qui legem statuendam suasit, est causa principalis poenae inflictae. Hac ratione Christiani multi ex odio fidei perperam accusati sunt criminum et a judicibus fortasse ex opinione vindicandi verum crimen morte multati sunt. Tunc accidit illud: „Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo". Joan. 16, 2. Quae Christi verba Lugdunenses applicabant martyribus suis, quum populus efferatus esset in Christianos, contra quos servi gentiles, tormenta formidantes, atrocia crimina mentiti erant. *Euseb.* h. e. V, 1. Multo minus necesse est, ut persecutor, qui ex odio fidei agit, fidem christianam supplicii causam esse pronunciet. Christiani quam plurimi e vero fidei odio interfecti sunt, licet alia necis causa praetenderetur. V. Bened. XIV. de beat. l. III, c. 13. Suarez, Defensio fid. cath. adv. Angl. sect. errores. l. VI, c. 11, ubi de martyribus in Anglia agitur.

3. *Mors patienter tolerata.* Martyrium subitur, dum fides defenditur non armis hostem repellendo, sed mortem patienter sustinendo. Martyrum enim exemplar Christus est, qui patiendo veritati testimonium reddidit et ad hanc patientiam discipulos suos provocavit. Luc. 21, 16. Martyres vocantur oves (Mtth. 10, 16); sed oves non sunt milites armati in caedentes. Potest quidem et miles ut caetera patriae bona, ita multo magis religionem laudabiliter armis contra hostem invadentem tueri; haec tamen fidem defendendi ratio inferior est illa, qua martyrium praecellit. Videlicet martyrium spectata virtute qua perficitur, est actus fortitudinis. Fortitudo virtus est, quae animum obfirmat contra difficultates. Vir fortis duplice modo sese habere potest respectu difficultatum, videlicet easdem aut patienter sustinendo, aut repellendo. Martyrium ad fortitudinem pertinet, quatenus difficultates sustinet, non quatenus repellit. Est enim actus perfectissimus sive summae fortitudinis. Difficilius autem est mala sustinere quam repellere. Qui enim repellit et obsistit, aliqua ratione superior est illo, cui obsistit; et „sustinere importat diuturnitatem temporis, sed aggredi potest aliquis ex subito motu; difficilius autem est diu manere immobilem, quam subito motu moveri ad aliquid arduum". S. Thom. 2, 2, q. 123, a. 6.

Spectata virtute imperante sive ad id impellente, martyrium est actus charitatis. Haec enim, siquidem revera ad fidem defendendam suscipitur martyrium, hominem movet ad actum fortitudinis, quo bono, videlicet fidei, constanter inhaeret. Unde s. Thomas: „Martyrium inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem charitatis: quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, et rem magis odiosam eligit pati. Manifestum est autem, quod inter omnia alia bona praesentis vitae maxime amat homo ipsam vitam, et e contrario maxime odit ipsam mortem et praecipue cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia a maximis voluptatibus abstrahuntur". Ib. q. 124, a. 3.

Hinc tamen non sequitur, subeundum esse martyrium, quoties ejus sese occasio offert. Licitum esse fuga se subducere, nisi rationes singulares vetent, martyres ipsi, ut s. *Cyprianus*, aliique Sancti, ut s. *Gregorius* Thaumaturgus, verbo et exemplo demonstrarunt. V. *Gregor. Nyssen.* in vita Greg. Thaum.

Licitum etiam est vitam defendere, „cum est spes moralis mortem evadendi; at cum est moralis necessitas moriendi, qualis aderat militibus thebaeis, tunc non est repugnandum, sed martyrium patienter pro fide acceptandum". Silv. *Maurus,* Theol. l. IX, q. 97, n. 3. Attamen vitam defendendi obligatione naturali homo eximitur, quum bonum, quod cum ejus profusione conjungitur, videlicet insignis Christi imitatio, tam sit eximium.

4. *Martyrium ut testimonium eximium.* Ex his intelligitur, quo eximio sensu martyres christianae fidei veritatem testari dicantur. Docente Apostolo fides est „sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium". Hebr. 11, 1. Potest quidem homo actibus variis veritati huic testimonium reddere sive hanc fidem christianam confiteri; nullo autem actu excellentius et certius eam profitetur, quam si mortem subeundo declarat, se bona omnia praesentia contemnere, ut ad futura et invisibilia perveniat. Et vero, quamdiu vitam ipsam non profundit, opere non ostendit, se bona omnia praeferre fidei; vita enim est inter bona praesentia summum, quum aliorum omnium possidendorum conditio sit et homines reliqua omnia projiciant, ut vitam conservent. S. Thom. 2, 2, q. 124, a. 4.

533. III. *Martyrum multitudo.* In omni quidem re attestanda testium numerus non exigui est momenti, potissimum autem martyrum numerus, quatenus eorum testimonium singulari Dei auxilio niti demonstrandum est. Quid enim natura possit aut non possit, certius e multorum quam e paucorum, qui fortasse exceptionis loco habendi sint, viribus consideratis et perpensis intelligitur. Longe minorem, quam semper existimabatur, fuisse martyrum numerum, demonstrare adnisus est Henr. *Dodwellus* dissertatione Cyprianica X. „de paucitate Martyrum." Ejus vestigia nonnulli sunt secuti. Modo pro sua sententia argumenta petunt e Romani imperii consuetudine tolerandi religiones peregrinas, quam tamen Christianis prodesse non potuisse ostendemus; modo imperatorum, qui illos persecuti sunt, indolem humanam ultra verum extollunt; modo persecutiones, quae negari non possunt, intra terminos nimis angustos restringunt; modo denique scriptorum Christianorum testimonia parvi pendunt, confisi unice scriptoribus ethnicis, qui, odio in Christianos animati, mala quibus hi afflicti sunt, parum attendunt. Dodwelli argumenta refellit *Ruinart,* Acta martyr. Praefatio generalis. Nos prolixitatem fugere cupientes, quaestionem hanc historiae ecclesiasticae scriptoribus utpote propriam discutiendam relinquimus.

534. IV. *Religionis christianae in Romano imperio conditio.* In religionem christianam non poterat non excitari odium attenta hinc ejusdem religionis, illinc orbis universi et imprimis Romani imperii indole. Nam religio christiana sese profitetur non tantum veram et sanctam, sed unice veram et lege divina in omnes populos propagandam, ab omnibus recipiendam. Unde imprimis

sequebatur, omnem cultum eidem oppositum esse falsum et abjiciendum, omnem doctrinam moralem christianae doctrinae adversantem esse flagitiosam. Insuper sequebatur, religione christiana contradici summo illi principio, quo Romani inde a Romulo et praesertim a Numa Pompilio semper censuerant, res religiosas non minus quam civiles summo principi esse subjectas; civitatis esse praescribere, quinam dii sint colendi, qui repudiandi; denique illum, qui civitati praesit, summa etiam potestate praeesse religioni.

Ut Livius narrat, Numa „sacerdotibus creandis animam adjecit, quamquam ipse plurima sacra obibat . . . Pontificem deinde ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent. Caetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subjecit, ut esset, quo consultum plebes veniret, ne quid divini juris negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo turbaretur". Hist. I, 20. Principium inde a civitatis primordiis inditum semper alte insedit Romanorum animis. Quondam (an. 424 a. C.) „animos multiplex religio et pleraque externa insedit . . . Datum inde negotium aedilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani dii, neu quo alio more quam patrio colerentur". Liv. IV, 30. Hoc summum legis principium Cicero ita effert: „Separatim nemo habessit Deos, neve novos neve advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto". De leg. II, 9. Vere igitur Tertullianus Romanos alloquens dicit: „Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo jam Deo propitius esse debebit". Apol. c. 5.

535. *Gentibus devictis* cultus pristini exercitium permitti solebat, nisi rationes speciales contrarium suaderent. Cohibita sunt sacrificia humana, quae in Africa et Gallia in usu erant. Tertul. Apol. c. 9. Ut Suetonius refert, Claudius „Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit". Claud. c. 25. Non tamen permittebatur, ut quispiam cultum peregrinum Romae in omnium conspectu exerceret; hoc enim exercitio publico cultus Romanus detrimentum capere sive turbari videbatur. Rationem hanc affert Cicero, principium legum supra allatum explicans: „Suosque deos aut novos aut alienigenas coli confusionem habet religionum, et ignotas caerimonias sacerdotibus; nam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi". De leg. II, 10.

536. *Judaeis*, ut aliis populis devictis, cultus patrii exercitium ubique permissum fuisse, variis decretis allatis Flavius Josephus demonstrat. Ant. XIV, 10. Unde eorum Synagogae habebant jura collegiorum licitorum, ita ut possent „conferre pecunias in epulas et rem divinam". Quae decreta confirmans Tiberius Claudius Caesar ait: „Aequum esse arbitror, ut Judaei etiam per universum nostrum imperium patrios mores sine impedimento aliquo servent, quos etiam nunc moneo, ut hac nostra gratia contenti modestius se gerant, nec religiones aliarum gentium contemnant, sed leges suas custodiant". Jos. Ant. XIX, 5. Dione Cassio teste a Tito „jussi sunt quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino, qui patrias leges eorum tuerentur". Hist. l. LXVI, c. 7.

Sub Hadriano Judaeis ad tempus quidem, videlicet usque ad Antonini Pii imperium circumcisio prohibita fuit, et hanc prohibitionem eisdem rebellandi fuisse

causam Aelius Spartianus (in Hadriano c. 14) scribit. Modestinus (ineunte saec. III.) tradit (l. VI. regularum): „Circumcidere Judaeis filios suos tantum rescripto Divi Pii permittitur; in non ejusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis poena irrogatur". Vid. Corp. Jur civ. Digest. XLVIII, tit. 8, l. 11. Julius Paulus (eod. saec.) scribit: „Cives Romani, qui se judaico ritu vel servos suos circumcidi patiuntur, bonis ademptis in insulam perpetuo relegantur. Medici capite puniuntur. Judaei si alienae nationis comparatos servos circumciderint, aut deportantur aut capite puniuntur". Receptae sententiae l. V, tit. 22. de seditiosis. Vid. Spenceri not. in Orig. c. Cels. II, 13.

Propositio 113. *Odium religionis christianae causa fuit illarum in Romano imperio persecutionum sive popularium sive publicarum, quibus interfecti sunt, quos christiana antiquitas martyres commemorat.*

Persecutionum quas Judaei adversus Apostolos eorumque discipulos excitarunt quaeque in Actibus referuntur, causa tam manifesta est, ut in dubium vocari nequeat. Causam illarum persecutionum, quas Romanum imperium excitavit, saltem obscurare tentarunt nonnulli eorum, qui et martyrum numerum restringere nituntur. Quod veritatis argumentum praebet constantia martyrum in Romano imperio, etiam illorum martyrum testimonio praebetur, qui apud Persas aliasque gentes passi sunt; attamen ad illos solos argumentationem hic interim restringimus, quia eorum constantia religionis christianae victoriam reddidit illustriorem.

537. Pars I. Odium religionis causa erat persecutionum popularium i. e. earum, quibus aut per populum ipsum aut populo postulante per magistratus neci addicebantur Christiani.

Probatur 1. *Christiani invisi et malefici.* Prima persecutio aliaeque plures inflictae sunt Christianis ideo, quod essent „genus hominum superstitionis novae et maleficae" (Sueton. in Nerone 16), quod eorum esset „exitiabilis superstitio", quod magis etiam quam Judaei adversus omnes hostilem animum gererent et hoc generis humani odio ad omnia scelera, ad ipsam urbem incendendam prompti redderentur. Hac communi aestimatione usus Nero „subdidit reos, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat." Annal. XV. 44. At haec omnia indicant manifestum religionis christianae odium, tum quia quae Christianis imputantur, tamquam religionis sive „superstitionis" fructus traducebantur, tum quia Christianorum vita sancta, a lascivo deorum cultu lascivisque spectaculis et oblectamentis abhorrens et morum gentilium pravitatem damnans, revera religionis fructus erat. Hac autem vitae puritate offensos et ad odium provocatos fuisse ethnicos, Apologetae testantur. Tertul. Apol. c. 38.

A vera persecutionis causa distinguendus est persequendi praetextus. Quum quilibet odii licet injustissimi causam saltem aliquatenus justam praetendere studeat, tum Judaei tum ethnici Christianos variorum flagitiorum incusare solebant. Praeterea accusationes tam atroces non tantum odii praetextus, sed ejusdem etiam effectus erant. Quum Christianorum vita tam pura gentilium flagitia manifesta accusaret, hi vicem redditurі

flagitiorum secretorum accusabant, quos manifestorum non poterant. Animadvertit id *Justinus:* „Quia, inquit, ab his institutis et ab ejusmodi facinorum auctoribus et imitatoribus refugiendum suademus, propterea variis modis oppugnamur". Apol. II, n. 12. Idem Justinus primos hujus accusationis auctores nominat Judaeos. Dial. n. 108. Gentiles nonnulli crimina haec tanto facilius credere poterant, quod ipsi a flagitiis hujusmodi non essent immunes. Unde merito *Minucius Felix:* „Nemo, inquit, hoc potest credere, nisi qui possit audere". Octav. c. 30. Cf. *Tertul.* Apol. c. 9. et 39. Caeterum gentiles plerosque non credidisse, quorum accusabant Christianos, *Athenagoras* indicat scribens: „Ista nobis affingunt tum ut nos cum ratione odisse sibi videantur, tum quod futurum existiment, ut vel metu ab instituti constantia nos abducant, vel acerbos nobis et inexorabiles, criminum magnitudine, principes praebeant". Legat. pro Christ. n. 31. Neque sibi constabant ethnici Christianos accusantes, ut *Tertullianus* animadvertit: „Ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari". Apol. c. 50. Imperatores quoque et judices ipso damnandi modo non raro testati sunt, non propter flagitia, quorum accusabantur, sed propter religionem morti addici Christianos.[1])

Quod de illis flagitiis, idem est dicendum de magiae crimine pariter frequentissimo. Accusationis ansam praebere poterant Christianorum dona

[1]) Christiani Lugdunenses quum flagitiorum accusati et capti essent, nonnulli Christianos se esse negaverunt, tamen detenti sunt ut reliqui qui se Christianos profitebantur. Praeses, ut in Lugdunensis Ecclesiae epistola legimus, „litteris ad Caesarem datis, de his omnibus, qui inclusi tenebantur, sententiam ejus exspectabat". Interim qui lapsi fuerant, conversi et fidem professuri „ad tribunal accessere, quo iterum a praeside interrogarentur. Quippe rescriptum fuerat a Caesare, ut confitentes quidem gladio caederentur, hi vero qui negarent, dimitterentur incolumes. Praeses beatissimos martyres ad tribunal adduci jussit. Cumque illos denuo interrogasset, quicunque cives Romani reperti sunt, capite truncati, reliqui traditi sunt bestiis. Caeterum ingens gloria accessit Christo per eos, qui prius quidem negaverant, tunc vero confitebantur fidem Christi praeter spem atque exspectationem gentilium. Hi siquidem seorsim interrogati sunt quasi mox absolvendi. Qui quum se Christianos esse confessi essent, reliquorum martyrum numero adscripti sunt". Interfecti sunt, quotquot e lapsis nova quaestione Christianos se esse confessi sunt. Euseb. h. e. l. V, c. 1. Ex his aperte constat, quo sensu Caesar confessos plecti, negantes dimitti jusserit. Non de scelerum confessione aut negatione agitur; nam interfecti sunt quotquot Christianos se esse confessi sunt, qui tamen omnes criminum se reos negarunt: dimissi sunt, quotquot se Christianos esse negarunt. Male igitur Dodwellus asserit, Christianos illos ut infanticidiorum incestuumque reos damnatos esse. Dissert. Cyprian. IX, n. 35. V. Ruinart, Praef. in Act. Mart. §. III. n.

Veram persequendi causam obtegere potissimum studebat multosque nactus est imitatores Julianus apostata: seditionis utebatur praetextu. De quo ita Sozomenus: „Clericos et ecclesiarum antistites civitatibus ejici curavit: reipsa quidem studens, ut istorum absentia conventus plebis aboleret, dum nemo esset, qui eam colligeret ac doceret et qui sacramenta administraret, ita ut progressu temporis in oblivionem religionis suae prolaberentur; causam vero hanc praetexens, quod clerici dissensiones in populo excitarent". Hist. eccl. l. V, c. 15. Intelligebat videlicet, crimina prius a gentilibus praetendi solita nimis manifesto falsa cognosci.

supernaturalia, praesertim eorum potestas in daemones. Unde etiam ab idolorum sacerdotibus, qui sua sacrificia et artes per Christianos turbari querebantur, saepissime prolatam esse legimus.

2. *publicarum calamitatum causa.* E religionis christianae odio scaturiebat altera criminatio multorumque tumultuum popularium et insectationum origo, qua Christiani omnium calamitatum publicarum causa dicebantur. Calamitates enim publicae ideo a diis infligi censebantur, quod eorum cultus negligeretur, ex quo tempore christiana religio orta esset. Cf. Tertul. Apol. c. 40. 41.

3. *hostes imperii.* Ex eodem fonte manabat accusatio, qua Christiani imperii Romani hostes fingebantur. Videlicet non tantum recusabant imperatorum cultum divinum, sed abstinebant etiam a supplicationibus publicis, et a ludis et laetitia publica post victorias, quum haec omnia partim lasciva essent, partim infecta superstitione cultuque impio. Tertul. Apol. c. 30—36.

4. *vatibus exosi.* Odium religionis manifesto causa erat persecutionum frequentium et diuturnarum, vix non perpetuarum, quas idolorum sacerdotes, vates, goëtae, magi excitarunt, ubicunque poterant. Hi enim Christianos ideo persequebantur, quod religionem profitebantur oppositam illi, cujus ipsi aut scientes aut ignorantes causam agebant.

538. Dubium esse non potest, quin daemon principalis persecutionum auctor fuerit. „Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras". Joan. 12, 31. Idem est qui misit „in cor, ut traderet eum Judas" (Joan. 13, 2), qui expetivit Apostolos, „ut cribraret sicut triticum". Luc. 22, 31. Haec est Apologetarum sententia, quam minime celabant ethnicos. S. *Justinus:* „Persuasum, inquit, habemus, malorum daemonum operatione, qui hostias et cultum ab hominibus praeter rationem viventibus petunt, haec fieri". Apol. I, n. 12. Eadem *Origenes* profitetur, cont. Cels. IV, 52. De hac, quam Justinus affert, causa Patribus constabat imo et gentilibus constare poterat ex illis, quae oculis cernebant; qui se enim deos mentiebantur oracula edentes cultumque recipientes a gentilibus, cogebantur a Christianis, ut se confiterentur esse daemones, prout testes sunt *Tertullianus.* (Apol. c. 23), *Minucius Felix* (Octav. 27), s. *Cyprianus* et alii. Cyprianus hanc Christianorum in daemones potentiam describens addit: „Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, ut nos odisse incipiant homines, antequam nosse, ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint". De idol. vanit. (sive quod idola dii non sint) n. 7. Caeterum ex ipsa philosophorum gentilium confessione de daemonum in Christianos odio constabat. S. *Augustinus* refert haec *Porphyrii* verba: „Interroganti, quem deum placando revocare possit uxorem suam a Christianismo, haec ait versibus Apollo: ‚Forte magis poteris in aqua impressis litteris scribere, aut adinflans pennas leves per aëra ut avis volare, quam pollutae revoces uxoris sensum". De civ. XIX, 23, n. 1. Ab idolorum sacerdotibus persecutiones tum populares tum publicas motas esse in Christianos, ex historia et martyrum Actis constat. Cf. *Euseb.* h. e. VII, 10. *Lactant.* Instit. l. IV, c. 27 et de mort. persec. c. 10. *Ruinart,* Acta mart. A. S. Saturnini.

539. Pars II. Idem religionis odium causa fuit persecutionum, quas auctoritas publica edictis vel legum specialium applicatione movit. Religionis ipsius odium est persecutionis causa, si Christiani inquiruntur et puniuntur propter aliquid, quod cum religione necessario conjungitur eique debetur. Non ipsa religio esset persecutionis causa, si Christiani punirentur propter aliquid a religione distinctum. Certe persecutionis ultima causa non fuisset odium religionis, si, ut quidam finxit, Diocletianus detecta Christianorum conjuratione ex amico in inimicum conversus fuisset (Burckhardt, Die Zeit Constantin d. G.) aut si in Christianos solum ob conventus clancularios imprudenter et illicite institutos suspicio excitata fuisset (Renan, Marc-Aurèle p. 520), aut si ob religionem Romanam intempestive et temere impugnatam poenas dedissent (Cf. Bekker Marquardt, Röm. Alterth. IV, p. 50, Anm. 303).

540. **Probatur 1.** *sacrilegii, majestatis, religionis illicitae crimen.* Religionis christianae odium manifestum involvebatur in duplice accusatione communissima a Tertulliano ita relata: „Deos non colitis, et pro imperatoribus sacrificia non offertis. Itaque sacrilegii et majestatis rei convenimur. Summa haec causa, imo tota est". Apol. 10. Duplici huic crimini connexum erat tertium, videlicet exercitium religionis novae et illicitae.

Plinius praetor de Christianis Bithyniae ineunte saec. II. ita scribit ad Trajanum: „Interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri . . . Nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam". Puniuntur igitur ob religionis illicitae exercitium, quod etiam manifestius est, quum addit, terrore incusso, „prope jam desolata templa coepisse celebrari". Qui se Christianos esse negabant, adigebantur, ut factis ipsis a triplice crimine se purgarent. „Cum, inquit, praeeunte me deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani, dimittendos esse putavi", Plin. epist. l. X, ep. 96 (al. 97). Trajanus, Plinii „actum" approbans, statuit: „Conquirendi non sunt (Christiani); si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, i. e. supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex poenitentia impetret". Ib. ep. 96 (al. 98). Manifestum est, Christianos puniri quia non sequantur religionem Romanam, pariterque manifestum est, Christianos nulla intempestiva Romanae religionis impugnatione vindictam provocasse.

541. **2.** *cultus prohibitus lege injusta.* Religio christiana petebatur et puniebatur etiam quando Christianorum conventibus applicabantur leges de hetaeriis a Trajano renovatae. Nam puniebantur Christiani non quod conventibus interfuissent, sed quia Christiani erant; negando enim se esse Christianos et supplicando Romanorum

diis a poena se eximebant. Praeterea Plinius quaestionem in Christianos jam exercens casu tantum intellexit, actos fuisse conventus, quibus lex de hetaeriis sive conventibus applicari posset, et tormentis adhibitis cognovit, in conventibus nihil esse actum, quod lex de hetaeriis cavere intendebat. Propterea etiam Trajanus non jubet legem de hetaeriis applicari Christianis; quaestionem integram ad hoc revocat, utrum in posterum Romanorum deos colere velint nec ne.

Consuetudo vigebat apud Romanos, ut quemadmodum ad fines profanos, ita etiam ad numina varia colenda societates inirentur et sodalitia privata instituerentur. Attamen inde a bacchanalium per senatum repressione (186 a. C.) legibus cautum erat, ne id absque facultate fieret. Unde *Gajus* (l. IV. ad legem XII tabul.): „Sodales sunt, qui ejusdem collegii sunt, quam Graeci ἑταιρίαν vocant. His autem potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant". Corp. jur. civ. Dig. l. XLVII, tit. 22, 4. *Suetonio* teste Augustus „collegia praeter antiqua et legitima dissolvit". Oct. Aug. c. 32. Ad exercendam religionem novam quae ipsa non esset permissa, non dabatur facultas societatis ineundae. Christianorum autem religio, quum non esset populi devicti, ut judaica, erat omni modo nova, et ideo Christiani palam eam exercere prohibebantur. Injuste igitur accusantur imprudentiae, quod eam non palam, sed in privatis conventibus exercuerint. Neque dicendi sunt suspicionem excitasse conventibus clancularis, quum Romani plerique ad numina colenda sodalitates constituere solerent.

Quum accusabantur, quod religionis causa vel ad alios fines occulta foedera inirent et sic legem civilem violarent, Christiani respondebant: lege illa prohiberi foedera per se mala aut periculosa; Christianorum foedera nullatenus mala esse; hinc legem fore injustam, si Christianorum coetibus applicetur; porro lege injusta nullam pari obligationem. *Origenes* id illustrat exemplo illorum, qui forte inter Scythas degentes inhumanis eorum legibus non tenerentur, idque Romanorum de religione legibus applicans: „ita, inquit, Christiani, diabolo mendacioque apud ipsos tyrannidem exercentibus, merito, etiam perfractis diaboli legibus, contra diabolum ipsum foedera ineunt, sicque dant operam eorum saluti, quibus persuaderi potest, ut hanc veluti scythicam et tyrannicam legem excutiant". Cont. Cels. l. I, n. 1. Proptera Christiani non diffitebantur, se ad Deum colendum convenire. Christianorum conventus late decribit s. *Justinus* (Apol. I, n. 65). Negant autem constanter, conventibus suis licite applicari leges, quae quatenus justae sunt, solos factiosorum conventus respicere possunt. Ita *Tertullianus:* „Haec, inquit, coitio Christianorum merito sane illicita, si illicitis par; merito damnanda, si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est. In cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quod et dispersi; hoc universi, quod et singuli, neminem laedentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coëunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia". Apol. c. 39.

In persecutione Diocletiani quum lex de conventibus applicaretur Christianis, hi constanter confessi sunt, se lege illa injusta non teneri. Ut in Actibus legimus, Emerito lectore accusato: „In tua, inquit Proconsul,

domo collectae factae sunt contra praecepta imperatorum? Cui Emeritus: In domo mea egimus Dominicum . . . At Proconsul sacrilegus: Sed prius, inquit, erat jussio imperatorum et Caesarum. Contra religiosissimus Martyr: Deus, inquit, major est, non imperatores". Similiter et reliqui responderunt. Acta ss. Saturnini, Dativi et aliorum. *Ruinart,* Acta Martyr.

Erant tamen quaedam collegia, videlicet „tenuiorum" ad funerum expensas conferendas, in quae Christiani coire poterant. Marcianus (l. III. institutionum) scribit: „Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia sodalitia, neve milites collegia in castris habeant; sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coëant, ne sub praetextu hujusmodi illicitum collegium coëat . . . Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia arcentur". Dig. l. XLVII, tit. 22, 1. Hinc intelligitur, quomodo Christiani et singulis mensibus convenire et bona quaedam communi nomine possidere et suos sepelire potuerint. Quod autem de facultate religionis causa frequentius conveniendi additur, id Christianis non favebat, quum eorum religio non esset licita. Ad haec tenuiorum collegia *Tertullianus* alludit scribens: „Etiam si quod arcae genus est, non de honoraria summa quasi redemptae religionis congregatur [i. e. pro ingressu in collegium non solvitur pecunia]. Modicam unusquisque stipem menstrua die vel quum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit . . . Inde non epulis nec potaculis dispensatur, sed egenis alendis humandisque." Apol. c. 39.[1])

542. **3.** ***Privilegium populorum devictorum negatum.*** Religionis odium causa erat, cur Christianis non concederetur privilegium, quo populi devicti, etiam Judaei, fruebantur, exercendi religionem patriam. Odium religionis in causa fuisse dicendum est, si supremum rei-

[1]) Multum etiam Christianis favebant leges de sepulturis. Statuebatur: „Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum . . . In alienum locum concedente domino licet inferre". *Marcian.* l. III, instit. Dig. I, 8. 6, §. 4. Sepulchra igitur etiam privata fruebantur juribus locorum religiosorum. Lex etiam facultatem praestabat sepeliendi corpora martyrum. Ulpian. l. IX. de off. Procons: „Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt . . . Hodie autem eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum et permissum; et nonnunquam non permittitur, maxime majestatis causa damnatorum. Eorum quoque corpora, qui exurendi damnantur, peti possunt, scilicet ut ossa et cineres collecta sepulturae tradi possint". *Paulus* (l. I. sent.): „Corpora animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt". Dig. XLVIII, 24. 1 et 3. Primam in Christianorum sepulchra sive areas irruptionem legimus factam in Africa sub Hilariano praeside, a quo ss. Perpetua et Felicitas ad bestias damnatae sunt. *Tertul.* ad Scapul. 3. *Ruinart.* Act. mart. Conventus ad sepulchra sub Valeriano et Gallieno (a. 257) prohibitos legimus: „Aemilianus praefectus dixit: Nullatenus autem licebit vobis nec quibuscumque aliis conventus (συνόδους) agere aut ea quae vocantur coemeteria adire". *Euseb.* H. E. VII, 11. Cum Collegia tenuiorum communi nomine sepulturas possidere possent, Gallienus imperator persecutioni finem imponens (a. 260) constitutione ad episcopos data iisdem „permisit, ut caemeteriorum suorum loca recuperarent". Euseb. H. E. VII, 13. Cf. Le Comte de *Champagny,* Les Antonins tom. III. App. IV. Du droit d'association.

publicae principium cum omni alia religione poterat, cum sola religione christiana non poterat componi. Atqui ita est. Ex eo enim, quod gentibus polytheismum profitentibus suos deos colere permissum erat, minime sequebatur, Romanis deos suos non esse colendos. Idem dicendum de Judaeis. Profitebantur hi quidem, Romanorum deos non esse deos veros, ut gentes devictae fortasse sentiebant, deos suos Romanorum diis esse superiores. Attamen quum religio sive lex mosaica uni tantum populo data esset, cultus Romanus et cultus judaicus simul subsistere poterant. Si Romani suam religionem tuentes, simulque civium suorum conscientiam captivantes Judaeis prohibebant, ne Romanos aliosve circumcisione sibi aggregarent, non laedebant propriam judaicae religionis indolem; haec enim formaliter spectata non exigebat, ut in alios populos propagaretur, quamvis lex naturalis exigeret, ut qui veritatem cognitam amplecti vellet, non impediretur legibus ab imperio Romano sancitis. At indolem religionis christianae Romani laedebant, si eam restringebant; religio enim christiana natura sua est universalis. Ad illam vero restringendam adigebantur, quamdiu inhaerebant supremo suo principio. Manifestum igitur est, religionis christianae indolem non attendi ab illis, qui Romanorum „tolerantiam“ praedicantes (Becker-Marquardt l. c. IV, p. 50), Judaeorum exemplo demonstrare volunt, Christianorum vitio accidisse, ut eorum religio impeteretur; neque ab illis, qui (Gibbon ch. 16) disparem Christianorum sortem ex eo repetunt, quod religiones aliae fuerint religio gentis devictae, dum Christiani constituerent sectam. Ratio propria in eo est, quod religio christiana esset natura sua universalis.

543. **4.** *Propagatio prohibita.* Apertius etiam religionis odium proditur legibus successu temporis, praesertim sub Marco Aurelio latis, quibus ejusdem propagatio interdicitur. Cf. *Euseb.* h. e. IV, 26. V. Huc referendum, quod *Modestinus* (l. I, de poenis) tradit: „Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur, divus Marcus hujusmodi homines in insulam relegari rescripsit“. Dig. l. XLVIII, tit. 19. 30. Clarius id edicit Jul. *Paulus*, juris consultus, qui sub Septimio Severo floruit, scribens: „Qui novas et usu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capite plectuntur“. Sent. recept. l. V, tit. 21, §. 2. In universum qui novam religionem inducebant, hominum animos terrere, turbare, movere dicebantur. Hinc illud: „Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judaei: et annunciant morem, quem

non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani". Act. 16, 20. 21.

544. 5. *Superstitioni antiquae adversans.* Imperatoribus plerisque, qui inde a Decio (250) usque ad Diocletianum ejusque collegas (311) secuti sunt, id commune fuit, ut mores Romanos pristinos conservarent aut revocarent, simulque collectis totius imperii viribus obsisterent barbaris undique irrumpentibus. Sed commune etiam omnibus, si paucos excipias, fuit, ut ad hunc finem superstitione antiqua et potestate de religione statuendi opus esse censerent. Hinc religio christiana, utpote nova et Romano cultui adversans, eo certius eradicanda credebatur, quo latius jam sparsa erat. Persecutio a Diocletiano suscepta est ut tentamen ultimum servandi antiquam superstitionem et applicandi summum Romanorum de religione principium. Eventus docuit, religionem christianam potentiorem esse illa superstitione et Romano imperio jus in religionem sibi vindicante. — Cf. *Thiel,* Altrömische Rechtsanschauung in Bezug auf die christl. Kirche, Tüb. Quartalsch. J. 1855. *Wilmers,* Gesch. der Rel. 6. Aufl. 1891, I. §. 94. Stellung des Christenth. im röm. Reiche.

Quae scriptores etiam gentiles referunt de Diocletiano, cujus prudentiam et moderationem recentiores nonnulli adeo mirantur, facile explicant rationes, quibus ad Christianos persequendos impulsus fuerit. Sext. *Aurel. Victor,* postquam de „tumido" ejus animo egit, ita prosequitur: „(Quae) levia tamen prae caeteris. Namque se primus omnium, Caligulam post Domitianumque, dominum palam dici passus, et adorari se appellarique uti Deum . . . Veterrimae religiones castissime curatae". De Caesar. c. 30. nn. 4. 45. Similiter *Eutropius:* „(Diocletianus) adorari se jussit, cum ante eum cuncti salutarentur". Brev. hist. Rom. IX, 26. Etiam *Zosimus* Diocletiani in deos pietatem laudat et subsequentes imperatores neglectae illius pietatis reos facit. Hist II. nn. 7. 10. Ipsum nomen „Jovius", quo se appellari volebat, demonstrabat, eum Jovis gerere vices. Plura de ejus indole versuta ejusque superstitione scriptores tradunt christiani, imprimis *Lactantius* de mort. persecut. c. 9—12. Profecto lucem media die quaerunt, qui causas omnino occultas suspicantur, quibus ad persequendam religionem motus sit Diocletianus. Cf. Pius B. *Gams,* Kircheng. Span. I, 393 ff.

Propositio 114. *Martyrum ad mortem usque constantia, quatenus spectatur ut eventuum mirabilium, quibus revelatio primum confirmata est, attestatio eximia et singularis, religionem christianam demonstrat esse divinam.*

545. Martyrium utpote attestatio pro objecto habet veritatem. Haec autem duplex esse potest: veritas fidei ipsius i. e. doctrinae revelatae, et veritas eventuum illorum, quibus homo ad credendum inducitur. Apostoli Evangelium praedicantes duplicem veritatem testabantur, imprimis Christi miraculorum et resurrectionis: „cujus omnes nos testes sumus" (Act. 2, 32. Cf. 1, 22); dein doctrinae ipsis traditae a Filio sive

Verbo, quod est „plenum gratiae et veritatis“. Joan. 1, 14. Duplicem quoque veritatem testabantur martyres praesertim primorum saeculorum: eventuum quibus ad credendum moti fuerant, Evangelium enim signis comitantibus plantatum et stabilitum est; et doctrinae acceptae, quam omnibus aliis rebus potiorem habebant. De priore testimonio interim agimus.

Non pauci illorum, qui martyrum numerum omni conatu deprimunt, multo etiam magis vim testimonii ab ipsis redditi infringere student. Prae multis eminet Eduardus Gibbon, qui martyrum constantiam non e certa veritatis cognitione ejusque amore, multoque minus e supernaturali Dei auxilio, sed ex aliis rationibus explicat, imprimis e gloriae humanae cupiditate (l. c.).

Nos interim non quaerimus, martyrum constantia requiratne supernaturale Dei auxilium, an solius naturae viribus niti possit. Solum id demonstrandum suscipimus, martyrum constantiam esse testimonium eximium veritatis eventuum mirabilium, quibus ipsi ad credendum inducti fuerant.

Probatur. Testes tanto majorem fidem merentur, quo certius est, eosdem eventum, quem attestantur, nosse potuisse imo debuisse, eosque nonnisi veritatis amore duci; hoc enim principio in humano testimonio dijudicando semper innitimur. Atqui certum est, martyres eventum quem testantur, nosse potuisse et debuisse; et certissimum est, eos in attestando nonnisi veritatis amore duci. Quamvis hae testimonii dotes aliqua ratione conveniant fidei professioni a Christianis primorum saeculorum passim editae, gradu tamen eminentiori martyrum testimonio competunt.

546. **1.** *eventuum cognitio.* Martyres eventuum supernaturalium, quibus religio primis saeculis confirmata est, cognitionem omnino certam habere poterant et habebant. Plurimi enim fuerunt eventuum illorum testes immediati, alii quidem mediati, attamen ab iisdem non multum remoti.

Eventuum testes immediati fuerunt, quotquot fidem conceperunt aut conservarunt moti conspectis miraculis et charismatibus, quae Apostolorum aut discipulorum aut aliorum praeconum praedicationem comitabantur aut generatim revelationem christianam demonstrabant esse veram. Novimus, crebra imprimis fuisse signa haec et communem fere potestatem in daemones primis saeculis, praesertim quum majora imminebant pericula. Novimus pariter, non raro martyres ipsos charismatibus insignitos fuisse, ut in martyribus Lugdunensibus evenisse refert *Eusebius* (H. E. V, 3). Unde sequitur, inter martyres fuisse plurimos, plures etiam quam inter reliquos Christianos, qui essent illorum signorum testes immediati.

Martyres non poterant non habere eventuum illorum certam omnino cognitionem. Nam maximam attentionem non tantum provocabat rei in se spectatae gravitas et salutis aeternae ratio, sed

ipsius vitae temporalis periculum. Martyr enim cui offerebatur optio inter vitam et necem ignominiosam, inter christianae religionis negationem ejusque professionem, sine dubio ante omnia quaerebat, utrum ad necem prae vita eligendam obligaretur. Obligari se tunc solum judicabat, si constaret de eventibus quibus religio demonstratur divina. Ergo ad horum veritatem inquirendam aut saltem denuo perpendendam iterum iterumque provocabatur. Patet, hac ratione novum momentum accedere martyrum testimonio, quo prae reliquorum Christianorum testimonio distinguitur.

Martyres revelationem ut eventum historicum etiam tunc testari dicendi sunt, si in fidei professione proxime quidem aut aeternae beatitudinis spe aut damnationis metu perseverasse supponuntur. Nam firmissimam illam beatitudinis spem non conceperunt nisi docente religione christiana, nec poterant firmissime credere, hujus religionis professionem ad salutem esse necessariam, nisi religionem revelatam esse crederent. Credere autem et in fide perseverare non poterant, nisi firmis omnino argumentis ad fidem concipiendam et conservandam impellerentur.

Hac factorum attestatione Martyres christiani distinguuntur ab *haereticis* illis et *fanaticis*, qui pro suis opinionibus mortem oppetierunt. Qui pro tuenda aliqua opinione moritur, testatur quidem, se fovere talem opinionem; sed eam esse veram, non sequitur ex hujusmodi attestatione. Martyres vero testati sunt facta; eventus et facta sunt proprium testimonii objectum. Unde martyres sunt testes ipsius veritatis eventuum, pro quibus moriuntur, dum haereticus morte sua eventum testari non potest.

Si dicatur, etiam *Mahomedis* asseclas beatitudinis spe animari ad pugnam, ingens est ex hoc solo capite discrimen inter istos et martyres christianos. Martyres beatitudinis spe ita ducuntur, ut ante omnia certam habeant cognitionem eventuum, quibus beatitudinis promissio innititur: sunt proinde semper ante omnia testes. Illi autem ducuntur spe quae nullis nititur eventibus, quos testentur. Sicuti ex eo, quod haereticus moritur pro sua opinione, non sequitur, opinionem esse veram, ita ex eo, quod Mahomedanus moritur pro paradiso voluptatibus affluente, non sequitur, esse hujusmodi paradisum. Nec opinio illius nec exspectatio istius est idoneum attestationis objectum; idoneum vero objectum est religio, quae tota innititur factis.

547. **2.** *veritatis amor singularis.* Martyres in illis factis attestandis veritatis amore et quidem prorsus eximio ducuntur, ac proinde summe veraces sunt.

a. Quo magis nobis constat de testis *probitate*, eo magis constat de veritatis amore. Martyrum probitatem eximiam ipsi etiam gentiles fateri solebant, quum et Christianorum passim faterentur. Martyrum vero in eventibus attestandis probitas eo evidentior est, quum et morte imminente et coram supremo judice mox comparituri in eadem confessione persisterent.

b. Veritatis amor in teste eo est manifestior, quo graviora *mala* et incommoda *testimonium continuo ei affert.* Jam martyri, qui religionem christianam eventibus illis suffultam ac proinde veram profitebatur, mala summa, cruciatus et mors ipsa continuo imminebant. Unde si principia, quibus in vita quotidiana ducimur, martyribus applicamus, dicere necesse est, veritatis amorem summum in martyribus esse conspicuum; quod si negatur, dicendum est, eos solos in manifestam suam perniciem fuisse mendaces.

c. De veritatis amore eo minus dubitandum est, quo magis constat, testem nec duci commodi fortasse occulti amore, nec abripi cupiditate ulla mentem obfuscante. Commodum in martyribus christianis fingi possit et fingitur martyrii gloria; et fanatismo sive caeco religionis amore et ardore mentem obnubilante abrepti dici possint et dicti sunt, praesertim quum et alii gloriae studio et fanatismo abrepti mortem obierint. At utrumque temere fingitur in martyribus christianis.

α. Dici non potest, eos *gloriae* studio adactos esse ad asserenda falsa. Non negamus interim, martyrium fuisse gloriosum, videlicet ob rationes altiores, quibus gloriosum erat coram Deo. Sed negamus, martyres gloriae cupiditate adigi potuisse ad testandam religionis christianae veritatem, dum eam censerent falsam. Imprimis nimium id adversatur conspicuae eorum probitati. Dein ipsa rei attestandae natura hanc suspicionem excludit. Agebatur enim non de tenenda et asserenda mordicus opinione quacunque aut sententia, sed de attestando facto. Intelligimus, quomodo homo, qui se doctorem aut prophetam constituit, falsa gloriae existimatione eo adduci possit, ut potius mori velit quam palinodiam canere; non intelligimus, quomodo homines innumeri, qui non suas opiniones defendant, sed sola facta attestentur, in re falsa attestanda, licet se deceptos norint, ad mortem usque perseverent. Si fortasse pauci, qui in reliqua etiam vita gloria duci solent, eousque procederent, ut potius mori vellent quam fateri, se in facto aliquo credendo nimis praecipites fuisse, saltem magnus ille numerus hominum conditionis humilis, servorum et mulierum, vanae gloriae sensu, quo parum duci caeteroquin solent, ad mortem prae erroris confessione eligendam moveri non possent. Caeterum, si, ut hic fingitur, martyres non veritatis amore sed gloriae studio mortem et cruciatus elegissent, gloria illa aut exigua aut nulla fuisset. Laudibus quidem celebrati fuerunt a Christianis, sed contemptui habiti a gentilibus, majore tunc civium parte. Ipsum etiam mortis genus, quo afficiebantur, ut plurimum ignominiosum esse solebat.

β. Neque *fanatismo* abreptos fuisse dicendum est. Fanatismus utpote intempestivus et caecus quidam ardor ad agendum, non ad patiendum, non ad mortem acceptandam, sed ad eandem aut aliis aut sibi ipsis inferendam homines impellit, quemadmodum ex ejus natura, cum sit passio quaedam, et ex historia satis constat. Martyrium est mortis et cruciatuum tantum perpessio. Fanatismus non est omnium simul populorum aut gentium, sed unius alteriusve gentis, unius alteriusque regionis; inflammatur enim aliorum exemplo. Martyres deprehendimus inter omnes populos christianos, etiam maxime dissitos, et omni aetate. Fanatismus, ut omnis furor aut passio vehemens, brevi extinguitur; martyria per saecula integra occurrunt. Gentilium incusationes rationibus similibus, quae praesertim e martyrum numero petuntur, optime refellit Lactantius (Instit. V, 13).

548. ***Scholion.*** I. *Fanatismi exempla.* Fanatismo manifesto ducuntur in Indiis illi, qui curruum, quibus idola vehuntur, rotis se ipsos subjiciunt necandos aut variis modis cruciatus sive per se ipsos sive per alios sibi infligunt. Fanatismo agebantur Donatistarum in Africa nonnulli, de quibus s. *Augustinus* ita refert: „Ad hanc (Donatistarum) haeresim in Africa et illi pertinent, qui appellantur circumcelliones, genus hominum agreste et famosissimae audaciae, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximeque praecipitiorum et aquarum et ignium seipsos necare consuerunt; et in istum furorem alios quos potuerint utriusque sexus seducere, aliquando ut occidantur ab aliis mortem, nisi fecerint, comminantes". De haer. n. 69.

Quid de quibusdam virginibus? In persecutione Diocletiani virgines quaedam christianae, ut persecutorum insultus effugerent, ipsae se in fluvium praecipites dedisse leguntur. *Euseb.* h. e. VIII, 12, De his aliisque paucis s. *Augustinus*. postquam dixit, hominem quidem sibi ipsi manus licite inferre non posse, illas tamen in Ecclesia veneratione celeberrima frequentari, ita concludit: „De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiae aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio; et fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptae, sed divinitus jussae, nec errantes, sed obedientes? sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere". De civ. I. 26. Quum hujusmodi facta sint rarissima, ex iisdem, etiamsi quis temere censeret, errore humano perpetrata esse, inferri non potest, martyres passim, i. e. tot alios quoque, qui morte longe dissimili interierunt, fanatismo fuisse impulsos.

549. ***Scholion.*** II. *Lapsi quomodo testes?* Testibus, qui fidem ad mortem usque professi sunt, opponi non possunt illi, qui tormentis victi fidem negarunt; imo et ipsi aliquatenus illorum testimonium confirmant. Opponi non possunt, quia ex eo, quod cruciatibus tandem superati idolis thus offerunt, tantum sequitur, eos officio suo, fidem externe profitendi omnemque actum externum eidem contrarium vitandi deesse: minime autem sequitur, eos quod antea verum judicarunt et professi sunt, nunc judicare falsum. Religionis veritatem attestati sunt, quamdiu vis non inferebatur; multi etiam diu vel

aliquamdiu testati sunt inter tormenta. „Vidi ego, ita *Lactantius* narrat, in Bithynia praesidem gaudio mirabiliter elatum, tamquam barbarorum gentem aliquam subegisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus esset". Instit. l. V, c. 11. Imo quum hujusmodi lapsi, pace reddita, ad externam fidei professionem et ad poenitentiam reverterentur, suo etiam modo religionis veritatem testabantur.

Propositio 115. *Martyrum mira inter tormenta ad mortem usque constantia, quatenus spectatur ut effectus speciali Dei auxilio debitus, religionem christianam demonstrat esse divinam.*

550. Hic non jam ex eventuum immediata attestatione argumentum petimus, sed proxime e constantia in tormentis sive invicta ad religionem christianam adhaesione, cujus constantiae auctor sit ipse Deus. Supernaturali hac constantia martyres veritatem religionis sive revelationis mediate attestantur. Utrumque argumentandi modum, ex immediata et mediata attestatione, *Minucius Felix* complectitur ethnicos ita alloquens: „Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere?" Octav. n. 37.

Pars I. Certum est, martyrum in fide profitenda constantiam effectum esse supernaturalem sive Dei in martyres influxui deberi, et quidem non eo solum sensu, quod martyres rationibus supernaturalibus intellectui eorum exhibitis ad eximiam illam constantiam permoti sint, sed etiam ideo, quod Deus actione sua in eorum praesertim voluntatem influendo vires speciales eis addiderit. Ducebantur sane rationibus etiam objectivis, ut beatitudinis propositae desiderio et poenae aeternae metu: hae autem rationes objectivae non pro illa tantum vi, quam exercent, quatenus hominis operatio naturalis eas amplecti possit, agebant, sed simul et praecipue pro illa intellectus illuminatione et praesertim voluntatis motione, cujus auctor ipse erat Deus: Deus per se ipse agebat in martyres, non agebat in martyres solis veritatibus revelatis, nec solis promissis et minis, quatenus per revelationem externam et communem innotescunt.

551. **Probatur 1.** *ex hominis infirmitate naturali.* Sibi soli commissus homo nimis infirmus est, ut mala summa praesentia cum patientia praesertim diuturna et animi alacritate ac gaudio subeat propter rationes altiores a sensu remotas sive divinas. Rebus enim quae sensum movent et imaginationem percellunt, magis ducitur quam bonis immensis quidem, sed et invisibilibus et spiritualibus. Atqui martyres innumeri mala summa, sensibilia et praesentia non solum patienter, sed alacres et gaudentes pertulerunt praelucentibus rationibus non humanis, sed divinis, spiritualibus. Ergo singulari Dei auxilio eosdem suffultos esse dicendum est.

Utimur eodem fere argumento, quo theologi probare solent, hominem laborare impotentia morali ad superandas graves difficultates aut graves

tentationes vincendas ob solas rationes ab honestate desumptas; unde inferunt, eum indigere gratiae auxilio. Ratio petitur ex eo, quod homo ob infirmitatem sibi insitam nimis proclivis est ad sensibilia et praesentia sectanda, minusque affici et moveri insensibilibus solet. In nostra autem materia, quum agatur de gravissimis omnino difficultatibus, quae ob rationes ab honestate supernaturali sumptas superandae sint, impotentia illa longe manifestior est.

552. *Objectio refellitur.* Argumentum hoc infringi tantum posset ostendendo, fuisse rationes aliquas ab honestate distinctas, quibus martyres sufficienter impelli potuerint. Unica fingi potest ratio, videlicet honor a Christianis solitus exhiberi martyribus, quo videlicet naturaliter impulsi fuerint ad mortem et cruciatus omnes subeundos. — At fatendum est, honores illos fuisse aliquid valde exiguum, si cum malis gravissimis et morte ipsa comparentur. Si unus alterve moveri illis potuisset, non potuerunt tam multi. Neque semper deferri hujusmodi honores potuerunt, quum multi in carceribus interierint aut absque testibus mactati sint. Si aliqui, qui cruciatus sustinuerunt, postea vane de illis gloriari visi sunt, non licet illico inferre, eosdem ob vanam gloriam cruciatibus se exposuisse; potest enim accidere, ut homo de bono opere optima intentione suscepto et peracto postea vane glorietur. Optime norant martyres, non tantum si vanae gloriae studio mortem pro fide oppetere vellent, vires sibi defuturas, sed inutile etiam, si non propter Deum obiissent, ipsum fore martyrium. Martyrii constantiam singulare Dei donum esse Ecclesiae praesules continuo monebant. „Non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere"; hisce verbis *Cyprianus* consolabatur Christianos, qui morbo grassante dicerent: „Hoc me in praesenti mortalitate contristat, quod qui paratus ad confessionem fueram et ad tolerantiam passionis toto me corde et plena virtute devoveram, martyrio meo privor, dum morte praevenior". De mortal. n. 17. Si principia, quibus Christiani in morte subeunda ducebantur, attendimus, facile cernimus discrimen ingens, quod intercedit inter ipsos et alios, qui non aeternae vitae intuitu, sed ob humanas rationes mortem oppetierunt.

553. **2.** *e martyrum comparatione cum viris paucis fortissimis.* Patientia et constantia, qua in una eademque religionis causa homines tam multi tamque aetate, conditione, sexu diversi eminuerunt, humanam naturam omnino excedere dicenda est, si omnibus fatentibus constantia, qua in causa naturali pauci viri, ut Regulus aliique, eminuerunt, communem et vulgarem hominum conditionem aliqua ratione excedit. At Reguli aliorumque facinora omnibus fatentibus communem modum aliqua ratione excedunt. Martyrum tamen passione inferiora erant. Suscipiebantur enim ob bonum, quod sensum afficit imaginationemque percellit: Regulus aliique volebant tueri patriam, pro qua tuenda bruta ipsa dimicant. Erant hi milites, qui gloria militari maxime afficerentur; agebant totius populi causam ejusque exspectatione et laude quam maxime fulciebantur. Longe alia in martyribus. Ergo horum constantia illorum facinora et naturam humanam omnino excedit.

Minucius Felix contra gentiles ita argumentatur: „Vos ipsi calamitosos viros fortis ad coelum, Mutium Scaevolam, qui cum errasset in regem, periisset in hostibus

nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate! Viros cum Mucio vel cum Aquilio aut Regulo comparo: pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt". Octav. c. 37. Similiter *Lactantius:* „Latrones et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt; exclamant et gemitus edunt. Vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem, ut de viris taceam, pueri et mulierculae tortores suos taciti vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, et Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere: alter ab hostibus deprehensus, cum videret, mortem se vitare non posse, manum foco injecit . . . Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo". Instit. l. V, c. 13.

554. **3.** *e martyrum sensu.* Nonnisi divino auxilio dolores tam diros tolerari posse, martyres sentiebant et fatebantur, et hac ratione iterum differebant a viris bellicosis, qui quum bonorum temporalium aut laudis desiderio impellerentur, divino auxilio se egere non sentiebant.

S. *Felicitas* quum in carcere partu immaturo doleret, quidam e captivorum ministris ei dixit: „Quae sic modo doles, quid facies objecta bestiis, quas contempsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: Modo ego patior quod patior, illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum". *Ruinart.* Acta M. ss. Perpet. et Felic. n. 15. Propterea etiam magnopere commendabatur Christianis, ne de seipsis praesumentes ultro se judici offerrent. In Ecclesiae Smyrnensis epistola de martyrio s. Polycarpi, post relatum lapsum cujusdam, qui ultro se obtulerat, additur: „Ideo non eos fratres laudare debemus, qui sē ultro offerunt, sed eos, qui inventi latentes in passione potius perseverant". Ruinart ib. PP. apostol.

555. **4.** *e gentilium confessione.* Ethnici ipsi, solius naturae vires perpendentes, martyrum constantiam Deo auctori tribuere cogebantur.

Testatur id *Lactantius* ita scribens: „Quum videat vulgus, dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare." Instit. l. V, c. 13. Haec ethnicorum persuasio in causa erat, cur, ut Lactantius ibidem animadvertit, post persecutiones „alius propter miraculum virtutis novus populus accedat". Similia *Tertullianus* testatur (Apol. c. 50). In ipsa etiam persecutionis procella non raro conversi sunt qui martyriorum fuerant testes, ut *Justinus* philosophus. Apol. II, n. 12.

556. **5.** *e miraculis comitantibus.* Deus manifestis quandoque miraculis monstravit, se martyribus praesidio esse viresque addere. Saepissime bestiae non audebant attrectare martyres, quum in alios quoscunque impetum facerent.

Ita accidisse refert, qui praesens adfuerat, *Eusebius*. „Voracissimae bestiae, inquit, longo temporis spatio nec attingere Sanctorum corpora nec propius accedere sunt ausae. Verum in alios quidem, qui a fide nostra alieni ipsas instigabant, impetum suum converterunt. Solos vero sacrosanctos athletas, qui nudis corporibus stabant, et commotis manibus eas in semetipsos provocabant (id enim facere jubebantur) ne contigerunt quidem. Imo interdum quidem in eos irruebant, sed protenus quasi divina quadam virtute relapsae retro cedebant. Quae quum diutius fierent, non mediocri admiratione defixi erant spectatores, adeo ut ob cassum et inanem prioris bestiae incursum altera rursus ac tertia in unum eundemque martyrem emitteretur". H. e. l. VIII, c. 7. Similia et antea contigerant; unde s. *Ignatius* martyr: „Utinam, inquit, fruar bestiis mihi praeparatis, quas et opto mihi veloces inveniri; quibus et blandiar, ut cito me devorent, non ut quosdam veritae non tetigerunt". Ep. ad Rom. c. 5. Quam frequentia fuerint charismata in Africa, quum illic Decii persecutio saeviret, constat potissimum e s. *Cypriani* epistolis.

557. *Objic.* 1. Ut argumentum infringant, nonnulli provocant non ad virorum paucorum, sed ad gentium integrarum consuetudinem, quae mortem patienter excipiant. *Aelianus* enim scribit: „Aegyptios ajunt patientissimos esse in tormentis, et citius moriturum hominem Aegyptium, dum torquetur, quam ut verum fateatur. Apud Indos vero eundem ignem cum mortuis viris uxores sustinent". Variar. hist., l. VII, c. 18.

Respond. Supponendo hujusmodi narrationibus, quibus et aliae similes addi possent, verum referri, nihil aliud sequeretur, nisi bonorum naturalium et visibilium amore et malorum naturalium et visibilium metu homines eo adduci posse, ut mortem patienter excipiant. Intelligitur, hominem in tormentis perire potius, quam crimen fatendo extremum supplicium simulque summam ignominiam subire velle. Intelligitur, Indorum aut Thracum mulieribus, si marito defuncto rogum subire recusant, propter summam ignominiam, quam apud omnes incurrunt, vitam morte molestiorem esse posse. Bona et mala naturalia et coram oculis posita vehementius movent animum, quam bona spiritualia et a conspectu remota. Christiani mortem pro religione plerumque ignominiosam obeundo aliquam sane a suis gloriam obtinebant, quam vero non esse quaerendam optime norant: cum exigua autem hac gloria simul magnam ignominiam apud gentiles subibant. Pariter religionem negando aliquod etiam dedecus incurrebant apud suos; attamen integrum eis erat, gentilibus se permiscendo maculam illam non curare. Longe diversa sunt, quae apud Indos aliosque populos manent viduas mortem refugientes: infames sunt probrisque morte paene acerbioribus afficiuntur.

Caeterum viduarum in India non est illa patientia quae fingitur. Statutis legibus obligantur, ut populo spectante in mariti rogum se ipsae injiciant; si refugiunt, ab aliis ut se injiciant compelluntur, dum tympanorum sonitu et astantium vociferacionibus miserarum ejulatus opprimuntur.[1])

[1]) Inter mulieris officia, quae libris Indorum sacris statuuntur, etiam hoc refertur, „mulierem, quum filios suos et nepotes et ornamenta minus quam maritum amet, marito mortuo debere seipsam offerre ut viva comburatur super illius rogo: omnem hominem ejus virtutem esse celebraturum". Ineunte hoc saeculo (a. 1803) numerus illarum quae hac ratione comburerentur, ad triginta millia quotannis adscendere a gubernio britannico inquisitione instituta deprehensus est. *De Maistre*, Soirées de St. Petersbourg, tom. II. Eclaircissement sur les sacrifices ch. II. Crudeli

558. *Objic.* 2. Alii volunt, sola immortalitatis fide, hinc boni invisibilis desiderio etiam naturali homines passim ita institui et assuefieri posse, ut mortem contemnant. Provocant ad *Tacitum* de Hebraeis ita narrantem: „Animas praelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant; hinc generandi amor et moriendi contemptus". Hist. V, 5. Afferunt exemplum Mahomedanorum, paradisi spe in bello occumbentium.

Respond. a. Ad rem non est exemplum eorum, qui ad fortiter dimicandum et mortem in acie subeundam immortalitatis spe ex parte eriguntur. Novimus, ad occumbendum in acie quam plurimos stimulari solo amore illorum bonorum, pro quibus sive Judaei seditiosi sive Mahomedani moriebantur; plurimi enim moriuntur pro patria, pro libertate, pro finibus extendendis fortiter dimicantes; nec repugnat, ut his rationibus sensibilibus et aliae insensibiles, ut immortalitatis spes, accedant.

b. Quod spectat ad Hebraeos illos, qui animas „suppliciis interemptorum" aeternas putare et mortem contemnere dicuntur, certum non est, Tacitum de Judaeis seditiosis loqui. Secundum nonnullos aliqua ex illis, quae sunt Christianorum, Judaeis tribuit. Fortasse alludit ad illa, quae Machabaeorum tempore nonnulli pro lege observanda perpessi sunt. In utraque hypothesi agitur de patientia, quae gratiae auxilio nitebatur.

Pars II. E martyrum constantia supernaturali sequitur religionis christianae veritas.

559. **Probatur 1.** *ex impulsu divino.* Martyres a Deo ipso impellebantur, ut religionem christianam veram crederent eique adhaererent. Deus autem, ut antea ostendimus (Prop. 44), non potest impellere ad amplectendam religionem, quae se revelatam dicit, quum non est revelata, nec ad exercendum cultum falsum. Ergo quum impellat, certo revelata est et cultum verum constituit.

560. **2.** *ex effectu.* Veritatis argumentum stringens et idoneum est illud, quod homines quam plurimos, et quidem prudentissimos et veritatis studiosissimos, ad religionem christianam complectendam attraxit. Nam ut omnis causae, sic etiam argumenti vis non tantum ex ejus natura, sed etiam ex effectibus cognoscitur; unde argumentum natura sua stringens et convincens dicendum est illud, quod quam plurimis persuadet. Porro argumentum, quod hominibus prudentissimis et veritatis studiosissimis persuadet, natura sua idoneum i. e. ad veritatem demonstrandam accommodatum sit oportet; nam argumento nulli confidere liceret, si vel illa argumenta, quae viris prudentissimis quam maxime probantur, in errorem inducerent. Atqui martyrum constantia per tria saecula quam plurimos et quidem viros prudentissimos eosdemque veritatis studiosissimos ad religionem christianam complectendam permovit; ergo haec constantia veritatis argumentum et stringens et idoneum sit oportet.

hoc sacrificio per magistratus britannicos prohibito consuetudo inveterata jam cessavit. Catholic Missions in Southern India to 1865, by Rev. W. *Strickland* and F. W. M. *Marshall*, ch. XII.

Historia comprobatum est, quod de martyrii efficacia scribere non verebatur *Tertullianus:* „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra . . . Nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quotiens metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum". Apol. c. 50. Et vero, inter ipsas persecutiones Christianorum numerus augebatur, ut notat *Lactantius:* „Quum noster numerus semper de deorum cultoribus augeatur, numquam vero, ne in ipsa quidem persecutione minuatur, . . . quis est tandem tam excors tamque coecus, qui non videat, in utra sit parte patientia?" Inst. V, 13. Alii enim in labentium locum succedebant, et lapsi ipsi, quum ore vel factis se Christianos esse negabant, fidem tamen servabant et mox cum Deo et cum Ecclesia conciliabantur. Homines prudentia insignes et veritatis amantes martyrum constantia fuisse conversos, discimus imprimis s. *Justini* philosophi exemplo, qui martyrum conspectu se fidem concepisse fatetur. Apol. II, 12. Similia scriptores passim referunt. Ipsa imperii Romani conversio post persecutionem Diocletiani omnium crudelissimam testatur, verissime centum ante annis *Tertullianum* scripsisse: „Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? quis non, ubi requisivit, accedit?" Apol. c. 50. Merito igitur s. *Ambrosius* de ethnicis agens affirmat: „Numquam nobis amplius contulerunt, quam cum verberari Christianos atque proscribi ac necari juberent. Praemium fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Per injuriam, per inopiam, per supplicium nos crevimus". Ep. 18, n. 11. — Cf. *Hurter,* Dissert. Martyrum sanguis vox veritatis. Ss. Pat. opusc. tom. 4, p. 143.

561. *Objicitur.* Doctrina exposita contradicere videtur quibusdam Patrum et theologorum sententiis. Etenim veritatis argumentum non est martyrium, si de ipso martyrio constare non potest nisi cognita jam veritate religionis christianae. Atqui constare non potest. Nam martyrium est mors tolerata non pro opinione aut persuasione quacunque, sed pro vera fide; ergo ut de martyrio constet, prius constet necesse est, veram fuisse fidem, pro qua homo mortuus est. Hinc illud, quod cum aliis Patribus saepe repetit s. *Augustinus:* „Christi martyrem non facit poena, sed causa". Cont. Crescen. Donatistam (III, c. 47, n. 51). De illis qui extra Ecclesiam constituti sunt, s. *Cyprianus* scribit: „Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus". De unit. Eccl. n. 14. Propterea etiam theologi haereticis respondent, sectae veritatem non esse demonstrandam ex morte illorum, qui pro ea interfecti sint. *Suarez.* Defensio fid. cath. l. I, c. 20. Vide plura apud Bened. XIV. De beatif. et canoniz. l. III, c. 19 et 20.

Respond. Ad objectionem solvendam multiplice opus est distinctione.

1. In ordine ontologico sive ex parte rei fides vera est prior martyrio ob rationem indicatam. Attamen in ordine psychologico sive in ordine cognitionis fides vera non est necessario prior; nam ut demonstratum est, e martyrio cognosci potest religio revelata.

2. Si aliunde constat, veram non esse fidem illam, pro qua homo quicunque mortuus est, eo ipso constat, eum non esse martyrem. Valet hic, quod de factis mirabilibus diximus, quibus pseudopropheta demonstrare nitatur veritatem suae doctrinae: non sunt vera miracula.

3. S. Patres et theologi merito rejiciunt haereticos illos, qui e martyriis suorum demonstrare volebant sectae suae veritatem. Quum enim

religio catholica tot aliis argumentis certo vera demonstrata sit nec in dubium revocari possit, a priori constat, haereticorum illorum mortem non fuisse verum martyrium. Etiam hic valet, quod quandoque evenit in sectis, quae doctrinas suas esse veras miraculis demonstrare volebant.

4. Haereticorum pro secta sua mors numquam exhibebit signa illa, quibus certo colligitur, patientiam martyrum christianorum fuisse supernaturalem. Imprimis nunquam fuit haereticorum pro sua secta interfectorum numerus tantus nec tam varius ob aetatis, conditionis, sexus diversitatem, ut pateret, patientiam non esse effectum fortitudinis naturalis. Certe si viri, qui armis rem gesserant, devicti cum animi constantia mortem subeunt, aut si novae sectae auctor, ut *Hus*, potius mori velit quam errorem fateri, non est necessario concludendum, hos gratiae auxilio impelli.

5. Imo ex ipsis circumstantiis constat, haeretici pro sua secta morientis patientiam non posse esse supernaturalem. Actio enim illa, qua religioni catholicae tot argumentis demonstratae resistit et sive suae sive magistri unius sententiae ita inhaeret, ut ad mortem subeundam promptus sit, est summe imprudens; actio vero adeo imprudens Deum auctorem habere nequit. V. *Suarez* l. c. c. 20, n. 4.

6. Quod attinet haereticum invincibiliter ignorantem se errare, simul tamen paratum ad credenda omnia quae Deus revelavit, si ob verae alicujus doctrinae, v. g. de Jesu divinitate, professionem a gentilibus aut Judaeis morte afficeretur, responderi solet, eum esse martyrem coram Deo, non coram Ecclesia, quum haec ex actionibus exterioribus judicium ferat. *Bened.* XIV. l. c. c. 20, n. 3. Cf. *Gotti,* Vera Ecclesia tom. I, c. 3.

7. Haereticus pro fidei articulo vero, quem ab Ecclesia catholica acceptum retinuit, mortem subiens non suae sectae, sed articuli illius veritatem testatur; unde etiamsi haeretici plures ob religionis christianae professionem a gentilibus interfecti fuissent, eorum testimonio christianae religionis, non sententiae haereticae veritas confirmaretur. Caeterum paucos tantum haereticos, si qui omnino, primis saeculis ita occubuisse constat: haeretici apud exteros Christianorum quidem nomen, non tamen persecutiones participare solebant.

Insignis est locus s. *Irenaei:* „Ecclesia, inquit, omni in loco ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium; esse enim martyrium verum sententiam eorum: nisi si unus aut duo aliquando, per omne tempus, ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi et ipse misericordiam consecutus, opprobrium simul bajulavit nominis et cum eis ductus est, velut adjectio quaedam donata eis". Cont. haer. l. IV, c. 33, n. 9. S. *Justinus* scribit, haereticos ne vexatos quidem esse a Romanis. De Menandri et Marcionis discipulis ita pronunciat: „Qui ab istorum disciplina profecti sunt, ii omnes appellantur Christiani . . . An etiam nefanda illa et fabulosa facinora perpetrent, non scimus. At eos a vobis nec vexari nec occidi, saltem ob ipsorum opiniones, novimus". Apol. I, n. 26. Persecutiones et martyria verae Ecclesiae privilegia s. *Cyprianus* existimat. „Neque enim, inquit, persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi; haereticos prostratos semel et suos factos contemnit et praeterit". Ep. 61 (Hartel, Baluz. 58) ad Lucium pap. Rom. n. 3.

Articulus IV.

De religionis christianae fructibus.

562. Cum de religionis christianae propagatione ageremus, non pauca de effectibus, quos in hominibus produxerit, attingenda erant; ejus enim propagatio ideo tam est mirabilis, quia quicunque ad eam accedit, ad maxime ardua praestanda se obligat. Attamen cum aliud sit ardua promittere, aliud ardua praestare, cum porro Christiani ardua ad quae sese obstringunt, etiam excesserint, et cum religio christiana etiam illos, qui eam admittere recusarent, quorundam beneficiorum reddiderit participes, ideo de ejus effectibus etiam diserte agere proficuum est. Arbor enim ex fructibus cognoscitur et haec arbor vitae, quam Christus plantavit, e fructibus mirificis omni tempore cognita est a plurimis.

Negandum quidem non est, etiam extra religionem christianam boni aliquid effici posse; natura enim humana ipsa mala non est. Affirmamus autem, bona tam varia, tam ampla, tam eximia simul omnia, quae ut religionis christianae fructus exhibentur, ab hac sola nec ab ulla alia religionis forma producta esse.

Bonum immensum et ingens morum mutatio, quae religionis christianae fructus est, ut recte intelligatur, ob oculos ponenda foret generis humani conditio miserrima, quae cernebatur passim, praesertim in Romano imperio, quo tempore religio christiana propagari coepit. Solent de conditione illa abjecta et morum depravatione agere historiae ecclesiasticae scriptores; unde ad hos remittimus illos, qui ampliora cupiunt. Cf. Fr. Alb. Maria *Weiss*, O. Pr. Apologie des Christenth. vom Standpunkte der Sitte und Cultur, III, 1. Erster Vortrag. Das Ende der alten Welt.

Non potest esse in animo de omnium fructuum, quos religio produxit, generibus hoc loco agere. Ad illos solos nos restringimus, qui quod quaeritur facilius demonstrant.

Propositio 116. *Religio christiana ex effectibus, quos in ordine tum intellectuali tum morali produxit, divina demonstratur.*

Pars I. Ut religio ex effectibus, quos in ordine *intellectuali* produxit, divina demonstretur, requiritur et sufficit, ut homines cognitionem veritatis amplissimam, quae religioni christianae debetur, efficere non potuerint. Genus humanum absque singulari Dei auxilio, cujusmodi est revelatio, non posse pertingere ad religionis naturalis cognitionem evolutam, supra demonstratum est (Prop. 24). Unde quam primum constat, cognitionem talem per religionem christianam hominum societati collatam esse, pariter etiam constat, Deum esse ejusdem auctorem. Cf. supra Prop. 32. 563. **Probatur 1.** *e veritatum amplissima diffusione inter Christianos.* Christianos, quorum fidem mirabiliter propagatam esse hactenus ostendimus, cognitione illa amplissima gaudere constat; ergo continuo sequitur, quod diximus. Et vero, ita concludendum est, etiam non habita ratione argumentorum, quibus revelationem hac-

tenus demonstravimus. Nam intellectus lumine constat, religione christiana contineri complexum amplissimum veritatum, quae religionem naturalem constituunt. Atqui hujusmodi veritatum complexum stabilire et diffundere potentiam humanam excedit; ergo Deus ipse eundem diffudisse dicendus est.

564. **2.** *apud haereticos conservatione.* Religioni christianae per Apostolos eorumque socios propagatae debetur etiam illa religionis naturalis cognitio, quae conservata est apud haereticos sive illos, qui a magna Christianorum societate per mundum diffusa defecerunt; ergo quum et hic complexus, quatenus cum illo, quem religio christiana tradidit, consentit, opus sit humanam potentiam excedens, auctorem Deum arguit. Complexus autem hic apud haereticos conservatus religioni christianae duplice titulo debetur, videlicet tum quia ab haereticis, antequam discederent, haustus est e religione christiana, tum quia haeretici utut separati a magno Christianorum coetu, hujus tamen influxui et actioni, quamvis nolint, perpetuo subjacent eoque juvantur ad doctrinas pristinas conservandas. Experientia enim ipsa docet, haereticos, qui in catholicorum terris vivunt, veritatis revelatae fundamenta diutius conservare quam illos, qui ab eisdem sunt separati. Unde etiam fit, ut veritates apud haereticos conservatae non sectae, sed fontis primitivi divinam originem demonstrent.

Idem suo modo applicandum est Islamismo, qui quae vera continet, imprimis unius Dei confessionem, e revelatione partim mosaica, partim christiana hausit.

565. **3.** *ex effectibus inter exteros.* Etiam illi, qui revelationem christianam fide suscipere noluerunt, ejus tamen lumine, quod penitus effugere non potuerunt, errores plures dedocti et aliquot quasi radiorum participes redditi, fontis luminosi ubertatem vel inviti testati sunt.

Religione christiana latius jam sparsa gentiles plures aperte profiteri coeperunt, sentire se cum Christianis docentibus, *idola* non esse deos. Ita profitetur Celsus, acerrimus illorum hostis. *Orig.* c. Cels. I, 5.

Perspicere etiam coeperunt *fabularum* suarum ineptias; hinc eorum studium eisdem tamquam mythis saniorem substituendi sensum. De quo studio ita *Arnobius:* „Quid sit istud, jam promptum est omnibus; nam quia talium scriptorum historiarumque vos pudet, nec aboleri videtis posse ea, quae sunt foede semel in commentarios relata, nitimini cohonestare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus subditis verborum invertitis corrumpitisque naturas". Advers. nat. V, 43. Ostendit porro, non omnibus fabulis subdi posse sensum sanum, quantumvis ethnici conentur.

Ulterius etiam progressi, qui saeculo IV. ad finem vergente supererant ethnici, *monotheismum* aperte profiteri coeperunt. *Orosius* refert: „Quidam dum in multis Deum credunt, multos deos indiscreto timore

finxerunt. Sed hinc jam vel maxime, cum auctoritate veritatis operante, tum ipsa etiam ratione discutiente, discessum est . . . Unde etiam nunc pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis quam de ignoratione convincit, cum a nobis discutiuntur, non se plures deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur". Hist. VI, 1.

Philosophi neoplatonici etiam alias magistri sui doctrinas e christianae revelationis regula correxerunt. Platonicam sententiam de animarum *transmigratione* correxit *Porphyrius*. Testante s. *Augustino* „de istis circuitibus et sine cessatione alternantibus itionibus et reditionibus animarum Porphyrius Platonicus suorum opinionem sequi noluit, sive ipsius rei vanitate permotus, sive jam tempora christiana reveritus". De civ. XII, 20, n. 3. Ad eamdem rem revertens s. doctor prosequitur: „De quo Platonico dogmate jam in libris superioribus diximus christiano tempore erubuisse Porphyrium". De civ. l. XIII, c. 19.

Apulejus et alii, christiana veritate edocti, quos Plato *daemones* dixerat, jam non bonos, sed malos angelos merito censeri fassi sunt. Juxta Platonem daemones inter deos et homines sunt medii: „habent enim, ut Augustinus illius vel Platonicorum doctrinam exponit, cum diis communem immortalitatem corporum, animorum cum hominibus passiones. Quapropter non est mirum, inquiunt, si etiam ludorum obscenitatibus et poëtarum figmentis delectantur; quandoquidem humanis capiuntur affectibus, a quibus dii longe absunt et modis omnibus alieni sunt". De civ. VIII, c. 14, n. 1. *Apulejus* librum, in quo de notissimo daemone Socratis egit, quamvis eum a diis distingueret, tamen non „de daemone", sed „de deo Socratis" inscripsit. „Ita enim, ut s. *Augustinus* prosequitur, „per sanam doctrinam, quae humanis rebus illuxit, omnes vel paene omnes daemonum nomen exhorrent, ut quisquis ante disputationem Apuleji, qua daemonum dignitas commendatur, titulum libri ‚De daemone Socratis' legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret". Daemonum dignitatem Apulejus dixit eorum subtilitatem et habitationis locum, „nam de moribus eorum, quum de omnibus generaliter loqueretur, non solum nihil boni dixit, sed etiam plurimum mali". Et vero malos esse daemones manifestum est, quum „scenicam turpitudinem" ament, „et quidquid in eorum sacris obscena solemnitate seu turpi crudelitate vel ridetur vel horretur, eorum affectibus conveniat". Ib. Scripturae loquendi modus, quo angelorum nomen partim bonis partim malis, daemonum vero nomen nonnisi malis angelis tribuitur, in Christianorum loquendi consuetudinem abiit; „et hanc loquendi consuetudinem, Augustino teste, in tantum populi usquequaque secuti sunt, ut eorum etiam, qui pagani appellantur, et deos multos et daemones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam litteratus et doctus, qui audeat in laude vel servo suo dicere: Daemonem habes; sed cuilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quam maledicere voluisse, dubitare non possit". De civ. IX, c. 19. Cf. *Baltus*. Défense des ss. Pères accusés de Platonisme, l. IV, ch. 7.

Inter religionis christianae effectus veritates illae numerandae sunt, quas Deismus sive ethnicismus recentior conservavit. Si enim ab illa oculos penitus averteret, in easdem praecipitaretur tenebras, in quibus ethnicismus antiquus jacuit et in quas ethnicismus recentior, experientia teste, quandoque relabitur.

566. Pars II. Divina pariter demonstratur religio per effectus, quos produxit in *moribus* emendandis et perficiendis.

Genus humanum, cujusmodi erat cum religio christiana propagari coepit, humana ratione nulla revocari poterat a summa morum corruptela, qua infectum jacebat; idemque dicendum est de plerisque gentibus, quae postea Evangelium receperunt. Si enim homo quicunque naturali tantum ope Dei notionem congruam vel in una gente, ut vidimus (n. 98), spargere non potuit, multo minus humana auctoritas quaecunque in tot gentibus sive cultis sive barbaris insignem morum emendationem producere potuit. Difficilius enim mores corriguntur, praesertim in rebus, ad quas humana poenas externas infligendi potestas non pertingit. Unde concludendum est, religionem christianam, si insignem morum mutationem produxit et quidem non in paucis tantum bene dispositis, nec in una tantum gente, sed passim, in plurimis, in omnibus gentibus, vi supernaturali et divina praeditam esse. „Si quis posset, ita *Origenes* argumentatur, a vitiorum colluvie, a libidine, a nequitia, a contemptu numinum, animas avertere, tantique operis specimen in centum hominibus dedisset, quos revocasset ad meliorem frugem; hunc nemo jure dixerit sine Deo centum illos homines a tantis vitiis liberasse". Cont. Cels. I, n. 26. Potiore etiam jure id concludendum est, si homines non tantum a vitiis avocavit, sed ad eximiam et heroicam virtutem multos eorum provexit. Longe enim minus homines ad virtutes eximias et heroicas constanter exercendas ratione ulla humana promoveri possunt.

567. **Probatur 1.** Religione christiana insignem morum emendationem et perfectionem passim esse inductam, certissimis Christianorum et gentilium *testimoniis* abunde constat.

S. *Justinus* Christianorum causam defensurus, ingenue eorum mores exponit nullatenus verens, ne falsitatis arguatur ab ethnicis actionum omnium testibus. Apol. I, n. 14. Vid. locum allatum supra p. 510. Expositis dein Christi praeceptis de castitate, ita pergit: „Ac multi quidem ac multae annos sexaginta et septuaginta nati, qui a pueris Christi disciplina imbuti sunt, incorrupti perseverant; talesque in omni hominum genere monstraturum me profiteor. Quid enim innumerabilem eorum multitudinem dicam, qui ex lascivia sese receperunt atque haec didicerunt? Non enim justos neque castos ad poenitentiam vocavit Christus, sed impios et incontinentes et injustos". Ib. n. 15.

Tertullianus postquam ad frequentia gentilium de bonis Christianorum moribus testimonia provocavit, vesanum illorum odium ita perstringit: „Ut quisque hoc nomine (christiano) emendatur, offendit; tanti non est bonum, quanti odium Christianorum". Apol. c. 3. Idem „Romani imperii antistites" ita alloquitur: „De vestris semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si et aliud, jam non Christianus. Sed dicet aliquis, etiam

de nostris excedere quosdam a regula disciplinae. Desinent tunc Christiani haberi penes nos". Apol. c. 47. Quid gentiles de puritatis amore, quo Christiani flagrent, sentiant, Tertullianus e supplicio quo martyres afficiunt, demonstrat: „Ad leonem, inquit, damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari". Ib. c. 50. Juxta eundem Christiani etiam gentilibus nulla re magis erant „noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum". Ad Scap. c. 2.

Secundum *Origenem* perpendendum est, „quantis injustitiis, quantis cupiditatibus dediti illi ante fuerint", qui religionem christianam sint amplexi; „quanto autem, ex quo illi doctrinae se dociles praebuerunt, aequiores, graviores constantioresque sint redditi, ut eorum quidam cum eximiae puritatis amore tum quo castius ad cultum divinum accedant, voluptatibus etiam lege permissis abstineant". Cont. Cels. I, 27. Non veretur scribere: „Ecclesiae Dei a Christo edoctae, si cum populorum conciliis, quibuscum habitant, comparentur, in mundo tamquam lumina sunt. Ecquis enim non fateatur, eos, qui in Ecclesia deteriores sunt et in meliorum comparatione pejores, praestantiores esse multis eorum, qui in popularibus coetibus vivunt?" Ib. III, 29.

Plinius in Christianorum vitam inquirens nihil detexit nisi, ut in sua ad Trajanum epistola fatetur, eosdem „stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent". X, 96.

Notissima gentilibus erat mutua Christianorum charitas. „Vide, inquiunt, ut invicem se diligant, et ut pro alterutro mori sint parati". Has illorum voces *Tertullianus* refert. Apol. c. 39. Nec ad solos „fratres" charitas eorum restringebatur. *Julianus* apostata dolebat, quod idolorum sacerdotes impensis publicis suffulti non aemulentur Christianorum charitatem. Ad Arsacium scribens: „Turpe, inquit, fuerit, ex Judaeis quidem neminem mendicare, impios vero Galilaeos praeter suos pauperes etiam nostros alere, nostros autem mendicos nostra ope ac subsidio destitutos videri". Apud *Sozom.* h. e. V, 16. Idem contra Christianos „movere bellum manifeste nolebat; omnes enim, dicebat, ad martyrium quasi ad alvearium apes volabunt". Apud s. *Chrys.* or. in Juventin. et Maximin. n. 1. Ed. M. II, p. 573.

568. **2. Religione christiana insignem morum probitatem et sanctitatem productam esse, testatur ipsa ejusdem *celerrima propagatio*.** Nam ex parte religio ut divina agnita et recepta ideo est, quod de Christianorum probitate et sanctitate eximia plerisque persuasum esset. Haec autem persuasio tam communis oriri non poterat, nisi Christianorum probitas et sanctitas revera eximia esset; et religionis divina origo tam universaliter inferri non poterat, nisi revera intimus inter istam et illam esset nexus.

Christianorum probitati et sanctitati religionem magna ex parte propagationem suam debere, imprimis testatur *Julianus* apostata, rerum, quae Christianos spectant, optime gnarus. Arsacium idolorum sacerdotem ad cultum sedulo promovendum instigaturus scribit: „Non attendimus, quid Christianorum religionem potissimum auxerit: humanitas scilicet in peregrinos, et in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, et simulata morum

gravitas. Quorum singula vere a nobis exercenda esse existimo". Apud *Sozom.* h. e. V, 16. Non fuisse simulatam morum gravitatem, sed veram sanctitatem tanta censuit gentilium multitudo, quae post singulas persecutiones, perspecta videlicet Christianorum innocentia et fortitudine heroica, ad eos accessit. Ipsum illud argumentum, quod e miraculis ducitur, vim suam non potuit plene exercere, nisi de Christianorum virtute constaret gentilibus. Nam ut recte monet *Origenes,* in eo qui mira patrat, inter alia etiam mores attendendi sunt, ut miracula vera a falsis distinguantur. Cont. Cels. II, n. 51. Eratque illud eo magis necessarium, quo frequentius tempore, de quo agimus, in Romano imperio erat magiae, divinationis malarumque artium usus, a quibus distinguenda erant Christianorum miracula[1]). Multo etiam magis attendendi sunt mores illius, qui facta quaecunque accidisse testatur. Cum igitur plurimi aliorum testimonio crediderint miracula et signa illa, quibus religio demonstratur vera, et cum horum testimonio inducti quam plurimi religionem veram esse censuerint, patet, de eximia Christianorum probitate passim constitisse.

569. **3.** Ipsa *morum* saltem *publicorum commutatio,* quam etiam in ethnicis religionem christianam aversantibus conspicere licuit, Christianorum doctrinae et exemplo debetur. Sensim id saltem effectum est, ut vitiis non amplius cultus aut honor deferretur, ut potius ob dedecus connexum latebras quaererent. Ut veritates speculativae, ita etiam practicae inter gentiles sensim sunt receptae. Patet hoc potissimum in juribus, quae usus antiquus heris tribuebat in servos. Mancipium secundum antiquos res animata erat, de qua ut de re alia quacunque inanimata herus disponebat. Servorum non agnoscebatur matrimonium, sed solum contubernium; referente Julio Paulo etiam „inter servos et liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium potest". Recept. sent. tit. 19, §. 6. Nihilominus sub Callisto Pontifice saltem in foro Ecclesiae jus naturale agnitum est, quum illo approbante matronae christianae, matrimonium cum gentilibus refugientes, cum libertis et servis christianis matrimonia inire coeperunt, incassum reclamante et calumniante Hippolito. Philosophumena l. IX, n. 12. Migne P. gr. t. 16, p. 3386. *Hagemann,* Die Röm. Kirche p. 67. *Döllinger,* Hippol. u. Kallist. p. 158. Paul *Allard,* Les Esclaves chrétiens, (Paris 1876) Livre II, ch. IV.

Prius quam lex civilis iniqua de connubiis, restricta est lex civilis de potestate heri in servos.

[1]) Usum illum testantur non tantum historiae scriptores, imprimis *Tacitus* et *Suetonius,* sed etiam jurisconsulti. Apud Jul. *Paulum* legimus: „Vaticinatores, qui se Deo plenos assimulant, idcirco civitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicujus rei corrumperentur, vel certe ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primo fustibus caesi civitate pelluntur: perseverantes autem in vincula publica conjiciuntur aut in insulam deportantur vel certe relegantur". Recept. sentent. l. V, tit. XXI, §. 1. Ed. Bonn. 1833.

De hac *Gajus* juris consultus, qui sub Hadriano et Septimio Severo floruit, scribit: „In potestate sunt servi dominorum, quae quidem potestas juris gentium est; nam apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitae necisque potestatem esse, et quodcunque per servum acquiritur, id domino acquiritur. — Sed hoc tempore neque civibus Romanis nec ullis aliis hominibus, qui sub imperio populi Romani sunt, licet supra modum et sine causa in servos suos saevire. Nam ex constitutione sacratissimi imperatoris Antonini qui sine causa servum suum occiderit, non minus teneri jubetur, quam qui alienum servum occiderit. Sed et major quoque asperitas dominorum per ejusdem principis constitutionem coercetur. Nam consultus a quibusdam praesidibus provinciarum de his servis, qui ad fana deorum vel ad statuas principum confugiunt, praecepit, ut si intolerabilis videatur dominorum saevitia, cogantur servos vendere. Et utrumque recte fit; male enim nostro jure uti non debemus; qua ratione etiam prodigis interdicitur bonorum suorum administratio". Institut. l. I, §. 52. 53. Ed. Berol. 1820. Ex eo autem, quod qui suum servum occiderat, non minus tenebatur quam qui servum alienum, minime sequebatur, eum non minus teneri quam qui hominem quemcunque occiderat.

A Constantino demum servi interfectioni homicidii poena statuta est.

Sunt qui hanc principiorum et usuum immutationem non religioni christianae, sed philosophiae stoicae acceptam referre velint, praesertim quia immutationis initia usque ad Claudium vel ad Augustum imperatorem pertingant, et quia philosophi stoici inde a Seneca de hominis jure naturali fere eadem docuerint quae Christiani. Fieri sane potuit, ut Romani principia humaniora primum a Judaeis hauserint. Attamen partem praecipuam deberi religioni christianae, Constantini exemplo patet. Partes aliquas tribuere etiam philosophiae stoicae licet, attamen ita, ut haec religionis christianae magisterio profecerit. Quod enim in aliis doctrinis, id etiam in morum disciplina factum fuisse negari non potest. Senecam, Neronis magistrum, quod attinet, saltem verosimile est, nonnullas Christianorum doctrinas compertas habuisse, quum ejus frater junior esset ille Gallio proconsul Achaiae, coram quo Paulus accusatus causam dixit (Act. 18, 12), ipse vero Seneca Romae versaretur, quo tempore Paulus Caesaris tribunal adiit. Quasdam sententias in operibus Senecae simillimas esse quibusdam Evangeliorum et s. Pauli sententiis, pluries notatum est. Cf. Franz de Champagny, Les Césars (Paris 1859) III, p. 439.

De religionis christianae effectibus Apologetae et ss. Patres saepe egerunt. Vid. *Euseb.* oratio de laudibus Constantini, passim; Praepar. evang. I, 4. *Lactant.* instit. III, 28. S. *Aug.* de moribus Eccles. c. 30. seq. Cf. Ant. *Seitz,* Die Apologie des Christenthums bei den Griechen des IV. u. V. Jahrh. (Würzburg 1895), p. 265, Zeugniss der Geschichte. 570. *Objic.* Contra illa quae de religionis christianae fructibus dicta sunt, modo provocatur ad scelera et flagitia, quae per Christianos perpetrata sunt et pariter religionis christianae effectus dici posse videntur: modo ad Christianorum mores, qui saltem quibusdam saeculis gentilium moribus perquam similes fuerint; imprimis saeculo jam V. Christianorum mores valde depravatos fuisse testatur *Salvianus* Massiliensis presbyter: unde nonnulli concludunt, Christianos Romani imperii incolas potius per barbaros, quam hos per Christianos eorumque religionem correctos et renovatos esse.

Resp. Ad istiusmodi objectiones solvendas haec notare sufficit:

1. Scelera et flagitia omnia quae narrantur, non efficiunt, ut vera non sint, quae de Christianorum virtutibus et de fructibus religione productis demonstravimus. E flagitiis illis hoc unum sequitur, religionis influxui, in alios tam salutari et efficaci, alios pro sua libertate restitisse. Caeterum flagitia per Christianos perpetrata nullatenus comparari possunt cum omnis generis flagitiis et sceleribus, quae inter gentiles

passim grassabantur. Ut temporibus christianis flagitia omnia eo magis enormia apparent, quo sanctior est religio et quo plures sunt, qui virtute eximia et sanctitate eminent, ita virtutum exempla, si quando a gentilibus eduntur, eo majorem excitant admirationem, quo communiora inter eos sunt flagitia. Praeterea gentilium flagitia non raro ab eorum religione non tantum permittebantur, sed et provocari et sacrari ipso deorum cultu solebant.

2. Nullo non tempore et loco religio christiana vim suam exercuit et fructus maxime salutares produxit, licet aliquibus temporibus aut locis triticum inter zizania exuberantia variis de causis minus emineret aut etiam suffocari videretur. Historia teste sanctitas maxime floruit inter persecutionum procellas. Pace diuturniore concessa, quum Deciana persecutio ingrueret, Christiani primum imbelles videbantur et Ecclesia ruinam lugebat multorum: persecutione durante fortitudo pristina rediit. Cf. s. *Cypr.* ep. 77, ad Nemesian.

Neque mirum esse potest, turbata Ecclesiae disciplina minui illum religionis influxum, qui per illius ministros exercendus est. Ecclesiae autem disciplina non parum turbata est, quo tempore barbari in Romanum imperium undique irruentes templa Dei devastarunt, episcopos et sacerdotes expulerunt, omnia miscuerunt. Caeterum neque isto tempore, etiam antequam religioni christianae barbari colla subdiderunt, in antiquis imperii incolis virtutum flores defuerunt. S. *Gregorius* Turonensis tempus, quo barbari Galliam vastarunt descripturus, ita orditur: „Prosequentes ordinem temporum miste confuseque tam virtutes sanctorum quam strages gentium memoramus: non enim irrationabiliter accipi puto, si felicem beatorum vitam inter miserorum memoremus excidia“. Hist. Franc. l. II. c. 1. Et vero quam plurima virtutum exempla mox exhibet. Multos Africae incolas, tum laicos tum praecipue episcopos, eximia omnino virtute floruisse, abunde testatur eorum constantia in persecutione Vandalica.

3. Ex eo quod s. Patres Christianorum mores quandoque vehementer reprehendunt, non est continuo concludendum, eos passim fuisse depravatos; concludendum imprimis est, pastores allaborasse, ut corrigerent, quidquid christianae vitae regulis contradicit, fideles autem suorum pastorum monita qua par est submissione excepisse.

Adversarii potissimum nituntur auctoritate *Salviani* Massiliensis presbyteri. At Bellarmino quidem judice Salvianus, „ita exaggerat vitia Christianorum et maxime clericorum sui temporis, ut nimius videri posset, nisi ex vero zelo gloriae Dei et salutis animarum oratio ejus proficiseretur“. De script. eccl.[1])

[1]) Ratio, cur Salvianus vitia sui temporis adeo exaggeraverit, facile intelligitur, si imprimis attenditur ipsa scribendi occasio. Barbaris undique irruentibus et Romanum imperium vastantibus non solum ethnici e deorum contemptu causam malorum omnium repetebant, sed etiam Christiani conquerebantur: „a Deo omnia praetermitti, quia nec coerceat, nec tueatur bonos, et ideo in hoc saeculo deteriorem admodum statum esse meliorum“. Salvian. De gubernat. Dei l. I, c. 2. Salvianus (circa a. 440) nititur ostendere, juste affligi omnes, quia omnes peccaverint: Romanorum, i. e. antiquorum imperii incolarum, culpam majorem esse, quia verae fidei donum teneant, dum barbari aut pagani sint aut haeretici. Sermonem vero ad solos Christianos convertit, „quia paganis, quod loquitur, profuturum esse desperat“. l. III, c. 1. Unde Christianorum tantum vitia incusat et exaggerat. Non negat, paganorum vitia in seipsis spectata eadem vel majora etiam esse quam Christianorum. „Injusti sunt barbari, et nos hoc sumus; avari sunt barbari, et nos hoc sumus; cupidi sunt barbari, et nos hoc sumus; impudici sunt barbari, et nos hoc sumus: omnium denique improbitatum atque impuritatum pleni sunt barbari, et nos hoc sumus“. l. IV, c. 14. Non possunt igitur ad Salviani auctoritatem provocare illi, qui barbarorum „mores

Articulus V.

De praetensa islamismi destinatione barbaros emendandi et ad religionem christianam suscipiendam praeparandi.

571. Mahomedis religio sive Islam (i. e. submissio) agnoscit Dei a mundo distincti unitatem, sed falsam jactat revelationem. Quod autem Deum unum et verum agnoscit, neque soli rationi debet neque revelationi falsae, quam praetendit esse divinam;

puros" adeo extollunt. Si barbarorum mores, ut rerum natura fert, aliqua ratione simpliciores et puriores erant quam Romanorum utpote rebus omnibus abundantium, aliquibus tamen vitiis prae Romanis eminebant barbari. Fatetur id Salvianus, ita prosequens: „Sed eadem, inquis, mala etiam barbari agunt, et tamen non sunt tam miseri quam nos sumus. Hoc ergo interest, quod etsi eadem agunt barbari, quae nos agimus, nos tamen majore offensione peccamus. Possunt enim nostra et barbarorum vitia esse paria; sed in his tamen vitiis necesse est peccata esse graviora. Nam cum omnes barbari aut pagani sint aut haeretici, ut de paganis, quia prior illorum error est, prius dicam, gens Saxonum fera est, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Hunorum impudica; omnium denique gentium barbararum vita vitiositas. Sed numquid eumdem reatum habent illorum vitia quam nostra, numquid tam criminosa est Hunorum impudicitia quam nostra, numquid tam accusabilis Francorum perfidia quam nostra" . . .? l. IV, c. 14. Barbaros haereticos i. e. Arianos, Vandalos et Gothos ita excusat: „Idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etsi non recte credere, affectu tamen piae opinionis errare, maxime quum sciat eos ea facere, quae nesciunt, nostros autem negligere, quod credunt, ac per hoc illos magistrorum peccare vitio, nos nostro". l. V, c. 2.

Aliqua perstringit vitia, quae solorum sint Romanorum, videlicet nimiae tributorum exactiones. „Decernuntur nova munera, decernuntur novae indictiones; decernunt potentes, quod solvant pauperes". l. V, c. 7. Attamen probe notandum est, saeculo quinto partes praecipuas administrationis tum civilis tum militaris adhuc penes gentiles fuisse. Patricii enim et nobiles Romani, qui primos magistratus gerere solebant, omnium obstinatissime antiquae consuetudini et religioni inhaeserunt. Magistratus aere publico theatra et ludos curabant, quibus non tantum mores pessumdabantur, sed etiam gentilium superstitio fovebatur. Quot et quanta mala illis antiquae idololatriae reliquiis in urbes majores invecta sint, Salvianus late prosequitur l. VI. Inter quos potissimum ordines mala haec sparsa fuerint, indicat scribens: „Vidi ego ipse Treveros domi nobiles, dignitate sublimes, licet jam spoliatos atque vastatos, minus tamen eversos rebus fuisse quam moribus . . . Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletae urbis remedio circenses ab imperatore postulabant". c. 13 et 15. Primos copiarum duces saepe ex ethnicis fuisse electos, inter alios suo exemplo *Littorius* docet, qui anno 439 in Gallia a Gothis victus captusque est, „dum aruspicum responsis et daemonum significationibus fidit." S. *Prosper* in Chron. Cf. Baron. ann. 439. Victum et captum esse Littorium Salvianus quoque refert (l. VII, c. 10), nec tamen dicit, fuisse ethnicum; Christianorum enim vitia, non ethnicorum, incusare propositum sibi habet; illos enim, non istos corrigere volebat. Eadem intentione ducitur, quum libris ultimis barbarorum meliores, Vandalos et Gothos haereticos, cum Romanorum pejoribus comparat. Hos censet esse Aquitanos et Novempopulos, et quidem propterea, quia „medullam fere omnium Galliarum et uber totius foecunditatis" possidentes maxime indulserint luxuriae. l. VII, c. 2. Addit eisdem Hispanos et Afros, pariter superatos a Vandalis, quorum imprimis temperantiam et castitatem laudat. At si nimius videri possit in Romanorum vitiis perstringendis,

debet id revelationi mosaicae et christianae, quam utramque aliquo modo agnoscit. Mahomedes enim (natus circa a. 570) Arabiae incolas gentiles, inter quos educatus erat, Judaeos et Christianos in unam societatem collecturus, Dei se prophetam jactabat

---

nimius etiam videri potest in istorum barbarorum virtutibus extollendis, praesertim dum attenduntur aliorum scriptorum testimonia. Vandalorum Africam ingressorum saevitia, crudelitas, impietas multis describitur a *Victore* Vitensi (De persecut. Vand.): Afrorum, etiam Carthaginiensium mores adeo depravatos fuisse, non facile credet, qui perpenderit, quot virtutum exempla a se conspecta referat s. *Augustinus*, Vandalis irruentibus adhuc inter vivos agens, aut quanta fortitudine tot Afrorum millia pro vera fide tuenda exilium, cruciatus, mortem obierint. S. *Victor*, rerum per Vandalos gestarum testis, historiam ita concludit: „Nonnulli, qui barbaros diligitis, et eos in condemnationem vestram aliquando laudatis, discutite nomen et intelligite mores. Numquid alio proprio nomine vocitari poterat, nisi ut barbari dicerentur: ferocitatis utique, crudelitatis et terrorum vocabulum possidentes?“ l. V, c. 18.

Salvianus quaestionem, ad quam responsurus erat, ita definierat: „Causaris, quid sit istud, quod Christiani, qui Deum credimus, miseriores omnibus sumus“. l. III, c. 2. S. *Augustinus* eoque hortante Paulus *Orosius*, idem argumentum tractantes, imprimis negant, quod ille causans supponit, Christianos, hostium incursionem patientes, miseriores esse omnibus. Ostendit Augustinus (circa a. 413), commoda et incommoda bonis et malis plerumque communia esse. De civ. l. I, c. 8. Admittit, punita etiam esse Christianorum vitia, sed minime asserit cum Salviano, Christianorum vitia aut aequalia aut majora esse gentilium vitiis. „Quid, inquit, in illa rerum vastitate Christiani passi sunt, quod non eis magis fideliter ista considerantibus ad profectum valeret? Primo quod ipsa peccata, quibus Deus indignatus implevit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, *quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis*, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se judicent dignos . . . Flagellantur (boni et mali) simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam, non quidem aequaliter, sed tamen simul“. c. 9.

Orosius et hoc addit, laudandam esse Dei misericordiam, si gentes in Romanum imperium penetrantes, „agnitionem veritatis acciperent, quam invenire utique nisi hac occasione non possent“. Hist. l. VII, c. 41. Id factum testatur in Burgundionibus, qui, inquit, „in Galliis praesumpta possessione consistunt, quamvis providentia Dei omnes Christiani modo facti, catholica fide, nostrisque clericis, quibus obedirent, receptis, blande, mansuete innocenterque vivant, non quasi cum subjectis Gallis, sed vere cum fratribus Christianis“. Ib. c. 32. Idem evenit in Francis, a quibus narrante *Gregorio* Turonensi quondam „multae ecclesiae depraedatae sunt, quia erat ille (Clodovechus) adhuc fanaticis erroribus involutus“ (l. II, c. 27), qui autem a S. Remigio fidem edoctus, baptismo „sordentes maculas deleturus“ audivit et secutus est illud: „Mitis depone colla, Sicamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti“. c. 31. Historia teste barbari a Christianis, antiquis Romani imperii incolis, non isti ab illis, mores bonos edocti sunt.

Provinciarum et ipsius urbis Romae per barbaros eversio, divina providentia ita disponente, id boni attulit, ut patricii Romani, magna ex parte adhuc idololatrae, in varias mundi partes fugientes aut saltem bonis suis spoliati, potentia illa privarentur, qua plures eorum hucusque abusi fuerant ad cultum deorum et ad traditiones pristinas conservandas. Everso per barbaros ordine civili noxio ordo novus religioni christianae accommodatus creari jam poterat. Quod nos ex ipsa eventuum serie merito inferimus, id s. *Augustinus* et *Orosius* ex modo, quo Roma capta et vastata

et quidem eum, qui Moysis et Christi revelationem absolveret et perficeret. (Gustav *Weil,* Historisch kritische Einleitung in den Koran.) Unde se affirmabat esse illum, quem Moyses praedixerat in lege et quem Christus promiserat Apostolis. Agnoscebat Christum esse prophetam, sed negabat, eum esse Messiam et Deum. Religionis systema quod composuit, longe magis ad Judaeorum quam ad Christianorum doctrinam accedebat. Retinuit etiam usus et ritus, qui vigebant inter Arabes gentiles, tum Sabaeos, sive astrorum, tum Magos, sive ignis cultores. Judaeorum et Christianorum doctrinam non e libris V. et N. Testamenti ipsis hauserat; sed illam e Rabbinorum commentis, hanc potissimum e quorundam haereticorum libris apocryphis et fabulis ore sparsis. Qua legislator longe magis ad Moysem quam ad Christum accedebat: nam cum potestate et legislatione religiosa civilem jungebat; hanc tamen non in unum tantum populum, ut Moyses, sed in omnes populos exercere satagebat. Lex Mahomedis reperitur in Korano i. e. „libro", quem e coelo sibi missum fingebat. Praeter hunc religionis mahomedanae fontem reperitur etiam collectio effatorum prophetae, quae tamen non est eadem apud omnes islamismi sectas. In plures enim sectas religio Mahomedis inde a primis temporibus divisa est. Religionis summam secundum doctores Arabes constituunt haec quinque capita, quae et „bases" dicuntur: „Professio unitatis Dei; eleemosyna praescripta; oratio statuta; jejunium mensis Rhamadan; peregrinatio ad delubrum Meccanum pro iis, qui possunt talem peregrinationem suscipere". V. *Marraccius* Alcorani textus universus translatus (Patavii 1698) Prodrom. pars IV, c. 3. Observations hist. et crit. sur le Mahométisme, traduites de l'Anglais, de G. Sale, in opere: Les livres sacrés de toutes les Religions, par Pauthier et Brunet, tom. II. Paris 1858. — Boysen-Wahl, Der Koran, (Halle 1828) Einleit. Fides islamitica i. e. Al-Coranus, cura et opera christ. Reineccii, Lips. 1721. —

---

est, concludebant. Urbi imminebat Radagaisus paganus et idololatra, qui si vicisset, pro sua crudelitate et christiani nominis odio minime pepercisset Christianis. Devictus est Radagaisus (a. 406). Romam expugnavit Alaricus, Arianus quidem attamen Christianus, qui edixit, parcendum esse omnibus, qui in Petri et Pauli basilicas confugerant. Divina id providentia factum esse *Orosius* censet. Etenim „in permixto populo piis gratia, impiis poena debebatur, oportebatque permitti hostes, qui insuadibilem in plurimis et contradicentem civitatem severioribus solito flagris coarguerent"; sed noluit Deus vindictam committere illi, qui a diis suis victoriam flagitabat, a quo pagani in urbe residui idolorum cultum restaurandum confiderent et qui Christianis majorem calamitatem esset inflicturus: „perire paganum hostem voluit, et Christianum praevalere permisit, ut pagani blasphemantesque Romani et illo confunderentur perdito, et hoc punirentur immisso"; atque ita „ingrata Roma propter *vivorum mortuorumque sanctorum* piam recordationem, Dei iram passura non plenam, si forte confusa poeniteat et per experientiam fidem discat", contra Radagaisum protecta, sed Alarico, Christianis et propter hos etiam paganis parcenti, tradita est. Hist. l. VII, c. 37. Eadem prosequitur s. *Augustinus*, ostendens, singulari Dei providentia effectum esse, ut „ab his barbaris Roma caperetur, qui ad loca sancta confugientes christianae religionis reverentia tuerentur, ipsisque daemonibus atque impiorum sacrificiorum ritibus sic adversarentur pro nomine christiano, ut longe atrocius bellum cum eis quam cum hominibus gerere viderentur". De civ. l. V, c. 23.

Immerito igitur dixerunt alii, Patres reliquos de Christianorum saeculi IV. et V. vitiis eadem ratione locutos ac Salvianum: immerito et alii, discrimen inter illos et istum fatentes, asserunt (*Beugnot,* Hist. de la destruction du Paganisme, l. IX, ch. 8), solum Salvianum perspexisse divinae providentiae barbarorum incursionem permittentis consilia.

Uhlmann. Der Koran aus dem Arabischen übersetzt, Bielefeld 1853. — Hubert *Grimme*, Mohammed, 1. Th. Das Leben, 2. Th. Einleitung in den Koran, Münster i. W. 1895.

Fidei professio maxime vulgaris, quae etiam alio et alio nexu saepe repetitur in Korano, haec est: „Non est Deus nisi Deus, et Mahomedes legatus Dei". Prior pars opponitur non tantum gentilibus, sed etiam Judaeis, in quorum libris exprimitur Messiae divinitas, et potissimum Christianis, quos Mahomedes fingit colere deos plures, quum colunt Deum unum subsistentem in tribus personis, imo quos insimulat praeter Deum colere Jesum ut alterum Deum et Mariam ut Deum tertium. Koran. Sura (sive cap.) V, vers. 125.

Inter multas sectas veteres et recentiores est secta Sonnitica, quae orthodoxa censetur. Haec docet, omnia dogmata absolute necessaria contineri vulgari illa, quam diximus, fidei professione. Ejus duo capita censentur necessaria necessitate medii, ut nos loquimur, sive ita necessaria, ut qui ea non teneat, salutem adipisci non possit: reliqua autem esse necessaria necessitate praecepti, attamen non gravis praecepti, sed ita tantum, ut qui ea non credat aut eadem neget, propterea a salute non excidat. Marracc. l. c. part. III, c. 26. V. *Döllinger*, Muhammed's Religion. Regensb. 1838. — *Damberger*. Synchr. Geschichte des Mittelalters I. B. Regensburg 1850. Auctor quem ultimo loco nominavimus, merito animadvertit, de Mahomede, Korano et islamismo a Christianis quibusdam multa esse conscripta ambigua et scandalosa (pag. 309). Nonnulli veriti non sunt, Mahomedem aequiparare Moysi, imo islamismum legi mosaicae praeferre.[1])

572. Non est, quod islamismi falsitas late hoc loco demonstretur.[2]) Haec enim satis apparet ex eo, quod Mahomedes, qui Dei legatum se esse asserebat, nunquam, licet saepe requisitus, legationem suam divinam demonstrare potuit. Neque pro legis ab ipso promulgatae divina origine militat latissima ejus diffusio; haec enim partim ejusdem indoli cupiditatibus faventi, partim violentiae et armis, et his quidem praecipue, debetur, ut historia constat. Ergo a Deo

---

[2]) *Barthélemy St. Hilaire* de Mahomede haec scripsit: „Pour ma part je n'hésite à le classer dans les premiers rangs parmi les plus grands hommes. Il a été tout à la fois révélateur d'un religion, organisateur d'un peuple et fondateur d'un empire, qui a subjugué avec une rapidité merveilleuse une immense partie de la terre. Sans parler du poëte, il a été tout ensemble prophète, législateur et conquérant . . . il a également réussi dans ses dogmes, dans ses lois et dans ses guerres . . . Il n'y a guère qu'un seul homme dont on puisse rapprocher Mahomet: c'est Moïse. *Mahomet,* le Coran (Paris 1865) p. 211.

[2]) Islamismus in se ipso seu concrete spectatus simpliciter falsus dicendus est, non partim falsus, partim verus, licet, ut diximus, quaedam tradat, quae vera sunt, v. g. unius Dei existentiam. Nam in se sive concrete spectatus praetensam Mahomedis legationem tamquam principium formale, sub quo omnia proponuntur et exhibentur, necessario includit; hoc autem principium falsum est. Propterea etiam judaismus hodiernus concrete spectatus cultus falsus dici solet et dicendus est; nam Messiam venisse negans hac negatione promissiones factas, quae in seipsis verae sunt, in pravum sensum detorquet. Negando Jesum Nazarenum esse Messiam, exspectat et colit Messiam qui non est, sicut qui solem adorat tamquam Deum, adorat id quod Deus non est.

missus non est; Deus enim sibi contradiceret, si hominem quemcunque legatum suum constitueret nec tamen signis et notis, quibus distingueretur, vestiret. — Caeterum in ipsa hac sententia, qua se prophetam asserit, secum ipso pugnat. Affirmat (Sura 61), se esse prophetam illum eximium a Deo promissum (Deut. 18). At propheta hic eximius promittitur oriturus e populo Israelitico, e quo Mahomedes oriundus non erat. Alias affirmat (Sura 7), se esse illum quem Jesus promiserit, alludens ad promissum Spiritum sanctum. At hic promittitur mittendus ante Apostolorum praedicationem. Demum fatendo, Jesum Nazarenum esse prophetam, fatetur, vera esse quae docuit; docuit autem, se ipsum esse prophetam illum eximium, nec alium esse exspectandum. Prop. 87, 88.

Alia est quaestio, quae agitata est tempore recentiore. Sunt enim qui islamismo, quia gentes barbaras ab idolorum cultu averterit et alteram vitam sperandam docuerit, hanc vindicent missionem, unius Dei cognitione imbuendi et aliquatenus corrigendi gentes, quae ad Evangelium utpote perfectiorem religionem recipiendam nondum sint maturae. Aliqui ulterius etiam progressi, islamismo tribuunt illud fere munus, quod commissum fuerit legi mosaicae, praeparandi videlicet legem christianam. Existimant, Moslemos tanto facilius accepturos esse Christi religionem, quia Mahomedes eximia tradat de Christo. V. *Möhler*, Gesam. Schriften und Aufsätze I. B. VII. Ueber das Verhältnis des Islams zum Evang. — *Barthélemy St. Hilaire*, Mahomet et le Coran. Paris 1865, ch. VI. — *Dorner*, Christl. Glaubensl. (Berlin 1879) I, 717.

Utraque sententia a vero plurimum recedit.

Propositio 117. *Pauca quae islamismus gentibus barbaris attulit bona, malis gravissimis adnexis vitiantur, et bonis plurimis, quae inter populos cultos vi exstinxit et impedivit, longe vincuntur.*

573. Pars I. Bona illa pauca, quae islamismus affert, ab ejusdem praeconibus duplicis ordinis esse dicuntur, speculativi et practici. Ad illum unius Dei et remunerationis futurae fides revocatur; ad istum unius Dei cultus per precationes ritusque varios exclusis sacrificiis humanis per barbaros offerri solitis; praeterea mores mitiores, qui potissimum pateant securitate publica vigente jam in regionibus, quae antea latrociniis et caedibus infames fuerint. At praedicari et exaggerari solent haec bona non attentis malis gravissimis, quibus inficiuntur et destruuntur.

Probatur 1. *e falsitate formali et fundamentali.* Omnes islamismi doctrinae et leges inficiuntur gravissimo mendacio, quo asseruntur proponi a Deo per Mahomedem Dei prophetam. Verum sane est,

Deum esse unum et hanc veritatem a Deo esse revelatam. At Mahomedanis haec veritas non ideo credenda proponitur, quod Deus eam revelaverit per prophetas et Jesum Christum aut generatim per prophetas divinos, sed ideo, quod eam revelaverit per Mahomedem suum prophetam. Haec enim doctrina de Mahomedis missione divina fundamentum est omnium, et quam certum est, Deum esse Deum, tam certum statuitur, Mahomedem esse ejus prophetam.

Ut fides, ita praeceptorum observatio vitio inficitur fundamentali. Omnia enim praecepta observanda proponuntur non ideo, quod Deus eorum sit auctor, sed ideo, quod per Mahomedem Deus eorum auctor sit. Mahomedis enim auctoritas apud ejusdem asseclas hujusmodi est, ut integer doctrinarum et praeceptorum complexus ex ea pendeat.

2. *e falsitate materiali.* Non tantum formaliter, sed etiam materialiter vitio infecta sunt quaecunque islamismus proponit.

Doctrina de Deo uno foedatur errore, quo personarum trinitas excluditur, fatum inducitur, Deus crudelis fingitur, quum Koranus doceat, Deum esse peccati et damnationis, ad quam homines praedestinaverit, auctorem. Sura XIII et XXXII. Doctrina de futura remuneratione foedatur voluptatum, quae promittuntur, illecebris. Sura II. III. X. XVIII. XXII. LV. Neque metaphorice haec accipienda esse, docent ejus asseclae. *Marracc.* in Suram XXII.

Doctrina morum maxime ex eo peccat, quod officia fere omnia ad unum precandi praeceptum revocans cupiditates illas, quae freno maxime indigent, minime constringit, et ipsa morum principia pervertit. Permittit enim heris commercium cum ipsorum ancillis etiam quas non duxerunt uxores. Sura XXIII, 6. 7; Sura LXX, 30. Permittit incestum, Sura IV, 20. Permittit adulterium, Sura IV, 22. Facultatem tribuit suis, ut irritum reddant omne jus juraudum ab ipsis praestitum, Sura LXVI, 1. 2. Quae variis in locis de bello contra infideles sive de religione armis propaganda statuit, injusta sunt, crudelia, impia, blasphema. Cf. *Marracc.* Prodrom. P. IV, c. 23.

3. *utraque etiam barbaris nociva.* Haec non cessant esse mala, si islamismus infertur gentibus omnino barbaris. Imprimis enim mendacium et error semper malum sunt; islamismus autem propagari et recipi non potest sine mendacio et errore versante circa Mahomedis legationem. Dein singillatim etiam in barbaris malum gravissimum est, doctrinam de Deo et remuneratione futura mixtam accipere errori adeo fundamentali, quo illius fructus de-

struatur; fides enim falsa Mahomedis auctoritate unice innixa jam non est fides in Deum remuneratorem supernaturalem e revelatione cognitum, ideoque ad salutem barbaros ducere non potest, cum fides illa e revelatione vera accepta eisdem barbaris salutis via esse potuisset. Malum gravissimum est, licita declarari illa, quae etiam barbari plerique sola ratione duce cognoscunt aut facile cognoscere possunt esse illicita.

4. *ex adversariorum confessione.* Demum fructus morales, quos islamismus producit, esse valde exiguos adversarii ipsi fatentur dum asserunt, Asiae et Africae populos illos, qui ei submissi sunt, etiam post tot saecula ideo recte profiteri legem Mahomedis, quia ad Christi legem observandam non sint idonei. Si ne nunc quidem idonei sunt, manifesto constat, Mahomedis disciplina valde parum provehi ejus discipulos.

574. Pars II. Malorum gravissimorum causa est islamismus. Bona quae inter populos cultos, quos sibi subjecit, vi tum exstinxit tum continuo impedit, comparari non possunt illis, quae inter gentes barbaras produxisse fertur, utpote longe inferioribus.

Probatur 1. *exstinxit religionem christianam jam susceptam.* Aegyptum, Africam septentrionalem, Syriam, Asiam minorem, pluresque alias regiones, in quibus religio christiana florebat, moribus et litteris fuisse cultas, cum a Mahomedanis fuerunt armis subactae, manifesto constat ex historia. Et si ex historia non constaret, certo tamen concluderetur ex eo solo, quod religio christiana ab omnibus aut fere omnibus regionum illarum incolis jam longo tempore suscepta erat. Arabia ipsa magna ex parte erat christiana, cum Mahomedes contribules suos sibi devinxit eosque ad bellum incendit. Invecto islamismo regiones illae magna ex parte in barbariem sunt retrusae.

In Arabia antea plurimi Christiani. Falsum est, quod adversarii asserunt, a Christianis ante Mahomedem non fuisse tentatam Arabum conversionem; tentata est inde a plurimis saeculis. Falsum pariter est, quod asserunt alii (ut *St. Hilaire* p. 229), Christianorum conatus convertendi Arabes fuisse irritos. Saeculo III. erant Christiani in Arabia et quidem eximie culti. Ut scribit *Eusebius,* cum *Origenes* „Alexandriae moraretur, miles quidam adveniens Demetrio Ecclesiae episcopo et praefecto Aegypti litteras a duce Arabiae detulit, quibus poscebat, ut confestim ad se Origenem mitteret, qui doctrinam suam illi communicaret. Missus igitur ab illis Origenes in Arabiam perrexit". H. E. l. VI, c. 19. Circa idem tempus Christiani erant in Arabia Petraea. Nam inter viros scientia excellentes refertur „Beryllus Bostrenorum in Arabia episcopus, qui praeter epistolas et lucubrationes varia quoque elegantis ingenii monumenta reliquit". Euseb. h. e. l. VI, c. 20. Nec solus in illis partibus erat episcopus. Cum enim in quadam quaestione a veritate aberrasset, „plurimi episcopi quaestiones ac disputationes" contra ipsum habuerunt et tandem

in Synodo quadam cessit Origenis argumentis (an. 229). *Euseb.* ib. c. 33. — Eodem tempore „alii rursus in Arabia dogmatis cujusdam a veritate prorsus alieni auctores exstiterunt. Convocato igitur hanc ob causam non exiguo concilio", Origene „coram omni multitudine disputante", error exstinctus est. Ib. c. 37. Valentis imperatoris tempore, circa a. 373 Saraceni sive Ismaelitae in tentoriis viventes referente *Sozomeno*, „traducti sunt ad fidem Christi colloquiis sacerdotum et monachorum, qui per finitimas ipsis solitudines philosophiae operam dabant, vitaeque sanctimonia et miraculis refulgebant. Fertur etiam integram eorum tribum eo tempore ad Christi religionem transiisse". H. e. l. VI, c. 38. Christianorum numerus magnopere auctus est *Simeonis Stylitae* exemplo et praedicatione. Sabaei sive Homeritae, Arabiae felicis incolae, quam a s. Bartholomaeo Apostolo fidem accepisse feruntur, integram servarunt usque ad Constantii imperatoris tempora, qui illuc misit episcopum Arianum; attamen haeresim, qua ab illo infecti erant, postea abjecerunt. Plurimos illic ante Mahomedem fuisse Christianos, colligitur ex illis, quae facta sunt anno 524, quo *Dunaanus Judaeus*, qui rerum potitus erat, plurimis jam trucidatis Christianis, „ad Nagran urbem cum ingenti exercitu contendit, Pauli episcopi ossa e tumulo extracta cremavit, sacerdotes, monachos et Deo consecratas virgines et quotquot ad Ecclesiam confugerant, flammis absumpsit; Aretham Nagranensium principem jugulavit; trecenti et quadraginta martyres Nagranenses Arethae socii fuisse perhibentur". *Assemanus* in Bibl. Orient. tom. III, P. II, p. 601. His aliisque testimoniis, quae ibidem leguntur, abunde patet, Arabes quam plurimos ante Mahomedem fuisse Christianos, et quidem juxta Evangelium viventes; unde etiam patet, Arabes non fuisse incapaces legis evangelicae.[1])

2. *religionis christianae propagationi maxime adversatur.* Ut autem religio ejusque fructus per vim exstincti sunt, ita etiam, ubicunque islamismus dominatur, vi aliisve modis impedit, quominus denuo plantetur fructusque proferat religio. Sane qui mala haec perpendit, non magni faciet quae islamismus bona alicubi inter barbaros fertur producere.

575. *Objic.* 1. Quidam mala quae produxerit islamismus „invadendo regiones ab Ecclesia jam occupatas aut mox occupandas", attenuare et cum ejusdem missione divina conciliare conantur dicendo, eum exequendo sententiam divinam simul monuisse Ecclesiam „de elementis gentilibus", quibus ipsa facta fuerit obnoxia atque sic ipsi Ecclesiae bona praestitisse. *(Dorner* p. 717.) Quaenam sint elementa illa gentilia, non proditur.

Respond. Nemo facile dixerit, mala moralia, quibus Christiani alicubi laborabant, comparari posse cum malis illis, quae islamismus ipsa sua natura producit. Si autem natura sua tam multa tamque gravia mala producit, Ecclesiam affligendo non alia fungitur missione nisi qua in sacris litteris diabolus dicitur fungi affligendo homines, et non alia ratione profuit Christianis, nisi qua daemon hominibus bona praestat. Prae oculis habendum est, islamismum malorum, quae producit, causam esse per se,

[1]) Historiae manifesto contradicunt, quae scripsit Barth. *St. Hilaire:* „Là où tous les deux (le judaisme et le christianisme) avaient échoué, le Mahométisme a réussi, en se proposant un idéal, j'en conviens, moins pur et moins haut, mais le seul, qui pût toucher ces coeurs restés sourds à des enseignements mélieurs". Mahomet p. 229.

bonorum, quae quandoque in hominibus produxit, causam per accidens, dum oppositum omnino evenit in bonis et malis, quae cum religione christiana conjunguntur.

Objic. 2. Nonnulli islamismum, etsi eum religione christiana inferiorem fatentur, tamen ideo non penitus rejiciendum existimant, quia ut christianismus e judaismo, ita fere e christianismo ortus sit islamismus, isque essentialia veteris et novae legis lineamenta conservaverit, demum res divinas minus quidem profunde, attamen majore cum enthusiasmo perceperit. Ita Barth. St. Hilaire.[1])

Respond. Islamismus ad Evangelium et ad vetus Testamentum se habet non ut religio christiana ad religionem mosaicam, sed ut mendacium ad veritatem, ut propheta falsus ad prophetam verum, ut Belial ad Deum. Non retinet lineamenta essentialia utriusque legis, sed mendacio inficit quidquid ex alterutra hausit; res divinas sane minus profunde percipit, simulque falso, enthusiasmus quem prodit, non est ex Deo, sed aut e propria imaginatione aut e daemonis instigatione aut ex utraque: est fanatismus anhelans sanguinem.[2])

Propositio 118. *Islamismus non est religionis christianae praeparatio, sed potius ejus suscipiendae obstaculum singulare.*

576. Qui islamismo vindicant missionem, praeparandi christianam religionem sive homines disponendi ad Evangelium suscipiendum, necessario eum restringunt ad gentes quae maxima barbarie depressae idololatriam grossiorem exercent. Admittere praeterea solent, voluntate tantum consequente Deum islamismo hoc munus detulisse; nimis enim manifestum est, Deum voluntate antecedente non voluisse ortum islamismi sive non excitasse islamismum, ut religionem christianam praepararet. Verum nec cum hac restrictione vindicari islamismo missio illa potest.

Alii sunt qui existimant, islamismum non quidem esse religionis christianae praeparationem, attamen aliquando in hanc transiturum esse, et quidem attentis ejusdem principiis, juvante tamen rationalismo, qui explicet religionem christianam. Gustav. *Weil* (l. c. p. 120) ita fore concludit ex eo, quod islamismus Jesum et Mariam longe altiore loco ponat quam pars quaedam Protestantium. Demonstrandum esse Mahomedanis, Christianismum in se longe diversum esse ab illo, quem Mahomedes suo tempore norit. Re bene intellecta Mahomedem pro Arabibus manere posse legatum divinum, ut et Moysem pro Judaeis; attamen ut prophetam maximum totius-

[1]) Mira prorsus sunt quae judaismum, christianismum et islamismum inter se comparans scripsit Barth. St. Hilaire: Il faut donc le reconnaitre: de part et d'autre, la conception générale est presque identique, et, au fond, les trois religions peuvent être regardées comme les branches d'un seul et même tronc. Le christianisme se fait gloire de retrouver ses origines dans le judaisme, et il a adopté la Bible à coté de l'Evangile [sic]. Il pourrait bien aussi reconnaitre l'Islam pour son rejeton: car, sans l'Evangile et la Bible, l'Islam ne serait jamais né; et, quoiqu'il les ait dénaturés l'un et l'autre, il en a cependant conservé des traits essentiels. Il a certainement compris le divin avec moins de majesté et de profondeur; mais il l'a senti peut-être avec plus d'enthousiasme et de vivacité. (Mahomet et le Coran p. 228.) Continuo autem protestans addit: „Dans le jugement que je porte ici, il n'y a point, Dieu m'en garde, ni scepticisme, ni surtout indifférence“ (p. 229). Valde opportuna, imo necessaria erat haec protestatio! Longe diversum ab isto fuit s. Joannis Damasceni judicium, qui Mahomedis doctrinam expositurus ita inchoat: „Viget et adhuc populorum seductrix Ismaëlitarum superstitio, quae Antichristi adventum antevertit“. De haeres. n. 81. Mahomedis superstitione opus Antichristi insigniter praeparari et alii censuerunt. Cf. Damberger. Synch. Gesch. I. Bd. p. 394.

[2]) Scripta haec erant jam ante an. 1896 ejusque eventus in oriente.

que humani generis agnoscendum esse Jesum. — At Jesu ita depresso vix intelligitur, quid praeter nomen supersit e Christianismo; nec sufficit, Mahomedem prophetam dicere minorem Jesu; necesse est, eum prophetam nullum sive pseudoprophetam credere.

577. **Probatur 1.** *experientia.* Provocare licet ad historiam, quae testatur, populos islamismo infectos aegerrime ad religionem christianam converti. Arabes idololatrae a Mahomede subacti vel decepti a mille annis et amplius islamismo inhaerentes nondum praeparati esse videntur ad religionem christianam suscipiendam; idem dicendum est de aliis populis. Obstinationis tam communis, qua Mahomedani ab aliis sive Asiae et Africae sive Americae populis differunt, causa communis sit oportet, nec alia esse potest praeter islamismum.

Objici fortasse possit Judaeorum obstinatio. Lex mosaica data erat ut religionem christianam praepararet; nec tamen finem hunc obtinuisse videtur; unde sicut e Judaeorum obstinatione concludere non licet, legi mosaicae praefixum non fuisse illum, quem diximus, finem, ita etiam e Mahomedanorum obstinatione concludere non licet, fine simili carere islamismum.

Respond. Multipliciter peccatur ita objicendo.

a. Imprimis etsi recte dicitur, finem et quidem praecipuum legis mosaicae fuisse, ut *religionem* christianam praepararet, falso tamen diceretur, finem legis mosaicae praecipuum fuisse, ut *Judaeos* ad Christi religionem suscipiendam praepararet. De legis fine antea egimus. Prop. 62—64. Quod attinet finem praeparandi homines, is non ad solos Judaeos restringebatur, sed per Judaeos ad totum genus humanum porrigebatur.

b. Dein mosaicae legis finis homines praeparandi ad Christi religionem suscipiendam, non ita frustratus est ut qui fingitur islamismi finis. Nam praeter Judaeos, quos conversos fuisse tum Actus tum epistolae Apostolorum testantur, gentiles quam plurimi propter ea, quae Deus inter Israelitas egit et per eorum prophetas nunciavit, ad fidem suscipiendam moti sunt, sicut et nunc ad eam retinendam moventur. De islamismo nihil simile dici potest.

c. Demum Judaei, qui legi mosaicae inhaerentes religionem christianam recusant, contra Moysis et veteris legis mentem manifesto agunt: Mahomedani religioni christiani adversantes ad Mahomedis mentem quam maxime accedunt.

578. **2.** *ex odio in Christianos.* Religio quae suis asseclis odium summum inspirat in omnes „infideles“ et potissimum in Christianos, certe non est idonea ad viam Evangelio praeparandam. At istud odium est islamismi quasi anima. Excitatum primo est ipsa Mahomedis missione ad debellandos omnes „infideles“, auctum deinde bellis continuis summa crudelitate gestis; nutritum continua lectione Korani provocantis ad bellum inferendum infidelibus. Cum autem bella plurima et atrocissima gesta sint contra Christianos utpote aggressionem injustam armis fortiter repellentes, in hos potissimum conversum est odium. Non est dubitandum, odium illud cum islamismo et Korano perduraturum; minui quidem potest

et aliquatenus minuitur per commercium cum aliis populis aliasque ob causas externas. Attamen quantum etiamnum sit et ad quam atrocitatem etiamnum asseclas suos impellat, tempora etiam recentissima abunde demonstrant. Cf. *Döllinger,* Muhammed's Religion p. 20—30.

579. **3.** *e fide in Mahomedem prophetam ultimum.* Religio, quae suum auctorem prophetam dicit ultimum et Christo ipso majorem, asseclas suos non tantum non disponit ad religionem christianam amplectendam, sed eosdem ab ea avocat. Novimus, quo loco Mahomedes seipsum, quo Christum habeat. Dum revelatio veteris Testamenti Messiam exhibet ut ordinis perfectioris auctorem, ut et Moyses Israelitas jubet audire prophetam aliquando mittendum, Mahomedes rerum omnium instauratorem et legis perfectissimae auctorem seipsum praedicat.

580. **4.** *ex inquisitione prohibita.* Islamismus non tantum non disponit ad religionem christianam suscipiendam, sed ipsam etiam viam praecludit, qua homines ad illam pertingere possint: prohibet enim inquirere in veritatem. Mahomedes ut suae doctrinae veritatem, ita religionis christianae falsitatem supponere jubet. Moslemus Christianorum argumenta vel audiendo peccat, quia laedit hoc Korani praeceptum: „Cum videris eos, qui disceptant de signis nostris [i. e. de Korano], procul recede ab eis, donec disceptant de narratione alia. Porro si oblivisci te fecerit Satan [hujus praecepti], saltem ne sedeas post recordationem cum hominibus iniquis". Sura VI, 67.

581. **5.** *ex incusatione religionis christianae.* Islamismus asseclas suos certe non praeparat ad amplectendam religionem, quam polytheismi accusat. Polytheismi accusantur Christiani, quia Deum unum in tribus personis subsistentem credunt. Patet hic denuo ingens discrimen inter legem mosaicam et islamismum. Lex mosaica etsi personarum trinitatem aliaque in Evangelio aperte revelata non tradit, nullibi tamen ea negat; imo subobscure insinuat, quae clare proponit Evangelium. Mahomedes autem plurima horum diserte negat.

582. **6.** *e polygamia sancita.* Islamismus effrenem morum licentiam, quae religionis christianae amplectendae primarium est obstaculum, non minuit sed auget. Inter barbaros polygamia est maximum obstaculum. Hanc ut et divortium aliaque illicita islamismus sancit. Inde fit, ut in homine ethnico obstaculum illud facilius vincatur quam in Mahomedano. Illi enim persuadendum est, ut omittat, quod ratio ipsa aut illicitum esse aut saltem minus con-

gruere docet; isti autem persuadendum est, ut omittat, quod prophetae sui auctoritate et exemplo approbatum censet.

583. Rationes quibus adversarii demonstrare nituntur, competere illud praeparandi munus, exigui sunt momenti.

Objic. 1. Nonnulli id a priori demonstraturi principii loco statuunt, etiam postquam religio perfecta per Christum allata est, idololatras rudiores praeparandos esse; id autem fieri per islamismum, ut experientia doceri dictitant; fatendum igitur esse, eidem hoc competere munus. Ita *Dorner* l. c.

Respond. At imprimis gratis et falso supponitur, requiri religionem praeparantem, a christiana distinctam. Nam a. si requireretur, Deus ipse eam instituisset, nec permisisset eam institui per pseudoprophetam. b. Experientia docet, homines maxime barbaros praesertim in America per religionem christianam ipsam e barbarie fuisse ereptos; unde falsum est, id fieri debere per aliam quandam religionem. c Deo maxime indignum foret velle, ut homines primo inficiantur erroribus gravissimis, ut per hos et veritates quasdam cum illis connexas ad religionem christianam suscipiendam praeparentur. Ab adversariis confunduntur religio minus perfecta, et religio falsa. Lex mosaica erat religio minus perfecta, islamismus est religio falsa.

Objic. 2. Alii islamismum Evangelii prodromum ideo existimant, quod non raro Christi et Evangelii mentionem faciat, et, quamvis Mahomedem Christo, Koranum Evangelio superiorem *dicat*, nullatenus utrumque superiorem *demonstret*.

Respond. At ex ipsa objectione patet, islamismo constitui obstaculum, quod non constituitur ethnicismo. Mahomedanus docetur, non esse recedendum a Mahomede, non accedendum ad Christum ejusque legem, quia ille Christo superior sit. Mahomedanus, ut christianam religionem suscipiat, dedocendus est errorem duplicem vel triplicem fundamentalem a teneris annis alte impressum, errorem videlicet quo censet, Mahomedem esse Prophetam, et quidem Christo praestantiorem, religionem christianam inferiorem esse islamismo. Constat, in rebus religionem spectantibus ignorantiam facilius vinci quam errorem, praesertim a teneris annis haustum.

Objic. 3. Nonnulli ex eo, quod islamismus barbarorum ignorantiam pellat unius Dei cultum docendo et mores corrigendo, colligunt, eum ipsa sua natura esse Evangelii praeparationem. Deprehendunt in Korano „singularem pietatem", „teneram devotionem", „miram poësin religiosam"; loquuntur de millenis hominibus, qui Koranum legendo „vitam foveant et nutriant religiosam et moralem laude dignam".

Alii etiam ulterius progressi existimant, Korani lectionem esse idoneam, quae etiam hominis Christiani fiduciam in Deum augeat.[1])

[1]) Barthélemy St. *Hilaire* suum de islamismo judicium ita concludit: „La lecture du Coran, tout étrange qu'il est, loin d'ébranler jamais la confiance de personne en Dieu, ne peut que la raffermir et la fortifier encore, même dans les ames les plus croyantes. La conviction de Mahomet est de celles qu'aucune autre ne dépasse. Il en est de plus pure, sans doute, et de plus éclairée; il n'y en a pas de plus sincère ni de plus puissante. L. c. p. 238.

Respond. Quod Korani excellentiam attinet et pietatis sensa quae foveat, non omnes, dum eum legunt, eodem modo se affici sentiunt. Ubi nonnulli singularem pietatem, ibi alii inanem declamationem et perpetuam ejusdem sententiae repetitionem deprehendunt.[1]) Certe multa etiam sunt, quibus non foventur sensa pietatis, sed crudelitatis in „infideles", potissimum in Christianos.

Admisso interim quod asserunt, Koranum esse tam praestantem, ut in millenis hominibus vitam religiosam et moralem progignat laude dignam, non jam intelligitur, cur iidem populi non fuerint maturi ad religionem christianam suscipiendam, aut cur nunc, ad gradum tam eximium provecti, errori adhuc inhaereant.

Sed considerando rem prouti in se est, islamismus a religione christiana animos avertit non tantum propter plurimas doctrinas falsas et morum honestati non congruas, sed etiam propter paucas suas doctrinas veras et honestatem commendantes. Docet, Deum unum esse colendum et vitam alteram exspectandam. Propter duas has doctrinas, quarum veritatem ratio perspicit, eminet prae polytheismo et barbarie crassa. Sed per easdem doctrinas devincit sibi animum eorum, qui in veritatem quomodocunque inquirunt. Dum enim ethnicus manifesta polytheismi falsitate movetur, ut ethnicismo renunciet, Moslemus paucis illis veritatibus, quas islamismus continet, inclinatur potius ut in sua religione conquiescat.

Objic. 4. Alii argumentantur ex eo, quod Arabes adeo proclives sint ad polygamiam; inferunt enim, excitandam fuisse religionem, quae polygamiam interim nonnihil restringat, donec monogamia, quam religio christiana solam admittit, induci possit.

Respond. At mirum est, Christum, qui religionem suam universalem esse voluit et Arabibus quoque annunciandam, non praevidisse, Arabibus nec monogamiam nec religionem, quae illam exigit, accommodatam esse.

---

[1]) *Volney,* qui certe religionis christianae amore non movetur ad Koranum deprimendum, de ejus excellentia, sapientia et sublimitate ab aliis tantopere celebrata ita scribit: Les seules lois (civiles) qu'on y trouve se reduisent à quatre ou cinque ordonnances relatives à la polygamie, au divorce, à l'esclavage, à la succession des proches parents . . . Le reste n'est qu'un tissu vague de phrases vides de sens, une déclamation emphatique d'attributs de Dieu, qui n'appreunent rien à personne; une allégation de contes puérils, de fables ridicules; en total, une composition si plate et si fastidieuse, qu'il n'y a personne capable d'en soutenir la lecture jusqu'au bout, malgré l'élégance de la traduction de Savary. Que si à travers le désordre d'un délire perpétuel, il perce un esprit général, un sens résumé, c'est celui d'un fanatisme ardent et opiniâtre. L'oreille retentit des mots d'*impies*, d'*incrédules*, d'*ennemis à Dieu et au prophète*, de *dévouement à Dieu et au prophète . . . Il n'y a qu'un Dieu, et Mahomet est son prophète. Priez cinq fois par jour en vous tournant vers la Mekke. Ne mangez point pendant le jour dans tout le mois de ramadan. Faites le pélerinage de la Kiabé, et donnez l'aumône à la veuve et à l'orphelin.* Voilà la source profonde d'où doivent découler toutes les sciences, toutes les connaissances politiques et morales . . . Il faut le dire: de tous les hommes qui ont osé donner des lois aux peuples, nul n'a été plus ignorant que Mahomet: de toutes les compositions absurdes de l'esprit humain, nulle n'est plus misérable que son livre. Ce que se passe en Asie depuis 1200 ans peut en faire la preuve. Etat politique de la Syrie ch. XIV.

Si ita res est, rectius dictitant alii, islamismum solum esse religionem Arabibus congruam.

Caeterum si religio christiana, ut fingitur, Arabibus persuadere non potuit monogamiam, multo minus islamismus quatuor uxores indulgendo Arabes ad illam admittendam sensim disponet. Duodecim saeculorum historia docet, eum nihil adhuc effecisse.

Demum falsum est, quod asseritur: polygamia enim inter Arabes non majus fuit obstaculum christianae religionis quam inter plures alias gentes. Mahomedes suo nos docet exemplo, ante islamismum polygamiam non fuisse tam communem inter Arabes, ut nulla saltem esset exceptio. Mahomedes enim viginti quinque annos natus duxit Chadidscham viduam quadraginta annos natam, cum qua viginti quatuor annos vixit monogamus. Sed nimirum Chadidscha mulier erat dives et potens, qua viva Mahomedes non audebat ducere alias; similia et aliis maritis evenisse dubitandum non est.

Quid quod in ipsis Arabibus natura humana Evangelio edocta et gratia adjuta melior erat Korano et Mahomedis praeceptis! Erant enim inter ejus asseclas, qui etiam coelibatum et virginitatem profiteri vellent, attamen permissi non sunt a suo propheta. *Marracc.* Prodrom. P. IV, c. 22. Ante Mahomedem apud Arabes viguisse coelibatum et virginitatem, discimus ex ipso Korano fatente, Deum posuisse „in cordibus eorum, qui secuti sunt Jesum, pietatem, misericordiam et monachismum“. Sura LVII, 27. Religione christiana nondum per vim exstincta inter Arabes vigebat monogamia non minus quam inter alios populos christianos.

Liber V.

De religionis christianae, quatenus in catholica Ecclesia exercetur, integritate motivis credibilitatis demonstrata.

Disputationis scopus.

584. Non sufficit ostendisse, religionem christianam universe spectatam origine niti divina: inquirendum insuper est, quaenam e religionis christianae formis, quae hodie existunt et sibi mutuo opponuntur, sit vera Christi religio sive illa quam Christus et Apostoli docuerunt, Via autem id inquirendi in eo esse non potest, ut doctrinarum singularum veritas interna examinetur. Rationes antea allatae sunt. Prop. 30—34. Neque in eo esse potest, ut examinentur fontes, ex quibus eruatur, utrum doctrinae singulae, quas diversae societates christianae profitentur, iisdem contineantur nec ne. Haec enim methodus difficultatibus et incommodis paene eisdem obsita est, quibus priorem illam impediri antea ostendimus. Unde breviorem aliquam, planiorem et certiorem viam inquirendi a divina providentia provisam esse existimandum est.

Via haec brevior, planior, hominum naturae accomodatior simulque certior duplex est.

Altera in eo est, ut ostendatur, homines qui Christi religionem profitentur, non pro suo arbitrio in societatem coaluisse, sed Christum, ut instituit religionem, ita ipsum instituisse etiam societatem ejusque formam, in qua homines jungerentur submittendi praepositis, quos ipse etiam potestate donarit. Verbo, religionis christianae revelatione demonstrata continuo demonstrari potest Ecclesiae per Christum institutio. Quo facto ulterius quaeri potest, quibus proprietatibus Christus vestiverit hanc Ecclesiam sive societatem ab ipso institutam. Ex hisce proprietatibus dignoscitur vera Ecclesia, illa videlicet, cui Christus suam commisit religionem; e vera Ecclesia porro dignoscitur, quaenam sit in singulis vera religionis a Christo revelatae forma. Longe enim facilius est e fontibus ostendere, a Christo institutam esse Ecclesiam, quam determinare doctrinas singulas.

Altera via haec est, ut omissa interim quaestione de societatis per Christum ipsum institutione, motiva credibilitatis ipsa applicentur non jam ad religionem christianam generatim spectatam, sed ad unam aliquam religionis christianae formam specialem ex illis, quae vel per saeculorum decursum exstiterunt vel hodie existunt. Experientia constat, illos qui eandem religionis christianae formam tenent sive eadem fide junguntur, etiam eandem magis minusve arctam constituere societatem; unde quod de religionis christianae forma, idem valet de societate religiosa sive de Ecclesia. Si deprehenditur, motiva credibilitatis, videlicet eventus quosdam supernaturales et facta, quae religionem christianam universe spectatam nobis commendant aut quae religionem aliquam generatim demonstrare possunt, militare singillatim pro speciali aliqua religionis christianae forma sive societate illam exercente, merito concluditur, hanc singillatim religionis christianae formam esse veram, et verum esse totum illum doctrinarum complexum, qui a societate, quae factis illis et eventibus supernaturalibus commendatur, ut necessario tenendus proponitur. Quodsi in hoc doctrinarum complexu continetur etiam doctrina de certa aliqua societatis sive Ecclesiae forma ut ab ipso Christo profecta, necessario sequitur, hanc ipsam societatis formam esse veram et ab ipso Christo institutam, atque sic ipsius etiam Ecclesiae veritas sive per Christum institutio cognoscitur.

Hac altera qua diximus via concilium Vaticanum Ecclesiam catholicam ut veram Christi exhibet Ecclesiam. Const. I. de fide cap. 3.

Expedit, ut una eadem veritas, praesertim si est maximi momenti, pluribus etiam viis demonstretur.[1])

[1]) Via utraque inita est a theologis catholicis. Alii rationem utramque junxerunt, argumentando modo e motivis credibilitatis, modo e notis Ecclesiae pressius intellectis. Atque haec est causa, cur a theologis nonnullis, inter quos est Bellarminus, plures proponantur notae, quas alii ad pauciores revocant, videlicet ad quatuor.

Caput I.

De religionis christianae duraturae proprietatibus.

585. De religione christiana sive ejus forma perdurante et etiamnum existente, hinc de religione in concreto spectata agitur. Quum religionis ejusdem cultores semper in coetum sive societatem aliquam sive arctiorem sive laxiorem coeant, qua societate religio quasi corpore quodam induitur et manifesta redditur, hinc fit, ut etiam religionis, quam societates profitentur, proprietates quaedam manifestae sive visibiles reddantur. Quas proprietates cum religionis existentia necessario connexas et per eandem visibiles reddendas Christus religioni suae indiderit, ex Evangeliis discimus. Utrum hae proprietates illi religionis formae, quam societas profitetur, competant nec nec, experientia cognoscimus.

Articulus I.

De religionis christianae in fidei imprimis doctrina unitate.

586. Unam eandemque observant religionem, apud quos viget unus idemque veritatum, praeceptorum et rituum institutorum complexus. Praecepta, quatenus de religione christiana agitur, intelliguntur a Christo ipso imposita, et ritus pariter instituti a Christo. Non tantum doctrinae, sed etiam praecepta et ritus pertinent ad fidei objectum, quatenus de eorum e Christo origine cognoscenda agitur. Non officit religionis christianae unitati, si illis, quae Christus praecepit et instituit, pro temporum, regionum et hominum conditione per legitimam auctoritatem alia et varia, religioni tamen conformia, adduntur.

Religionis atque imprimis fidei unitatem necessariam aut a Christo intentam esse negant, qui religionis christianae dogmata excludere ejusque loco sensum nescio quem vagum christianum inducere cupiunt, ut *Schleiermacher* (Der christliche Glaube nach den Grundsätzen der evangelischen Kirche), qui ideo celebratur, quod fidei doctrinam, sensui et experientiae internae eam accommodando, idealem reddiderit (*Pfleiderer*, Die Entwicklung der protestant. Theologie, 1891, p. 102); similiter qui supponere solent, primis temporibus fidei doctrinam minime fuisse determinatam et circumscriptam, sed vagam et incertam. Horum nonnulli contendunt, summam fuisse libertatem in admittendis doctrinis sibi maxime oppositis, ita ut in una eademque Ecclesia etiam saeculo II. major fuerit de iisdem doctrinis sentiendi diversitas, quam quae nunc Protestantes inter et Catholicos esse possit. Ita post alios Ernestus *Renan* (Marc-Aurèle chap. 28).

Propositio 119. *Christus religionem quam instituit, ab omnibus, quibus eam destinavit, unam eandemque teneri et exerceri voluit.*

587. **Probatur 1.** *e Christi mittentis mandato.* Religionem unam Christus per Apostolos praedicari, hinc ab illis, quibus praedicaretur, exerceri voluit. Illi enim jubentur docere homines „servare omnia, inquit, quaecunque mandavi vobis". Mtth. 28, 20. Si omnia ab omnibus servantur, una est religio. Non enim de solis praeceptis agitur, sed etiam de veritatibus revelatis et de his praecipue, quum Apostoli jubeantur praedicare „Evangelium omni creaturae". Luc. 16, 15. „Evangelio" comprehendi doctrinas et has potissimum, discimus ex ipsa praedicatione apostolica circa doctrinas potissimum versante.

2. *e Spiritus s. praesidio.* Ut Apostoli omnes eadem docere possint, iisdem praesto erit speciale Spiritus sancti praesidium. „Paraclitus Spiritus sanctus . . . vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis." Joan. 14, 26. „Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos". Act. 1, 8. Itaque quod perceperant ex ore Christi ut magistri visibilis, id intelligunt et penetrant docente Spiritu sancto, magistro invisibili. Christo magistro visibili non caruit Paulus, ita de se testans: „Neque ego ab homine accepi illud (Evangelium) neque didici, sed per revelationem Jesu Christi". Gal. 1, 12. 16. Eph. 3, 3.

Falsum igitur est, quo qui fidei unitatem necessariam esse negant, tamquam principio nituntur dicentes, nullum unquam religionis institutorem suis tantam concessisse libertatem, quantam concesserit Jesus suis asseclis, quibus permiserit, ut fidei formulas, quas congruas censerent, statuerent, varias adoptando, mutando, rejiciendo. *(Kuenen,* Volksreligion u. Weltreligion, Berlin 1883, p. 292).

3. *ex uno complexu tradito per Apostolos.* Religionem unam, unum eundemque imprimis veritatum complexum tradunt et teneri volunt Apostoli. „Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis". 2. Joan. 10. 11. S. Paulus, qui Judaeis et gentilibus Evangelium praedicans utrisque, quantum fieri poterat, se accommodabat et „omnibus omnia factus" erat (1. Cor. 9, 21), constanter tamen monet omnes, ut sint „solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis": namque „unus Dominus, una fides, unum baptisma". Eph. 4, 3—6. Quam certo est unus Jesus Christus unusque Deus, tam certo est una tantum fides et una tantum religio, cui per unum baptisma omnes initiantur.

4. *e primorum Christianorum sententia.* Fidei unitas quantopere necessaria esset omnium fidelium opinione, Paulus suo exemplo

tunc docuit, cum quidam ejus doctrinam impugnarent ea de causa, quod non, ut reliqui Apostoli, cum Christo his in terris egisset. Provocat quidem ad revelationem et missionem ab ipso Christo profectam; nihilominus tamen meminit, se venisse „Jerosolymam videre Petrum". Gal. 1, 18. In quae *Tertullianus:* „Ascendit, inquit, in Hierosolymam, cognoscendi Petri causa, ex officio et jure scilicet ejusdem fidei et praedicationis". De praescr. c. 23. Hanc suam fuisse mentem Apostolus paulo post indicat, quum narrat, post annos quatuordecim se iterum ascendisse Jerosolymam. „Contuli, inquit, cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus ... ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem". Gal. 2, 2. Videlicet etsi ab Apostolis non erat docendus, voluit tamen hac cum Apostolis societate manifestare omnibus, non aliam a se quam a reliquis Apostolis tradi doctrinam. Etenim, ut s. *Augustinus* animadvertit, „si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus confitendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet". Cont. Faust. Man. l. XXVIII, c. 4. De miraculorum, quae patrabat, indole merito dubitassent fideles, si non constitisset, eum profiteri doctrinam adeo certam de christianae religionis unitate.

Fabulam proferunt qui asserunt, aliud Evangelium annunciatum fuisse a Paulo, aliud a Petro et reliquis Apostolis, quum ille ab observatione legis mosaicae eximere voluerit gentes, hic easdem legis observationi adstringere. Certum enim est, inter Paulum et reliquos Apostolos summum hac de re fuisse consensum, ut patuit, quum in concilio Hierosolymitano omnes Petro praeeunte declararunt, legis mosaicae observationem non esse necessariam (Act. 15, 10), quamvis aliquorum legalium usum, qui propter convictum opportunus videbatur, ad tempus imposuerint. Act. 15, 10. 29. Ipse Paulus, qui a legalium observatione omnes omni modo exemisse fingitur, pro ratione temporis et personarum legalia quaedam observavit, ut Timotheum propter Judaeos circumcidit (Act. 16, 3), et ipse „purificatus intravit in templum" (Act. 21, 26). Ex eo, quod Petrus potissimum Judaeis, Paulus potissimum gentibus Evangelium praedicarit (Gal. 2, 8), non sequitur, aliud ab utroque praedicatum esse Evangelium. *Tertullianus:* „Inter se, inquit, distributionem officii ordinaverunt, non separationem Evangelii; nec ut aliud alter, sed ut aliis alter praedicaret". De praescr. c. 23. Caeterum nec Petrus solis Judaeis, nec Paulus solis gentibus praedicavit, quippe qui electus esset, ut portaret nomen Jesu „coram gentibus et regibus et filiis Israel". Act. 9, 15. Neque doctrinae inter utrumque diversitas sequitur, si ille Cephas, quem Paulus reprehendit, fuit Petrus. Gal. 2, 11. Nam ut *Tertullianus* animadvertit, „si reprehensus est Petrus, quod quum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fecit vitium, non praedicationis." Ibid. Accidere enim potest, ut qui in doctrinis plane consentiunt, easdem doctrinas non eodem semper modo applicent vel sequantur.

588. **5.** *Patrum testimonio.* Persuasum semper fuit Christianis, unam debere esse omnium fidem neque licere discedere a fide illa, quae

ab Apostolis erat transmissa et quam fidelium societas sive Ecclesia universa sub episcopis constituta profitetur. Hanc totius Ecclesiae fidem cognoscimus, si cognoscimus fidem Ecclesiae Romanae, quae est unitatis centrum. Sufficit provocare ad Patres vel scriptores antiquissimos, qui hanc fidei unitatem identidem commendant et haereticos vitandos esse monent.

Ita s. *Ignatius* martyr: „Studete igitur confirmari in doctrinis Domini et Apostolorum, ut omnia quae facitis, prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et charitate". Magnes. 13. „Ne erretis, fratres mei. Familiarum perturbatores regnum Dei non haereditabunt. Si autem ii, qui secundum carnem haec operati sunt, morte sunt affecti; quanto magis, si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Jesus Christus crucifixus est. Talis, inquinatus factus, in ignem inexstinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum". Ephes. 16. „Quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot poenitentia educti redierint ad unitatem Ecclesiae, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, regni divini haereditatem non consequitur; si quis ambulat in aliena doctrina, is non assentitur passioni". Philad. 3. „Decet itaque abstinere a talibus (haereticis) et nec in privato nec in communi colloquio de illis verba facere . . . Divisiones autem fugite, ut principium malorum. Omnes episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri; et presbyterio ut Apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant". Smyrn. 7. 8.

Fidei unitatem magnopere commendat et necessariam praedicat s. *Irenaeus:* „Hanc praedicationem cum acceperit et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est . . . Neque is qui valde praevalet in sermone, ex iis qui praesunt ecclesiis, alia quam haec sunt dicet (nemo enim supra magistrum est), neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorabit". Cont. haer. I, 10, 2. Huic Catholicorum in fide unitati opponit haereticorum inter seipsos dissensionem: „Videamus nunc et horum inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed et nominibus et rebus contraria respondent". III, 11, 1. Dissensionum causa est, quod non acceptam ab Apostolis doctrinam, sed singuli suam sequuntur sententiam; dum Ecclesia in accepta ab Apostolis fide perseverat: „Arguuntur vero isti non quidem Apostolorum, sed suae malae sententiae esse discipuli. Propter hoc autem et variae sententiae sunt uniuscujusque eorum, recipientis errorem quemadmodum capiebat. Ecclesia vero per universum mundum ab Apostolis firmum habens initium, in una et eadem de Deo et de Filio ejus perseverat sententia". III, 12, 7. Unde pronum est concludere, sicut concludit Irenaeus, non ab haereticis, sed ab Ecclesia petendam esse veram fidem:

„Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur". III, 3, 1. Itaque si novimus, quid credat vel doceat Ecclesia per totum mundum sparsa sive Ecclesia quae subest episcopis inter se conjunctis, novimus quid docuerint Apostoli, quid proin fide tenendum sit. Ut autem cognoscamus, quid Ecclesia universalis doceat vel credat, necesse non est, singularum Ecclesiarum sententiam singillatim exquirere; sufficit cognoscere fidem Ecclesiae Romanae, haec enim est unitatis centrum: „Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annunciatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem (al. potentiorem) principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio". III, 3, 2. Ex hac Irenaei sententia hoc loco id unum concludimus, quod apertissime ea continetur: Romanae Ecclesiae fide cognita cognosci Ecclesiae universalis fidem. Quae hujus rei sit ultima causa, alibi exponendum est.

Fidei unitatem prorsus necessariam esse, multis ostendit *Tertullianus* in libro quem edidit „de praescriptionibus adversus haereticos". Haec autem unitas servatur sequendo Ecclesiae doctrinam et rejiciendo haereticorum exceptiones. Quid Apostoli docuerint et quae sit Ecclesiae doctrina, cognoscimus consulendo Ecclesias apostolicas, ac praesertim Ecclesiam Romanam, „unde, inquit, nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt" c. 36. Exhibito apostolici symboli, fidei regulae, initio, ita pergit: ‚Si haec ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non christiani, nullum jus capiunt christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est: Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei? . . . Ego sum haeres Apostolorum . . . Vos certe exhaereditaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et inimici Apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit aut recepit? c. 37. Cf. Jos. *Kolberg*, Verfassung, Cultus und Disciplin der Kirche nach den Schriften Tertullians. §. 2. 3. Braunsberg 1886.

Librum integrum „de unitate Ecclesiae" s. *Cyprianus* composuit. „Quid, inquit, astutius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus — sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scin-

deret unitatem?" c. 3. Malum hoc ex eo oritur, quod Ecclesiae auctoritas non attenditur: „Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur". „Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus etc." c. 3. 4. Unde qui haereseos et schismatis malum effugere cupit, Ecclesiae ejusque praepositis sese submittat necesse est. „Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem" c. 6.

Propositio 120. *Fidei unitas, quae religioni christianae propria est, non ad quosdam tantum articulos, videlicet fundamentales, sed ad omnia quae Christus per Apostolos praedicari voluit, sese extendit.*

589. Veritates per Apostolos praedicatae duplice ratione credi possunt: aut explicite sive in se ipsis, quum videlicet quales in seipsis sunt et proponuntur, ab hominibus cognoscuntur et creduntur; aut implicite, dum non in seipsis, sed prout in aliis veritatibus continentur, a nobis cognoscuntur et creduntur. Hujusmodi fides implicita supponit animum promptum ad credenda etiam explicite, quae aliquando explicite cognoscentur. Non tenentur omnes ad omnia, quae Apostoli docuerunt, (explicite) cognoscenda; qui enim erudiunt alios, eos plura nosse oportet. Hinc etiam non tenentur omnes ad omnia, quae Apostoli tradiderunt, explicite credenda. Sed nemini licet ita esse animo comparatum, ut reliqua, quae non novit, rejiciat aut assensum non praestet aliquibus eorum, quae novit.

Quam nos libertatem negamus, eam asserunt Acatholici plures docentes, sufficere absolute pauca quaedam credere, alia ut indifferentia rejicere aut saltem non curare. Unde inferunt, adesse fidei unitatem, modo ab omnibus credantur pauci illi articuli quos vocant fundamentales sive necessarios; simulque Ecclesiam manere veram, quamdiu in articulis fundamentalibus non aberret; perire, si eorum fidem amittat. Quinam illi sint articuli, inter illius sententiae patronos minime constat. Alii nonnisi fidem in Christum exigunt, alii in Christum Deum, alii in articulos Symboli apostolici etc.

Rationes quae fidei objectum ita restringendum suaderent, multiplices erant. Alii, imprimis Calixtus, theoriae si non auctor, saltem promotor, sectas Protestantium varias inter se divisas, rebus dubiis penitus abjectis, in unam societatem conjungere volebant. V. *Arnold*, Kirch. und Ketzer. hist. p. 1001. Alii experientia docti videbant, judicio privato tamquam ultima interpretandi regula statuto, quam plurima reddi incerta ac proinde a fidei objecto excludi. Aliis perspicuum erat, sectae etiam unius qualemcunque unitatem conservari non posse, nisi rerum credendarum ambitus quam maxime restringeretur[1]). Alii denique, et quidem potissimum

[1]) Protestantes, ut ipsi fatentur, ne in definitione quidem articuli fundamentalis inter se conveniunt. Secundum Nic. *Hunnium*, qui voce articulorum fundamentalium et non fundamentalium primus usus fuisse fertur, articuli fundamentales illi sunt, „qui non possint negari ab his qui voluerint per Christum salvi fieri": articuli non fundamentales illi, „qui salva salute aeterna ignorari et negari possint". Alii

Anglicani, quum viderent, protestantismum magis magisque in varias divelli sectas, societates religiosas saltem praecipuas sibi jungere et in unam Ecclesiam, quam voce abutentes Catholicam vocarunt, colligere voluerunt. Societates praecipuas existimant Ecclesiam Romanam, graecam et anglicanam, quae tres unam Ecclesiam catholicam constituant abjectis videlicet illis doctrinae capitibus, in quibus non consentiunt. Cf. *Newman*. The via media. Vol. I. lect. IX. *Gallwey*. Twelve Lectures on Ritualisme, I. lect. 590. **Probatur 1.** *e Christi mandato tradendi omnia.* Christo proclamante non est licitum quidquam rejicere ex illis, quae Apostolis praedicanda commisit. „Docentes eos servare omnia etc.“ Mtth. 18, 20. „Praedicate Evangelium omni creaturae . . . Qui non crediderit, condemnabitur“. Marc. 16, 16. Ut ab Evangelio credendo non eximitur nisi qui illud non audivit, ita a singulis ejus doctrinis suscipiendis non excusatur nisi ille, cui nullo modo propositae sunt. Unde etiam sequitur, credenda singula fuisse,

ipsos articulos fundamentales in primarios et secundarios diremerunt; primarios vocarunt illos, qui salva salute non possint ignorari; secundarios illos, qui salva salute ignorari quidem, nec tamen negari possint. Unde fluit, non fundamentales esse illos, qui salva salute negari possint. Secundum alios articuli fundamentales illi sunt, sine quibus religio christiana esse non potest; aut illi, in quibus admittendis sectae christianae omnes consentiunt. Cf. Bretschneider, Dogm. I. §. 10. a. Alii, ut *Turretinus*, Calvini assecla, articulos fundamentales definiunt „essentialia Christianae fidei dogmata, quae omnibus fidelibus simpliciter et absolute necessaria sunt creditu, quaeque vel ignorari vel negari absque salutis dispendio nequeunt“. Continuo autem idem auctor addit: „Licet veritates omnes, quae in Scriptura revelantur, creditu sint necessariae, ut divinae et infallibiles, non tamen omnes ex aequo sunt necessariae“. Diceres, scriptorem hunc cum Catholicis distinguere veritates alias, quae necessitate medii, alias, quae necessitate praecepti tantum credendae sint. Sed quae mox addit, ostendunt, eum sibi non constare. Instit. theol. elenct. tom. I, loc. I, q. 14, n. 4 et 5. Rev. W. *Palmer*. Anglicanus, affert Protestantium quendam (Waterland) dicentem, tot fere esse regulas diversas determinandi articulos fundamentales, quot sint sectae vel partes dissentientes, atque ita accidisse, ut quod contentionem omnem finire debuerit, novarum contentionum causa et novae discordiae pomum extiterit (one principal bone of contention). Affert undecim definitiones diversas articuli fundamentalis, quarum decima articulum fundamentalem constituit in sola „vita honesta“, undecima in solo „amore Jesu Christi“. A treatise on the Church of Christ. London 1838. I. P. I, ch. V, p. 125. Insuper accidit, ut quod in uno coetu est articulus fundamentalis, in alio habeatur pro gravi errore: Christi divinitas, apud Lutheranos, saltem ut Fr. V. *Reinhard* censet, est articulus fundamentalis, apud Socinianos est error gravis. Reinhard, Dogm. §. 12. Doctrina de articulis non fundamentalibus postea immutata est in *indifferentismum*. Recentiore tempore distinctio inter articulos fundamentales et non fundamentales renovata quidem est, non tamen reperto vel ipsius definitionis fundamento. Cf. Chr. E. *Luthardt*, Compend. d. Dogm. Leipz. 1889. §. 13. Unde non mirandum, quod in tanta fluctuantium opinionum varietate aliqui, ut *Hahn*, eo devenerunt, ut animum religiosum („der religiöse Geist selbst“) solum tamquam articulum fundamentalem statuerint (in Herzogs Realencyclop. der prot. Theol. 2. Aufl. s. v. Glaubensartikel).

prout tradebantur, i. e. explicite credenda fuisse a singulis, quae explicite singulis proponebantur, et implicite quae in praedicatione apostolica implicite continebantur.

2. *ex Apostolorum praedicatione universali.* Singula quae tradiderant, integra conservari, tradi et credi mandant Apostoli; quidquid illis adversatur, rejiciunt. „O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt". 1. Tim. 6, 21. Duo insinuantur: traditum fuisse Timotheo doctrinarum complexum determinatum, et hunc complexum esse custodiendum et credendum. Si non esset omnino determinatus, sed vagus et incertus, non posset esse sermo de doctrinis eidem oppositis; si non esset totus credendus, non esset, cur adeo commendetur, ut servetur integer. Eodem modo Apostolus hortatur 2. Tim. 2, 15. 16. Imo „anathema" pronunciat in illum, qui evangelizet, praeterquam quod ipse evangelizaverat. Gal. 1, 8. Apostolorum epistolae tradunt doctrinas plurimas easque omnino determinatas de Deo, de Christo, de Spiritu sancto, de Ecclesia, de peccato originali, de justificatione, de hominis et de mundi statu futuro. Requirunt autem rerum omnium fidem, quum se Christi auctoritate docere affirment. Gratuito et male supponunt Acatholici, quoties illa necessitas urgetur ab Apostolis, agi de solis articulis fundamentalibus.

3. *ex haereseos nota.* Semper a fidelium societate exclusi sunt, qui traditae cuilibet doctrinae contradicerent aut alienum tribuerent sensum. Apostolus quosdam notat, quorum „sermo ut cancer serpit: ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorundam fidem". 2. Tim. 2, 17. 18. Admittebant illi hominis resurrectionem, spiritualem videlicet per baptismum, negabant futuram esse corporum resurrectionem. Ut Hymenaeus et Philetus, ita per prima etiam saecula ab Ecclesia exclusi sunt, quicunque ejus doctrinae contradicerent. Habuit igitur doctrinam sensu omnino determinatam, eamque singuli profiteri tenebantur.

4. *e Dei auctoritate omnibus articulis communi.* Etsi solo doctrinarum respectu habito aliae dici possunt majoris momenti quam aliae, quia nimirum aut plura de Deo tradunt, aut arctius cum fine nostro nectuntur, aut demum aliarum sunt fundamentum et radix; tamen attento Deo eas revelante omnes eadem auctoritate commendantur et credendae injunguntur. Et vero, ut Deus pro sua sapientia et sanctitate permittere non potest, ut sibi

loquenti sive generatim revelanti fides denegetur, ita etiam permittere non potest, ut quamcunque singularem doctrinam revelanti fides denegetur; idem enim in utraque hypothesi foret auctoritatis contemptus. Majus quod nonnullis doctrinis inest momentum causa esse potest, ut ipsae prae aliis tradantur et a singulis cognoscantur; sed causa esse non potest, ut, aliis quoque doctrinis cognitis, solae quae graviores sunt, credantur, dum illis negetur assensus. Perperam igitur Acatholici e doctrinarum discrimine interno inferunt, quasdam neque explicite neque implicite esse credendas.

5. *e defectu principii pro doctrina opposita.* Quocunque demum principio ad articulos necessarios distinguendos utantur, non possunt non secum ipsis pugnare systematis patroni.

Si e sola Scriptura eosdem cruere practendunt, ostendant necesse est, solos articulos, quos fundamentales vocant, necessarios declarari. Nullibi Scriptura hos indicat. Provocant ad locum: „Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum". Rom. 14, 1. At non de rebus credendis, sed de agendis, de ciborum distinctione agitur, ut contextus patefacit. De iisdem agendis i. e. de legalibus aliquamdiu pro arbitrio observandis aut negligendis agitur etiam in alio ad quem provocant loco (Phil. 3, 15. 16). Porro si in auxilium vocant traditionem, ut Calixtus notans, symboli apostolici sensum per alia symbola communia explicari, et Anglicani, qui a primis conciliis oecumenicis admittendis non refugiunt; seipsos condemnant, quia traditionis aut Ecclesiae auctoritatem in aliis admittunt, in aliis rejiciunt; nec tamen Symbolorum vel conciliorum sensum attingunt: nullibi enim dicitur, praeter illa, quae aut symbolis aut primorum conciliorum definitionibus continentur, alia omnia licitum esse rejicere.

Si ex articulorum indole et natura eorum necessitatem determinare tentant, necessitatem medii perperam confundunt cum praecepti necessitate. Quod necessitate medii necessarium est, ideo est necessarium, quia homini aliquid tribuit, sine quo salus obtineri non potest, sive homo hanc necessitatem cognoscat sive non cognoscat. Necessitate medii necessaria est fides in Deum et quidem ut remuneratorem supernaturalem. Necessitate praecepti necessarium est illud, quod ideo est necessarium, quia a superioris voluntate imponitur, hinc ab illo tantum necessario praestandum est, qui illam voluntatem novit. Cf. *Suarez* de fide disp. 12, n. 1—3. Ibid. s. 1. 4. Necessitate praecepti necessaria est fides saltem implicita eorum omnium, quae Deus revelavit. Ib. disp. 13, s. 1 seq. Quod necessarium est necessitate medii.

est etiam necessarium necessitate praecepti, quia Deus vult, ut salutis mediis necessariis utamur.

591. *Object. solvit.* Ex eo, quod Catechumenis nonnisi Symbolum apostolicum explicari et tradi consueverit, minime sequitur, reliquorum omnium articulorum fidem non fuisse necessariam; imo contrarium sequitur. Etenim Symbolum apostolicum tradebatur eo sensu tenendum, quo illud tenet Ecclesia; sensu autem Ecclesiae Symbolum est brevissimum quoddam compendium fidei illius, quam tenet Ecclesia. Jam vero fides Ecclesiae est maxime determinata et evoluta; ergo etiam Symboli sensus est maxime determinatus et evolutus i. e. virtualiter includit doctrinas plurimas. Id facile patet ex explicationibus prolixis, quae Catechumenis fiebant. Patet ex additionibus in variis locis Symbolo adjectis, quibus articuli nonnulli magis explicabantur. Patet ex haereticis, qui ab Ecclesia excludebantur, etsi admittebant symboli articulos, quos sensu perverso explicabant. Disserte s. *Cyrillus* Hierosolymitanum Symbolum traditurus: „Fidem, inquit, illam solam amplectere et serva, quae nunc tibi ab Ecclesia traditur, ex omnibus Scripturis vallata. Cum enim non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quaedam a cognitione impediat, ne anima per ignorantiam intereat, paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus . . . Quemadmodum synapis semen in modico grano plures ramos complectitur, ita et Fides haec paucis in verbis omnem tam veteri quam novo in Testamento contentam pietatis cognitionem in sinu veluti involvit". Cat. V. de fide et symb. n. 12. Haec certe demonstrant, Symboli sensu quam plurimas doctrinas comprehendi, quae nullatenus abjiciendae, sed prompto animo credendae declarantur.

Articulus II.

De religione christiana ut universali.

Propositio 121. *Christiana religio universalis est tum e natura sua, tum ex efficace Christi voluntate.*

Natura sive indole sua universalis sive omnibus hominibus destinata est utpote complectens illa, quae ut salutis media ordinaria omnibus sunt accommodata et destinata; e Christi voluntate efficace universalis est, quatenus Christus non tantum praecepit, ut omnes homines eam complectantur, sed etiam, quod ipsum attinet, providit, ut id possint. Utraque ratione differt a lege mosaica, quae nec natura sua nec positiva Dei voluntate omnibus imponebatur. Cf. Prop. 63.

592. Pars I. Religio christiana natura sua universalis est utpote qua salutis via et medium ordinarium omnibus destinata.

Dicendo esse medium ordinarium non excluditur medium aliud extraordinarium: videlicet pro illis, qui medium ordinarium usurpare non possunt. Dicimus: qui medium ordinarium usurpare non possunt. Integrum enim homini non est, rejecto medio ordinario usurpare medium extraordinarium: quinimo medium extraordinarium pro illo, qui medium ordinarium oblatum rejiceret, jam medium foret nullum, quum ordinationi divinae resisteret ideoque peccaret. Religionem christianam *generatim* spectatam dicimus esse salutis medium ordinarium, non determinantes interim rationem vel gradum necessitatis aut utilitatis rerum singularum, quas continet.

Probatur 1. *missione Christi.* Religionem christianam esse omnibus destinatam utpote ordinariam salutis viam declarat Christus. Ipse enim venit, ut homines „vitam habeant et abundantius

habeant". Joan. 10, 10. Quaenam autem ad vitam conferendam singillatim requirantur, alibi declarat Christus. „Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum". Joan. 17, 3. Unde imprimis sequitur, Christi aliquam cognitionem, aut explicitam aut saltem implicitam, designari necessariam. Si autem cognoscendus est, sequitur, eundem et complectendum et salutis remedia, quae ut alibi docetur, instituit, usurpanda esse. Joan. 3, 5. Christus enim offertur non tantum ut cognoscendus, sed simul ut legislator novus complectendus et sequendus.

2. *e Christi regno praesente ut inchoatione futuri.* Christus declarat, se his in terris institurum esse regnum spirituale complectens omnes omnino homines, quod sit inchoatio et praeparatio regni beatorum cum Deo regnantium. In hoc autem regno vigebit et exercebitur, ut ipse porro declarat, christiana religio. Ergo haec Christi institutione universalis est.

„Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum". Luc. 4, 43. Non solos Judaeos hoc regnum complectetur: „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus pastor". Joan. 10, 16. Qui ab hoc regno in terris instituendo sese excludit, excludetur a regno beatorum in coelis: „Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum; filii autem regni ejicientur in tenebras; ibi erit fletus et stridor dentium". Mtth. 8, 11. 12. E contextu filii regni sunt Judaei rebelles; Israelitae enim usque ad Christum constituebant regnum illud, quo Christi regnum praeparandum erat. In novo autem regno non legi, sed Evangelio locus est: „Lex et prophetae usque ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur". Luc. 16, 16.

593. Falsa igitur est et christianae religionis indoli prorsus adversatur opinio, quae recentiore tempore suos habuit patronos asserentes, gentibus parum cultis religionem christianam non congruere, quia quae proponit altiora sint, quam ut ab illis concipi aut earum linguis exprimi possint. (Max *Müller*. Einleitung in die vergleich. Religionswissensch. p. 340. 342.) Neque necesse est, imo ne fieri quidem potest, ut omnia ab omnibus vel etiam ab ullo intelligantur et penetrentur. Quod de mysteriis absolute spectatis diximus (n. 87), id locum etiam habet in mysteriis relative spectatis. Praeterea notum est, ipsa doctrina christiana barbariem expelli et gentes ad vitae cultum et humanitatem brevi tempore evehi. Quod dum fit, etiam earum linguae excoluntur quantum necesse est.

3. *e doctrina Apostoli connectentis salutem cum Evangelii cognitione.* „Qui (salvator noster Deus) omnes homines vult salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire". 1. Tim. 2, 4. Duo hic traduntur: Deum salutem velle omnium, ideoque velle ut omnes religionem christianam (de hac enim agitur) cognoscant. Haec ergo est salutis via ordinaria omnibusque destinata.

Praeter religionem christianam salutis viam ordinariam admittitur medium extraordinarium, quod foret sola Dei supernaturaliter providi cognitio et fides. Hanc cognitionem etiam religio christiana praebet hominibus, non tamen solam. Fidei Dei supernaturaliter providi ut qua remedium extraordinarium sufficiat, etiam charitas accedat necesse est; religio christiana baptismum praebet ut remedium ordinarium.

594. Pars II. Religio christiana pariter universalis est e Christi voluntate efficace ejus propagationem praecipientis et de modo, quo propagetur, providentis.

Colligitur hoc aliquatenus ex illis quae demonstravimus. Merito enim concluditur, Deum, qui omnium vult salutem, non tantum de ejusdem remedio absolute necessario, quod in Dei supernaturaliter providi cognitione consistit, providisse, sed etiam de ejusdem obtinendo medio ordinario. Notandum tamen est, hunc a Deo statutum esse ordinem, ut alter ad alterius salutem procurandam conferat; unde etiam alter alterius saluti obtinendae obstacula opponere potest. Hinc fit, ut gentes Evangelii praedicationem aliquando possint impedire, quamvis, ut e Christi promissis constat, eandem penitus impedire non possint. Quatenus impediunt, manet quidem Dei voluntas, homines aliena malitia ab Evangelii praedicatione exclusos ad salutem perducendi; subsidio autem ordinario et abundantiori, quatenus impeditur, substituitur subsidium extraordinarium minusque abundans.[1])

595. **Probatur 1.** *e mandato Apostolis imposito.* Praeceptum Christus Apostolis imposuit, omnibus nunciandi Evangelium: „Euntes docete omnes gentes". Mtth. 28, 19. Cum mandato Evangelium omnibus nunciandi implicite et explicite jungitur credendi mandatum: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur". Marc. 16, 16. Ergo e Christi voluntate religio ejus universalis est.

2. *ex Apostolorum obedientia.* Evangelium gentibus omnibus annunciandum esse norant Apostoli, qui „profecti praedicaverunt

[1]) Hanc in rem ita s. *Thomas:* „Secundum sententiam Domini (Joan. 15, 22) illi qui loquentem Dominum per se vel ejus discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet justificentur ab aliis peccatis, vel quae nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt, et pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praedicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio et Paulum Macedonibus. Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum". In epist. ad Rom. 10, 8.

ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis". Marc. 16, 20. Quo eventu nunciarint, declarant verba Apostoli: „Quod (Evangelium) pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis". Col. 1, 6. Fama enim exire in totum mundum coeperat inde a Pentecostes die; virtute et potentia in toto mundo jam esse merito dicit Apostolus, quia quod eousque sive vivis Apostolis gestum fuerat, non poterat carere effectu ulteriore.

3. *ex actualis diffusionis promissione absoluta.* Christus promisit, religionem saltem moraliter revera diffusam fore inter gentes ideoque per totum mundum. Loquens de ovibus aliis, „quae non sunt ex hoc ovili", quas per Evangelii praecones vocaturus sit, addit: „et illas oportet me adducere et vocem meam audient et fiet unum ovile et unus pastor". Joan. 10, 16. Agitur de tota multitudine gentium, sive de omnibus qui non sunt Judaei. Hisce Evangelium destinatur non voluntate Dei qualicunque, sed tali quae duplicem habeat effectum: Evangelium videlicet multitudini gentium revera praedicabitur, eaque Christi voci obsequetur. Ex quibus tamen verbis non sequitur, singulos homines aut singulas gentes Christi voci obsecuturas esse. Novimus enim, Christum alias praedixisse, magnam populi Judaici partem fore infidelem (Mtth. 21, 43) et inter gentes fore plurimos, qui Evangelio adversentur. Mtth. 24, 9.

Arbor, in cujus ramis aves non tantum habitare possunt, sed habitant (Mtth. 13, 31); fermentum, quod massam totam non tantum pervadere potest, sed pervadit (Ib. 13, 33), aliaeque similitudines indicant, Evangelium ad gentes plerasque revera perventurum esse.

Interrogantibus discipulis: „Quod signum adventus tui et consummationis saeculi?" Christus inter alia respondit: „Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio". Mtth. 24, 3. 14. „Consummatio saeculi" est finis mundi, ut et in aliis locis, ubi consummationi saeculi judicium ultimum connectitur. Mtth. 13, 39. 40. Praedicitur igitur, ante finem mundi Evangelium praedicatum fore in toto orbe.

Non periret argumentum, si cum s. *Chrysostomo* (in Matth. hom. 75, n. 2) non consummatio mundi, sed devastatio urbis Hierosolymae intelligitur, ita ut Christus ex Apostolorum interrogatione ansam sumpserit loquendi de praevia Hierosolymorum devastatione ut alterius devastationis imagine. Si enim urbis devastatio figura est mundi devastationis, etiam Evangelii diffusio imperfecta, quae locum habuerat ante urbis eversionem, figura erit diffusionis longe perfectioris, quae finem mundi praecedet.

Articulus III.

De religione christiana ut perpetua.

596. Religioni perpetuae opponitur religio aliquando desitura. Duplice modo religionem revelatam desinere mente fingi potest: videlicet aut alia revelatione succedente aut non succedente. Fuerunt et sunt, qui docerent et doceant, religionem christianam priori modo cessaturam aliquando; sunt qui doceant, eam altero modo cessaturam esse. Hinc de utroque modo agendum.

§. I. De religionis christianae supposita abolitione revelatione nova succedente.

Abrogandam aliquando esse Christi religionem revelatione nova succedente non modo veteres, sed etiam recentiores docuerunt haeretici.

597. I. Inter veteres eminent (saec. II) *Cataphryges*, a Phrygia provincia nominati, „quorum auctores fuerunt *Montanus* tamquam paraclitus et duae prophetissae ipsius, Prisca et Maximilla". De his s. *Augustinus* ita prosequitur: „Adventum Spiritus sancti a Domino promissum in se potius quam in Apostolos fuisse redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent; et ideo dicunt, eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat et ex parte prophetabat; nondum enim venerat, quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum et ejus prophetissas venisse delirant". De haer. c. 26. Itaque ex illorum mente, ut legi mosaicae lex Christi, ita legi Christi sive Filii lex Spiritus sancti succedit. Sectae postea adhaesit Tertullianus, qui tamen inter legem fidei et legem disciplinae distinguens, fidei regulam dicit manere eandem, dum cetera admittunt novitatem, quae videlicet inducitur a Spiritu sancto. De veland. virg. c. 1. Rejecta est Montanistarum haeresis communi Ecclesiae consensu.

Rejecta pariter est similis *Manichaeorum* haeresis, qui (saec. III), ut s. Augustinus refert, „auctoris sui Manichaei [sive Manetis] personam in Apostolorum numerum inducere molientes, dicunt, Spiritum sanctum, quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse". De util. cred. c. 3. Atque propterea respuebant Actuum librum, in quo narratur, Spiritum sanctum in Apostolos descendisse.

Revocata ex parte et exculta est doctrina ab Almarici, magistri Parisiensis, discipulis (ineunte saec. XIII), praesertim a *Wilhelmo* aurifabro, statuente: „Sicut ceciderunt formae legales in primo Christi adventu, ita nunc cadent omnes formae, quibus Filius operatus est, et cessabunt sacramenta; quia persona Spiritus sancti clare manifestabit se, in quibus incarnabitur, et principaliter per septem viros loquetur, quorum unus ipse Wilhelmus erat". Caesar. Heisterb. Dialog. miracul. distinct. 5. cap. 22. (Ed. J. Strange). Isti igitur leges tres statuebant, quae tribus responderent personis divinis. Non advertebant, quemadmodum lex vetus non tantum erat Patris, sed etiam Filii, qui in lege vetere figurabatur, ita etiam legem novam non tantum Filii esse, sed etiam Spiritus sancti, quo repleti sunt Apostoli (Act. 2, 4), et qui habitat in justis (Rom. 8, 10). Praeterquam quod trium personarum opera ad extra sunt communia. Cf. s. Thom. 1, 2. q. 106. a. 4. Damnata est haeresis in concilio Parisiensi (an. 1209).

598. II. Protestantismi surculi plures revelationem christianam aliquando abolendam censuerunt nova revelatione succedente. Hanc variam finxerunt.

Anabaptistae duce Thoma *Müntzer* spiritu novo per Christum emisso ordinem socialem et politicum novum i. e. communismum inducendum docuerunt.

Quakeri (i. e. trementes) duces et auctores habuerunt Georgium Fox († 1691), Georgium Keith, Robertum Barclay, Wilhelmum Penn. *Barclay* († 1690) in „theologiae vere christianae apologia" haec statuit: Thesis 2. „Testimonium Spiritus illud est, quo et hactenus revelata est, *et nunc revelatur*, et solummodo revelari potest vera cognitio Dei; quum objectum fidei Sanctorum idem sit in omnibus saeculis, licet sub diversis administrationibus exhibitum . . . Thes. 3. Scripturae quoniam solummodo sint declaratio fontis, et non ipse fons, ideo non existimandae sunt principalis origo omnis veritatis et cognitionis, nec adaequata primaria regula fidei et morum . . . Sicut interno Spiritus testimonio earum (Scripturarum) certitudinem solummodo novimus, ipsae etiam testantur, *Spiritum* esse illum *rectorem* Sanctis traditum, quo *ducendi sunt in omnem* veritatem . . . Thes. 10. Qui *luminis Dei* habent authoritatem, possunt et debent Evangelium annunciare, licet humanis mandatis carentes et humanae litteraturae ignari. E contra, qui hujus divini doni authoritate carent, quamquam eruditione praediti, et ecclesiarum mandatis et hominum authoritate pollentes, impostores ac non Evangelii ministri habendi sunt". Apud Chr. *Niedner*, Gesch. der christl. Kirche. Leipz. 1846, pag. 723. Cf. W. *Sewel*. The history of the Quakers, London 1722, pag. 538. Patet ex his, revelationem christianam complendam et perficiendam esse spiritu prophetico nonnullorum.

Inter prophetas novi rerum ordinis et „novae Hierosolymae" est Immanuel *Swedenborg*, e Suecia oriundus († 1772), qui fatetur: „Quoniam Dominus non in persona se manifestare potest, et tamen praedixit, se venturum esse et novam ecclesiam conditurum: sequitur quod id per hominem, qui hujus ecclesiae doctrinas non solum intellectu recipere, sed etiam illas typis evulgare potest, facturus sit. Quod Dominus coram me, ipsius servo, se manifestaverit et [me] miserit ad hoc munus, et quod post hoc aperuerit visum spiritus mei, et sic me in mundum spiritualem introduxerit, et dederit videre coelos et inferna et quaeque loqui cum angelis et spiritibus, et hoc nunc continenter per plures annos, testor in veritate; pariter quod a primo illius vocationis die, non quidquam quod ecclesiae illius doctrinas attinet, ex aliquo angelo, sed a solo Domino, dum legi Verbum, acceperim". Vera christiana religio continens universam theologiam Novae Ecclesiae. Amst. 1771. §§. 779. 780. Ap. Chr. *Niedner* ib. p. 767.

„Sancti posteriorum sive recentiorum dierum (The latter day Saints sive Mormones) ab auctore et propheta suo Josepho Smith (an. 1827) amplissimam receperunt revelationem, quae plurimas fabulas de Deo et angelis continet et eo tendit, ut vita his in terris perquam jucunda reddatur. Systemati postea addita est polygamia. Regno mille annorum felicissimo, quod sectae nonnullae antiquae futurum exspectabant, isti „sancti" jam potiuntur.

Regnum millenarium ut proxime imminens inde ab an. 1829 exspectabat *Irving*, Scotus († 1834), idque cum suis praeparare satagebat. Non defuerunt novae revelationes, quae tamen potius hierarchicam societatis

constitutionem et moderatorum electionem spectabant, quam novas doctrinas. Nova Spiritus sancti effusio et charismatum abundantia, quae illi annexa praedicabatur, quum nondum evenerit, sectae pars praecipua in hierarchiae et ritus catholici aliqua imitatione consistit. Catholico-Apostolicos Irviugiani ipsi se nominant. V. J. *Köstlin* in Herzog's u. Plitt's Real-Encyclop. für protest. Theol. u. Kirche. - Edmund *Jörg*. Gesch. des Protestant. in seiner neuesten Entwicklung. Freib. 1858.

Etiam inter Angliae et Scotiae Protestantes, qui ecclesiae lege sancitae adhaerent, *Chiliasmi* doctrinae late propagatae esse videntur. Quod ibidem orta est societas specialis ad religionem christianam inter Judaeos propagandam (London Society for Promoting Christianity amongst the Jews), quod sedes episcopalis instituta est Hierosolymis, Chiliasmi partim fructus partim fomentum esse perhibetur. O. v. *Gerlach*, Ueber den religiösen Zustand der Anglic. Kirche. Amtlicher Bericht. Potsdam 1845, p. 39.

Propositio 122. *Religio christiana numquam abolebitur revelatione nova successura.*

599. Quum religio sit summa illorum, quibus homo, quamdiu in via est, ad beatitudinem consequendam dirigitur; patet, quae statum viatoris consequuntur, religionis nomine venire non posse. Ut singuli homines desinunt esse viatores, quum subeunt judicium particulare, ita totum genus humanum viatoris statum excedit, quum judicio universali submittitur. Unde sequitur, hic non esse agendum de illo Chiliasmo sive quocumque felicitatis statu in terris, qui *post* judicium universale futurus fingitur; excludi autem Chiliasmum sive novum rerum ordinem, qui ante judicium universale inducendus et in quo homo novis legibus subjiciendus fingitur; iste enim nova foret religio, dum ille quaedam quasi merces statuitur.

Probatur 1. *e plenitudine temporum per religionem christ. constituta.* Ordo rerum per Christum invectus summa est eorum, quae Deus ad salutem generis humani procurandam statuerat, sive est plenitudo temporum docente Apostolo: „At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum“. Gal. 4, 4. Cf. Eph. 1, 9. 10. Sed qui cum Christo rerum ordo incepit, plenitudo temporum dici non posset, si novus rerum ordo, quo demum consilia divina complerentur, a Deo inducendus esset. Verbo: plenitudo est perfectio sive ultimus divinorum consiliorum finis; ergo post salutis ordinem a Christo institutum nullus alius salutis ordo instituetur.

2. *e religione christ. usque ad consummationem saeculi praedicanda.* Christus illum doctrinarum, praeceptorum et institutorum complexum, quem in omnes gentes propagari voluit, etiam usque ad consummationem saeculi praedicari mandavit; nam eo usque promittit se fore cum Apostolis hunc ipsum complexum praedicantibus. Mtth. 28, 20. Si Apostoli hanc eandem religionem usque ad saeculi consummationem praedicant, alteri religioni locus

non est. Saeculi consummatione intelligi hujus mundi finem, antea (p. 595) ostendimus. Mtth. 13, 49.

3. *e judicio extremo excipiente hunc ordinem.* Perpetuam fore Christi religionem docebant Apostoli, cum hac epocha nectentes ultimum judicium ut ejusdem et simul totius mundi finem. „Novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est". 1. Joan. 2, 18. Etenim incepisse ultimam epocham, s. Joannes colligit ex Antichristi praecursoribus Christi religionem infestantibus. Novimus autem, concludendum esse hunc mundi ordinem post infestationes illius qui sensu maxime proprio Antichristus et christianae religionis adversarius vocatur (2. Thess. 2. 4); ergo post hanc epocham sive post ordinem a Christo inductum non erit alius, sed ipse ad Antichristi et ultimi judicii tempus perdurabit.

4. *e religionis christianae perfectione.* Attento ordine, quem Deus secutus est in oeconomia salutis, exspectare non licet religionem novam, quae christianae succedat religioni. Teste enim historia Deus hominum genus lapsum per legem mosaicam imperfectiorem duxit ad perfectiorem, christianam. Unde si christianae legi lex alia successura esset, perfectiorem eam fore oporteret; quod et supposuerunt haeretici illi, qui religionem christianam abrogandam aut nova revelatione complendam dixerunt. Sed licet Deus uberiores conferre possit gratias et veritatis per Christum revelatae ampliorem, quam nunc est, largiri possit intelligentiam, tamen censendum est, religionem sive in se seipsa sive pro fine suo spectatam non posse esse perfectiorem quam est christiana, nec abundantiorem fore veritatis revelatae cognitionem quam quae fuerat concessa Apostolis.

Etenim a in se ipsa perfectissima est religio illa, quae *cultum* habet perfectissimum, quum religio praecipue Dei cultum spectet. Perfectissimus cultus ille est, qui perfectissimo sacrificio exhibetur; nam sacrificium est praecipuus ejus actus. Porro sacrificium perfectissimum sine dubio illud est, quod in religione christiana offertur, cum, ut suis locis demonstratur, ipse Dei Filius se ipsum per ministrorum manus offerat.

b. Spectato homine religionis *finis* in eo est, ut eundem ad beatitudinem perducat. Unde quo eidem propinquiorem religio hominem constituit et quo perfectior est beatitudo, eo perfectior est religio. Jam vero religio christiana secus ac mosaica homini coelum ipsum aperit et ita beatitudinis supernaturalis in clara

Dei cognitione sitae participem reddit; haec enim beatitudo animae, cui nihil est luendum, e corpore excedenti continuo conferenda promittitur. „Unde“ — ita s. *Thomas* concludit, „non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae, quam status novae legis; quia tanto est unumquodque perfectius, quanto est ultimo fini propinquius“. Sum. 1, 2, q. 106, a. 4.

c. Nec potest esse revelationis *cognitio* uberior et amplior quam quae promittitur Apostolis a Christo dicente: „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem“ *(ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν)*. Joan. 16, 12. 13. Factum id est, ex quo Apostoli die Pentecostes „repleti sunt Spiritu sancto“. Act. 2, 4. Neque ulla est ratio cum Tertulliano jam Montani assecla restringendi hanc Apostolorum cognitionem ad sola credenda; imo aperte refertur ad omnia, quae religionem constituunt; de hac enim loquebatur Christus.

Hinc merito s. *Thomas:* „Sicut, inquit, quandoque ad ostensionem suae virtutis (Deus) producit sanitatem absque naturali causa, quae tamen per naturam posset causari, ita etiam quandoque ad ostendendam suam virtutem infundit homini illos etiam habitus, qui naturali virtute possunt causari: sicut Apostolis dedit scientiam Scripturarum et omnium linguarum, quam homines per studium vel consuetudinem acquirere possunt, licet non ita perfecte“. Sum, 1, 2, q. 51, a. 4.

600. *Objicitur* 1. Qui Montano adhaerebant, argumentari solebant ex illa Christi promissione. „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo“. Joan. 16, 12. Inter hos ita *Tertullianus:* „Paracletus, multa habens edocere, quae in illum distulit Dominus, secundum praefinitionem, ipsum primo Christum contestabitur qualem credimus . . . et sic de principali regula agnitus illa multa, quae sunt disciplinarum, revelabit“. De monog. c. 2.

Respondetur. Ad hanc objectionem bene responderat et Christi promissionem Pentecostes die impletam esse recte docuerat ipse *Tertullianus* adhuc catholicus ita scribens: „Dixerat plane aliquando (Christus): ‚Multa habeo vobis adhuc loqui, sed non potestis ea modo sustinere‘; tamen adjiciens: ‚cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem‘, ostendit, illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat; et utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus sancti“. De praescr. c. 22.

Objicitur 2. Alii provocarunt ad Joëlis verba allata a s. Petro: „Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri“. . . Act. 2.

Respondetur. Non attendunt, quod praemittit Apostolus: „Hoc est, quod dictum est per prophetam Joël“. Vaticinium enim illud impleri coeptum est ipso Pentecostes die et impletur toto legis novae tempore, quum homines revelationem per Christum et Apostolos allatam credunt ejusque intelligentia proficiunt.

Objicitur 3. Alii argumentantur ex eo, quod generatim post imperfectiora succedant perfectiora, quum quaelibet epocha perfectioris epochae sit praeparatio.

Respondetur. Admittendum quidem est, Deum genus humanum lapsum ab imperfectioribus duxisse ad perfectiora. Ex eo tamen non sequitur. Deum velle, ut huic epochae epocha perfectior succedat. Nam a. Deus non praedixit epocham perfectiorem; si perfectiorem intendisset, illam praedixisset, ut praedixit christianam. Nam sine dubio voluisset, ut genus humanum epocham hujusmodi perfectiorem desideraret et ad eam se praepararet, quemadmodum se praeparavit ad recipiendam revelationem christianam; desiderare autem non poterat, nisi esset promissa. — b. Omnia potius indicant, revelatione christiana contineri illum perfectionis gradum, quem Deus generi humano lapso his in terris destinarat. p. 599. Perfectiora quae cogitari possunt, non sunt hujus vitae, sed vitae futurae.

§. II. De religionis christianae supposita abolitione religione mere naturali successura.

601. Sunt qui revelationem aliquam hominibus quidem aliquando obtigisse admittant, sed in ejus locum religionem mere naturalem succedere debere affirment. Fingunt imprimis, nihil esse discriminis inter revelationem et institutionem sive magisterium; unde sicuti puer primum quidem a magistro instituitur et quaedam quae ipsius ingenium excedunt, ob magistri auctoritatem tenet, dein autem, rerum rationibus perspectis, non jam magistri auctoritate, sed rei interna veritate movetur, ita genus humanum primum quidem a Deo institutum, dein autem quum adoleverit, sibi permittendum esse fingitur, ut quae primum credidit, iisdem jam intellectis assensum praebeat. Nonnulli eorum, qui revelationem christianam hac ratione in rationalismum resolvunt, rationalismum purum ideo effugere sibi videntur, quod revelationis nomen retinent et supernaturalem Dei influxum admittunt. Horum agmen ducit *Lessing*. (Die Erziehung des Menschengeschlechts). Cf. Wegscheider, Instit. theol. §. 27. Missos hoc loco facimus illos, qui religioni christianae aliam substitutam volunt, quia illam inde ab initio vero fundamento caruisse dictitant, inter quos est David Fr. *Strauss* in opere: Der alte und der neue Glaube. Hos enim refutavimus demonstrando, religionem christianam a Deo esse revelatam.

Propositio 123. *Christiana religio numquam desinet succedente religione naturali sive cultu mere rationali.*

602. **Probatur 1.** *e mandato praedicandi semper eodem.* Mandatum Apostolis impositum gentes docendi et baptizandi sine dubio demonstrat, exstitisse religionem christianam et ab omnibus admittendam fuisse tempore illo, quo primum mandato obsecuti sunt Apostoli, neque id negant adversarii, quum religionem a Christo revelatam esse affirment. At mandatum illud non Apostolorum tantum aetatem, sed omne omnino tempus respiciebat, ut modo (Prop. 122) demonstravimus: ergo omni omnino tempore ab omnibus admittenda est religio christiana, sive religio annunciata ab Apostolis, et quidem eo modo, quo primum admittenda erat, vide-

licet ut Christi auctoritate et nomine praedicata; et proinde fidei assensu credenda. Cf. n. 61.

2. *ex institutis et praeceptis positivis.* Adversarii religionem christianam male restringunt ad solas veritates credendas; complectitur enim etiam instituta et praecepta positiva, imprimis quae sacramentorum participationem et obedientiam praepositis ecclesiasticis praestandam respiciunt. Unde etiamsi veritatum revelatarum fides in earundem intelligentiam converti posset ac licite converteretur, praecepta tamen divinitus data observanda et ritus divinitus praescripti adhibendi forent, ac proinde religio christiana integra non abiret in religionem naturalem.

3. *e religione christiana ut supernaturali quoad substantiam.* Sententia adversariorum gratuito et falso supponit, religionem christianam complecti tantum illa, quae naturae et rationis ordinem non excedant, sive supponit, religionem christianam esse supernaturalem non substantia, sed solo modo. V. supra Prop. 22. Ut suis locis demonstratur, religio christiana continet doctrinas, quae vera sunt mysteria; continet praecepta, quae veritatibus supernaturalibus tamquam fundamento nituntur, v. g. praeceptum diligendi Deum ut gratiae auctorem; continet instituta, quae efficacia supernaturali praestant, v. g. baptismum. Interim hoc loco, quum singula prosequi non liceat, sufficit notasse, adversarios male agere, dum ut certum supponunt, quod primo etiam aspectu ne verisimile quidem est, nimirum religionem christianam naturae ambitum non excedere.

4. *e discrimine revelationem inter et institutionem.* Adversarii divinam revelationem, qua exigitur, ut rei propositae assensum praestemus ob Dei loquentis veracitatem, male confundunt cum institutione, quae rei propositae rationes internas aperire satagit. Revelationis finis proprius est assensus ob loquentis auctoritatem praestandus, neque desinit hic finis comparata postmodum qualicunque rei propositae intelligentia. Cf. n. 61. Institutionis finis proprius est intelligentia, quo obtento auctoritatis usus cessat in magistro, fides in discipulo. Cf. n. 59. Inde diversus proponendi modus Dei provocantis ad suam auctoritatem, et magistri aperientis internas rei propositae rationes. Diximus, revelationis finem, qui est assensus praestitus ob loquentis auctoritatem, non desinere comparata postmodum rei intelligentia. Nam res proposita tamdiu admittenda est fidei assensu, quamdiu divina auctoritate declaratur vera. At divina auctoritate declaratur vera non tantum quum primum proponitur indoctis, sed etiam quum postea doctis proponitur. Unde con-

cluditur, veritates revelatas, etsi mentis intelligentia penetrari omnes possent, nihilominus credendas sive fidei, non solius intelligentiae assensu admittendas fore. Cf. Prop. 26.

Articulus IV.

De religione christiana ut invariabili.

603. Non omne quod perpetuum est, eo ipso invariabile sive immutabile est. Linguae pleraeque, etsi non exstinguuntur, plurimas tamen subeunt mutationes, dum voces novae formantur, obsoletae abjiciuntur, eaedem etiam voces, priore emissa, nova significatione donantur.

Christi religio duplice modo variabilis et mutationem subitura mente fingi potest: aut ipsius auctoris ordinatione et voluntate, aut hominum sive perversitate sive negligentia. Si priore modo mutabilis est, per se mutabilis esse dicetur; si altero, mutabilis dicetur per accidens sive praeter voluntatem auctoris. Neutro modo est mutabilis. Immutabilitas autem, quae duplice ratione ei competit, diversa est. Immutabilitas religionis in se spectatae est absoluta i. e. religio ipsa in re nulla mutationem subibit. Immutabilitas in hominum animis spectata non est absoluta, i. e. semper quidem erunt homines, qui Christi religionem genuinam et integram profiteantur; alii autem erunt, qui ab ea deficiant. De immutabilitate absoluta prius agendum est: de altera agetur, cum sermo erit de religione ut profitenda in aliqua hominum societate. Cf. inf. Prop. 127.

Propositio 124. *Religio christiana per se sive e sui auctoris institutione invariabilis est.*

604. Invariabilem dicimus in omnibus, quae a Christo ejusve jussu ab Apostolis instituta sunt nec primum tantum tempus aut circumstantias quasdam speciales respiciebant. Invariabiles imprimis sunt doctrinae sive dogmata; invariabiles sunt ritus, quibus a Christo gratiae annexae sunt, videlicet sacramenta, prout tamen distinguuntur a caeremoniis iisdem additis. Invariabilia etiam sunt ipsa morum praecepta a Christo aut ejusdem jussu ab Apostolis absolute tradita. Inter praecepta absolute tradita referri non possunt ordinationes quaedam de legalibus nonnullis observandis, quae primam tantum religionis christianae propagationem respiciebant (Act. 15) aut quaedam praeceptorum applicationes, in quibus consuetudinis et temporis ratio habebatur, v. g. quum statuitur, ut mulier ad subjectionem suam testandam capite velato oret. I. Cor. 11. 6. Praecepta absolute tradita sunt illa, quae connaturalia quandoque vocantur, quod videlicet suppositis quibusdam veritatibus et institutis sua quasi sponte sequuntur, ut sunt praeceptum diligendi Deum ut finem supernaturalem, sperandi gratiam, credendi Evangelium, usurpandi sacramenta. Praeceptis per

Christum aut per Apostolos traditis addi sane possunt praecepta alia per auctoritatem ecclesiasticam; his autem non immutatur religio a Christo instituta, quum et ipsa auctoritas ecclesiastica sive leges ferendi potestas e Christo suam trahat originem et ideo collata sit, ut legibus ferendis inserviat. –

605. Non pauci eorum, qui revelationem quandam admittunt, nihilominus ipsas doctrinas primum traditas postea alio et alio sensu, videlicet rationi magis congruo, explicandas esse statuunt et hoc modo religionem perfici posse existimant. Plerique eorum ipsum revelationis conceptum inde a principio pervertunt, dum Deum religionis christianae non alio sensu auctorem faciunt, quam quo et aliarum rerum est auctor, quas homo pro libitu varia ratione immutat. Potissimum inter theologos acatholicos Germaniae doctrina, variabilem esse religionem, inde a saeculo XVIII. exeunte asseclas reperit modisque variis exculta est.[1]) Sunt qui religionis christianae hanc celebrent praerogativam, quod prae omnibus aliis sit variabilis. Provocant ad sectas plurimas, quae omnes sint christianae. A. *Kuenen*, Volksreligion und Weltreligion (Berlin 1883) p. 290 seq. Alii provocant ad tres formas diversas, quas religio christiana temporis successu induerit, videlicet Christianismi primitivi, Catholicismi et Protestantismi. Rich. A. *Lipsius*, Lehrbuch d. evangel.-protest. Dogm. (Braunschw. 1879) p. 123 seq. Poterat etiam provocari ad duas aut tres formas Protestantismi, Protestantismum antiquiorem, libris symbolicis statutum, et Protestantismum recentiorem, qui libros symbolicos rejicit. Hic enim non minus differt a Protestantismo antiquiore, quam antiquior differt a Catholicismo. Provocari poterat ad Protestantismum recentissimum, qui rejicit ipsum Symbolum apostolicum. Immutata potissimum est doctrina de Jesu Dei Filio, pro vera et propria ejus divinitate alium divinitatis conceptum, improprium, substituendo.[2])

[1]) Etiam secundum scriptores acatholicos haec revelatae religionis perversio incitamenta et fomenta adepta est partim e Francomurariorum conatibus inducendi religionem universalem „humanitatis“, partim a linguae germanicae pro latina apud theologos substitutione, partim e Gallorum Naturalismo et Atheismo in Germania celebrato, partim ex Anglorum Deismo invecto. V. *Dorner*, Gesch. der protest. Theologie, München 1867, p. 711. *Hagenbach*, Lehrb. der Dogmengesch. 6. Aufl. §§. 275. 284.

[2]) Inter Acatholicos recentiores sunt, qui religionis christianae, quod quidem doctrinas spectat, mutabilitatem principii loco statuunt. Hoc principio nititur Protestantium associatio, quae dicitur „Protestanten-Verein“. Carl *Schwarz*, Zur Geschichte der neuesten Theologie (4. Aufl. Leipz. 1869), p. 523. Intendunt enim „ecclesiae protestantium renovationem accommodatam libertati evangelicae et hodiernae vitae cultae“ (im Geiste evangelischer Freiheit und im Einklang mit der gesammten Culturentwicklung unserer Zeit). „An der Spitze dieser Culturentwicklung stehen die Herren der neuen Zeit, die Naturforscher, Geschichtsschreiber, Dichter und Denker, von Baco und Cartesius, Leibnitz und Lessing, bis auf Kant und Schleiermacher, Schiller und Göthe. Was sie geforscht und geschaffen, soll durch das Christenthum nicht wieder in Frage gestellt werden“. p. 525. „Er (der Protestantenverein) sieht die Dogmen als einen *Ausdruck*, aber zugleich unvollkommenen und wandelbaren, nicht aber als eine *Fessel* des Glaubens an. Er erkennt die Bedeutung der *Lehre* sehr wohl an, nicht aber die der *Lehrsatzung*. Er legt mit Einem Worte, was übrigens seit Schleiermacher nichts Neues mehr ist, überall den Schwerpunkt nicht auf die Glaubenslehre, sondern auf den Glauben, nicht auf das Dogma, sondern auf das religiöse Leben“. p. 529.

606. **Probatur 1.** *e mandato juncto cum auxilio.* Mandatum illud praedicandi et auxilium promissum respiciebat religionem totam sive integram; integra autem religio componitur e doctrinis, praeceptis et institutis, quae Christum habent auctorem; ergo Christi voluntate haec perpetuo praedicabuntur ab Apostolis. Hoc autem si fit, religio eadem semper praedicanda est et praedicabitur semper eadem ab Apostolis eorumque successoribus.

607. **2.** *excludendo singulos mutandi modos.* Religionis christianae variatio ex eo oriretur, quod illis, quae Christus commisit Apostolis, aut nova adderentur, aut aliqua subtraherentur, aut demum, quod adversarii plures potissimum intendunt, doctrinis nonnullis ab initio traditis alium postea affigendo sensum.

Atqui a. nova *addi* non posse constat ex eo, quod revelationi christianae, ut ostendimus (Prop. 122), nova revelatio succedere non potest, quum Dei consilia in humani generis salute, institutis procuranda, jam sint impleta. Potest quod primitus revelatum quidem erat, minus autem certo a plerisque cognoscebatur, postea certo cognosci a plerisque et omnibus profitendum imponi; hoc autem modo non adduntur nova, sed pristina conservantur.[1])

b. Nihil *demi* potest e rebus a Christo institutis, quum Christus quaecunque mandavit Apostolis, ab omnibus servari voluerit (Mtth. 28, 20), et generatim religio christiana desinere non possit; quod enim de religione integra ostendimus (Prop. 122), id ob easdem rationes de singulis religionis partibus intelligendum est.

c. Repugnat ut doctrinis nonnullis tempore succedente *sensus alius* tribuatur. Nam α. Christus non tam verba aut verborum seriem, quam doctrinas commisit Apostolis hasque perpetuo praedicari voluit. Hoc autem non fieret, si doctrinis alius subjiceretur sensus; doctrinae enim quid sunt aliud nisi sententiae quaedam vel sensus verbis expressi? Unde doctrina, cui novus tribuitur

[1]) Auctoritatem secundum Catholicos divinitus institutam, quae revelationem semel factam custodiat ejusque sensum primitus acceptum infallibiliter proponat et tueatur, non raro cum nova revelatione confundunt Acatholici. Horum quidam postquam dixit, revelationem divinitus acceptam esse fundamentum omnis systematis christiani, addit, Romanenses hanc revelationem habere pro quodam oraculo permanente, quod omnes doctrinas, quas proponat, divinas efficiat; partem ecclesiae anglicanae admittere similiter ecclesiae auctoritatem, carentem tamen divina et infallibili auctoritate; Protestantes plerosque admittere, revelationem semel esse factam et dudum absolutam. Non advertit, quod ultimo loco proponit ut Protestantium sententiam, esse proprie Catholicorum. Sane Protestantium est, quod postea addit de revelatione unice conservata in Scriptura sacra. *Baden Powell*, On the Study of the Evidences of Christianity. Essays and Reviews (London 1862) p. 120.

sensus, nova foret doctrina. — *β.* Dubium esse non potest, quin Apostoli, postquam repleti sunt Spiritu sancto, optime calluerint Christi verborum sensum eundemque divino adjuti auxilio suis commiserint successoribus; ergo Christus, qui religionem suam perpetuo duraturam promisit, hunc eundem doctrinae suae sensum, quem tradebant Apostoli, perpetuum fore spopondit.

Confirmatur praecludendo effugia. Adversarii nonnulli argumentis plane miris evincere conantur, Christi doctrinas temporis successu perfici posse. (Wegscheider, Instit. §. 27.) Provocant a. ad conditionem rudiorem illorum, quibus religio primum tradita sit; unde concludunt, quum religio hominibus cultioribus defertur, quaedam alio sensu esse intelligenda. Non advertunt, aliud esse sensum qui traditur, aliud modum quo traditur. Idem doctrinae sensus diversis modis traditur hominibus diversis. — Notant b. Christi et Apostolorum doctrinam non fuisse omnibus numeris absolutam, quum occurrant „diversae docendi formulae", doctrinae expositio sit „manca", imprimis doctrina de Jesu Messia „ad notiones judaicas accommodata" sit. Si istis significare volunt, in doctrina Christi et Apostolorum contineri falsa, revelationem ipsam negant. Si indicare volunt, spiritualia quandoque exhiberi imaginibus sensibilibus, confundunt doctrinam ipsam et modum quo doctrina proponitur. — Dicunt c. ipsam religionem judaicam esse „emendatam", unde inferunt, emendari etiam posse christianam. Imprimis religio judaica non est emendata quasi continuerit errores; est sane adducta ad novam perfectionem, ampliore videlicet veritatum revelatione et illis, quae promissa fuerant, impletis. Dein non auctoritate privata, sed Christi ipsius ad perfectionem adducta est. Demum novimus, Christi religionem non esse novi ordinis praeparationem, ut fuit religio judaica. Male provocant ad quosdam N. T. locos, quibus de majore perfectione agitur: insinuatur enim modo major perfectio, quam unusquisque sibi comparare debeat utens religione christiana, ut 1. Cor. 14, 20, modo insinuatur perfectio alterius vitae, ut 1. Cor. 13, 10.

608. **3.** *ex unitate religionis.* Religionis variatio consistere non potest cum ejusdem unitate, quae e Christi voluntate per totum mundum servanda est. Sicut adversarii volunt, religio semper adaptanda est scientiarum profanarum progressui et perfectioni, non solum universe, sed singulorum populorum, imo et hominum in scientiis progressui adaptanda, hinc varie explicanda est. Sed non iidem sunt omnium populorum in scientiis progressus, imo nec singulorum unius civitatis incolarum iidem sunt progressus. Inde autem necessario consequitur, ut diversorum populorum, imo et singulorum hominum diversa sit doctrinae traditae explicatio, hinc et diversa religio.

609. **4.** *e revelationis eversione quae sequeretur.* Isto emendandi, perficiendi mutandi studioque ipsius religionis christianae fundamentum formale et materiale subvertitur.

a. Imprimis enim quod vere divinum est, humana auctoritate emendandum aut perficiendum non est; si tamen emendandum et mutandum declaratur, divinum non est. Unde qui doctrinas cor-

rigit, easdem a Deo profectas esse saltem implicite negat, et sic religionis christianae fundamentum formale sive Dei revelantis auctoritas negatur. Supra n. 61, p. 49.

b. Dein ejusdem religionis doctrinae maxime fundamentales ipsae negantur, i. e. doctrinae illae, quibus reliquae omnes ut suis veluti fundamentis nituntur. Inter has sane esse ss. Trinitatis mysterium, adversarii negare non possunt, quum ex historia constet, pro Christianis genuinis habitos non esse illos, qui personarum in una divina natura trinitatem non faterentur. Jam vero quod de doctrinis et mysteriis reliquis, id etiam de hoc mysterio valet: videlicet adversarii, doctrinarum intelligentiam unice appetentes, revelationi sive auctoritati Dei loquentis substituunt solius rationis lumen. Quum vero ratio minime perspiciat, tres personas in una natura divina subsistere aut posse aut debere, doctrinae huic alium substituunt sensum, illis, quae de personis dicuntur, solius imaginis, qualis etiam in humano intellectu oritur, rationem tribuentes. Atque ita doctrinas in seipsis spectatas evertunt et quidem ipsum earum fundamentum.

Incassum erroris patroni monent, videndum esse, „ne universum fidei fundamentum evertatur, ne sua quisque de religione commenta ejusdem doctrinae obtrudere conetur, neve symbolicae idearum adumbrationes historicaque earum quasi involucra, quae libris ss. insunt, plane rejiciantur, quum verae religioni, virtuti ac tranquillitati hominum haud officiant, imo ad eas promovendas et confirmandas, in institutione praesertim populari, plurimum conferant.“ Ita *Wegscheider* l. c. Quis limites figet? Quis judicabit, quae ego sub involucris detexisse mihi videor, non esse mera „commenta“? Quid sibi vult, quod servanda suadentur „historica involucra“? Numquid alia erit fides et religio doctorum, alia rudium? — Hoc religionem perficiendi studio ipsum ejus fundamentum materiale subverti, exemplo suo docet *Lessing*, emendationis hujusmodi patronus. Existimat enim, doctrinae quae tenet, in Deo esse filium, hunc tantum esse sensum. Deum seipsum perfecte cognoscere. Erziehung des Menschengeschlechts. §. 73.

610. **5.** *e constante Christianorum fide.* Doctrina, quae fidei christianae mutationem et perfectionem admittit, ignota non erat primis rei christianae saeculis, ut recte quidem observant ejusdem patroni recentiores. Attamen inter haereticos adnumerabantur doctrinae auctores.

De Gnosticis quibusdam s. *Irenaeus* ita refert: „Adversantur traditioni, dicentes, se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem . . . Evenit itaque neque Scripturis jam neque traditioni consentire eos“. Adv. haer. III. 2. Admittit s. doctor, ab aliquibus perfectius quam ab aliis percipi doctrinam revelatam: sed negat, perfectiore intelligentia doctrinam ipsam perfici. „Ut sol, inquit, a Deo conditus in universo mundo unus atque idem est, ita etiam veritatis praedicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat. Nec vero aut is ex Ecclesiae antistitibus,

qui dicendi facultate pollet, ab his diversa dicturus est (nemo enim supra magistrum assurgit); aut is rursus, qui parum dicendo valet, traditioni detrimentum afferet". Ib. I, 10, 2.

Variatio illa et mutabilitas semper pro erroris indicio, constantia pro veritatis argumento habebatur. *Eusebius* postquam de primorum saeculorum haereticis, praesertim de Gnosticis egit, ita concludit: „Adversariorum commenta a semetipsis confutata confestim exstincta sunt, aliis super aliis exorientibus sectis, cum priores assidue diffluerent et in multiplices ac multiformes errorum species vario quaeque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quae sola vera est, semperque sui similis et constans, novis quotidie incrementis augebatur". H. E. IV, 7.[1])

611. ***Scholion.*** *Quis profectus admittendus?* Est sane aliquis profectus, attamen non ipsius religionis revelatae, sed humanae intelligentiae meliús attingentis quaecunque nobis revelata sunt. Haec autem intelligentia veritati revelatae nihil addit, nihil demit, nec in alium sensum eam convertit. De hoc profectu ita s. *Vincentius* Lirinensis: „Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus . . . Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia". Illustratur id deinceps exemplo humani corporis, cujus membra aetate quidem augescunt, attamen eadem manent. Common. c. 23. Verum de hoc profectu ejusque modo alibi uberius agendum erit.

[1]) Cum primorum saeculorum doctrina consentit nuperrima Ecclesiae definitio, qua constat, fidei doctrinam ita esse invariabilem, ut humano ingenio nunquam in alium trahi possit sensum, Concilio Vaticano decernente: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit". Constit. I. in c. IV. can. 3. Consonus hic canon est illis, quae Pius papa IX. Güntheri errores rejiciens dixerat „de perenni fidei immutabilitate, quae una semper atque eadem est". Breve ad Card. archiep. Colon. 1857. Ratio autem, quam Vaticanum Concilium pro doctrinae revelatae immutabilitate affert, aeque militat pro totius religionis a Christo institutae invariabilitate. „Neque enim, inquit, fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda". Ib. c. IV.

Merito etiam Concilium Coloniense (a. 1860): „Manifestum, inquit, est, illos, qui asserunt, posse aliquando scientiarum et imprimis philosophiae progressus exigere, ut dogma aliquod alio, quam prioribus saeculis tenuit Ecclesia, sensu jam intelligendum sit, fidem totam funditus evertere. Non enim firmo mentis assensu, qui ad fidem requiritur, ille potest dogma aliquod sensu nunc ab Ecclesia declarato admittere, qui vereri possit aut debeat, ne philosophiae progressus alium aliquando dogmatis sensum requirat, eumque, quem nunc tuetur Ecclesia, falsum fuisse ostendat". P. I, cap. 4.

Articulus V.

De Christi religione ut exercenda in una eademque societate.

Propositio 125. *Christi religio in societate aliqua exercenda est et exercebitur.*

612. Societas religiosa quaecunque, praesertim si major est, praeter finem eundem supponit auctoritatem aliquam, qua membra singula ad eundem finem dirigantur. Societatis religiosae finis est ipsum religionis exercitium. Unde societatis sive coetus christiani finis est fidei christianae professio et rituum a Christo institutorum simul cum mandatis impositis exercitium. Utrum praeter hoc vinculum a Christo institutum Christus ipse alterum etiam vinculum sive auctoritatem ipse instituerit, an religionem suam profitentibus permiserit, ut quod vellent ipsi sibi auctoritatis vinculum conderent, hoc loco non quaerimus. In tractatu de Ecclesia ostendendum est, a Christo ipso hoc vinculum externum institutum atque ita ab ipso immediate conditam esse Ecclesiam. Hic interim id solum probandum, religionem christianam necessario exercendam fuisse in aliqua societate quomodocunque formata.

Probatur 1. *e religionis omnis indole.* Rei natura suadente qui religionem eandem sectantur, mox in eandem societatem coire solent. Qui enim eadem persuasione tenentur sive de rebus religiosis idem sentiunt, mox inquirunt, quibus modis communem suam persuasionem testentur sive qua communi ratione Deum colant. Neque hic consistunt. Probe enim norunt, homines pro sensuum varietate et innata libertate finem eundem mediis communibus non esse prosecuturos, nisi auctoritate externa impellantur. Unde qui in societatem religiosam coeunt, si auctoritatem jam constitutam non repererint, ipsi de auctoritate constituenda curabunt atque ita societatem sensu pleno efformabunt. Quod in omni religione, id etiam in religione christiana locum habeat necesse est.

2. *experientia.* Quod rerum natura suadet, id experientia abunde confirmat. Omnis enim religio semper exercita est in societate ad hunc finem inita. Non tantum Judaei, sed etiam gentiles cultum communem exercebant constitutis sacrorum praesidibus. Singillatim vero qui religionem christianam profitebantur, arctissimo inter se vinculo inde ab initio conjuncti erant. Ipsi etiam haeretici, sive illi qui a cultu communi et magna eandem religionem profitentium societate discrepabant, societates particulares sive sectas constituebant.

3. *e Christi doctrina.* Christus supponit, religionem suam exercendam esse in societate. Loquitur enim de sua Ecclesia sive fidelium congregatione (Mtth. 16, 18), de ovili suo (Joan. 10, 16), de suo regno in terris. (Mtth. 13, 38. Joan. 18, 36). In socie-

tatem colliguntur fideles inde a praedicationis initio (Act. 2, 41. 42). Hierosolymis „facta est persecutio magna in Ecclesia . . . Saulus autem devastabat Ecclesiam". Act. 8, 1. 3.

4. *ex Apostolorum agendi ratione.* Apostolis adeo certum est, religionem christianam exercendam esse in Ecclesia, ut inter utramque fere non distinguant. S. Paulus vult dicere, se persecutum esse eos, qui Christi religioni nomen dederant; dicit, se persecutum esse „Ecclesiam Dei". Gal. 1, 13.

Qui religionis exercitio praesunt, Ecclesiae praeesse dicuntur, monente Paulo: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo". Act. 20, 28. Ut a Paulo, ita etiam a Petro fidelium multitudo grex vocatur; ovium autem multitudo nisi collecta sit et juncta, non constituit gregem; unde gregis notio etiam pascentis sive colligentis oves easque conjunctas custodientis notionem complectitur. Ita Petrus: „Pascite qui in vobis est gregem Dei." 1. Pet. 5, 2. Verbo: Apostoli non norunt Christi fideles alios nisi congregatos sive in ecclesiis particularibus, quae majoris et universalis Ecclesiae partes sint, constitutos. Unde Paulus modo loquitur de „cunctis Ecclesiis gentium" (Rom. 16, 4), de „Ecclesia, quae est Corinthi" (1. Cor. 1, 2), de „Ecclesiis Galatiae" (Gal. 1. 2); modo de tota Ecclesia, ut cum scribit: „Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis ejus. Sicut Ecclesia subjecta est Christo . . . Sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam". Eph. 5, 23—27. Agitur hic de Ecclesia illa, cui baptismo aggregantur quicunque Christi fidem susceperunt, itaque de Ecclesia universali, quae complectitur fideles omnes omnesque Ecclesias particulares.

613. Manifestum est, Ecclesias particulares, de quibus agunt Apostoli, aequiparari non posse cum diversis „confessionibus" nostri temporis. Ecclesiae illae particulares erant partes Ecclesiae universalis, quia nec fide, nec ritibus a Christo institutis, nec communione sive regimine sibi mutuo opponebantur. Omnes enim Ecclesiae particulares subjiciebantur Apostolis, qui verbo et scripto docebant omnes et praecipiebant omnibus. Ecclesia quae erat Antiochiae et Ecclesiae gentilium omnes Apostolorum Hierosolymis collectorum praescriptis de legalium usu non minus obediebant, quam Ecclesiae in Judaea. Quae nunc vocantur „confessiones" ab Ecclesia universali separatae, primis saeculis vocabantur sectae ab Ecclesia catholica exclusae.

Propositio 126. *In una eademque societate, quae unius fidei et eorundem rituum a Christo institutorum vinculo connexa sit, perpetuo exercenda est et exercebitur christiana religio.*

614. Societatis hujus unius commune vinculum constituetur imprimis unius ejusdemque fidei professione et eorundem rituum omniumque, quae Christus instituit et mandavit, exercitio. Veritatibus enim credendis, ritibus usurpandis, mandatis exequendis Christi constat religio. Ad unam societatem religiosam efformandam praeter ejusdem fidei professionem requiri eorundem quoque rituum exercitium testatur ipsa experientia. Recte s. *Augustinus:* „In nullum, inquit, nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur". Cont. Faust. l. 19, c. 11. Haec tamen conjunctio perdurare non potest sine auctoritate externa aut per Christum ipsum instituta aut per fideles instituenda.

Si, ut asserimus, Christi religio, videlicet tota et integra, exercenda est et exercebitur in societate una eademque, necessario infertur, perperam dici, religionem christianam constitui doctrinis omnibus et solis illis, in quibus admittendis Christiani omnes, utut diversorum et sibi mutuo oppositorum coetum conveniunt. Qui enim fide et ritibus discrepant, jam non unam constituunt societatem.

Probatur 1. *e religionis ipsius natura.* Ratio, quae exigit, ut religionis cultores coeant in societatem, eadem etiam exigit, ut unius ejusdemque religionis cultores coeant in societatem unam eandemque, ut diversarum religionum cultores natura exigente et historia testante coeunt in societates diversas sibi mutuo oppositas; simulque exigit, ut perpetuo in unam eandemque coeant societatem, cum coeundi causa perpetua sit; durante enim causa durat etiam effectus; et quam late patet causa (unitas fidei), tam late patet effectus (unitas societatis). Ergo quum religio, quam Christus instituit, una sit et perpetua, unam etiam exigit societatem, idque perpetuo.

2. *e Christi voluntate.* Christus ubique supponit unam omnium fidelium societatem. Loquitur enim de Ecclesia sua (Mtth. 16, 18) i. e. de Ecclesia una, de ovili uno (Joan. 10, 1. 16), de regno uno sive de regno Dei, „quod evangelizatur" (Luc. 16, 16). „Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum". Joan. 11, 51. 52. Ut fideles omnes sint intime conjuncti, singulari modo rogat Christus. „Non pro eis (Apostolis) rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint." Joan. 17, 20. 21. Unius ejusdemque fidei professione, uno eodemque ritu i. e. baptismo initiati in unam eandemque societatem, cui praesint Apostoli, omnes colligendi sunt; idque ut fiat, et ut perpetuo fiat, Christus Apostolis auxilium speciale promittit perpetuo duraturum. Mtth. 28, 19. 20.

3. *e facto ipso.* Quo die Evangelium est annunciatum, quotquot crediderunt, in coetum unum unamque societatem convenerunt. Act. 2, 41—47: 4, 4. Neque tantum Judaei, sed et gentiles, qui fidem susceperunt, in hanc convenerunt societatem, cui Apostoli praeerant et leges dederunt. Act. 15, 6—31. Haec autem societas, quae cum novo rerum ordine incipit ejusque pars est, tam perpetua erit, quam ipsa religio, cujus quasi corpus est. Cum huic societati soli sub Apostolis primum constitutae Christi promissa sint facta, coetus omnis ab ea recedens illis promissis caret.

4. *Apostolorum doctrina.* Apostoli, Christi consilii voluntatisque intime conscii, societatem sive Ecclesiam unam agnoverunt, eandemque sine ulla temporis restrictione duraturam. Etsi enim de coetibus sive Ecclesiis per singulas civitates constitutis sive de Ecclesiis particularibus non raro loquuntur, simul tamen de Ecclesia una et universali singulas ecclesias particulares complectente agunt, et ideo quidem, quia Ecclesiae singulae eandem fidem profitebantur omnesque Apostolorum auctoritati erant submissae. Ita s. Paulus: „Supra modum persequebar Ecclesiam Dei." Gal. 1, 13. „Sine offensione estote Judaeis et gentibus et Ecclesiae Dei." 1. Cor. 10, 32. „Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persequebar Ecclesiam Dei." 1. Cor. 15, 9. Ecclesiae hujus unius caput invisibile exhibetur Christus. Eph. 1, 22. 23: 5, 23; Col. 1, 18. Unde etiam sicuti ad Ecclesias particulares, ita etiam ad Ecclesias ubicunque locorum constitutas dirigunt epistolas. Jac. 1, 1: Pet. 1, 1; 1. Joan. 1, 1. Communi autem fidei adversantes ab Ecclesia excludunt et per praepositos excludi praecipiunt. 1. Tim. 1, 20; Rom. 16, 17; Tit. 3, 10.

Propositio 127. *In illa unius imprimis fidei vinculo connexa societate religio Christi perpetuo exercebitur sincera et integra.*

615. Non aliquot tantum religionis elementa, non aliquot tantum doctrinae et ritus, sed doctrinae et ritus omnes conservabuntur illa societate una; integer et incorruptus totius religionis complexus conservabitur et exercebitur perpetuo in illa societate una.

Probatur 1. *e necessaria fidei unitate.* Societas, cujus fidei et doctrinae membra singula fidem suam perpetuo conformare tenentur, non potest non tenere Christi religionem totam et sinceram, et quidem perpetuo; hanc enim religionem e Christi voluntate homines singuli sequi tenentur. Prop. 119. Atqui membra singula perpetuo tenentur sese conformare societatis, de qua agimus, fidei communi; nam nisi id faciant, fidei unitas perdurare nequit. Ergo societatis illius fides perpetuo integra erit et sincera, sive perpetuo exhibebit Christi religionem integram nulloque errore turpatam.

Et vero, si vel in uno articulo societatis illius fides communis deficere posset, nemo jam esset obligatus ad sequendam fidem communem; hac autem obligatione cessante cessaret unitas.

2. *ex obligatione amplectendi Evangelium ab hac societate nunciatum.* Quod Christus dixit Apostolis societatem hanc unam inchoantibus, videlicet: „Qui non crediderit, condemnabitur“ (Marc. 16, 16), id valet quamdiu in eadem societate praedicabitur Evangelium, id est „usque ad consummationem saeculi“. Nam quod de societate inchoata dictum est, id valet de societate perpetuo continuanda. Haec autem obligatio admittendi Evangelium a societate illa nunciatum subsistere non posset, nisi quod ab ipsa nunciatur Evangelium esset purum et integrum.

3. *e Christi promissionibus.* Promissiones factae Apostolis a Christo missis, si finis attenditur, factae sunt societati ipsi, quatenus videlicet ejusdem gratia factae sunt. Hae autem promissiones edicunt, perpetuo integram et sinceram fore Evangelii praedicationem. Ad hanc enim refertur quod promittitur auxilium efficax: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“ Mtth. 28, 20. Idem illud auxilium, quod Apostolis et per hos ipsi societati inchoatae promittitur et certo aderat, perpetuum fore, clarioribus verbis exprimi vix poterat. Consummatio enim saeculi etiam alibi mundi finem designat. Mtth. 13, 39. 40. 49; 24, 3. 14.

Mirum est, quod Acatholici nonnulli, cum agentes adversus sectas diserte docent, ipsis non esse promissum quod promissum est Ecclesiae per Apostolos inchoandae, non advertant, nec suae societati, videlicet saeculo XVI inchoatae, id promissum esse. Nam sine dubio manifestum est, parem utrimque esse rationem.[1])

4. *ex Ecclesiae perpetuo judicandi et agendi modo.* Inde a temporibus apostolicis et post Apostolos proxime succedentibus Ecclesia judicavit, in una societate, unaque sola, quae scilicet per Apostolos propagata erat, conservari integram et sinceram Christi religionem.

[1]) Inter illos est Rich. Adalb. *Lipsius* scribens: Zieht der Staat seine Hand von der äusseren Kirchenleitung ab, so wird die Kirche in viele kleine Secten zerfallen, von denen jede ihre Parteisache für die Sache des göttlichen Reiches nimmt, in Wahrheit aber das Kommen des Reiches Gottes mehr hemmt als fördert. Aber diesen exclusiven Particularkirchen gilt auch nicht die Verheissung Christi, dass er in ihrer Mitte sein werde bis ans Ende der Tage. Mt. 28, 20. Lehrb. d. evang. protest. Dogmatik. 2. Aufl. Braunsch. 1879, S. 809. Neque intelligitur, quo jure ecclesiae „particulares“ i. e. „confessiones“ illae, quae, quamprimum respublica ab earum regimine externo cessat, continuo dilabuntur, promissa divina sibi vindicare possint.

et ad hanc societatem non pertinere illos, qui doctrinas discrepantes pertinaciter sequerentur.

Eusebius, nitens Hegesippi testimonio, haec refert: „Postquam sacer Apostolorum coetus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam aetas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant: tunc demum exorta impii erroris conspiratio, fraude et malitia falsorum doctorum; qui utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, posthaec nudo, quod ajunt, capite adversus praedicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt. H. e. III, 32.

Quantopere autem et Apostoli et eorum discipuli haereticorum doctrinam eorumque communionem fugerint, e s. *Irenaeo* cognoscimus, qui de s. Polycarpo, Joannis discipulo, ita testatur: „Is est, qui sub Aniceto cum advenisset in urbem, multos ex his quos praediximus, haereticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuncians ab Apostolis percepisse se, quam Ecclesiae tradidit. Et sunt qui eum audierunt dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus; dicens, quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi et dicenti: Cognoscis nos? respondit: Cognosco te primogenitum Satanae! Tantum Apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem". Cont. haer. III, 3, 4.

Quam grave malum sint haereses, Tertullianus docet scribens: „Nunc sunt haereses, non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio et martyres facit, haereses apostatas". De praescript. c. 4. Malum gravissimum in eo est, quod Ecclesiae unitatem scindunt. Hanc scindunt recedendo a fide communi. Unam eandemque efformant Ecclesiam, quotquot ecclesiae particulares illi uni Ecclesiae ab Apostolis propagatae fide et communione aggregantur et cum illa se junctas profitentur. „Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab Apostolico prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et apostolicae, dum una omnes probant unitatem; dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis: quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio". Ibid. Ejusdem sacramenti una transmissio est ejusdem fidei et quae cum ea cohaerent traditio et propagatio.

Propositio 128. *Christi promissiones, quae religionis christianae integrae in una societate perpetuitatem spectant, absolutae sunt, non conditionatae.*

616. Ut Christi promissiones religionis in uno coetu perpetuam integritatem spectantes eludant, nonnulli, praesertim ex Anglicanis, fingunt, easdem annexas fuisse conditioni, videlicet huic, ut Christiani charitate mutua ducerentur; impletam non fuisse conditionem, atque sic periisse fidei sinceritatem; integras tamen mansisse veritates quasdam fundamentales saltem in coetu „Romanensium", Graecorum et postea Anglicanorum, qui jam sint quasi tres rami unius ecclesiae. Cf. *Newman,* Via media, lecture VIII, n. 9, 11. 17. Quem librum scripserat adhuc Anglicanus, eundem postea, Ecclesiae catholicae junctus, edidit animadversionibus castigatum. Sententiam eandem tuetur Rev. William *Palmer,* of Worcester College, Oxford. Treatise on the Church of Christ 2. ed. London 1839. II. Part, ch. V.

Probatur 1. *e disparitate cum promissionibus conditionatis.* Conditio non est fingenda, si Christus nullam adjecit, neque ratio, quae in aliis promissionibus aut explicite aut implicite conditionatis occurrit, huic promissioni subest. Jam imprimis constat, Christum auxilium illud, quo religionis perpetua incorruptio nititur, Apostolis eorumque successoribus nulla addita conditione promisisse. Dein promissio haec non versatur circa illa, in quibus conditio merito supponitur. Merito supponitur, ubi agitur de praemio conferendo, in quo fidelis cooperatio exigitur; hic autem non agitur de praemio, sed de beneficio generi humano conferendo. Ergo temere agunt, qui fingunt conditionem.

2. *e natura promissionis.* De religione divinitus conservanda et de auxilio Apostolis eorumque successoribus ad hoc opus conferendo idem dicendum est, quod de divinae oeconomiae institutis ad genus humanum salvandum; nam religionis perpetua conservatio est pars et quidem pars praecipua illorum institutorum. Haec autem instituta a Deo absolute promissa sunt; absolute promissa est generis humani redemptio et legis novae post veterem successio. Ergo etiam absolute promissa est generi humano religionis christianae perpetuitas. Dicimus *generi humano;* nam adimi potest revelationis beneficium hominibus singulis vel genti uni, ut ademptum quandoque fuisse novimus; sed generi humano adimi non potest. — Patet igitur illos, qui conditiones fingunt, similes esse Judaeis hodiernis, qui Messiae adventum differri dicunt eo quod Israelitae nondum egerint poenitentiam.

3. *ex eo, quod Christi promissio illud ipsum, quod conditio vocatur, continet.* Dicunt, Christum spopondisse, se contra errores protecturum esse Christianos, quamdiu hi concordia et charitate protectione tali forent digni, hinc non protecturum, si discordia fierent indigni, idque primum accidisse Graecorum et Latinorum discordia. Hoc autem idem est ac dicere, fidei sinceritatem et unitatem perituram, si daemon, omnium malorum causa aut proxima aut remota, praevaleat contra Christianorum coetum eos impellendo ad rejiciendum auxilium divinum. Atqui Christus diserte promisit, se effecturum, ut portae inferi non praevaleant contra Christianorum coetum (Mttb. 16, 18), ut suis in locis fusius est explicandum; ergo nunquam locum habebit conditio, quam fingunt adversarii; aliis verbis: Christus promisit, se effecturum esse, ut non oriatur discordia, qua Ecclesia intereat.

Quod vero excipientes distinguunt inter auxilium alterum, quod absolute promissum sit ad conservandam religionis christianae

substantiam et primaria praedicationis apostolicae lineamenta, et alterum conditionate promissum ad totius religionis integritatem, imaginatio est nullo nixa fundamento et theoriam articulorum fundamentalium et non fundamentalium redintegrat.

4. *ex absurdis, quae adversariorum sententiae connectuntur.* Si Christi promissiones non fuerunt absolutae, ita ut religio christiana jam in nulla societate servetur integra, sequitur, nullius societatis praedicationem jam esse audiendam. Nemo enim tenetur audire, imo nemo licite audit „magistros mendaces". 2. Pet. 2, 1. Atqui falsum est, cessasse audiendi obligationem. Nam Christi praecepto usque ad consummationem saeculi audienda est Evangelii praedicatio commissa Apostolis. Mtth. 28, 19. 20. Marc. 16, 16. Nec sufficit singulis, illa tantum quomodocunque credere quae sibi probabiliora videntur, sed necesse est admittere unius alicujus societatis fidem communem, quum constet, religionem christianam exercendam et servandam esse in una aliqua societate ut antea ostendimus. Prop. 125. 126.

617. *Objicitur* 1. Nonnulli provocant ad promissiones factas Israelitis, quae non fuerint impletae, quia populus peccarit; unde inferunt, promissiones quae factae sint Apostolis, irritas fieri posse conditione non impleta.

Respond. Notandum est, Israelitis factas esse promissiones duplicis ordinis, alias absolutas, conditioni annexas alias; utrasque fuisse impletas. Temporalis felicitas promissa est populo, si legem observaturus esset: Deum stetisse promissis, docet historia. Populum fore Dei „peculium", singulari cura fovendum propter Messiam. Deus absolute promiserat; et hanc promissionem absolutam fuisse impletam, pariter docet historia. Israelitas etiam rejecto Messia fore populum speciali modo dilectum. Deus non promisit: imo contrarium indicavit minas intentans ob mandata quaecunque transgressa, hinc etiam ob violatum praeceptum de Propheta audiendo. Deut. 18, 18. 19. Si quae in omne tempus promissa sunt populo israelitico, haec respiciunt novum statum, in quo secundum Dei voluntatem populus Messia agnito victurus esset. Cf. s. August. de civit. XVII. c. 6 et 7.

Objicitur 2. Alii ex eo, quod sub lege vetere fides quandoque defecerit aut erroribus fuerit infecta, inferunt, idem evenire posse in nova lege. Fidem autem defecisse et quidem in omnibus, certum videtur ex illis, quae legimus de idololatria exercita in deserto (Ex. 32) et pluries exercita tempore judicum et regum. Fidem corruptam arguere videntur Christi objurgationes de traditionibus pravis inductis.

Respondetur. At a. si vera esset, quae afferuntur, non demonstraretur quod intenditur. Lex vetus sane imago erat novae legis, i. e. bona quae erant in vetere lege, imago erant bonorum, quae conferenda erant per novam legem. Ex hoc sequitur, omnem perfectionem, quae erat in vetere lege, fore in lege nova; non vero sequitur, omnem imperfectionem, quae erat in vetere lege, etiam in nova fore aut esse posse. Ratio discriminis est duplex; imagine et figura exhibebantur bona, non mala: praeterea imago

et umbra generatim non continet omnem perfectionem rei, cujus est imago et umbra.

b. Promissiones fidem respicientes, quae factae sunt in vetere lege, non sunt ejusdem rationis cum illis, quae factae sunt in nova. Imprimis fidei doctrina per Moysen tradita fere non versabatur nisi circa Dei unius existentiam et Messiae adventum. Fides in Messiam potissimum sacrificiis exprimebatur. Propterea qui in Synagoga praerant, e Dei voluntate potissimum legis et rituum observationi intenti erant, quia lege servata et fides, per legem expressa, servabatur. Fore in Synagoga aliquando defectum, Deus ipse innuerat promittendo et delegando prophetas, qui populum ad mandata divina observanda revocarent. Hujusmodi legati extraordinarii in lege nova promissi non sunt; fidei puritas conservanda et religionis totius observatio urgenda Apostolis eorumque successoribus commissa est; huic muneri ampliori amplius etiam auxilium promissum est.

c. Nunquam apud Israelitas fides et legis observatio penitus defecit. Semper fuit successio sacerdotum iisque semper aliqui adhaeserunt. Pharisaeos, penes quos ultimis temporibus rerum ad legem pertinentium cura erat, non ita defecisse, ut illicita aut legem tollentia praeciperent, Christus ipse testatur dicens: „Omnia quaecunque dixerint vobis, servate et facite". Mtth. 23, 3. Poterant errare in Messia agnoscendo; nam licet fides in Messiam venturum Synagogae commissa esset ut servaretur. Messias tamen ipse non per Synagogam indicandus, sed suis ipse operibus erat demonstrandus.

Caput II.

De religione christiana prout in Ecclesia catholica continuatur et exercetur divinitus comprobata.

618. Agendo de religione christiana, prout in Ecclesia catholica exercetur, complectimur et religionem in se spectatam et societatem in qua exercetur. Religio enim, ut ostendimus, e Christi voluntate in societate aliqua exercenda est. Agimus igitur de religione concrete spectata et inquirimus, quaenam e societatibus, quae se christianas vocant, sit illa, in qua vera Christi religio perseverat. Vera est illa, quae credibilitatis motivis comprobatur.

Ostendemus, etiam post prima tria saecula et ad nostra usque tempora hanc religionem sive societatem christianam divinitus comprobatam esse signis, quae antea credibilitatis motiva diximus.

In triplicem classem signa sive motiva haec dividi possunt. Prima constituitur illis ipsis signis, quae religionem christianam primis saeculis credibilem reddiderunt, virtute autem sua ita perseverant, ut eandem religionem sive societatem, etiam prout continuatur, credibilem reddant. Altera constituitur signis sive motivis, quae religionem sive societatem religiosam prout continuatur, immediate commendant, idque fit duplice ratione. Sunt enim partim miracula quae Deus operatus est ad testandam doctrinae catholicae veritatem simillima illis, quae per Apostolos, eorum discipulos aliosque in gratiam religionis christianae primum in populos propagatae operatus est; partim ipsius societatis religiosae quaedam proprietates certo supernaturales sive influxus quidam divini et continui in ipsam societatem.

E motivis credibilitatis religionis et Ecclesiae catholicae veritatem demonstrari Concilium Vaticanum docet hisce verbis: „Ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile". Const. de fide cap. 3.

Articulus I.

De religione sive Ecclesia catholica divinitus comprobata per primorum saeculorum credibilitatis motiva.

Propositio 129. *Primorum trium saeculorum signis et eventibus supernaturalibus divinitus comprobata est illa sola Christianorum societas, quae inchoata ab Apostolorum praedicatione, fide et communione juncta perseverabat; haec societas Ecclesia catholica cognominata est.*

619. Pars I. Societas ab Apostolis inchoata, fidei et communionis unitate juncta, haereses sectasque excludens, nulla autem societas ab ista deficiens divinitus comprobata est.

Probatur 1. *ex Christi promissione.* Signis credibilitatis comprobata est illa societas, cui ut divinae comprobationis testimonium signa illa a Christo promissa sunt. Promissa autem sunt societati ab Apostolis colligendae eique soli. „Euntes in mundum universum . . . Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur . . . Marc. 16, 15. 17.

2. *e Christi voluntate exigente fidem unam profitendam in una societate.* Christus comprobare non potuit, quod ejus voluntati aperte adversatur. Atqui huic aperte adversatur omnis societas deficiens a societate illa una per Apostolos propagata. Ut enim unam voluit esse omnium Christianorum fidem, sic etiam unam voluit esse omnium societatem. Prop. 126. Unde sicut aversatur omnem fidem sive doctrinam illi uni fidei oppositam, ita etiam aversatur omnem societatem, quae profitetur fidem sive doctrinam illi uni fidei sive doctrinae oppositam. Quod autem aversatur, signis approbare non potest.

620. Pars II. Ecclesia, quam descripsimus, non erat alia nisi quae primis jam saeculis vocabatur catholica.

Probatur 1. *e successione continua.* Primis jam saeculis erat Ecclesia, quae appellabatur catholica. Hac autem appellatione designabatur Ecclesia per Apostolos eorumque discipulos et successores propagata sive quod idem est, Ecclesia Apostolorum miraculis aliisque eventibus supernaturalibus commendata. Ergo primorum saeculorum Ecclesia catholica eaque sola divinitus comprobata est.

621. a. Ecclesiae catholicae appellatio in usu jam erat secundo rei christianae saeculo.

Occurrit apud s. *Ignatium:* „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia". Smyr. 8. Catholica Ecclesia, de qua hoc loco sermo est, non potest esse

omnium sectarum aggregatio; nam passim s. martyr haereticos ab Ecclesia excludit et vitandos esse docet. Haec porro Ecclesia catholica e mente s. Ignatii una erat non solum ratione invisibili sive propterea, quod Ecclesiae singulae Christo capiti adhaererent, sed etiam ratione visibili sive propterea, quod unius fidei professione et charitate mutua omnes jungerentur et sic unum Dei templum constituerent. „In unum convenientibus una sit oratio, una precatio, una mens, una spes . . . Unus est Jesus Christus. Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum Jesum Christum. Ne seducamini alienis doctrinis neque veteribus fabulis". Magn. 7. 8. Hinc etiam mutuum Ecclesiarum commercium curaque mutua, cujus exemplum sunt tum Ignatii ad alias Ecclesias epistolae, tum quod rogat Romanos: „Memores estote in precibus vestris Ecclesiae Syriae, quae mei loco Deo pastore utitur. Solus Jesus Christus illam vice episcopi reget *(ἐπισκοπήσει)* et vestra charitas". Rom. 9. Unitatis vinculum magis etiam adstringitur per Ecclesiam, quae „praesidet in loco regionis Romanorum" *(προκάθηται)*: haec simul est „coetui charitatis praesidens" *(προκαθημένη τῆς ἀγάπης)*. Epist. ad Roman. inscript. Voce *ἀγάπη* designat Ecclesiam, ut et alibi: „Salutat vos charitas *(ἡ ἀγάπη)* Smyrnaeorum et Ephesiorum". Trallan. 13. Cf. *Funk*, P. apost. p. 213. *Söder*. Der Begriff der Katholicität, Würzburg 1881, p. 41. Haec significatio exigitur etiam a praesidendi voce, qua utitur, quippe quae in eadem inscriptione et alibi a s. Ignatio usurpatur ad significandum exercitium auctoritatis in subditos; unde etiam hic eodem sensu accipienda est, nec potest significare solam excellentiam in charitate, ut alii voluerunt. Apertius in martyrio s. Ignatii (n. 5) Ecclesia, quae erat Puteolis, nomine *ἀγάπη* designatur. „Ostensis sancto viro Puteolis, ipse quidem egredi cupiebat: cum vero irruens ventus vehementior id non pateretur, navi e puppi impulsa, beatam praedicavit charitatem fratrum illius loci *(τὴν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ τῶν ἀδελφῶν ἀγάπην)* et sic praeternavigavit".[1] Quum igitur Romana

[1]) *Fraternitas* et alibi vocatur Ecclesia. *Eusebius* (h. e. V, 19) e Serapionis, qui saeculo secundo exeunte Antiochiae erat episcopus, epistola haec refert verba: „Atque ut sciatis, qualiter universa, quae in terris est fraternitas, operationem illam aversata sit *(πάσῃ τῇ ἐν κόσμῳ ἀδελφότητι)*." Vox fraternitatis etiam apud s. *Irenaeum* (II, 31, 2) designat Ecclesiam. Unde nova ratio exurgit, cur et vox *ἀγάπη* significare possit Ecclesiam.

Totius Ecclesiae saeculo secundo unitas conspicua etiam est in epitaphio, quod s. *Abercius*, Hieropoleos in Phrygia episcopus, qui versus finem saeculi secundi Romam profectus erat, in patriam reversus sibi composuit. Inter alia leguntur haec: „. . . Qui (pastor immaculatus) Romam me misit urbem regiam contemplaturum visurumque reginam *(βασίλισσαν)* aurea stola, aureis calceis decoram; ibique vidi populum splendido sigillo insignem; et Syriae vidi campos urbesque cunctas . . . ubique vero nactus sum (familiariter) colloquentes (i. e. fratres concordes) . . . Fides vero ubique mihi dux fuit praebuitque ubique cibum *ΙΧΘΥΝ* . . .

Zeitschrift für kathol. Theol. J. 1889, S. 402. Cf. ibid. J. 1896, S. 301. De Rossi, Inscriptiones christianae urbis Romae. Vol. II. Prooemium, p. XII. Revue des questions hist. 1883, II, p. 5. — Regina illa non potest esse nisi Ecclesia Romana, quum populus sigillo insignitus non possit esse nisi populus Christianus crucis signo insignis. Etiam in Apocalypsi (21. 2) Ecclesia exhibetur imagine sponsae ornatae.

Ecclesia „praesidere" dicatur coetui charitatis, et quidem absolute dicto, sive, ut vertere licet, fraternitati, hac praesidendi voce unitatis vinculum Ecclesiae totius denotari existimandum est, ut et alio loco eadem voce Ignatius unitatis vinculum denotat: „Hortor, inquit, ut in concordia omnia peragere studeatis, episcopo praesidente *(προκαθημένου)* loco Dei" . . . „Nihil sit in vobis, quod possit vos dirimere, sed unanimi episcopo et praesidentibus" *(καὶ τοῖς προκαθημένοις)*. Magn. 6. De hoc unitatis vinculo latius agendum est in tractatu de Ecclesia.

Etiam in Fragmento Muratoriano, conscripto circa tempus Pii papae (142–157) „Ecclesia catholica" pluries nominatur, simulque dicitur: „Una tamen per omnem orbem terrae Ecclesia esse dignoscitur". M. P. lat. 3, 189. Eadem appellatio reperitur in Ecclesiae Smyrnensis epistola de martyrio s. Polycarpi. Inscribitur haec epistola „omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis". Polycarpus narratur mentionem fecisse „totius per orbem terrarum catholicae Ecclesiae" (c. 8). Idem postquam martyrium sustinuit, dicitur jam benedicere „Domino nostro Jesu Christo pastori catholicae in toto orbe Ecclesiae". c. 19. E locis singulis manifesta est omnium Ecclesiarum particularium inter se connexio, hinc totius Ecclesiae unitas.

Ad hanc unitatem servandam quam efficaciter Ecclesia Romana primo jam saeculo allaboraverit, *Clementis* episcopi Romani ad Corinthios scripta epistola ostendit, de qua s. *Irenaeus* haec refert: „Sub hoc Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum, et annuncians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem". III, 3, 3. S. Clemens hac epistola non tantum rogat et hortatur, sed etiam praecipit, praesertim in capitibus 59. et 63. antea perditis, tempore recente repertis. (Ed. Funk.) Priore loco legitur: „Si autem quidam non *obtemperaverint* iis *(ἐὰν ἀπειθήσωσιν)*, quae ille Jesus Christus per nos dixit" . . .: altero: „Gaudium et laetitiam nobis praestabitis, si *obedientes (ὑπήκοοι)* facti iis, quae scripsimus per Spiritum sanctum".

Ecclesiae catholicae appellatio reperitur saepissime apud Patres succedentes, s. Irenaeum, Tertullianum, s. Cyprianum. Cf. R. *Söder*, Der Begriff der Katholicität der Kirche und des Glaubens, Würzburg 1881.

622. b. Hanc catholicam Ecclesiam fuisse eandem cum Ecclesia per Apostolos propagata, per eosdem eorumque discipulos et successores miraculis confirmata, docet historia, dum exhibet Apostolorum successores eosdemque praesides Ecclesiarum illarum, quae componebant Ecclesiam illam catholicam, a qua haeretici excludebantur. Novorum enim praepositorum successione in pristinorum, munere defunctorum, locum et munus societates continuantur, ut in omni regno vel republica fieri quotidie cernimus. Unde et in Ecclesia lex eadem viguit, quemadmodum Patres testantur. Haec enim successionis ratio secundum ipsos certum est argumentum, Ecclesiam permanere eandem ac propterea non posse deficere a veritate.

Ita s. *Irenaeus:* „Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt successores eorum, usque ad nos, qui nihil tale docuerunt. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus esse volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes". Cont. haer. III, 3, 1. Addit, non esse necesse „omnium Ecclesiarum enumerare successiones", quum sufficiat recurrere ad Ecclesiam Romanam: „ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem (potentiorem) principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam". Manifestum igitur est, secundum s. Irenaeum Ecclesiam catholicam saeculi secundi eandem esse cum Ecclesia ab Apostolis propagata, quia episcoporum successione continua ex Apostolis descendit.

Ecclesiam catholicam non esse nisi Ecclesiam illam unam per Apostolos propagatam, a qua haeretici defecerunt, *Tertullianus* contra haereticos agens multis exponit. Docet: „Hinc igitur dirigimus praescriptionem: Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores quam Christus instituit . . . Quid autem praedicaverint, et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt . . . Si haec ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicatam . . . Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis." De praescr. c. 21. Idem postquam dixit, Apostolo testante (Gal. 1, 8) haereses esse posteriores Ecclesia et veritate per Apostolos praedicata, ita pergit: „Ubi tunc Marcion? Ubi tunc Valentinus? Nam constat, illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicae primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam semper curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum ejecti, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt". De praescript. c. 30. Haereticos provocans ait: „Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita ut per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt; sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit". Ib. c. 32. „Percurre Ecclesias apostolicas . . . Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum . . . Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista autem quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur . . . Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque contesserarit." Ib. c. 36.

Imo nec genuinorum Christianorum numero habendos, qui ab ea sejuncti se Christianos dicerent, s. *Cyprianus* censet Antoniano scribens:

„Quod vero ad Novatiani personam pertinet, de quo desiderasti tibi scribi, quam haeresin introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est et qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.“ Ep. 55 (ed. Hartel). n. 24.) Ecclesia absolute dicta Cypriano, ut et aliis, est Ecclesia catholica. Monebat enim omnes, „ut Ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ac tenerent“, „ut catholicae Ecclesiae unitatem pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent“. Ep. 48 (ol. 45) ad Cornel. n. 3. Ut Cyprianus, ita etiam *Lactantius* haereticos non tantum catholicis non adnumerat, sed et veris Christianis non adcensendos esse existimat. Ita enim scribit: „Cum Phryges aut Novatiani aut Marcionitae seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana et externa vocabula induerunt. Sola igitur catholica Ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei; quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vitae ac salutis aeternae alienus est“. Instit. IV, 30.

623. **2.** *historiae testimonio.* Signa credentibus promissa in sola Ecclesia, quae appellabatur catholica, revera evenerunt eaque sola eventibus supernaturalibus, imprimis supernaturali martyrum constantia, commendata est.

a. De signis promissis in sola Ecclesia catholica perdurantibus ita s. *Irenaeus:*

„Tantum autem, inquit, absunt (haeretici) ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit, et Apostoli per orationem, et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea quae est in unoquoque loco Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum; ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri“. Cont. haer. II, 31, 2. „Quapropter et in illius nomine, qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum, et visiones et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt et perseveraverunt nobiscum annis multis“. Ib. II, 32, 4. Potissimum in daemones Ecclesiae potestas semper erat conspicua. Cf. s. Justin. dial. n. 30; Tertull. apolog. n. 23.

b. Martyrum testimonio comprobatam fuisse Ecclesiam catholicam solam, scriptores palam testantur.

Inter hos iterum s. *Irenaeus:* „Ecclesia omni in loco martyrum multitudinem praemittit ad Patrem, reliquis omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium“. Adv. haer. IV, 33, 9. „Ecclesia omni in loco“ sive universalis est Ecclesia catholica. Praeterquam quod haeretici christianam religionem cum tanto discrimine confiteri non ducerent necessarium, non in ipsos, sed in solos catholicos saeviebatur. Ante Irenaeum de Simonis

Magi, Menandri et Marcionis discipulis agens s. *Justinus* scripserat: „Qui ab istorum disciplina profecti sunt, ii omnes appellantur Christiani . . . An nefanda illa et fabulosa facinora perpetrent, non scimus. At eos a vobis nec vexari nec occidi, saltem ob ipsorum opiniones, novimus". Apol. I, 26. Duo affirmat s. Martyr: in solos Catholicos saeviri ab hostibus; si forte vexentur haeretici, non vexari ob eorum opiniones. Idem discrimen servatum est et postea, s. *Cypriano* testante, Deum persecutionem permisisse, „ut ad confundendos haereticos et retundendos ostenderet, quae esset Ecclesia . . . qui essent, quos inimicus lacesseret, qui contra, quibus diabolus ut suis parceret. Neque enim persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi. Haereticos prostratos semel et suos factos contemnit et praeterit". Ep. 61 (al. 58) n. 3 ad Lucium pap. Rom. Unde et s. *Montanus* martyr. cum ad supplicium duceretur (a. 259), „haereticorum quoque superbiam et improbam contumaciam retundebat, contestans eos, ut vel de copia martyrum intelligerent Ecclesiae veritatem, ad quam redire debeant". Ruinart, Act. Martyr. Montani, Lucii et al. n. 14.

624. Si quandoque religionis causa morte affecti sunt haeretici, fuerunt tam exiguo numero, ut constare non posset, utrum causa naturalis sufficeret ad animum illis addendum nec ne. Mirum non est, si e Montani asseclis, cum a catholicis non distinguerentur, nonnulli quandoque „casu quodam" cum illis comprehensi et morte affecti sunt, ut veteres referunt. *Euseb.* h. e. l. V, c. 16. Si qui autem haeretici, gratia adjuti, pro veritate christiana una cum Catholicis interfecti fuerunt, veritati catholicae, non haeretico errori testimonium dederunt, illique ipsi paucissimi fuerunt; unde etiam hac ratione verum est, haereses martyrum gloria carere, „nisi si unus aut duo aliquando, per omne tempus, ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi et ipse misericordiam consequutus, opprobrium simul bajulavit nominis et cum eis ductus est, velut adjectio quaedam donata eis;" ita s. *Irenaeus* l. c. Cf. Suarez, Defensio fid. cath. l. I, c. 20, n. 5.

Propositio 130. *Societas, quae hodie catholica Ecclesia nominatur, historia teste est eadem cum primorum saeculorum Ecclesia catholica.*

625. Una eademque est, non tantum similitudine sive secundum speciem, sed una eademque numero sive secundum individuum: est eadem persona moralis, quam primis saeculis vixisse novimus, sicut populus israeliticus quo tempore Christus natus est, erat idem populus, qui eductus est ex Aegypto, eademque persona moralis, cui promissus erat redemptor. Persona enim moralis non moritur vel desinit morientibus licet individuis, quibus alia individua succedunt, sicut corpus physicum non moritur succrescentibus partibus in locum illarum, quae aetate consumuntur.

Probatur *ex appellatione ejusque causa continuata.* Ecclesiam catholicam eandem esse cum trium primorum saeculorum Ecclesia catholica tenendum est, si constat, a. appellationem et appellationis causam per integrum saeculorum decursum huic Ecclesiae et quidem

b. huic soli fuisse propriam. Hac enim ratione etiam persona physica demonstratur esse una eademque quae fuit annis praecedentibus. Atqui haec locum obtinent.

626. a. Historia teste societas illa magna semper eodem nomine appellata est et quidem ob eandem causam. A suis ita appellatam esse testantur praeter scriptores ecclesiasticos concilia doctrinam Ecclesiae catholicae exponentia. Concilium Nicaenum I. ter utitur voce „Ecclesia catholica", semper hanc Ecclesiam opponens sectis et haeresibus. Symbolo post relatas Arianorum sententias haec addit: „Eos, qui dicunt etc. anathematizat sancta catholica et apostolica Ecclesia". *Theodor.* h. e. I, 12. Sed etiam ab adversariis utut reluctantibus hoc nomine appellata est et hodie appellatur. Hujus autem rei non alia causa est, nisi ipsius rei natura, cum Ecclesia haec nomine magis congruo appellari non potuerit. Ecclesia enim ut destinatione universalis est, ita jam Apostolorum tempore in totum orbem spargi coeperat, testante Apostolo: „Quod (Evangelium) pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit, sicut in vobis". Col. 1, 6. Appellationis causam s. *Irenaeus* innuit: „Ecclesia per universum orbem (*καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης*) seminata". I, 10, 1. „Hanc praedicationem quum acceperit, et hanc fidem, Ecclesia, et quidem in universum mundum (*ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ*) disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans". I, 10, 2. „Ubique enim praeclara est Ecclesia". IV, 36, 2. „Et Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur". V, 20, 1. Suorum temporum testis est s. *Augustinus*, ita scribens: „Tenenda nobis est christiana religio et ejus Ecclesiae communicatio, quae catholica est et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque haeretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur". De vera relig. c. 7, n. 12.

Ecclesiam, quae primis saeculis appellata est catholica, ad nostra tempora continuatam etiam adversarii hodierni vocant catholicam. Uno enim ore confitentur, Protestantes defecisse ab Ecclesia illa magna, quae vocabatur catholica, et novas sibi constituisse ecclesias. Si negarent, ab ipsa sua confessione Augustana revincerentur, qua post „articulos fidei praecipuos" expositos profitentur: „Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest

nihil inesse, quod discrepet a Scripturis vel ab Ecclesia catholica vel ab Ecclesia Romana, quatenus e scriptoribus nota est. Quod cum ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro haereticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in ecclesias irrepserunt". (P. I. Art. XXI.) „Cum ecclesiae apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia catholica etc." (P. II). Propterea etiam scriptores Protestantium primam defectionis epocham inscribunt „luctam Protestantismi contra Catholicismum". (Gottlob *Schumann*, Die Kirchengeschichte in Lebensbildern, 2. Aufl. Hannover 1878, II, p. 164.) Imo fatentur nonnulli, prorsus fieri non posse, ut negata Ecclesia catholica demonstretur christianismi successio.[1]) Idem fassus jam fuerat defectionis auctor, Lutherus.[2])

Si nihilominus appellatione ejusque causa perdurante Ecclesia catholica in aliam societatem mutata diceretur, adversariis onus incumberet exhibendi rationem, qua in aliam abierit societatem. Distinguunt quidem inter Ecclesiam catholicam veterem et Ecclesiam catholicam recentiorem; illam nonnulli producunt usque ad saeculum sextum vel septimum, eique annectunt Ecclesiam medii aevi.[3]) Fatentur nonnulli, Ecclesiam catholicam recentiorem ab Ecclesia catholica vetere, spectato ejus conceptu, proprie in hoc solo differre, quod in illa tantum „compleatur constitutio hierarchica divina".[4]) Si „completur" tantum, sequitur, eam aliquo modo jam adfuisse. Adfuit semper eadem constitutio; sed pro rerum necessitate aut opportunitate alio tempore magis quam alio vim suam exercuit. Et vero alii fatentur, s. Cypriani tempore hanc institutionem satis esse conspicuam. Catholici autem facile demonstrant, adfuisse s. Irenaei et Tertulliani tempore. Unde alii fingunt, ante s. Irenaeum et ante Tertullianum Ecclesiae conceptum jam-immutatum fuisse. Supponunt, primis quidem temporibus Ecclesiam non fuisse nisi multitudinem eadem fide, vaga quidem, in Jesum Christum eodemque salutis desiderio quomodocunque junctorum, dein pro fundamento assumptum esse unius fidei symbolum, postea auctoritate visibili et viva formatam esse veri nominis societatem.[5]) At facile ostenditur,

[1]) Es ist absolut unmöglich, eine Succession des Christenthums mit Umgehung des Katholicismus aufzustellen. Philipp *Schaff*. Gesch. d. apostolischen Kirche. 2. Aufl. Leipz. 1854, p. 380.

[2]) Wir müssen ihnen (den Katholiken) einräumen, im Papstthum ist Gottes Wort Apostelamt, und dass wir die hl. Schrift von ihnen angenommen haben, was wüssten wir sonst davon? Jen. VII, S. 169.

[3]) *Kahnis,* Der Gang der Kirchengesch. 1. Vortrag, S. 76. Leipz. 1866.

[4]) Rich. Adelb. *Lipsius,* Lehrb. d. evangel.-protest. Dogmatik, 2. Aufl. Leipz. 1879. S. 774. Der römisch-katholische Kirchenbegriff fügt zum alt-katholischen im Grunde nur die Vollendung der hierarchischen Verfassung als göttlicher Stiftung hinzu.

[5]) Ad. *Harnack,* Lehrb. der Dogmengesch. (2. Aufl. 1888) I, 333. „Die Umgestaltung des Begriffes der Kirche durch Cyprian ist der Abschluss tiefgreifender Wandelungen, die sich seit der 2. Hälfte des 2. Jahrh. allmählich vollzogen hatten . . . 1.] In der ersten Periode war die Grundlage der Christenheit ein neues heiliges Leben und eine sichere Hoffnung, beides ruhend auf der Busse zu Gott und dem

jam s. Clementis Romani et s. Ignatii tempore simul cum fide una et determinata etiam auctoritatem visibilem et vivam fuisse in Ecclesia, ut et fuit, Scriptura teste, Apostolorum tempore. Falsum pariter est quod asserunt, episcopos saeculo secundo immutatos esse in Apostolorum successores.[1]) Fore quosdam, qui in Apostolorum munere succederent, constabat e Christi promissione, se usque ad saeculi consummationem fore cum Apostolis; quinam autem succederent, si non succedebant eorum socii et primi ordinis praepositi? Episcopi erant successores Apostolorum defunctorum eo ipso, quod horum munus Ecclesiam regendi, cujus participes erant vivis Apostolis, postea continuabant, quamvis eorum potestas non tanta in omnibus esset, quanta fuerat Apostolorum. Propter hanc successionem Romano episcopo, qui Petro successerat, amplior tribuebatur potestas quam aliis episcopis, ut colligitur ex Irenaeo (III, 3, 3), et Tertulliano (de praescr. c. 36). Ex eo, quod episcopi primum ab Irenaeo vocati leguntur Apostolorum successores, male concluditur, eosdem illo primum tempore generatim ita vocatos aut pro illorum successoribus habitos esse.

Glauben an Jesus Christus und bewirkt durch den hl. Geist. Christus und die Kirche, resp. heiliger Geist und heilige Kirche, gehörten zusammen; die Kirche, d. h. die Versammlung aller Gläubigen, empfängt ihre Einheit durch den hl. Geist; in der Bruderliebe und in der gemeinsamen Beziehung auf ein gemeinsames Ideal und eine gemeinsame Hoffnung stellte sich die Einheit dar . . . [2.] 335. Aber in Folge der Einbürgerung des Christenthums in der Welt und der Abwehr der Häresie wurde ein formulirtes Glaubensbekenntniss der Kirche zu Grunde gelegt, und in diesem auch, und in gewisser Hinsicht vornehmlich, die Basis der Einheit und die Gewähr der Wahrheit der Kirche erkannt . . . Für Irenäus und Tertullian ruht die Kirche ganz und gar auf dem apostolischen, überlieferten Glauben, welcher sie legitimirt . . . Die Kirche selbst aber wurde zu einer auf der wahren Lehre ruhenden und an ihr sichtbaren Vereinigung, welche zugleich in der apostolischen Hinterlassenschaft, dem Lehrbekenntniss und den apostolischen Schriften ein Mittel besass, um eine wirkliche äussere Einheit zu realisiren. Der Anspruch, dass sich in diesem die Welt umfassenden Verbande desselben Glaubens die wahre Kirche darstelle, kam in der Bezeichnung „katholische Kirche" zum Ausdruck . . . 336. Von dieser Kirche wurde behauptet, dass sie die apostolische sei, d. h. dass sie in ihrer gegenwärtigen Gestalt die Stiftung Christi per apostolos sei . . . [3.] 344. Eine empirische Gemeinschaft kann nicht durch ein überliefertes und geschriebenes Wort, sondern nur durch *Personen* regiert werden; denn der „Buchstabe wird immer trennen und spalten. Wir sahen, wie schon Irenäus und Tertullian auf die Bischöfe als auf die die apostolische Lehre Garantirenden ausblicken mussten . . . 345. Die entsprechende Theorie von der Kirche hat Cyprian dazu geliefert. In der 2. Hälfte des 3. Jahrh. genügte es — von abgelegenen Gemeinden abgesehen — nirgends mehr, den katholischen Glauben zu bewahren: man musste den Bischöfen gehorchen. Die Idee der einen, bischöflich verfassten Kirche wurde die oberste und schob die Bedeutung der Glaubenslehre als des Einheitsverbandes zurück: die auf den Bischöfen, den Nachfolgern der Apostel, den Stellvertretern Gottes, ruhende Kirche ist um dieses ihres Fundamentes willen selbst die apostolische Hinterlassenschaft . . . 407. Die Einheit, welche das Reich in Rom besass . . . und die Sorge, welche sie (die römische Gemeinde) für die ganze Christenheit empfunden hat, haben es bewirkt, dass aus den christlichen Gemeinden eine reale Conföderation unter dem Primate der römischen Gemeinde entstanden ist. Dieser Primat ist naturgemäss nicht weiter definirbar: denn er war ja lediglich ein factischer. [!!]

[1]) Harnack l. c. p. 328.

627. b. Historia pariter testante nulla alia societas Ecclesiae catholicae appellationem unquam obtinuit aut, utut conata, obtinere potuit: propria omnino est Ecclesiae illi, quae hodie catholica vocatur. Ratio cur non obtinuerit aut obtinere non potuerit, est ipsa manifesta rerum natura. Omnis enim alia societas caruit aut diffusione aut unitate aut utraque simul.

De haereticis veteribus ita s. *Augustinus:* „Christianorum quum sint haereses plures atque omnes se catholicos velint videri aliosque praeter se haereticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine, ut autem, qui noverunt, affirmant, etiam veritate sincerior caeteris omnibus. Sed de veritate alia quaestio est; quod autem quaerentibus satis est, una est catholica, cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae propriis vocabulis, quae negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum". De utilit. credendi, c. 7, n. 19.

Duobus modis, universe loquendo, ecclesia aliqua vocari potest catholica: aut quia individua haec ecclesia est ipsa per totum orbem sparsa et sic ecclesia magna sive universalis vocatur; aut quia magnae illius sive universalis ecclesiae pars est. Priore modo concilium Nicaenum I. loquitur supra allatis verbis: „eos, qui dicunt etc., anathematizat sancta catholica et apostolica Ecclesia"; et antea s. Polycarpus: „totiusque per orbem terrarum catholicae Ecclesiae". Altero modo Ecclesia Smyrnensis inscribens epistolam „Ecclesiae quae Philomenii peregrinatur et omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis" videlicet partibus Ecclesiae catholicae; pariter Tertullianus (de praesc. c. 30): „Constat, illos in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam romanensem". Hoc modo et nos loquimur de Ecclesia catholica Galliae aut Hispaniae etc. sive de qualibet Ecclesia particulari, quae cum Ecclesia catholica jungitur ejusque pars est.

Numquam autem catholica Ecclesia significavit omnium societatum utut sibi oppositarum universitatem. Imo sectae omnes excludebantur ab illa societate magna et unius fidei vinculo arctissime in se connexa. Patet hoc ex Tertulliani verbis ante allatis. Patet e Cypriano, qui a genuinorum Christianorum numero excludit, quotquot non sunt in Ecclesia catholica, Antoniano scribens: „Quod vero ad Novatiani personam pertinet, de quo desiderasti tibi scribi, quam haeresin introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est". Ep. 55 (ed. Hartel n. 24. Ecclesia absolute dicta Cypriano est Ecclesia catholica. Monebat enim omnes, ut Cornelii „id est catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent". Ad Cornel. ep. 48, n. 3.

Unde sequitur, orientales cum ecclesiam suam vocant „catholicam ecclesiam orientalem" ipsis verbis sibi contradicere. Nam hanc appellationem aut ita intelligunt, ut ipsorum ecclesia per se sive absolute dicatur catholica, aut ita ut sit tantum pars ecclesiae catholicae. Si illud, male dicitur orientalis: nam hoc sensu accepta vox orientalis contradicit ecclesiae catholicae sive universali, quum quod est tantum orientis, non sit totius orbis, praeterquam quod ipsa illa ecclesia orientalis non est una, sed in partes majores et minores liberas suique juris scissas, pro nationum,

inter quas est, numero. Aut ita intelligunt, ut ipsorum ecclesia orientalis sit tantum pars ecclesiae catholicae et cum occidentali unam constituat ecclesiam; tunc male perseverant in schismate simulque fatentur, male se egisse recedendo ab Ecclesia majore et per totum orbem sparsa.

Aliud est quum Ecclesia, quae vere catholica est, modo absolute vocatur catholica, modo catholica romana Ecclesia. Nam Ecclesia romana particularis vocatur catholica non tantum quia catholicae sive universalis Ecclesiae pars est, ut et lugdunensis vel mediolanensis, sed quia Ecclesiae catholicae pars est praecipua sive caput. Unde Ecclesiae catholicae romanae appellatio praeter universalitatem simul etiam unitatem diserte exprimit. Neutrum dici potest de ecclesia quam vocare volunt orientalem catholicam.

Jam eo ventum est, ut sive qui in Russia sive qui alibi schismati adhaerent, etsi publicis documentis societati suae appellationem catholicae ecclesiae vindicant, privatis tamen congressibus eidem renuncient; eam vero tribuant Ecclesiae, quae vere catholica est et ab omnibus appellatur.[1] Sentiunt videlicet, sustentari non posse fictionem carentem fundamento.

Propositio 131. *Argumenta, quibus primorum saeculorum religio sive Ecclesia catholica divinitus comprobata est, ad illorum saeculorum doctrinam restringenda non sunt, sed ad nostri temporis doctrinam sive Ecclesiam catholicam natura sua porriguntur.*

628. **Probatur 1.** *ex personae moralis unitate.* Ecclesia enim catholica nunc existens, utpote una eademque cum primaeva societate,

[1]) De Russis vid. W. Palmer (of Magdalen College), Notes of a visit to the Russian Church in the years 1840, 1841. Selected and arranged by Cardinal Newman, London 1882, ch. 24. De aliis orientalibus idem fatetur Diomedes Kyriakos, historiae ecclesiasticae professor in universitate Atheniensi. Anno enim 1889 in oratione Jenae habita inter alia dixisse refertur: Es ist irrig, was so viele Theologen im Occidente thun, indem sie die römische und die griechische Kirche als ganz verwandt betrachten und an keinen wesentlichen Unterschied zwischen ihnen denken. Es ist nicht ganz richtig, die griechische Kirche einfach einen griechischen Katholicismus, und die römische einen römischen Katholicismus zu nennen. Es kann dies wenigstens missverstanden werden. *Wir Orientalen nennen niemals unsere Kirche griechischen Katholicismus. Das Wort Katholicismus ist bei uns gleichbedeutend mit Romanismus und Papismus.* Wir nennen uns Orthodoxe oder Orientalen. Oratio haec legitur in Ephemeridibus, quae inscribuntur Jahrbücher der protest. Theol. Jahrg. 16. Dec. 1889.

Huc etiam spectat modus quo Protestantes in libris symbolicis articulum „Sanctam Ecclesiam catholicam" germanice verterunt. Textum latinum retinentes intactum versione germanica juxta posita reddunt: Eine heilige *christliche* Kirche. Cur in usu ecclesiastico sive cum coram populo recitandum est symbolum, vox illa mutata sit, haec redditur causa, quod „per ecclesiae evolutionem historicam vox reddita sit obnoxia perversae explicationi et propterea genuinae notioni ecclesiae verae periculosa". *Guericke*, Allgemeine christl. Symbolik §. 12, 1. Sane perquam periculosum erat, populo Ecclesiam catholicam fide tenendam proponere eamque simul impugnando negare.

qua persona moralis non minus una eademque est cum Ecclesia catholica primorum saeculorum, quam individuum heri et hodie existens unum est secum ipso; ergo quam certo legati individui verba quae hodie profert, vera declarantur miraculo heri in ejus gratiam patrato, tam certo Ecclesiae catholicae doctrina hodierna declaratur vera eventibus supernaturalibus, qui primo tempore et saeculis proxime subsequentibus auctoritatem ei conciliarunt.

Et vero quaecunque Deus per Moysen aut praecepit aut promisit populo israelitico, aut in ejus gratiam egit, ea non cessarunt nec vi caruerunt mortuis illis, ad quos loquebatur Moyses; populus enim non moriebatur. Ergo etiam quae Deus miraculorum voce populo christiano i. e. Ecclesiae catholicae aut in ejus gratiam locutus est primis saeculis, non carent effectu saeculis ultimis.

2. *ex obligatione credendi non abrogata.* Si approbatio quam primorum saeculorum miraculis Deus Ecclesiae ejusque doctrinae impertierat, saeculo aliquo subsequenti cessasset, Christiani de illius cessatione non minus fuissent monendi, quam Israelitae moniti sunt, post Messiae adventum cessaturam esse obligationem, audiendi Synagogam. Nam ut Israelitae ad legem mosaicam, prouti per Synagogam proponebatur, observandam, ita Christiani ad fidem communem Ecclesiae tenendam obligabantur; unde in periculum errandi necessario incidissent, si se ad fidem illam sequendam obligatos credidissent tempore, quo approbatione divina cessante Ecclesiae doctrina jam non erat divinitus certa. Moniti sunt et monendi erant Israelitae, dicente s. Augustino: „Ne putaretur ipsa umbra (sacerdotium Aaron) esse mansura, ideo etiam mutatio ejus debuit prophetari". De civit. l. XVII, c. 6, n. 1. Numquam autem moniti sunt Christiani de approbationis illius cessatione, imo potius ob rationes gravissimas persuasum habere debebant, illam approbationem perpetuo continuari.

3. *exclusione.* Si societas, quae tribus primis saeculis ut veram Christi religionem servans et exercens miraculis a Deo comprobata est, non est Ecclesia catholica hodierna, alia in locum ejus successit; nam societatem aliquam, in qua vera Christi doctrina tradatur, usque ad finem mundi exstituram esse constat. Prop. 126. Atqui non potuit alia in ejus locum succedere. Nam a. nova haec societas, orta aut IV. aut V. aut VI. aut alio saeculo, non esset durans a Christo usque ad mundi finem, utpote orta post Christum. b. Nova haec societas signis et prodigiis certis demonstranda esset ut legitima et veram Christi religionem exercens, idque eo magis, quod nova esset; nulla autem in historia

nobis exhibetur hujusmodi societas. Ergo Ecclesia catholica hodierna primorum saeculorum miraculis comprobata est.

Eusebius postquam de secundi saeculi haeresibus et sectis, praesertim de Gnosticis egit, ita concludit: „Sed hae daemonis artes nequaquam in diuturnum tempus ei processerunt, quippe quum veritas ipsa seipsam adstrueret et commendaret, progressuque temporis clarius in dies elucesceret. Et adversariorum quidem inventa ex semetipsis confutata confestim exstincta sunt, aliis super alias exorientibus sectis, quum priores assidue diffluerent et in multiplices ac multiformes errorum species vario quoque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quae sola vera est semperque sui similis et constans, novis quotidie incrementis augebatur: gravitate, sinceritate ac libertate, modestia denique ac sanctitate vitae cujusdam philosophiae divinae, omnium oculos, non Graecorum modo, verum etiam barbarorum perstringens". H. e. IV, 7.

Articulus II.

De Ecclesia catholica divinitus comprobata per miracula eandem continuo comitantia.

629. Agimus hic de miraculis, quatenus doctrinae sive Ecclesiae catholicae veritas iisdem probatur. Ad hanc probandam duplice ratione concurrere possunt, directe aut indirecte: directe si ad doctrinae catholicae ipsius veritatem attestandam aut ad eam propagandam vel contra haereticos tuendam fiunt; indirecte, si proxime quidem ad hominis, qui Dei minister est, sanctitatem illustrandam, aut ad fidei, quam habet, firmitatem remunerandam (Mtth. 17, 19) fiunt. Si vero ad Dei misericordiam hominibus exhibendam et petentium miserias sublevandas proxime fieri supponantur (Suarez, Defens. fid. l. 5, c. 19, n. 21), saltem tunc, si frequentia sunt, ipsa sua multitudine promissiones, quae verae Ecclesiae factae sunt, impletas ostendunt.

Propositio 132. *Ecclesia vera e Christi voluntate per integrum saeculorum decursum miraculorum et charismatum supernaturalium dono decoranda est.*

630. Nunquam Ecclesia carebit penitus dono quod diximus, licet miracula et charismata modo frequentiora modo minus frequentia esse possint. Frequentiora erant, cum de Ecclesia primum plantanda ageretur.

Probatur 1. *ex absoluta Christi promissione.* Verba, quibus Christus haec dona promisit, absoluta sunt neque ad primam tantum aetatem restricta. Absolute enim dixit: „Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet." Joan. 14, 12. Similiter: „Signa autem eos, qui crediderint haec sequentur" etc. Marc. 16, 17. Notandum, non solum praedicantibus, sed singillatim credentibus promitti signa. Unde sicuti fides non ad primam tantum aetatem restringitur, ita nec illud quod ut fidei praemium promittitur. Suarez, Defens. l. 5, c. 19, n. 18.

2. *e dono primis saeculis continuato et ad Ecclesiae fines obtinendos inserviente.* Christi donum miraculorum promittentis in-

tentio explicanda est ex ipsis factis. Constat autem, donum miraculorum non fuisse restrictum ad primam religionis christianae plantationem, sed continuatum esse per prima imo et per subsequentia saecula locis etiam, ubi divulgata et confirmata jam erat Ecclesia; simulque finibus Ecclesiae propositis facilius et certius assequendis inserviisse. Ergo non ad primum tempus restringenda, sed ad futura etiam saecula est extendenda Christi promissio.

Prae oculis habendum est, Christum ad religionem suam confirmandam non ea tantum praestitisse, quae essent absolute necessaria. Ut ipse legationem suam plurimis voluit demonstrare signis, licet unum solum absolute sufficeret, ita etiam Apostolorum legationem miraculis plurimis demonstravit, licet quod die Pentecostes operatus est, absolute sufficeret. Multo minus necessaria erant charismata primis saeculis continuata. Sed quod non erat necessarium, utilissimum erat, et oeconomiae illi, quam Christus in religione sua confirmanda tenuit, maxime congruum. Hoc autem non tantum de saeculis primis, sed et de subsequentibus dicendum est.

Accedit quod dona illa continuata etiam ad novos fines consequendos valerent plurimum. Iisdem enim religionis traditae veritas confirmabatur adversus haereses identidem emergentes, Christi potestas contra daemonem homines identidem invadentem non tantum demonstrabatur, sed et exercebatur: Christus enim absque temporis restrictione dixerat: „In nomine meo daemonia ejicient“ (Marc. 16. 17); denique novis miraculis longe efficacius religionis veritas persuadebatur gentibus, quibus nonnisi tempore succedente praedicari poterat Evangelium.

631. **3.** *doctrina Patrum.* Rationes quas attigimus, aliasque afferunt s. Patres, cum miraculorum donum in Ecclesia perseverare docent.

Ita s. *Justinus:* „Ejus (Christi) vel nominis potentiam daemonia ipsa perhorrescunt; ac hodie per nomen Jesu Christi adjurata subjiciuntur“. Dial. n. 30. *Tertullianus:* „Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aeque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur . . . Ista ipsa Virgo coelestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Aesculapius medicinarum demonstrator . . . nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius?“ Apolog. 23. Uberius s. *Irenaeus,* hoc miraculorum donum haereticis denegans, vindicat Ecclesiae: II, 31, 2; c. 31, n. 2; c. 32, n. 4. Vide locos supra Prop. 129 allatos.

Primis quidem saeculis frequentiora fuerunt miracula quam saeculis subsequentibus, fide jam divulgata et firmata. Non autem cessarunt penitus, ut et rationes, cur fierent, non cessaverant, prout jam ostendimus. Unde et Patres subsequentes, quamvis miracula rariora jam esse fateantur, diserte docent, miraculorum donum continuari in Ecclesia. Ita s. *Augustinus:* „Alio loco, inquit, cum miracula commemorarem, quae Dominus Jesus fecit, adjunxi dicens: „Cur, inquies, ista modo non fiunt?“ atque respondi: „Quia non moverent, nisi mira essent; si autem solita essent, mira non essent.“ Hoc autem dixi, quia non tanta, nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo.“ Retract. l. c. c. 14. Et alio loco: „Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus (Jesu) nomine, sive per sacramenta ejus sive per orationes vel memorias

sanctorum ejus.“ De civ. l. 22, c. 8, n. 1. Atque hoc confirmat narrando miracula plurima ipsius aetate facta.

Propositio 133. *Ecclesia catholica revera miraculis et charismatibus per saeculorum decursum conspicua fuit.*

632. Inter miracula Ecclesiam catholicam quam plurima comitantia seligimus nonnisi pauca et quidem hujusmodi, quae evenerunt epochis, quibus fidei integritas aut gravius oppugnabatur aut obfuscari aliqua ratione nonnullis videbatur. Id quatuor epochis locum habuisse dici potest: prima est, qua conflictabatur cum Arianismo, quo non pauci erant infecti; altera, qua orientales populi plures, Michaelis Caerularii schismate abrepti, ab Ecclesia catholica recesserant; tertia, qua populi catholici, utut de primatu consentientes, dubiis de persona, in quam primatus legitime collatus esset, exortis, in varias partes trahebatur; quarta denique, qua Lutheri sociorumque haeresis populos septentrionales infecit.

Comprobata est Ecclesia sive doctrina catholica miraculis ejusdem veritatem tum directe tum indirecte attestantibus.

633. Pars I. *E miraculis directe attestantibus* seligimus pauca celebriora.

a. Insignia sunt miracula, quibus Deus fidem catholicam contra *Arianam* haeresin confirmavit confirmatamque propagavit. Gravissimorum testium narratione constat de miraculo, quo Deus s. Ambrosii tempore in translatione reliquiarum ss. *Gervasii* et *Protasii* coeco in Mediolanensi urbe notissimo visum aperuit.

S. *Augustinus*, qui praesens fuerat, rem ita narrat. „Annus erat, cum Justina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur haeresis suae causa, qua fuerat seducta ab Arianis . . . Tunc antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Gervasii et Protasii, quae per tot annos incorrupta in thesauro tuo recondideras, unde opportune promeres ad coercendam rabiem femineam, sed regiam. Cum propalata et effossa (corpora) digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem daemonibus, sanabantur, verum etiam quidam plures annos coecus civis civitatique notissimus, cum populi tumultuantis laetitiae causam quaesisset atque audisset, exilivit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus, impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosae in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens“ etc. Conf. l. IX, c. 7.

Juvat notare, s. Ambrosium censere miraculis per martyres factis impletam esse illam Christi promissionem, de qua antea egimus. Ait enim: „Quaero, quid non credant (Ariani), utrum a martyribus possint aliqui visitari? Hoc est Christo non credere: ipse enim dixit: Et majora his facietis.“ Epist. XXII, n. 19.

Paulinus, s. Ambrosii diaconus, refert, quo tempore sancti episcopi vitam scribebat, hominem illum a coecitate curatum adhuc esse superstitem; quis autem miraculorum illorum fuerit effectus, paucis effert scri-

bens: „Iis beneficiis martyrum in quantum crescebat fides Ecclesiae catholicae, in tantum Arianorum perfidia minuebatur“. Vita s. Ambros. n. 14. Notandum obiter est, s. Augustinum, Paulinum et s. Gaudentium (serm. 17), qui tunc presbyter erat Mediolani, scripsisse, ss. Gervasium et Protasium in somno apparuisse s. Ambrosio eique indicasse, ubi sepulta essent eorum corpora. Id in sua narratione s. praesul praeterit verbis: „Quid multa?“ Discimus hoc exemplo, quantopere Sancti fugiant quidquid in eorum honorem cedere videatur et quam male ex eorum silentio concludant nonnulli, vera non esse, quae ab aliis produntur.

634. Celeberrimum est miraculum, quod tempore persecutionis Vandalicae (a. 484) *Tipasae* accidit.

Victor Vitensis, scriptor coaevus et persecutioni pariter implicitus, narrat: „Dum suae civitati (Typasensi) Arianum episcopum ordinatum vidissent, omnis simul civitas evectione navali de proximo ad Hispaniam confugit, relictis paucissimis, qui aditum non invenerunt navigandi. Quos Arianorum episcopus primo blandimentis, postea minis compellere cupit, ut faceret Arianos. Sed fortes in Domino permanentes, non solum suadentis insaniam irriserunt, verum etiam publice mysteria divina in domo una congregati celebrare coeperunt . . . Quae cum regi (Hunnerico) innotuissent, comitem quemdam cum iracundia dirigens, praecepit ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis et manus dexteras radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset. Spiritu s. praestante ita locuti sunt et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconum Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, et praecipue regina mira eum reverentia veneratur“. De persecut. Vandal. l. 5, c. 6 Tertio post die receperunt non organum linguae, sed loquelam, referente *Aenea* Gazensi, qui sub Zenone imperatore scripsit: „Illi vero ipsius naturae conditorem implorant, qui recentiorem eis naturam die tertia post largitur, non dato quidem alterius linguae, sed facultatis sine lingua articulate quam unquam antea, quod vellent, loquendi munere“. In dialogo qui inscribitur Theophrastus. M. PP. gr. t. 85, p. 999. Ipse *Justinianus* imperator in Edicto de officio Praefecti Praetorio Africae rem commemorat addens: „Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis suas poenas mirabiliter (al. miserabiliter) loquebantur“. Cod. Just. l. 1, tit. 27.

Eventus ipse tot testimoniis nititur, ut eum adversarii negare non audeant; affirmant autem, hominem etiam linguae organo vel primitus carentem vel vi privatum loqui posse, quod testimoniis confirmant. At quidquid hac de re est, circumstantiae satis demonstrant, catholicos illos non exercitio, sensim, ac naturae, sed Dei ope loquelam recuperasse. Loquebantur enim inde a tertia die et quidem non minus expedite quam antea. Quis dixerit, vulnus lingua radicitus abscissa inflictum tertio post die ita sanatum fuisse, ut loquelam non impediret, supponendo, ad loquendum lingua opus non esse? Sed quod praecipue omnem de miraculo dubitationem excludit, ut *Marcellinus* comes narrat, „rex Hunnericus unius catholici adolescentis, vitam a nativitate sua sine ullo sermone ducentis, linguam praecepit excidi, idemque mutus, quod sine humano *auditu* Christo credens fide didicerat, mox praecisa sibi lingua locutus est, gloriamque

Deo in primo vocis suae exordio dedit". In Chronico, Indict. VII, Theodor. et Venant. coss. Migne t. 51, p. 933. Nemo dixerit, surdo mutos i. e. audiendi et propterea etiam loquendi facultate carentes curari posse abscindendo eorum linguam. Accedit, quod unus aut duo postea in luxuriam lapsi loquendi facultate privati sunt, ut referunt *Procop.* de bello Vandal. l. 1, c. 8) et s. *Gregor.* (dial. III, 32). Ex eo, quod nonnulli, qui aut ab initio lingua caruerant aut postea hoc organo privati erant, exercitio longiore aliquatenus distincte loqui didicerint, non sequitur, solius naturae ope confessores inde a tertio die tam distincte locutos esse quam antea. Haec aliaque, quae notavimus, non attenduntur ab auctore libri: The tongue not essential to speech, with illustrations of the power of speech in the African confessors. By the hon. Edward *Twisleton*, London 1873. Cf. *Newman* Two essays on biblical and ecclesiastical miracles, fourth edit. p. 383 *Wilmers*, Lehrb. der Relig. II, §. 14, b. Anm.

635. b. S. *Bernardus* Abbas Claraevallensis († 1151) religionem catholicam, quo tempore primatus Romanus post excitatum a Michaele Caerulario schisma (1054) virtutem suam maxime exercebat, plurimis miraculis illustravit eamque confirmavit. Conscripta eadem sunt a tribus potissimum viris non tantum coaevis, sed et oculatis plerumque rerum testibus. Cf. Bollandiana Acta SS. die 20. Augusti. Migne, PP. latin. tom. 185, p. 222. Gaufridus, Claraevallensis monachus, Bernardi notarius, ejusdem vitam scripturus ita praefatur: „Circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus paene omnibus adfui; interdum etiam, licet pauca, interserens, quae fidelissima fratrum, qui aderant, relatione cognovi". Vitae l. III.

Miraculis ad Ecclesiam reduxit haereticos Henricianos addictos erroribus, qui etiam saeculo XVI asseclas repererunt. Non baptizabant nisi adultos, negabant realem Christi in Eucharistia praesentiam, deridebant sacrificia pro defunctis offerri solita, sanctorum invocationem, peregrinationes, frangebant Christi imagines omnemque ecclesiasticam potestatem vilipendebant. Cf. Nat. Alex. H. eccl. saec. XI. et XII.

De Bernardi itinere in regionem Tolosatium suscepto *Gaufridus* ita refert: „In quo itinere plurimis etiam signis in servo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora a languoribus variis sanans. Est locus in regione eadem, cui Sarlatum nomen est, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat Dei famulo offerebant, quos ille elevata manu et signo crucis edito in Dei nomine benedicens: in hoc, inquit, scietis, vera esse, quae a nobis, falsa quae ab haereticis suadentur, si infirmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis Carnotensium, siquidem praesens erat et proximus viro Dei: si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui Pater sanctus de Domini virtute nihil haesitans: Non hoc ego dixerim, ait, sed vere, qui gustaverint sanabuntur; ut proinde veros

nos et veraces Dei nuncios esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, et vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinaverit et timuerit illo ire". Vitae l. III, c. 6, n. 17. 18. Migne p. 313.

Religionem catholicam confirmavit plurimis miraculis, quae tum alias tum illo praesertim tempore operatus est, quo Romani Pontificis jussu populos ad expeditionem Hierosolymitanam et terram sanctam armis recuperandam hortatus est; etenim non indirecte tantum religionem confirmasse dicenda sunt miracula, quae ad Romani Pontificis auctoritatem commendandam adeo spectabant et religionis praeconem comitabantur.

De his ita Gaufridus: „Testati sunt qui adfuere in territorio Constantiensi, circa vicum, quem Doniguem nominant, ex iis qui diligentius vestigarunt et viderunt oculis suis, una die illuminatos ad ejus impositionem manus coecos undecim, sanatos etiam mancos decem, et claudos erectos decem et octo. Caeterum ne fecisse nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine saltem pauca memoriae commendamus, quae in locis celebrioribus facta noscuntur. Cum venisset Constantiam homo Dei, et undique se virtutum ejus fama diffunderet, abbas Augiensis (quod intra lacum Lemanum antiquum exstat et nobile monasterium) hominem, quem suis eleemosynis sustentabat, caecum misit ad eum, et confestim videntem illum recepit. Heytereseim dicitur locus ad ejusdem dioecesim pertinens civitatis, sed plurimum a civitate remotus. Ibi quoque, sicut et in caeteris illius provinciae, per quam transiit, locis, multis in servo suo miraculis glorificatus est Deus: ubi etiam coecus natus sub manu ejus visum recepit. Item alteri a nativitate surdo et muto auditus redditus est et loquela. In civitate autem Basilica cum ex more sermonem habuisset ad populum, et impleretur in eo, quod de sanctis Apostolis legitur, qui videlicet profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, oblata est ei foemina muta, et confestim orante eo locuta est; oblatus est claudus, et ambulavit; oblatus est caecus, et vidit. — Apud Spirensem civitatem, praesente Romanorum rege Conrado, qui Dei hominem ab ecclesia ad hospitium devotissime deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes ut ei manum imponere dignaretur. Quem signatum protenus erigens, super pedes statuit, et libere gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus universis. In capella episcopi civitatis ipsius, rege ipso vidente, visum reddidit caecae cuidam mulieri, et claudo nato gressum donavit. Multa quidem et alia in manu ejus ibidem Christus effecit, sed ad exemplum pauca sufficiant. Nonnullos etiam pauperculos pueros rex ipse devotus suis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Vitae l. IV, c. 5, n. 30. 31.

Quae paucis comprehensa fuerant a Gaufrido, enucleatius recensita leguntur in libro singulari, qui est sextus vitae s. Bernardi, cujus pars prima auctorem habet Philippum Claraevallensem monachum, itineris socium, qui ita praenotat: „Dominica prima adventus Domini [an. 1146] ingressi sumus fines episcopatus Constantiensis; et in villa, cui nomen est Kentingen [al. Kentzingen prope Friburgum] maxima populi devotione suscepti. Multa

ex hoc divinae miracula virtutis claruerunt, quae, etsi nos tacuerimus, lapides clamabunt. Propterea qui praesentes fuimus, dignum duximus annotare ea vitandae gratia confusionis, et dubitationis abigendae. Singulorum enim praescripsimus nomina; et singuli quod vidimus et audivimus, certa veritate testamur. Eramus autem cum eo ego, Hermannus Constantiensis episcopus, et Eberhardus capellanus ejus; abbates duo, Balduinus et Frowinus; monachi quoque duo, Gerardus et Gaufridus; clerici tres, Philippus Leodiensis archidiaconus, Otto et Franco; quibus additus est in ipso itinere Alexander Coloniensis". Pars I, c. 1. Cf. G. *Hüffer,* Die Wunder des hl. Bernhard und ihre Kritiker. Histor. Jahrbuch der Görresges. 1889. X. Bd. S. 748.

Douglas aliique praesertim Anglicani testimonia omnia hoc solo infringi existimant argumento, quod s. Bernardus, qui s. Malachiae miracula tam accurate referat, nullibi loquatur de miraculis, quae ipse patraverit. (Apud Rev. Milner, The end of religious controversy, lettre 24).

Argumento simili in dubium vocare liceret Petri miracula, quae Lucas refert, Petrus non commemorat. Atque hac ratione qui catholicae religionis miracula subvertere nituntur, religionis christianae hostibus arma praebent. Et vero Paley (A view of the Evidences of Christianity, Edinb. 1823, p. 396) sentiebat necessitatem sibi incumbere hanc incredulorum contra evangelica miracula objectionem serio refellendi. Attamen qui sanctorum virorum modestiam et verecundiam vel tantillum novit, facile perspicit, cur ipsi sine gravissima causa mentionem non faciant miraculorum, quae per ipsos Deus operatur. Unde et s. Bernardus nonnisi gravissima ratione inductus est, ut silentium frangeret. Videlicet quum infeliciter cessisset expeditio Hierosolymitana, ad quam suscipiendam verbis et miraculis populos commoverat, ad Eugenium Papam scribens ait: „Sed dicunt fortasse isti: Unde scimus, quod a Domino sermo egressus sit? Quae signa tu facis, ut credamus tibi? Non est quod ad ista ipse respondeam: parcendum verecundiae meae. Responde tu pro me et pro te ipso, secundum ea quae audisti et vidisti; aut certe secundum quod tibi inspiraverit Deus". De consider. l. II, c. 1, n. 3. Gravis etiam erat ratio, cur Tolosanos in vera fide confirmaturus, miraculorum mentionem faceret scribens: „Gratias egimus Deo, quia non fuit otiosus adventus noster ad vos. Veritate nimirum per nos manifestata, manifestata autem non solum in sermone sed etiam in virtute, deprehensi sunt lupi." Ep. 242, n. 1. Falso igitur asseritur, s. Bernardum nullatenus miraculorum facere mentionem.

636. c. Bernardo simillimus est s. *Vincentius Ferrier*, Hispanus, vir plane apostolicus, qui peragratis pluribus Europae partibus anno 1419 mortuus est Veneti in Britannia minori. Incidit in tempus illud, quo, pluribus de Romana sede contendentibus, dubium erat, ad quem jus legitima electione devolutum esset. Singulari sane providentia effectum est, ut populi Vincentii miraculis conspectis in fide catholica et in proposito, Pontifici, quicunque esset, legitime electo adhaerendi et obediendi conservarentur. Vincentius papae Avenionensi adhaesit, saltem quamdiu pro hoc rationes quaedam militare videbantur. Attamen non in sola ejus obedientia, sed etiam in aliorum obedientiis Dei verbum nuncians avidissime auditus est: quae res satis demonstrat, populos catho-

licos fide et caritate junctos fuisse, licet de capite legitimo existerent dubia. Quum Vincentius ipsam fidem catholicam praedicaret et, ut patebit, miracula omnia ad eam attestandam et haereses exstirpandas referret, omnibus etiam fidem catholicam directe confirmasse dicendus est.

Vincentii vita a. 1455 scripta est a Petro *Ranzano*, ordinis Praedicatorum, ut et Vincentius erat, alumno. Inter alia monumenta usus est quatuor processibus, qui mandante Nicolao V. (1447—1455) de vita et miraculis confecti fuerant Avenione, Veneti, Tolosae et Neapoli, quibus in locis vixerat Vincentius. His processibus testes auditi erant „in civitate Neapolitana viginti octo, in Avenionensi et circumvicinis partibus decem et octo, in regno Franciae, videlicet Tolosae, quadraginta octo, in Britannia vero trecenti et decem". (Acta SS. 5. April. p. 524.)

E miraculis in vita patratis, quorum numerus octingenta et sexaginta excedit, scriptor pauca exhibet (p. 498). Notandum imprimis est donum linguarum, de quo ita refert: „Illud omnium praestantissimum erat in eo, quod ea quae docebat, multis signis clarissimisque miraculis confirmabat. Magna etiam admiratione dignum illud est, quod donum linguarum, sicut et veteribus Apostolis, ei concessum est. Cum enim per illas singulas regiones, quas supra memoravimus, suas praedicationes diffunderet, et sua Valentina ac materna lingua fuerit semper locutus: tamen singuli, tam pueri quam aetate provecti utriusque sexus, ejus sermonem per singula verba percipiebant, perinde acsi in singulorum patria fuisset natus et eorum idiomate fuisset locutus. Multi quoque Graeci, Teutonici, Sardi, Hungari et alii in aliis locis nati, qui nonnisi materna lingua loqui sciebant, nec aliam intelligebant, devenientes ad loca, in quibus praedicabat Vincentius, cum aliis ad audiendum concurrerunt et tandem facto verborum ejus fine fassi sunt, se singula viri Dei verba percepisse, non minus quam si eorum lingua eum loquentem audissent. In illa Galliae regione, quae nostro tempore Britannia dicitur, sunt quidam populi, quos Galli vocant Britones britonizantes, quorum lingua solis ipsis cognita est, et quamvis plurimi eorum lingua Gallorum loqui sciant, multi tamen nonnisi sua lingua loquuntur, et nullam aliam intelligunt; qui tamen virum Dei, suo materno idiomate loquentem, distincte intelligebant, ita ut singuli quoque pueri et feminae maximum fructum ex salutifera ejus doctrina perceperint". Acta SS. p. 495.

In Cataloniae vico, qui vocatur Lacona, quindecim panibus, quos quidam praecurrentes e farina, quae hospiti praesto erat, pro Vincentio et nobilioribus quibusdam parandos curaverant, duo millia hominum satiavit. „Quod cernens hospes, confestim humi prostratus, ingentes clamores emittens, rem omni multitudini manifestat". Ib. p. 504. E multis miraculis similibus Ranzanus, ne, ut dicit, narratio nimis longa sit, unum tantum seligit. „Est, inquit, in Catalonia locus quidam, qui ab incolis dicitur Villa longa, ad quem quum venisset B. Vincentius, una cum illa religiosa multitudine, quae tunc erat fere numero sex millium hominum, dominus loci, qui vocabatur Justus, confestim eis paravit refectionem, quam pro loci et temporis congruentia parare potuit; inter alia vero vinum in portatoria vase ligneo portatili poni fecit, servans videlicet consuetudinem (regionis).

Itaque posteaquam omnes refecti sunt, et inde recesserunt, portatoria vino repleta reperta est, proinde acsi nemo ex tanto numero hominum aliquid de eo non solum bibisset, sed ne quidem gustavisset. Ille vero tantae rei admiratione plurimum stupefactus, decrevit ad virum Dei statim pergere eique tam grande insuetumque miraculum patefacere: quod quum fecisset, beatus Vincentius: Abi, inquit, et Deo gratias age". Ib.

Ut s. Bernardus, ita etiam s. Vincentius summi Pontificis auctoritate missus erat. Etenim Martinus V. litteris „ei confirmavit omnem illam absolvendi, ligandi docendique potestatem, quam ei antea Benedictus [Petrus de Luna] contulerat, eum tamquam Christi Apostolum mittens, qui in nomine Jesu Christi doctrinam evangelicam populis praedicaret". Ib. p. 497. Quotidie, concione finita, ut populo satisfaceret, oblatos sibi infirmos cruce signabat: „sicque plurimi diverso infirmitatis genere laborantes, perfectae sanitatis beneficium reportabant. Verba quibus in hujusmodi languentium sanationibus utebatur, haec erant: Signa, inquit, eos qui crediderint, haec sequentur: super aegros manus imponent et bene habebunt. Dein statim adjiciebat: Jesus, Mariae filius, mundi salus et Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te conservet in ea et beatum faciat, et ab hac infirmitate te liberare dignetur. Amen". Ib. p. 493.

Quid potissimum intenderit, ipse exponit litteris a. 1403 ad Ordinis magistrum generalem datis. „Per tres, inquit, menses continuos fui in Delphinatu, praedicando in circuitu verbum Dei per civitates, castella et villas, in quibus nondum fueram; praecipue tamen visitavi tres illas famosissimas valles haereticorum in dioecesi Ebredunensi . . . Quo peracto ad requestas et rogamina multorum transivi in Lombardiam, ubi continuo praedicavi per annum et mensem, in cunctis civitatibus, villis et castris; et quamplures inveni valles haereticorum, tam Valdensium quam Gazariorum perversorum, quas percurri in dioecesi Taurinensi, et singulas per ordinem visitavi, praedicando in unaquaque ipsarum fidem et doctrinam catholicae veritatis cum improbatione errorum ipsorum. Et omnes per Dei misericordiam ardentissime et cum magno devotionis affectu ac reverentia veritatem fidei susceperunt. *Domino quippe cooperante et sermonem confirmante.* Completis tredecim mensibus continuis in Lombardia, intravi Sabaudiam . . . Percurri dioeceses quatuor . . . et sum modo in dioecesi Gebennensi. (Exposito errore quorundam sectariorum pergit:) Contra hunc errorem nunc principaliter insisto, praedicando quotidie, Domino cooperante et sermonem confirmante, et efficaciter exstirpatus est". Ib. 480. S. Vincentius non obscure alludit ad miracula quibus Deus ejus praedicationem confirmabat.

637. d. Catholica religio etiam postquam Protestantes ab ea defecerunt, miraculis confirmata et propagata est. Franciscus *Xaverius* quum anno 1552 expirasset, jussu Joannis III Lusitaniae regis, cujus hac de re ad Indiae proregem litterae anno 1556 datae leguntur apud Tursellinum (Vita s. Franc. Xav. l. 6, c. 1), diligentissima inquisitio in totam vitae rationem, quam in Indiis tenuerat, apud viros ecclesiasticos et laicos instituta est. Tabulae per proregem confectae ad regem missae, auctoritate regia ad summum Pontificem transmissae sunt, eisque inter alios usus est

Tursellinus. qui ita testatur: „Exstat apud nos regiarum tabularum exemplum, rite obsignatum subscriptumque proregis manu, unde sunt ea, quae adhuc exposuimus quaeque deinceps exposituri sumus, magna ex parte deprompta". — De vita Fr. Xav. l. 6, c. 1.

Bulla canonizationis varia afferuntur miracula, e quibus seligimus pauca. „Apud Comorinum promontorium, cum in quadam ecclesia servus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, facta oratione jussit sepulchrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri ac populo significans, ad comprobandam christianae fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursum victurum, linteo, quo cadaver involutum erat, rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo ut viveret, imperavit; qui statim stupentibus omnibus surrexit vivus; quo tam insigni miraculo commoti, qui aderant, tum alii multi crediderunt in Deum".

„Puer quidam in orientali India pestilenti febre vita sublatus ac linteo insutus de more gentis viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulchrum: quos ut vir Dei vidit, misericordia motus super eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus est; atque aqua benedicta aspersum, rescisso linteo, signo crucis signavit, apprehensaque manu ejus in nomine Domini nostri Jesu Christi vivum atque incolumem parentibus restituit; erecta illo in loco, ad tantae rei memoriam conservandam, ab incolis magna cum celebritate cruce".

„Apud oppidum Combuturae in ora Piscariae puer alius in puteum delapsus suffocatusque, maximo cum matris et cognatorum ejulatu efferebatur; cumque ex proxima ecclesia Franciscus occurrisset, misertus eorum, in genua provolutus oculisque in coelum fixis, Deum pro vita pueri precatus, cum apprehensa manu in nomine Domini Jesu Christi surgere jussit, et confestim puer surrexit vivus; quem sanctus vir reddidit matri suae stupentibus omnibus ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus: quibus ipse praecepit, ne cui rem gestam narrarent".

Haec aliaque miracula recensentur in bulla quam diximus; alia apud Tursellinum aliosque rerum a Francisco gestarum scriptores leguntur.

A. *Tholuck* asserit, evidentissime demonstrari posse, miracula illa Xaverii, quamvis auctoritate ecclesiastica nitantur, et etiam a Protestante quodam admissa sint, omni tamen fundamento historico carere. Argumentum ipsi quidem evidentissimum hoc est: habemus epistolas praeconis hujus intrepidi; jam etsi virum prudentem vereque pium produnt, nullibi tamen vel levissimum vestigium doni miraculorum deprehenditur. (Die Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte, Hamburg 1837, p. 424. Has objectiones ut et alias Tholuck mutuatus est ab Anglicanis, quos nominat et refellit Joannes *Milner* (The end of religious controversy, letter 24).

Mirum est, argumentum tam evidens effugisse illos, qui Xaverii miracula scripto vulgarunt simulque ejusdem epistolas ediderunt, imprimis Tursellinum. Supprimendae erant epistolae, ne miraculorum narrationi fides negaretur. Caeterum argumento aeque evidenti probari posset, s. Petrum miraculorum dono caruisse; exstant enim hujus Apostoli epistolae: nullum in eis deprehenditur doni illius vestigium: ergo falsa censenda sunt, quae Lucas de Petri miraculis narrat in Actibus. — Xaverium non fuisse pronum ad miracula sua litteris consignanda, facile intelligitur, quum sciamus, eumdem quum ab amicis interrogaretur, pudore fuisse suffusum. Ut Tursellinus refert, „Goam ex ora Comorinensi reversus, Jacobo Borbano sciscitante, verene

mortuum ab eo ad vitam revocatum fama vulgasset, adeo pudore exanimatus est, ut Borbanum misericordia simul et verecundia instandi urgendique ceperit". Vit. l. VI, c. 8. Hanc tamen rationem non admittunt adversarii dicentes, quum homo ob miracula quae Deus gratuito per eum operetur, superbire non possit, nullam esse causam, cur ea silentio tegat. Dicant ergo, cur Jesus sanato caeco declinaverit a turba (Joan. 5, 13) suoque exemplo similem agendi modum alios docuerit. Ita saltem rem intellexit s. Cyrillus Hieros., qui suos auditores carpit, quod, postquam manuum impositione opem tulerint aut daemonem fugaverint, ipsi id divulgent. Hom. in paral. ad piscin. n. 16. — Nihilominus non penitus abscondere potuit Xaverius, evenisse mirabilia, quamquam ea potius aliis quam sibi attribuere studuit. De sua inter Comorinenses commoratione an. 1544 ita scripsit Romam: „Ingens indigenarum numerus ad nos undique confluebat rogatum, ut ad ipsorum domos ire et super aegrotos domesticos Deum orare ne gravarer. Tantaque erat etiam ipsorum aegrorum eandem ob causam adrepentium frequentia, ut vel in recitando singulis Evangeliis satis haberem negotii . . . Quoniam ipse ire non poteram, pueros idoneos meo committebam loco . . . Quid multa? Deus puerorum caeterorumque fiducia ac pietate adductus, aegris compluribus et corporum et animorum restituit sanitatem". Tursellin. epist. l. I, ep. 5.

638. Pars II. Comprobata est doctrina catholica miraculis *indirecte attestantibus*. Insistimus in miraculorum sive generatim coelestium charismatum multitudine, qua testante historia per saeculorum decursum Ecclesia insignita fuit. Hac enim multitudine ipsa, etsi finis eorum proximus hominis sanctitatem commonstrandam respiceret, aut fidem ejus firmam remunerandam, aut denique miseriam sublevandam, societati religiosae, in qua fiunt, suffragantur. Ratio est, quod Christus charismatum multitudinem suis promisit fidelibus. Marc. 16, 17.

Scholion. Non est quod demonstretur, nullam Protestantium societatem comprobatam esse miraculis. Ipsi enim sibi non vindicant miraculorum donum; quinimo plerique eorum, qui non negant miracula omnia, asserere solent, post tempora Apostolorum aut saltem post prima saecula hoc donum cessasse.

Neque apud Graecos aut Russos, postquam ab Ecclesia Romana recesserunt, miraculorum donum viget. Si qui celebrantur thaumaturgi, qui Evangelium inter Russos miraculis propagarunt, ii fuerunt catholici et cum Ecclesia Romana uniti. V. infra Prop. 134. Si autem singularia quaedam miracula praedicantur, quae a precantibus fuerint obtenta, notandum est, aliud esse, quod Deus ipsum invocantibus quandoque miraculo ferat auxilium, aliud esse, quod miracula eveniant frequentius et charismatum donum sit proprium Ecclesiae.

Articulus III.

De motivis credibilitatis Ecclesiae catholicae continuo inhaerentibus.

639. Ostendendum est, Ecclesiae catholicae inesse proprietates quasdam, quae naturae vim excedant. Quod in tractatu de Ecclesia ut proprietas consideratur necessario inhaerens Ecclesiae, sive naturalis haec dicatur

proprietas sive supernaturalis, id hoc loco ostenditur esse effectum supernaturalem ideoque inter credibilitatis motiva referendum esse. Atque ita verum demonstratur, quod Concilium Vaticanum docet verbis: „Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile". Const. de fide c. 3.

§. I. Admirabilis propagatio.

Propositio 134. *Ut primis saeculis, ita et temporis successu religionis sive Ecclesiae catholicae veritas ejusdem propagatione demonstratur.*

Argumenti religionis christianae divinam originem demonstrantis summa in eo est, quod propagatio illa amplissima brevi tempore obtenta non causis naturalibus, sed supernaturalibus, singulari Dei auxilio interno et externo debebatur. Idem dicendum est de Ecclesiae catholicae sive de religionis, quae in Catholicorum societate colebatur et colitur, propagatione. Ergo quemadmodum religio christiana primis saeculis ipsa sua propagatione, ita etiam Ecclesia catholica temporis successu ipsa sua propagatione demonstratur divina.

640. Pars I. Ecclesiam sive religionem catholicam continuo propagatam et demum latissime diffusam esse, docet historia. Et vero latissimam religionis christianae propagationem quam cernimus, deberi catholicae Ecclesiae, non sectis, si paucissimas regiones excipias, patet vel ex hoc solo, quod populi, qui nunc non sunt catholici, antea fuerunt catholici et postea ab Ecclesia defecerunt. Ab Ecclesia igitur catholica religionem christianam hauserunt populi, ab aliis postea infecti sunt haeresi.

Praeterea historia ecclesiastica singillatim refert, quomodo saeculis singulis per Ecclesiam catholicam propagata sit religio, sive inter Celtas, sive inter populos originis germanicae tum illos, qui sedes priores reliquerant, tum illos, qui inter easdem remanserant, sive inter populos slavicos, sive inter populos orientis remotissimos (tempore Innocentii IV, 1243—1254 — ejusque successorum), sive potissimum postquam itineribus maritimis novi populi detecti sunt. Et tunc quidem Ecclesia catholica tum inter Asiae populos cultiores tum inter Americae pluriumque insularum gentes barbaras maxima cepit incrementa.

Demum historia certo demonstratur, etiam illorum populorum, quos haeretici vel schismatici sibi quandoque vindicarunt aut errore infecerunt, primam conversionem deberi Catholicis. A Catholicis, non ab Arianis conversi sunt Gothi; Theophilus, Gothiae episcopus,

sedit in Nicaeno concilio. Ante Nestorianos Catholici penetrarunt tum ad Indos tum ad Sinenses i. e. *Seres (Arnob.* adv. nat. II, 12; *Mamachi*, Orig. et ant. l. 2, c. 29, p. 375). Ante Schismaticos catholici populos Russiae doctrina salutari imbuerunt, videlicet tempore inter Photium et Michaelem Caerularium interjacente, quo nonnisi catholici patriarchae sedem Constantinopolitanam tenebant; unde ipsa Russorum liturgia etiam hodie Sedis Romanae primatum testatur. *Pelesz*, Gesch. d. Union der Ruthen. Kirche, Würzb. u. Wien 1881, I, p. 85; *Hergenröther*. Photius II, p. 594: Herm. Jos. *Schmitt*, Gesch. der neugriech. u. russisch. Kirche, I. Buch, 10. Absch. II. Buch. 12. Absch. *Hefele*, Die russische Kirche, Tübing. Quartalschr. 1853.

641. Pars II. Propagatio haec amplissima continuata argumentum est, Ecclesiam sive religionem catholicam origine esse divinam.

Probatur 1. *ex impleto Christi mandato et praedictione.* In religione catholica sive in societate catholica eaque sola impletum est quod Christus Apostolis mandaverat et ad quod praestandum auxilia promiserat divina. „Euntes docete omnes gentes . . . ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi". Mtth. 28, 19. 20. Mandatum hoc certo erat implendum, cum Christus non solum suum promitteret auxilium, sed simul asseveraret, se singulis diebus fore cum Apostolis, utique praedicantibus, eisque suum auxilium revera praestiturum. In Ecclesia catholica sola impletum est, quod Christi mandatum simul est et vaticinium. Impleta etiam sunt quae per Prophetas praedicta erant de latissimo Christi dominatu et regno omnia regna complectente. Ps. 71, 8. 11. Dan. 2. 25. Ecclesia catholica sola gentes collegit et Christo submisit. Ergo haec sola est societas illa, sive religionis christianae forma illa, quae vaticiniis impletis divina declaratur.

2. *a priore e summis difficultatibus nonnisi ope divina superandis.* Difficultates summae nonnisi ope divina superari possunt. Summae autem difficultates, quas religionis christianae propagationi primae obstitisse ostendimus, etiam continuatae ejusdem propagationi obstiterunt, licet nonnullae aliam exhibuerint formam. Eaedem prorsus erant difficultates, quae oriuntur ex oneribus, quae religio christiana imponit tum intellectui tum voluntati. Novae oriebantur difficultates hinc e barbarie gentium plurimarum, illinc ex aliena prorsus sentiendi et judicandi ratione, quae vigebat inter Asiae populos cultu et humanitate non carentes. Ergo quod primis saeculis, id etiam subsequentibus et hisce postremis divinum auxilium religionis

propagationi praesto fuit et hanc, videlicet catholicam, comprobavit.

3. *ipso facto.* Historia ecclesiastica testatur, in gentium conversione Deum saepissime miraculis apertis auctoritatem conciliasse religionis catholicae praeconibus. Id accidit, cum s. *Martinus* quo tempore Arianismus gentium conversioni moras injecerat, in Gallia miraculis insignibus gentiles plurimos convertit. Sulpicius *Severus* in vita s. Martini c. 12 seq. Miraculis religio catholica propagata est inter Anglosaxones. De his ita s. *Gregorius* M. ad Eulogium Alexandrinum: „Jam nunc de ejus (Augustini monachi et episcopi) salute et opere ad nos scripta pervenerunt, quia tantis miraculis vel ipse vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut Apostolorum virtutes in signis quae exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem dominicae nativitatis plus quam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre et coepiscopo nostro baptizati". Lib. 8. ep. 30. Miraculis religio catholica propagata est post Protestantium defectionem. Inter alios fidei praecones miraculorum dono eminuit s. Franciscus *Xaverius*, „cujus praedicatione et miraculis Indiarum gentes Deus Ecclesiae suae aggregare voluit", ut examine diligenter instituto fatetur ipsa Ecclesia (in officio s. Franc. Xav.). Neque is solus miraculis fidem propagavit catholicam.

612. Gentes innumerae in America recens detecta apostolicorum virorum sanctitate et miraculis ad Evangelii fidem adductae et catholicae Ecclesiae insertae sunt.

Miraculorum dono eminuit s. *Ludovicus Bertrandus*, qui in America meridionali Evangelium divulgavit et in Hispania mortuus est a. 1581.

Vita ejus conscripta est a Vincentio Antistio, ejusdem cum Bertrando ordinis Praedicatorum, viro fide dignissimo, non tantum synchrono, sed ejus etiam contubernali, ejusque beatificationis procuratore. V. Acta SS. 10. Oct. p. 293. Praeterea praesto nobis est bulla canonizationis non referens nisi quae certissimis testimoniis nituntur. Ex illis tantum quae in America gessit, pauca attingimus. In bulla canonizationis legimus: „Orationibus a Deo obtinuit (B. Bertrandus), ut lingua sua hispana, in qua natus erat, evangelizando absque interprete intelligeretur ab Indis. Vir iste apostolicus non solum juxta promissiones Evangelii, quod praedicabat, in nomine Domini nostri Jesu Christi daemonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales visibiliter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie, discrimen vitae superavit. Pristinam valetudinem pluribus reddidisse et defunctam ad vitam sanctissimi rosarii applicatione revocasse, compertum fuit". Ib. p. 483. 484.

Miraculorum gloria floruit P. *Martinus* a Valentia, ex ordine S. Francisci, legatus apostolicus cum duodecim sui ordinis sociis in regnum Mexi-

canum missus (an. 1523), ob praeclara opera Indiarum occidentalium Apostolus appellatus. V. *Wadding.* annal. Minor. ad an. 1534. — Martyrol. Francisc. ad 31. Aug.

In Brasilia miraculorum et prophetiae dono eminuit Ven. P. Joseph *Anchieta*, qui ab an. 1553 ad an. 1597, quo decessit, vitam apostolicam inter Lusitanos et indigenas egit. (V. El. de *Guilhermy*, Ménologe de la Comp. de Jésus, assist. de Portugal, 9. Juni, ubi et Acta beatificationis Ven. Jos. Anchietae et alia documenta afferuntur).

Carthagine nova *Petrus Claver*, qui an. 1851 beatis, anno 1888 sanctis adnumeratus est, per quadraginta et amplius annos barbaros potissimum ex Africa adductos praedicatione et miraculis Ecclesiae adjunxit († 1654). Plures a medicis desperatos subito sanitati restituisse, multis oculorum lumine captis visum reddidisse, mortuos excitasse legitur. Bulla canonizationis testatur: „Accedebat ad viri (Petri) auctoritatem augendam non modo virtutum omnium cumulus, sed etiam tanta supernorum charismatum copia, quanta paucis etiam Sanctis obtigit. Quis enim inclyti viri miracula numeret?“

Charismata a Christo promissa universe frequentissima fuerunt, ubi Evangelium in Asiae orientalis regiones per praecones varios primo est illatum, nihilque imprimis magis fuit conspicuum quam virorum apostolicorum in daemones imperium.

In epistola, quam Duartes a Sylva an. 1555 e Japonia scripsit Goam, legimus: „Annus circiter agitur, cum quidam oculorum acie sane debili baptizatus est. Is, Dei benignitate factum est, ut una cum animi lumine oculorum quoque lumen reciperet; etenim continuo clare coepit videre. Cujus rei fama cum latius manasset, Japoniorum ad nos concursus hinc inde statim est factus, partim caecorum, partim vario morborum genere, ut lepra, febri aliisque hujusmodi laborantium, in quibus Dominus pro sua sapientia coelestis numinis vim saepe declarat“. Plura dein afferuntur exempla. Rerum a Soc. J. in oriente gestarum volumen. Coloniae 1574, p. 205. Balthasar *Gagus* eodem anno e Japonia haec refert: „Superioribus diebus in energumenam incidi, quam Dominus neophytorum rogatu ac precibus liberavit. Ex ea daemon carmina fundebat interdum japonica, quae Japonii sane magni faciunt, studentque perdiscere, tametsi illa quidem statim auctorem per se ipsa demonstrant. Solet autem daemon cum versus hujusmodi enunciat, vel regis alicujus jam vita functi, vel etiam bruti cujuspiam sibi nomen affingere, ut his caeci Japonii inducti fallaciis aut regem illum, aut brutum venerentur ut Deum“. Ib. p. 213. Plurimi effectus supernaturales leguntur in eodem epistolarum volumine. Leguntur et in vita P. Gasparis Barzaei conscripta a P. Nicolao *Trigault* (l. II, c. 24). Imperium illud in daemonem, quod frequentissime exercent fidei praecones, maxime idoneum est ad auctoritatem iisdem conciliandam, tum quia religionis christianae finem oculis quam maxime exhibet, tum quia religionis ejusdem auctor suo in daemones imperio legationem suam maxime demonstravit. Unde et s. *Gregorius* Nyssenus de Gregorii Thaumaturgi miraculis acturus ita praefatur: „Quemadmodum strenuus miles cum duce exercitus in pugna congressus, per illum devictum in fugam vertit eos, qui parent illius imperio, eodem modo magnus hic vir ab ipsis daemonibus incipit praeclare rem gerere“. Vita s. Gregor. Thaum.[1])

[1]) Historiae scriptores nonnulli nimium quandoque detulerunt quorundam lectorum praejudiciis. Qui historiam religionis Christianae inter Japones divulgatae per P. *Crasset* conscriptam legit, merito miratur, quod praeter illa miracula, quae

Propositio 135. *Modus quo haereticorum et schismaticorum societates conflatae sunt, alienus est ab illo, quo Christi mandato et promissione religio christiana propaganda erat.*

613. **Probatur 1.** *e temporis intervallo.* Latissima illa propagatio, quae e Christi mandato et praedicatione religioni et societati christianae debetur, inchoanda et continuanda erat inde ab Apostolis. At nulla est sive haereticorum sive schismaticorum societas, quae propagationem et diffusionem illam qualemcunque quam obtinuit, non inchoaverit tempore ab Apostolorum aetate remotissimo; omnes enim, historia teste, ut a certis auctoribus aetate Apostolorum posterioribus ortae, ita et propagatae sunt. Ergo earum diffusio qualiscunque est, non potest esse illa, quae religioni et societati christianae debetur.

2. *ex origine per defectionem.* Nulla haereticorum aut schismaticorum societas conversione gentilium primum orta est aut incrementa praecipua accepit; haereses omnes ortae sunt defectione ab Ecclesia catholica: ideoque omnes carent illa veritatis nota, qua Ecclesia catholica insignita est. Haeretici non sunt secuti Apostolorum et discipulorum vestigia; quod primorum, id omnium saeculorum haeretici egerunt: e catholicis suos obtinuerunt asseclas, „cum, monente *Tertulliano*, hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi“ Ut primum e catholicis ortae sunt, ita etiam ex catholicis numerum suorum augere nituntur. „Agnoscit naturam suam et originis suae morem profectus rei“. *Tert.* Praescr. c. 42. Si quos forte gentiles converterunt, omni tempore paucissimi fuerunt. Pars haereticorum praecipua conflata semper est ex illis, qui a religione catholica defecerunt, ut vel ipsum haereseos nomen indicat.

3. *e fidei jugo excusso et cupiditatum freno abjecto.* Catholicos ad haeresin traducere non est opus tam arduum, ut nonnisi divino auxilio perfici possit. Haeresis enim in eo est, ut e fidei articulis jam receptis alii rejiciantur, alii retineantur; haeresi numerus articulorum fidei restringitur; haeresi mens e loco superiore de-

s. Francisco Xaverio in bulla tribuuntur, alia fere non occurrant. Rationem scriptor reddit in praefatione. Dicit, narrata a se primum quidem fuisse miracula evidentiora, quae in monumentis repererit; sed viros valde prudentes suasisse, ut illa deleret, utpote legentium palato minus placitura. Fatetur, gratissimum sibi fore, si hujusmodi consiliis deferendo minus recte egisse censeatur et libenter se suae condemnationi assensurum. Et vero dolendum est, quod, aliorum judicio magis confisus quam suo, omiserit illa, quae tanti sunt momenti ad religionis catholicae veritatem demonstrandam.

jicitur. Unde qui haeresin diffundunt, notante iterum *Tertulliano*, „hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur". Praescr. c. 42. Arianismus ex articulorum credendorum numero rejecit illum, qui rationi humanae minime pervius est, personarum in una divina essentia trinitatem. Protestantismus abjicendo traditionem alterum fidei fontem simul abjecit plures fidei articulos; negando Ecclesiae auctoritatem et constituendo rationem humanam unicam fidei normam, abjecit illud, quod naturae humanae onus est difficillimum. Praeterea haereses non est secuta morum emendatio, sed depravatio, ut vel ipsi carum auctores, imprimis Lutherus, fateri coacti sunt. Plurima ejusdem in hanc rem effata vide apud *Döllinger* (Die Reformation etc. 2. Aufl. I, p. 294—359). Itaque haeresin admittere non modo non est opus arduum, sed opus longe facilius quam in fide suscepta perseverare. Neque pauci illi, qui fortasse e gentilibus ad sectam haereticam accedunt, opus praestant aeque arduum ac perficiunt illi, qui fidei complexum integrum recipiunt.

4. *e charismatum defectu.* Secundum Christi promissionem, quam historia ecclesiastica impletam esse docet, fidei verae propagationem charismata comitantur et sequuntur. Haereseum praedicationem charismata nec comitantur nec sequuntur, fatentibus haereticis ipsis. Consentire enim solent haereticis primorum saeculorum illis, quos s. *Irenaeus* testatur etiam negasse miracula fieri aut debere aut etiam posse. Cont. Haer. l. II, c. 31.

644. Si quae haereses latius diffusae sunt, plerumque aut principum armis aut tumultibus civilibus adjutae vires ceperunt. Arianismus diffusus et protectus est armis imperatorum, Constantii et Valentis. Protestantismus in Germania, Anglia, Dania, Suecia se suaque potissimum debet principum armis. Alibi adjutus est factiosorum potentia, qui contra auctoritatem civilem legitimam conjuraverant. Protestantismus enim hoc sibi proprium habuit, ut ad se diffundendum non tantum ecclesiasticam, sed etiam civilem auctoritatem impugnaret, ubicunque haec Catholicorum jura tueretur. In imperio Russiaco Catholicorum centena millia ad schisma amplectendum adacta sunt manu armata et flagellis.

§. II. Eximia sanctitas.

Propositio 136. *Ut saeculis primis, ita et tempore subsequente Ecclesiae catholicae origo sanctitatis fructibus demonstratur divina.*

645. Ostendimus, religionem christianam demonstrari divinam e fructibus, quos in ordine tum intellectuali tum morali primis saeculis produxerit. Atqui in Ecclesia catholica producti sunt fructus iidem per integrum saeculorum decursum et etiamnunc producuntur: ergo Ecclesia catholica omni saeculo et etiamnunc e fructibus demonstratur divina.

Probatur 1. *e continuata gentium conversione.* Argumenti quo usi sumus vis in eo erat, quod religio christiana converterit mundum erroribus pessimis obstrictum et moribus foedissimis perversum, pro illis docendo veritates lumini intellectuali consentaneas, pro istis ad virtutes multiplices veramque sanctitatem homines provehendo. Hoc idem praestitit et praestat Ecclesia catholica, cum se diffundit inter gentes sive barbaras sive cultu quodam et humanitate, quae tamen ad veram virtutem non pertingat, imbutas. Et Ecclesia catholica sola haec efficit, cum sola gentes illas converterit et convertat. Sectae enim doctrinam suam vel spargunt inter gentes jam conversas, vel si quas nondum conversas imbuunt sua doctrina, inter eas non producunt fructus illos, qui cum Ecclesiae catholicae fructibus comparari possint, ut Protestantes plurimi ipsi fatentur.

2. *e promissione Christi in sola Ecclesia catholica impleta.* Christus asseclarum suorum societati promisit donorum supernaturalium multitudinem, ut verae fidei et spiritus divini inter illos habitantis testem. „Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet et majora horum faciet". Joan. 14, 12. „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur etc. Marc. 16, 17. 18. Haec autem promissio ut saeculis primis, ita etiam subsequentibus impleta est in Ecclesia catholica eaque sola, quemadmodum antea ostendimus. Prop. 133. Ergo Ecclesia catholica et haec quidem sola sanctitatis fructibus a Deo comprobatur.

3. *e multiplicibus charitatis heroicae operibus.* Charitas illa humanae naturae vires superans, qua primis saeculis religio christiana conspicua erat, eadem et in Ecclesia catholica temporis successu viguit et adhuc viget. Primis autem saeculis charitas illa sufficiens erat ad religionis christianae originem divinam demonstrandam; ergo sufficiens etiamnum est ad demonstrandam Ecclesiae catholicae divinam originem.

646. In Ecclesia catholica plurimi semper eminuerunt non tantum rerum temporalium, sed etiam voluptatum et commodorum alioquin licitorum abdicatione eo fine suscepta, ut Christum imitantes aliorum miseriam temporalem sublevarent eosque bonorum spiritualium redderent participes. Beneficentia in Ecclesia catholica exercita duplice semper indole eminuit. Imprimis altissimis semper movebatur rationibus fines excellentissimos prosequendo, videlicet hinc studio Christum imitandi, illinc desiderio, bonis temporalibus collatis animarum potissimum salutem procurandi. Altera indoles et quidem maxime insignis in eo erat, ut Catholici non tantum

bona sua, sed se ipsos vitamque suam impenderent proximis sublevandis. Multorum heroicae virtuti Deus ipse testimonium reddidit miracula operando in gratiam eorum, qui illorum jam defunctorum orationes et apud Deum intercessionem implorarent, atque hac etiam ratione implevit quod promisit: „Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus". Joan. 12, 26.

Per singula saecula data occasione accidit, quod exorta sub Maximino tyranno ingenti fame et pestilentia evenisse ita narrat *Eusebius:* „Quo quidem tempore Christianorum erga omnes sedulitas ac pietas manifesto indicio universis gentilibus innotuit. Quippe hi soli in tot ac tantis calamitatibus misericordiae atque humanitatis officia rebus ipsis exhibentes, quotidie partim curandis ac sepeliendis mortuorum cadaveribus vacabant; moriebantur autem in dies innumeri, quorum nemo curam gerebat;) partim omnibus tota urbe egenis, qui fame opprimebantur, in unum convocatis, panes singulis dividebant, adeo ut cum hujus rei fama crebris hominum sermonibus divulgaretur, cuncti Christianorum Deum summis laudibus extollerent, eosque solos pios Dei cultores reipsa et factis comprobatos esse faterentur". H. e. IX, 8. Singulari hoc non solum pro fratribus sed etiam pro alienis seipsos impendendi studio quum alii multi tum praesertim ordines religiosi illi eminuerunt, qui ipso vitae instituto aegrotis et peste infectis inserviendi officium susceperunt, qui, ut captivos redimerent, si opus esset, seipsos sponsores obtulerunt, qui, ut salutis viam edocerent gentes, sexcenta pericula mortemque ipsam adierunt. Heroicae charitatis tum a viris tum a feminis exhibitae exemplis plena est historia Ecclesiae catholicae. Ubicunque nova calamitas vel novum malum sese offert, illic charitas catholica ut opem ferat praesto est. Experti id sunt nostro tempore infantes illi in Sinensi imperio, qui a parentibus inhumanis exponuntur certaeque traduntur morti, nisi charitas catholica eos colligat, prospiciens et corporis et animae saluti. Merito igitur Ecclesiae adversariis dicimus, quod s. *Augustinus* dicebat Manichaeis: „Haec, Manichaei, reprehendite, si potestis. Nolite caecis hominibus et discernere invalidis ostentare nostra zizania". De moribus Ecclesiae catholicae l. 1, c. 31, n. 68.

647. Nullum est saeculum, quo Ecclesia non protulerit eximiae sanctitatis fructus. Atris coloribus quandoque depinguntur mores Romanum imperium incolentium Christianorum, quo tempore barbari omnia devastarunt. At memoria tenendum est, sanctissimos tunc vixisse episcopos, ut Ambrosii, Leonis, Augustini, Martini, Exuperii, Aviti, Remigii nomina testantur. Praeterea perpendendum est, populos catholicos licet a barbaris magna ex parte Arianis premerentur, fidem tamen inviolatam servasse et insuper ipsis suis hostibus duces exstitisse ad fidem catholicam amplectendam.

Atris pariter coloribus pingi a nonnullis solet saeculum decimum, quod a *Baronio* (an. 900, n. 1) „sua asperitate ac boni sterilitate ferreum" vocatur. At Baronius prae oculis habuit Italiam atque imprimis Romam, quae principum et civium factionibus dilacerabatur. Malum praecipuum in eo erat, quod iisdem principum et civium factionibus sedi Romanae episcopi parum digni obtrudebantur. Multa autem testantur, religionem floruisse in Germania, Gallia, Anglia aliisque regionibus. Imo sunt qui monumentorum habita ratione asserant, saeculum inter feliciora esse com-

putandum ob magnum sanctorum virorum et feminarum numerum, ob episcopos et principes virtute eximios, ob magnum fidei dilatandae studium. Ita auctor operis Perpétuité de la foi, traité sur l'Eucharistie, sect. II, P. III, ch. 6. Ed. Migne tom. I, p. 135; Mabillon in V. Saec. Benedict. praef. n. 13 seq.

648. ***Scholion.*** *Quid de sanctitate eximia in aliis societatibus.* Asserendo, Ecclesiam catholicam eamque solam sanctitatis et eximiae virtutis fructibus demonstrari origine divinam, non negamus, in aliis etiam societatibus esse ullos eximiae virtutis fructus, sed negamus, esse in his ejusmodi fructus, quibus *societates* illae demonstrentur divinae. Quod etiam nonnullorum virtutem eximiam attinet, nulli exhibentur, quorum virtus et sanctitas miraculis a Deo sit comprobata. Societates quae ab Ecclesia catholica defecerunt, eo plura virtutis subsidia retinuerunt, quo pauciora e doctrina et institutis Ecclesiae catholicae abjecerunt. Unde mirum non est, si quae retinuerunt, suos etiam producant fructus, dummodo hi non impediantur erroribus quibusdam virtutum studio oppositis. Saepe tamen accidit, ut qui sectae bona ut dicitur fide adhaeret, non omnia ejus principia adoptet vel opere sequatur.

§. III. Catholica unitas.

Propositio 137. *Arctissima fidei et communionis unitate Ecclesiae catholicae veritas demonstratur.*

649. In tractatu de Ecclesia probatur, a Christo institutam esse supremam auctoritatem supremumque regimen, atque inde concluditur, Ecclesiam, quae unitate hac instituta caret, non esse veram Ecclesiam. Hic via inversa proceditur; ostenditur, esse unitatem e suprema auctoritate manantem, et ex hoc *facto* infertur Ecclesiae origo divina.

Probatur 1. *e singularitate facti ipsius.* Quod in nulla alia societate paulo diffusiore ullis hominum studiis utut acribus et constantibus obtineri potuit, in religione autem catholica locum habet, id nonnisi singulari Dei auxilio evenire censendum est. In nulla autem alia societate praeter Ecclesiam catholicam diffusio amplissima simul cum arctissima unitate obtineri potuit; ergo divino auxilio singulari deberi simulque Ecclesia catholica auxilio hoc singulari a Deo comprobari censenda est.

650. Diffusionis illius et unitatis conjunctio reperitur in nulla religione fidem christianam negante. Buddhismus maxime quidem diffusus est, sed nulla inter ejus qualescunque asseclas reperitur doctrinarum conformitas, adeo ut non pauci fateantur, frustra quaeri principium, quod diversis ejus formis commune sit. Edm. *Hardy*, Der Buddhismus, p. 3. Principii loco a plerisque quidem statuitur, calamitatem, qua homo eo ipso quod ortus sit, subjacet, vincendam esse non castigationibus spontaneis, ut in Brahmismo, sed illo quod vocatur *Nirvana*. Quid autem hoc sit, non certo constat. Aliis est exinanitio, nihilum; aliis cessatio, quies; aliis denique paradisus quidam. Neque potest esse doctrinarum conformitas, cum alii libri sacri pro fontibus habeantur apud populos septentrionales, alii apud meridionales.

Hinc evenit ut apud Buddhae sectatores longe major reperiatur doctrinarum diversitas quam apud societates et sectas varias, quae se vocant christianas. Aucta est haec diversitas, ex quo tempore varias aliorum populorum, etiam idololatrarum opiniones admiserunt. Hinc etiam nulla potest esse unitas externa, praesertim cum in regno Tibetano admissa sit quaedam hierarchia, qua aliae regiones carent. Cf. supra l. 2, c. 3, art. 1.

Islamismus valde diffusus est in orbe quidem antiquo solo; sed licet paucissimas doctrinas teneat, unitatem tamen servare non potuit, quum variae ortae sint sectae variaque schismata. Cf. *Hunebery-Kaulen*, Islam, KL. VI.

Protestantismus unitate caret tum interna sive fidei tum externa sive regiminis. Inde ab initio in tres divisus est partes majores, Lutheranorum, Zwinglianorum, Calvinianorum, cui additae in Anglia sunt partes Episcopalium aliorumque. In ipsis fidei principiis jam non esse consensum, Protestantes ipsi hodie fatentur.

Unitate tum externa tum interna carent Graeci. Subsunt patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Hierosolymitano, qui singuli ut ipsi fatentur sunt sui juris, ac propterea non formant unum corpus morale proprie dictum; alii subsunt synodo in Russia constitutae. Patriarchis additi sunt exarchae autokephali populorum, qui jugum Turcicum excusserunt[1]) Labefacta est unitas interna, quum post concilium oecumenicum VII (a 787) decretis auctoritate vestitis repressa apud illos non sit sentiendi libido, quae tamen non exigua est, ut non solum scripta testantur, sed plurimae etiam inter Russos efformatae sectae. Dissensus praeterea est in doctrina de baptismo. Ecclesia orientalis, quae sub Turcarum degit imperio, baptismum, qui non fit terna et integra submersione, judicat invalidum, quae in Russio degit, baptismum infusione administratum judicat validum.[2])

[1]) Diomedes Kyriacos, Historiae ecclesiasticae in universitate Atheniensi Professor, in oratione coram pluribus amicis an. 1889 Jenae habita, inter alia dixit: „Unsere Kirche unterscheidet sich wesentlich vom Katholicismus und steht in der Mitte zwischen ihm und dem Protestantismus. Der Katholicismus ist die Kirche der Auctorität, der Protestantismus die Kirche der Freiheit. Die griechische Kirche sucht mit der Auctorität eine gewisse Freiheit zu verbinden. Es fehlt bei uns der eiserne Despotismus der römischen Kirche. Wir haben keinen allmächtigen Papst. *Jede nationale Kirche hat ihre Selbständigkeit.* Der Patriarch von Constantinopel hat blos einen primatus honoris, aber nicht die geringste Macht über die andern selbständigen Patriarchate und die übrigen orientalischen nationalen Kirchen, von denen jede ganz selbständig und frei sich regiert . . . Die Lehre unserer Kirche wurde von den alten Vätern und Synoden nicht in allen Einzelnheiten bestimmt, wie dies in der römischen Kirche durch die Synode von Trient und durch die Bestimmungen der Päpste geschah. Deshalb bewegt sich die theologische Wissenschaft freier bei uns als in der päpstlichen Kirche. Der Katechismus von Mogilas [i. e. Orthodoxa confessio catholicae atque apostolicae ecclesiae orientalis] und einiger kleinen Synoden des 17. Jahrh. haben bei uns keine absolute Geltung". Jahrbücher der protest. Theologie. Jahrg. 16; 1. Heft, Dec. 1889, (S. 151—153.)

[2]) Documenta apud *W. Palmer* (of Magdalen College), Dissertations on subjects relating to the orthodox on eastern-catholic communion, London 1858, p. 201.

2. *e modo quo catholica unitas efficitur et servatur.* Catholica unitas exigit, ut omnes se submittant supremae auctoritati, quae se a Christo institutam et in rebus fidei et morum decidendis infallibilitatis praerogativa praeditam esse dicit. Ut omnes ad hanc submissionem praestandam parati sint, duo requiruntur. Imprimis rationibus sat gravibus persuadendum eis est, auctoritatem illam revera a Christo esse institutam, hinc se ad obedientiam exhibendam obligari. Praeterea necesse est, ut sit seria et constans voluntas, qua se revera submittant non uni alterive, sed omni omnino Ecclesiae definitioni. Id autem adeo difficile est, ut fieri non possit nisi opitulante divina gratia. Hac de re qui dubitat, ex incredulis exquirat, cur non credant. Varii quos afferunt praetextus id tantum aperiunt, fidem perquam difficilem esse homini illi, qui se subducit gratiae influxui.

3. *historia ecclesiastica.* Unitate catholica imponi onera non exigua, quae portari non possint nisi divino juvante auxilio, atque ideo unitatem catholicam non subsistere nisi Deo juvante, confirmatur ipsa haereticorum et schismaticorum ab Ecclesia defectione. Plerique enim qui defecerunt, ideo defecerunt, quod Ecclesiae obedientiam et submissionem detrectaverunt. Unde fit, ut haeretici et schismatici ipsa sua defectione saltem id demonstrent, onus non exiguum imponi illis, qui in unitate catholica perseverant. Fide licet suscepta submissionem Ecclesiae debitam recusarunt haeretici primi, Hymenaeus et Philetus; suo enim, non Ecclesiae sensu resurrectionem explicuerunt „dicentes, resurrectionem esse jam factam". 2. Tim. 2, 18. Fide licet suscepta diuque retenta debitam Ecclesiae submissionem denegarunt etiam haeretici ultimi, qui magisterium Romano Pontifici proprium suo, non Ecclesiae, in concilio Vaticano definientis, sensu explicuerunt et ita ab unitate catholica defecerunt. Unde recte concluditur, multitudinem

— *Pitzipios*. L'Eglise orientale I, 100. — *Döllinger*, Kirche u. Kirchen (München 1861) S. 187.

Synodo a. 1484 Constantinopoli habita Graeci, quatuor patriarchis consentientibus, baptismum infusione administratum declararunt validum, idemque factum est pro Russia in synodo 1667 episcopis graecis et russis constituta. Sed a. 1756 Constitutione a tribus patriarchis Constantinopoli signata priorem decisionem abrogarunt Graeci declarantes in posterum proselytos omnes ex aliqua occidentis ecclesia venientes rebaptizandos esse. Hic usus obtinet in omnibus ecclesiis quae patriarchatui Constantinopolitano subjectae sunt aut prius subjectae fuerunt. Russi hanc novam decisionem non admiserunt, sed illos, qui secundum occidentalis ecclesiae ritum baptizati sunt, non repetito baptismo sibi jungunt.

ingentem illorum, qui in unitate catholica perseverant, divina opitulante gratia perseverare atque ita pro Ecclesiae catholicae veritate novum enasci argumentum.

651. Veritati quam demonstravimus, adversarii ipsi testimonium reddunt. W. *Palmer* fatetur (Treat. I, p. 73), si unitas quae necessaria asseritur, existat, id fieri singulari divinae potentiae exercitio. Non esse promissum divinum hoc auxilium, e Scripturis probare nititur, ut sic paret sibi viam ad demonstrandam theoriam, quae asserit, Ecclesiam catholicam componi tribus partibus: ecclesia Romana, graeca et anglicana. At Palmer multipliciter errat. Imprimis male supponit, ad Ecclesiae unitatem sufficere illam, quae esse possit inter partes illas tres separatas sibique oppositas. Deinde male supponit, non posse a Deo effici Ecclesiae unitatem, nisi promiserit; promisit sane, sed efficere poterat, etiamsi non promisisset. Denique in ipsa Scripturae explicatione varie aberrat, ut vidimus.

Operae pretium non est ostendere, argumentum simile non militare pro aliis societatibus christianis, quum in illis non vigeat eadem ut in catholica Ecclesia unitas neque idem sit unitatis efficiendae et conservandae modus.

§. IV. Invicta stabilitas.

Propositio 138. *Invicta Ecclesiae catholicae stabilitas ejusdem originem divinam demonstrat.*

652. Ecclesiam catholicam quae nunc est, si ut persona moralis spectetur, eandem esse cum primorum saeculorum societate, quam Acatholici hodie Ecclesiam catholicam veterem nominare consueverunt, antea ostendimus. Eandem in hac societate semper viguisse hierarchicam connexionem et subordinationem, eandem quoque fidem, partim ex historia demonstratur, quae non potest mutationem ullam sive in hierarchia, quatenus per Christum instituta censebatur, sive in fide factam exhibere, partim ex ipsius Ecclesiae principio quasi fundamentali, quo censebatur, non licere unquam recedere sive a fide sive ab institutis divinitus acceptis. Summa haec stabilitas in Ecclesia adeo diffusa, quam plurimos populos complectente, tum in se summe difficilis, tum propter adversarios Ecclesiam impugnantes etiam longe difficilior, locum habere non potuit nisi singulari Dei protectione et auxilio.

Probatur 1. *e Christi promissione impleta in sola Ecclesia catholica.* Christus hinc abiturus Ecclesiae latissime propagandae arctissimoque nexu jungendae perpetuam promisit durationem suo obtinendam auxilio. Haec autem promissio impleta est in Ecclesia catholica atque in hac sola; ergo Ecclesia catholica et quidam sola est Christi Ecclesia.

Promissio facta Apostolis (Mtth. 28, 19. 20) non spectabat qualemcunque religionis christianae formam nec qualemcunque hominum eandem exercentium societatem, sed illam formam, quae praedicanda continuoque propaganda erat per Apostolos eorumque successores, et illam societatem, in quam una eademque fide suscepta cooptandi per baptismum erant homines, verbo, spectabat Ecclesiam illam maxime diffundendam perpetuoque unam. Haec

autem Ecclesia reapse maxime diffusa et unitate tum externa tum interna dotata non est ecclesia graeca, utpote nec per totum mundum diffusa neque una, sed est catholica, quum haec sola sit latissime diffusa simulque una. Ergo ipsa ejus stabilitas utpote a Christo promissa ejusque auxilio effecta ejusdem originem divinam demonstrat.

2. *e facti singularitate in se spectata.* Quod apud societatem religiosam ullam conatibus licet summis obtineri non potuit, in Ecclesia autem catholica licet maxime diffusa inde ab initio viget, id sine dubio Dei nititur auxilio speciali. Hujusmodi est perseverantia in unitate tum externa sive regiminis, tum interna sive fidei. Ergo perseverantia in unitate tum externa tum interna singulari Dei auxilio nititur demonstratque Ecclesiae catholicae veritatem.

Unitatis defectu societates acatholicae inde ab initio laborarunt quidem, attamen defectus ille singulis prope decenniis nova cepit incrementa. Saeculo XVI ineunte magna occidentalium pars sequebatur Lutherum; mox Zwinglius et Calvinus insurrexerunt duces. Res brevi tempore eo devenit, ut non solum regna singula, sed etiam provinciae et civitates suas sibi conderent ecclesias, quarum doctrinam et constitutionem nobis referunt libri symbolici. In Anglia schisma pristinum ab Henrico VIII excitatum ultra ducentas protulit sectas. Fato eidem schisma succubuit graecum. Non tantum in duas scissum est partes primarias, ecclesiam sub Turcarum imperio degentem, alteram sub Russiae imperatore; sed illa jam est in tot divisa et continuo dividitur ecclesias autocephalas, quot constituuntur nationes a Turcarum jugo exemptae. Russiae ecclesia continuo in plures dividitur sectas.

3. *e difficultate orta ex insito libertatis studio continuo obnitente.* Quod fidei primum suscipiendae obnititur, id, si sola fide suscepta non extinguitur, eidem etiam obnititur susceptae. Id locum potissimum habet in innato libertatis amore. Fidem suscipiendo et Ecclesiae se jungendo homo liberum arbitrium quidem submittit, sed neque exuit neque extinguit. Ergo innatus iste libertatis amor jugo suscepto, si sola natura spectatur, etiam in posterum obnitetur. Imo quodam respectu etiam magis obnitetur quam ab initio. Pondus enim quod continuo premit, ipsa temporis diuturnitate gravius et molestius fieri solet. Ergo gratia specialis et continua accedat necesse est, ut fidei susceptae onus perpetuo portetur atque ita in Ecclesia perseveretur.

Et vero! Quamvis dici possit, religione christiana semel suscepta difficultatem praecipuam esse superatam et eatenus religionem susceptam retinere facilius esse quam primum suscipere, tamen minime verum est, in religione retinenda opus non esse auxilio interno aut non exurgere quandoque novas difficultates. Imprimis enim doctrinae credendae omnes sub Ecclesiae magisterio susceptae tanta tamque constante sinceritate sunt retinendae, ut eas in dubium vocare nunquam liceat. Jam vero hanc,

quae requiritur, fidei constantiam cum difficultatibus haud exiguis saepe conjunctam periculisque expositam esse, ille tantum negare potest, qui ad mentem humanam seque ipsum parum attendit. — Praeterea accidere potest, ut qui religionem christianam suscepit et ad omnia, quae Ecclesia credenda proponit, admittenda paratum se, prout requiritur, exhibuit ideoque omnia ab Ecclesia proponenda saltem implicite credit, postea nonnulla quae antea ipsum latuerant, ut ab Ecclesia proposita cognoscat; imo accidere potest, ut Ecclesia nonnulla, quae antea implicite tantum proposuerat, postea, quaestionibus exortis, definiat et explicite credenda proponat. Manifestum est, tunc multorum submissionem, praesertim si sibi ipsis nimium fidere solerent, in gravissimum vocari posse discrimen, cui nonnisi divina opitulante gratia eximantur ita, ut in catholica unitate perseverent. Conciliorum historia hujus rei exempla exhibet. Chalcedonensis Concilii decretis presbyteri nonnulli et monachi obedientiam detractarunt dicentes, se perseverare velle in fide illa, quam Concilium Nicaenum declararat. *Mansi* VII, p. 74. Non intelligebant illi, a Concilio Chalcedonensi non proponi credendum, nisi quod implicite propositum erat in Symbolo apostolico. Post concilium Vaticanum ab Ecclesia defecerunt nonnulli dictitantes, novam proponi doctrinam; non advertebant, quod concilium Vaticanum explicite declararat, id a concilio Lugdunensi II et a concilio Florentino jam pridem declaratum fuisse saltem implicite.

4. *e difficultate orta e tot nationum diversitate.* Difficultates, quae in nationibus maxime diversis in societate una retinendis reperiuntur, si non violentia aut commodis terrenis superantur, superentur necesse est ope supernaturali. Maxima est nationum diversitas, quae in Ecclesia catholica per totum orbem sparsa sociantur; ergo necesse est, ope supernaturali vinci difficultates, quae in iisdem perpetuo sociandis reperiuntur.

Indubium est, summam esse difficultatem in sociandis perpetuo populis sibi mutuo oppositis.

Demonstratur id a. ipsa historia. Nationum et gentium aversio mutua sive nationalismus in plerisque schismatibus et haeresibus conflandis partes habuit. Apparuit haec a reliquis populis aversio simul cum propriae nationis studio in Novatianis Africam sibi vindicantibus; apparuit in Monophysitis vindicantibus sibi Aegyptum. Apparuit in Graecis aversione et odio Latinorum stimulatis; in Russis, intra sui imperii fines se includentibus; in Bohemis Hussitis contra Germanos irritatis. Lutherus Germanos ad defectionem ab Ecclesia sollicitans nationalitatis studio et aversione ab Italis animos incendere maxime studuit. Lutherum imitati sunt quotquot opus ejus promoverunt sive inter Danos et Suevos sive inter Anglos et Scotos. Cf. *Döllinger*, Kirche und Kirchen. S. 11.

b. Continua haec nationum diversarum odia et studia non raro incrementum ceperunt a potestate civili, quae suis limitibus non contenta, Ecclesiae potestatem infringere sibique arrogare haud

raro tentavit. Plena est historia hujusmodi conatibus. Graecorum schisma imperatorum dominandi cupiditati non minus quam Graecorum in Latinos odio sua debet initia. Medio aevo non raro excitata sunt schismata imperatorum dominandi libidine. Principum in Ecclesiam violentia vires addidit nationum septentrionalium conatibus in constituendis ecclesiis nationalibus.

Difficultates continuatae, quae populis in una societate religiosa perpetuo retinendis obsisterent, cum potentia humana nulla nullaeque rationes humanae eas vicerint vel vincere potuerint, necesse est, ut superatae sint continuo Dei praesidio.

4. *e modo quo stabilitas obtinetur.* Secundum Ecclesiae catholicae doctrinam Ecclesiae stabilitas potissimum ex eo oritur, quod a Christo fundata est supra Petrum ejusque in primatu successores, Romanos Pontifices, quorum circa fidem decretis obedientia debetur et praestatur. Haec autem obedientia esset plane impossibilis, nisi Deus eandem supernaturaliter redderet possibilem. Ergo eo ipso, quod haec obedientia ut praestanda agnosci potest et praestatur, Dei auxilium supernaturale demonstratur.

a. Sine speciali Dei auxilio hanc obedientiam fore impossibilem, patet jam ex eo, quod continua Ecclesiae in fide unitas ideoque stabilitas in seipsa spectata opus est humana natura altius. Si autem singulorum cum integro Ecclesiae corpore consensus perpetuus per se est difficilis, longe difficilior est totius corporis sive omnium cum uno consensus. Spectata enim natura sola totius multitudinis judicio facilius veritas attribuitur quam judicio unius. Quod igitur ex parte naturae deest, id supernaturaliter compensetur necesse est. Compensatur autem partim objective, i. e. supernaturali Christi institutione e fidei fontibus demonstrata, partim subjective, i. e. gratiae influxu homines ad submissionem continuam movendo.

b. Impossibilis esset haec in rebus fidei submissio, nisi Deus ut singulos et Ecclesiae corpus movet ad consensum cum capite sive Romano Pontifice, ita etiam hunc fidei decreta edentem ab errore praeservaret. Fidei enim assensus neque exigi neque praestari potest, nisi morali certitudine constet, non adesse errandi periculum. Si autem vel semel errasset Romanus Pontifex fidei decretum edendo, certitudo illa moralis ante omnem fidei actum necessaria periret. Nullum autem fidei decretum falsum ostenditur ex omnibus quae inde a primis saeculis edita sunt. Idque eo mirabilius est, quum constet, inde a primis saeculis haereticos

plurimos Romam se contulisse, ut Ecclesiam Romanam, cujus consensum exoptabant, in suas traherent partes.

Inter ipsos Acatholicos sunt, qui aperte fateantur, singularem Dei providentiam conspicuam esse in perpetuis Romanorum Pontificum ad fidem conservandam exhibitis laboribus eventu felice coronatis.[1])

Itaque invicta haec stabilitas, quae potissimum in una perpetuo fide et uno regimine cernitur, Ecclesiae catholicae et quidem hujus solius veritatem demonstrat, quum praeter hanc nulla alia sit societas christiana, in cujus qualicunque duratione momenta exposita appareant.

Articulus IV.

De divinae legationis, quae Ecclesiae quoad doctrinam competit, vi et ratione.

653. Credibilitatis quae enumerata sunt motiva cum „divinae legationis testimonium irrefragabile“ vocantur, quaeri potest, quo sensu intelligenda sit divina haec Ecclesiae legatio; sitne Ecclesiae commissa legatio eo prorsus sensu quo Moyses, Prophetae, Apostoli Dei legati vocantur, an alio sensu.

[1]) Phil. *Schaff* supra jam laudatus ita censet: Die ultraprotestantische Ansicht spricht dem Papstthum allen und jeden Schriftgrund und alles göttliche Recht ab. Eben damit erklärt sie es für die colossalste und unverschämteste Lüge, welche je in der Geschichte aufgetreten ist . . . Zu dieser extremen Ansicht können wir uns aber schlechterdings nicht verstehen, weil sie nicht nur die ganze Kirchengeschichte vor der Reformation in ein unauflösliches Labyrinth verwandelt, sondern die köstliche Verheissung des Herrn von seiner ununterbrochenen Gegenwart und Herrschaft in der Kirche Lügen straft (denn es ist absolut unmöglich, eine Succession des Christenthums mit Umgehung des Katholicismus aufzustellen); ja consequenter Weise dem Skepticismus und Unglauben, ohne es zu wissen und zu wollen, mächtig in die Hände arbeitet. Nein! Angesichts der achtzehnhundertjährigen Geschichte des Papstthums, das wirklich einen felsenfesten Charakter bewiesen hat, Angesichts der klaren Zeugnisse fast aller bedeutenden Kirchenväter zu seinen Gunsten, Angesichts der Consequenz und Zähigkeit, mit welcher es von jeher an allen Fundamentallehren des Christenthums, wie der hl. Dreieinigkeit, der wahren Gottheit und Menschheit Christi, der Inspiration und der göttlichen Autorität der Bibel festgehalten hat (während das Antichristenthum dieselben leugnet), Angesichts der grossen Verdienste der Päpste um die Erhaltung der ökumenischen Orthodoxie, um die Einheit, Freiheit und Unabhängigkeit der Kirche gegenüber den Eingriffen der weltlichen Gewalt, um die Heilighaltung der Ehe und besonders auch um die Ausbreitung des Christenthums und der Civilisation unter allen germanischen und scandinavischen Völkern — Angesichts all dieser Thatsachen, welche immer mehr auch von unbefangenen protestantischen Historikern zugegeben werden, können wir unmöglich in Abrede stellen, dass diese gewaltige Erscheinung zu dem ursprünglichen Plane des Christenthums, als eines geschichtlichen Entwicklungsprocesses, gehört, und dass sie mithin auch schon irgendwelchen Ausgangspunkt in der apostolischen Kirche haben muss. Geschichte der apostol. Kirche. 2. Aufl. Leipz. 1854. S. 380.

Propositio 139. *Legatio divina, quam motiva credibilitatis Ecclesiae commissam esse probant, 1. non spectat ad revelationes sive veritates novas generi humano communicandas, 2. sed ad revelationes acceptas fideliter servandas.*

654. Pars I. Legatio non spectat ad revelationes novas communicandas.

Agitur de veritatum revelatione, non de rebus agendis. Potest enim Deus signis novis aliisque rationibus etiam post Apostolorum tempora inducere Ecclesiam ad quaedam agenda. Haec enim cum non de credendis agatur, fidei objectum augere non possunt. Unde s. *Thomas:* „Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiae spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem". 2, 2, q. 174, a. 6, ad 3. Porro de revelationibus publicis sive de veritatibus hominum societati destinatis, non de revelationibus privatis i. e. non de veritatibus uni aut alteri aut aliquibus aperiendis sermo est. Nulla enim ratione prohibetur Deus, quominus hominibus si voluerit arcana sua aperiat, credenda quidem illis, quibus aperit, non autem toti Christianorum societati credenda, ut sint de Ecclesia.

Probatur 1. *illatione.* Suo loco ostendimus, in Christo ejusque Apostolis completam esse revelationem, quae generi humano destinata erat; hinc Christi religionem esse invariabilem. Prop. 124. Revelatio autem nec completa esset, nec Christi religio invariabilis esset, si Ecclesiae commissa esset legatio ad veritates novas communicandas.

2. *ex Ecclesiae confessione.* Motivis credibilitatis illa tantum personae cujuscunque legatio demonstratur, quam ipsa sibi a Deo delatam esse affirmat. Atqui Ecclesia nunquam affirmavit, se a Deo legatam esse ad veritates novas aperiendas; ergo ad has aperiendas missa non est.

655. Pars II. Legatio spectat ad revelationes acceptas fideliter custodiendas.

Ecclesia doctrinas sibi commissas non potest tueri, nisi etiam earum sensum genuinum tueri possit. Hunc non potest tueri, nisi etiam explicare pro auctoritate doctrinas possit. Unde in tuendi munere etiam munus explicandi continetur.

Probatur 1. *illatione.* Ecclesia quo tempore sibi novas revelationes communicari negabat, omnes suae doctrinae pertinaciter reluctantes e sinu suo excludebat. Ergo doctrinam suam tantum pro primitus accepta habebat et ad hanc fideliter servandam sese potestate munitam profitebatur. Hoc autem profitens divinitus commendata est.

2. *e modo quo de fidei quaestionibus ferebat judicium.* Disceptationibus de fidei rebus exortis Ecclesia tantum ad doctrinas primum acceptas recurrebat et secundum has de disceptationibus exortis ferebat judicium. Conciliorum enim acta testantur, Scripturam sacram et traditionem primitus acceptam et per manus quodammodo transmissam habitam fuisse pro regula, secundum quam omnia deciderentur. Ergo ad doctrinam traditam fideliter tuendam se divinitus missam esse fatebatur.

Propositio 140. *Unde doctrina de fide et moribus omnis, quam Ecclesia catholica pro suprema plenaque auctoritate ab omnibus tenendam esse docet, pro veritate divinitus comprobata habenda est.*

656. Ut omnis, qui praecipiendi auctoritate vestitus est, hac auctoritate modo tantum ad suadendum, modo ad praecipiendum uti, modo aliquid stricte et absolute, modo minus stricte injungere potest, ita etiam Ecclesia: potest doctrinam aliquam ita proponere, ut eam quidem tenendam suadeat et commendet, non tamen simpliciter et absolute tenendam praecipiat. Potest eam ita proponere, ut eam non tantum commendet, sed simpliciter et absolute tenendam praecipiat. Quod si fit, pro suprema sua auctoritate sive pro pleno auctoritatis suae pondere agere dicitur. De pleno hoc auctoritatis usu hic agitur. Porro Ecclesia docet, quum illi docent, qui auctoritate vestiti sunt, Romanus Pontifex et episcopi. Unde horum auctoritas repetenda sit, exponendum est in tractatu de Ecclesia. Hic solum factum spectamus, i. e. doctrinae declarationem per auctoritatem illam, quae ut suprema agnoscitur.

Probatur 1. *e paritate.* Quod valet de legato divino, cujus missio ad doctrinas primum aperiendas divinitus approbata est, id valet etiam de legato divino, cujus missio ad veritates conservandas divinitus approbatur. Legatus divinus ad revelationem primo communicandam comprobatus fidem meretur non tantum generatim, sed pro doctrinis singulis: ergo etiam legatus divinus ad revelationem conservandam divinitus approbatus fidem meretur respectu doctrinarum singularum. Hujusmodi autem legatio commissa est Ecclesiae nec aliam sibi vindicat, cum revelationes novas sibi fieri neget.

2. *ex agendi ratione Ecclesiae propria.* Ecclesia inde a principio non tantum confusum doctrinarum complexum proponebat credendum, sed doctrinas singulas uno illo complexu comprehensas proponebat credendas; excludebat enim quotquot vel unam doctrinam pertinaciter negabant. Atqui Ecclesia ita agens divinitus est approbata; ergo quidquid Ecclesia fide communi tenendum docet, pro veritate divinitus approbata habendum est.

3. *ex fidei unitate religioni christianae propria.* Christus religionis suae cultores una eademque fide conspicuos esse voluit. Haec autem fidei unitas in coetu eandem colentium non subsisteret, si Ecclesiae legatio divinitus confirmata non porrigeretur ad doctrinas singulas; sectae enim et haereses ex hoc nascuntur, quod quidam e doctrinarum summa primitus tradita alias eligunt rejectis aliis. Sola necessitas communi omnium fidei in singulis doctrinis et doctrinarum capitibus sese subjiciendi sectas et haereses ex Ecclesiae sinu excludit. Haec autem necessitas existere nequit, nisi Ecclesiae legatio respiciat doctrinas singulas.

Conspectus operis.

Liber I.

De religione et revelatione generatim spectata.

Prolegomena.

Pag.

§. I. De religionis notione et divisione 1

Assertum 1. Religio generatim proprio tamen sensu intellecta hominis ordinem ad Deum sive hominis cum Deo vinculum significat 1

§. II. Religio ut virtus sive prout est voluntatis 2

Assertum 2. Ordo ille et nexus ex hominis quidem parte potissimum Dei cultu sive honore ei exhibito constituitur 2

Assertum 3. Excellentia divina, ut cultus ratio, ipsa Dei infinitate, et quidem prout primi principii munus exercet, constituitur 3

Scholion I. Actus Deum colendi actum reverentiae et submissionis simul includit 3

Scholion II. Duplicis generis actibus Deus coli sive ejus excellentia significari potest 4

Scholion III. Actus prosequentes, evitantes 4

Assertum 4. Hinc religio sensu strictiore intellecta sive prout debitum Deo cultum reddit, virtus est specialis et quidem moralis ac voluntatis . 4

Corollarium. Religionis definitio 5

Assertum 5. Religio sensu latiore intellecta significat omne virtutis officium, quo ad Deum ordinamur 6

Scholion. Cultus Dei tripliciter acceptus 7

§. III. Religio prout ad intellectum pertinet 7

Assertum 6. Religio quamvis in se sive formaliter spectata habitus voluntatis sit, spectato fundamento ad intellectum pertinet, et cognitionem, imprimis speculativam, involvit; unde et ipsum religionis nomen, quo virtus voluntatis principaliter designatur, etiam intellectus cognitioni attribuitur 7

Assertum 7. Religio praeter cognitionem speculativam etiam practicam involvit 8

§. IV. Religio objective spectata 9

Assertum 8. Religio objective spectata est complexus veritatum, quibus hominis ad Deum ordo constituitur, et officiorum, quae ex illo ordine consequuntur 9

Pag.
§. V. Religionis nomen Deum colentium statui et societati attributum . . . 10
§. VI. Religionis acceptiones praeposterae 10
§. VIII. Religionis divisio 12
Scholion. Religionis positivae perversa acceptio 14

Caput I.

De religionis necessitate.

Articulus I. De religionis alicujus necessitate absoluta 16
Propositio 1. Deo, spectata ejus excellentia, debetur cultus sive honor specialis; unde religio sensu maxime proprio intellecta est necessaria . . 17
Propositio 2. Religionis ut vinculi cum Deo necessitas sequitur ex ultimi finis, qui Deus est, ratione 18
Propositio 3. Spectato Deo supremo legislatore religio necessaria est ut illorum, quae a Deo per legem saltem naturalem imponuntur, exercitium 20
Propositio 4. Religio, quam necessariam esse demonstravimus, praeter cultum internum etiam externum, imo et publicum complectitur 24
Propositio 5. Religionis cultum etiam publicum complectentis necessitas confirmatur populorum consensu, naturae humanae interprete 28

Articulus II. De triplice religionis forma sive de religione naturali, positiva, supernaturali 32
Propositio 6. Religio mere naturalis absolute et per se possibilis est . . 32
Propositio 7. Possibilis est religio positiva, quae religionis in se naturalis sit accuratior determinatio et uberior per praecepta addita evolutio 34
Scholion. Auxilia naturalia et supernaturalia 37
Propositio 8. Possibilis est religio positiva et in se supernaturalis, utpote videlicet communicatione bonorum, quae vel sensu lato vel etiam sensu stricto supernaturalia sunt 37
Propositio 9. Religio supernaturalis naturalem religionem includit, complet, evehit 39

Articulus III. De religionis naturalis sive in se ipsa existentis sive in religione positiva et supernaturali comprehensae proprietatibus 41
Propositio 10. Religio naturalis, quatenus intelligitur veritatum et officiorum complexus, quem hominis ad Deum naturalis ordo parit, una est et pro singulis hominibus eadem 41
Propositio 11. Religio naturalis constans est et immutabilis 42
Propositio 12. Religio naturalis, et quidem ut una et immutabilis, jure et obligatione universalis est sive cujuslibet regionis et omnium saeculorum homines obstringens 44

Caput II.

De religionis revelatione.

Articulus I. De revelationis notione et divisione 46
I. Manifestatio naturalis, supernaturalis. II. Manifestationis supernaturalis modus triplex. III. Locutio non docens, sed attestans 46
Scholion I. Revelationi Dei auctoritate propositae debetur fidei assensus 49
Scholion II. Revelationis conceptus praeposteri 50

Pag.

Articulus II. De revelationis, quae destinatione publica est, conditionibus . . 52

Propositio 13. Supposita Dei voluntate religionem hominibus revelandi, congruum erat, ut ea primum communicaretur nonnisi paucioribus, qui eandem Dei auctoritate communicarent aliis 52

Propositio 14. Ut homo religionem sibi manifestatam aliis Dei auctoritate communicare possit, requiritur, ut praeter doctrinae veritatem etiam certo cognoscat, eam a Deo sibi esse manifestatam, et quidem hoc consilio, ut eam aliis communicet 54

Articulus III. De revelationis in se spectatae possibilitate 56

Propositio 15. Possibilem esse revelationem, qua Deus ipse per se homini abscondita manifestat, et quidem ita, ut homo simul cognoscat, Deum esse auctorem revelationis, quae etiam aliis communicanda sit, e Dei et hominis natura constat 57

Articulus IV. De variis revelandi modis 60

Propositio 16. Deus veritatum absconditarum cognitionem homini communicare potest efficiendo, ut mens I. clare intelligat res ipsas; simulque II. clare percipiat sive videat, eas sibi a Deo manifestari; et quidem III. hac intentione, ut Dei nomine aliis communicentur 60

Propositio 17. Deus veritates absconditas homini communicare potest attestando, et quidem ita, ut ille, cui communicantur, Dei attestationem infallibilem aut clare et evidenter, aut obscure, certo tamen percipiat . 63

Propositio 18. Quam cognitionem Deus communicare homini potest aut clara veritatis intelligentia aut ejusdem attestatione, eandem etiam interno instinctu producere potest 66

Propositio 19. Veritas, quae legato divino ipsi per modum aut clarae intelligentiae aut interni instinctus communicata est, eadem per modum divinae attestationis communicatur illis, quibus Dei jussu a legato communicatur 68

Articulus V. De mysteriorum communicatione 69

Propositio 20. Esse quaedam in Deo, quae humanae mentis intelligentiam excedunt, ratio demonstrat; unde concluditur, hujusmodi veritatum sive mysteriorum revelationem per se esse possibilem 71

Articulus VI. De revelationis convenientia et utilitate 75

Propositio 21. Revelatio, spectata in se ipsa sive ut revelandi actus, et Deo et homini summe conveniens esse dicenda est 75

Propositio 22. Utilis est humano generi revelatio veritatum ordinis naturalis, etiam illarum, quae sine magno labore ratione sola cognosci possunt 78

Propositio 23. Utilis pariter est mysteriorum revelatio 79

Articulus VII. De revelationis necessitate 81

Propositio 24. Genus humanum a sufficiente sibique congrua religionis naturalis cognitione acquirenda difficultate nimia impeditur; unde ad illam cognitionem obtinendam revelatio, alio subsidio extraordinario non supposito, moraliter necessaria est 82

Pag.

Propositio 25. Ad religionis positivae cognitionem comparandam et ad finem supernaturalem pro rationalis naturae conditione attingendum revelatio simpliciter sive absolute necessaria est 89

Caput III.

De religionis revelatae hominibusque oblatae demonstratione.

Articulus I. De obligatione in revelationem inquirendi cognitamque amplectendi 93

Propositio 26. Religio revelata amplectenda est ab illis, quibus destinatur et sufficienter proponitur 93

Propositio 27. In religionem quae ut revelatam cum aliqua veri specie se offert, inquirendum est, tum ab illo, qui revelatione omni caret, tum ab illo, qui de suae religionis, quam ut revelatam hucusque exercuit, veritate prudenter dubitat 97

Scholion. Revelatio probabilius vera 98

Articulus II. De certitudine per revelationis demonstrationem comparanda . 99

Praenotanda de certitudine ejusque divisione 99

Propositio 28. Ad revelationem actu fidei firmo et prudente recipiendam requiritur et sufficit talis ejusdem demonstratio, quae moralem praebeat certitudinem 101

Propositio 29. Argumentis quibus certo demonstratur revelatio, recte adduntur alia, quibus eadem tantum probabiliter suadetur 103

Articulus III. De criteriorum scopo proprio eorundemque ad illum attingendum vi et efficacia 106

Propositio 30. Inquisitio et demonstratio eo spectare debet, ut de ipso revelationis facto historico constet; unde varia criteria, quo magis ad hunc finem conducunt, eo potiora sunt habenda 107

Articulus IV. De criteriis internis tum positivis tum negativis 109

§. I. Doctrinae veritas et honestas ratione perspecta 109

Propositio 31. Doctrinae falsitas aut ejusdem cum morum honestate pugna certo demonstrat, istiusmodi doctrinam a Deo non esse revelatam; non tamen opus est inquisitione praevia in omnium doctrinarum, quae ut revelatae exhibentur, veritatem internam aut honestatem 109

Propositio 32. Interna doctrinarum veritas et cum lege naturali conformitas, earumque inter se nexus et harmonia ratione perspecta, potest esse revelationis criterium positivum; non tamen primarium est 113

§. II. Doctrinae cum hominis natura congruitas sensu et experientia percepta 117

Propositio 33. Doctrinae institutionumque convenientia et congruitas cum hominis natura, conditione aut indigentia sensu et experientia interiore percepta quamvis aliquod veritatis indicium esse possit, tamen non est computanda inter revelationis divinae criteria praecipua 117

§. III. Doctrinarum fructus 120

Propositio 34. Doctrinae et institutiones morum depravationem per se inducentes Deum auctorem habere non possunt; doctrinae vero et institu-

Pag.

tiones morum tam privatorum quam publicorum honestatem insigniter et constanter promoventes aliquod quidem sunt revelationis divinae indicium, quod tamen inter praecipua computandum non sit 120

Articulus V. De criteriis externis tum sensibilibus tum insensibilibus . . . 123

§. I. De miraculis et vaticiniis 123

A. Miraculi definitio et divisio 123

B. Miraculi possibilitas 130

Propositio 35. Miracula a Deo patrari possunt 130

Scholion. Quae daemonum potentia 135

C. Prophetiae definitio 136

D. Prophetiae possibilitas 136

Propositio 36. Prophetia est possibilis 136

E. Miraculi cognoscibilitas 137

Propositio 37. Miracula ut effectus divini cognosci et tum ab effectibus naturalibus, tum a daemoniorum praestigiis distingui quandoque possunt . 138

Propositio 38. Factum sensibile, quod supernaturale esse judicatur, testimonio humano ita transmitti posset, ut aliis quoque, qui non ipsi fuerunt testes, certo de eo constet; unde et hi ex facto ipso ejusque circumstantiis ejusdem causam certo cognoscere possunt 142

F. Prophetiae cognoscibilitas 145

Propositio 39. Prophetia proprie dicta ab humana praevisione et a divinatione distingui, hinc certo cognosci potest 145

Scholion I. Deus utens pseudoprophetis 148

Scholion II. Prophetae error 149

G. Miraculorum et prophetiarum ad probandum efficacia 149

Propositio 40. Deus miracula patrare eventusque futuros praedicere potest hoc solo fine, omnibus divinis operationibus communi et interno, manifestandi suas perfectiones, non addito fine externo et secundario, veritatem revelatam confirmandi aut hominis sanctitatem manifestandi 150

Propositio 41. Miracula et vaticinia a Deo ipso revelante sive loquente edita Deum esse, qui loquitur, certo demonstrant; unde ad eundem revelationis immediatae auctorem demonstrandum imprimis idonea sunt . . 152

Propositio 42. Miraculis et vaticiniis Deus ut legatum suum exhibet illum, qui miraculorum vel prophetiae dono praeditus ad miracula et vaticinia provocat tamquam divinae suae missionis argumenta, dum nulla est ratio prudenter suspicandi, miracula et vaticinia a Deo edi excluso fine missionem et doctrinam propositam confirmandi 154

Propositio 43. Dei legatus habendus est quicunque ab alio, cujus missio divina miraculis aut vaticiniis jam demonstrata est, Dei legatus esse declaratur aut futurus praedicitur 160

§. II. De miraculis moralibus sensibilibus 160

Propositio 44. Facta supernaturalia et sensibilia, a miraculis proprie dictis distincta, quibus Dei ad religionem, quae se revelatam profitetur, amplectendam, exercendam, retinendam impulsus internus manifestatur, eandem veram esse demonstrant 161

Pag.

Propositio 45. Prae factis supernaturalibus, quae miracula moralia dicuntur, ad revelationem demonstrandam, absolute loquendo, excellentius accommodata sunt miracula proprie dicta et vaticinia 162

§. III. De motionibus divinis reflexione et experientia interiore perceptis . . 165

Propositio 46. Motus divini, hominem ad revelationem credendam interne impellentes, quum reflexione et experientia interiore percipiuntur, constituere possunt aliquod revelationis divinae criterium; quod tamen inter praecipua collocandum non est 166

Liber II.

De religionis christianae per religionem revelatam praeviam praeparatione.

Disputationis scopus 169

Caput I.

De revelationis christianam praecedentis veritate.

Articulus I. De revelationis christianam praecedentis fontibus 171

A. Triplex libri auctoritas: 1. ex inspiratione; 2. e testimonio divino; 3. e testimonio humano 171

Scholion. Auctoritate divina non excluditur humana 172

B. Humana Pentateuchi auctoritas 173

Articulus II. De legationis divinae, quam Moyses sibi tribuit, fundamentis . 176

Propositio 47. Moyses vera miracula patravit et vera vaticinia edidit . 176

Propositio 48. Moyses miraculis patratis et vaticiniis editis Dei legatus exhibitus est 181

Articulus III. De modo duplice, quo Moyses revelationem divinam promulgavit 183

Propositio 49. Moyses legatione divina fungebatur tum loquendo tum scribendo; unde ut Moysis verbis ore prolatis, ita etiam Pentateucho in rebus ad religionem spectantibus ex hoc capite non tantum humana, sed divina auctoritas competit 183

Articulus IV. De aliorum Prophetarum legatione divina 185

Propositio 50. Simili modo quo Moysis etiam aliorum prophetarum legatio comprobata est divina; unde et scriptis eorum libris in rebus ad religionem spectantibus par competit auctoritas 185

Articulus V. De revelationis tum mosaicae tum patriarchalis tum primitivae indole divina 186

Propositio 51. Revelationis sive religionis revelatae non tantum mosaicae, sed etiam patriarchalis et primitivae origo divina Pentateucho demonstratur 187

Scholion I. De angelorum in danda lege ministerio 188

Scholion II. Nomen Jehova (Jahve). Circumcisio 190

Pag.
Articulus VI. De legis mosaicae subjecto 191
Propositio 52. Lex mosaica per se obligabat solos Israelitas; alios tunc solum, si circumcisionem suscipiendo libere se eidem submiserant; lex moralis materialiter spectata obligabat omnes 191

Articulus VII. De duplice religionis fundamento in revelatione christianae praevia sincere tradito 195
Propositio 53. Veri Dei notio in revelatione tum primitiva tum patriarchali tum mosaica exhibetur, verusque Deus hominibus inde ab exordio innotuit 195
Propositio 54. Animam humanam corpore dissoluto superstitem esse, justosque remunerationis aliquando fore participes, Pentateucho indicatur et tamquam notum supponitur 200
Propositio 55. Mosaicae legis per praemia poenasque temporales sanctio multiplice de causa summe conveniens erat 205
Propositio 56. Remuneratione temporali et legi mosaicae propria non excludebatur remuneratio spiritualis vitae futurae et generi humano communis, quae simul cum illa rependeretur etiam actionibus lege mosaica praescriptis 208

Caput II.

De generis humani reparatore in triplice revelatione praevia promisso ejusque adventu praeparato.

Articulus I. De reparatoris promissione tempore revelationis primitivae . . 211
Propositio 57. Deus in paradiso generi humano lapso promisit reparatorem 211
Propositio 58. Noe vaticinans Semo supernaturalem, eamque singularem Dei benedictionem in Messia complendam praedixit, cujus per Semum particeps fieret Japhet. 214

Articulus II. De reparatoris promissione ejusque adventus praeparatione familia una electa 216
Propositio 59. Benedictio quam Deus in Abrahamo ejusque semine omnibus nationibus largiendam promisit, bonis spiritualibus constituebantur per Messiam conferendis 217
Propositio 60. Jacob moriturus Messiae ortum e Juda, tempusque adventus ejusdem praedixit 220
Propositio 61. Balaam a Deo compulsus Messiam dominatorem potentissimum e Jacob oriturum praedixit 225

Articulus III. De Messiae adventu praeparando fideque in illum conservanda per populi unius institutionem 227
A. De Messiae adventu praeparando per legem mosaicam Israelitis datam . 228
Propositio 62. Legis mosaicae finis proximus is erat, ut populus in his, quae ad morum honestatem, Dei cultum, vitam socialem politicamque pertinent, recte institueretur; nihilque legislatione mosaica continetur, quod Dei legem statuentis sanctitati repugnet 228
Propositio 63. Legis mosaicae, prout uni populo israelitico data est, finis ultimus erat Messiae honor, populi illius, e quo oriturus erat, electione et custodia speciali promovendus 231

Pag.

Propositio 64. Spectato effectu, quem in suis subditis producebat, legis mosaicae finis ultimus erat facilior et promptior Messiae promissi agnitio 233

Propositio 65. Lex mosaica a Deo data non erat ut perpetua et immutabilis, sed ut aliquando abroganda 234

Propositio 66. Legi veteri novam legem, a mosaica diversam, perpetuamque successuram esse nunciant Prophetae 235

Propositio 67. Lex mosaica abroganda erat per legislatorem novum et quidem per legislatorem in ipsa lege mosaica promissum, videlicet Messiam 238

B. De fine legis urgendo et exspectatione Messiae excitanda per Prophetas . 245

Propositio 68. Legis mosaicae finis quo facilius et certius obtineretur, Deus per legatos extraordinarios sive prophetas quandoque missos Messiae adventum denuo praedixit eumque notis variis cognoscendum exhibuit; typis etiam legem novam ejusque auctorem praefiguravit 245

Caput III.

De defectione a revelatione primitiva sive de ethnicismo.

Articulus I. De ethnicismi ratione et varietate 258

Propositio 69. Religio omnis, quae nititur ethnicismo, derogante cultum uni Deo vero, non imperfecta tantum, sed absolute falsa et perversa est 265

Articulus II. De ethnicismi origine et natura 267

Propositio 70. Ethnicismus non est primitiva generis humani religio, sed posterior a religione primitiva et veritate revelata, imo et naturali defectio 267

Propositio 71. Generis humani a veritate defectio, quod causam homini internam attinet, potissimum voluntatis perversioni debetur 270

Propositio 72. Ethnicismus voluntatis perversionem, qua inductus est, simulque intellectus obscurationem magnopere auxit 273

Articulus III. De veritatis inter ethnicos notitia et divina circa eosdem providentia 280

Propositio 73. Ethnicismi errore et perversitate non omnis cognitio veritatis religiosae in hominibus exstincta est 280

Propositio 74. Ethnici quamvis non tot, quot populus israeliticus, providentiae supernaturalis auxiliis adjuti fuerint, tamen praeter providentiae naturalis subsidia communia, etiam aliqua providentiae supernaturalis specialia obtinuerunt 285

Articulus IV. De religionis christianae per ethnicismum et per ethnicos praeparatione 290

Propositio 75. Ethnicismus in se spectatus non est natura sua sive per se religionis christianae vel animorum ad eam suscipiendam praeparatio; quamquam ejusdem effectus funesti de remedio e religione christiana petendo monere et sic animos ad eam suscipiendam per accidens possunt disponere 290

Propositio 76. Ethnicorum studia veritatis naturalis inquisitioni impensa etiam natura sua et per se in religionis christianae emolumentum cesserunt 295

Pag.

Propositio 77. Nec Deo indignum est nec finibus, qui legi caeremoniali propositi erant, adversatur, Israelitis ritus quosdam esse praescriptos, qui aliqua ratione etiam apud gentiles in usu erant 299
Scholion. De doctrinis moralibus et praeceptis 304

Liber III.

De religionis christianae veritate demonstrata ex ejusdem per ipsum Christum Dei Filium institutione.

Disputationis scopus 305

Caput I.

De fontibus religionis christianae ortum testantibus.

Articulus I. De fontibus sacris 306

Articulus II. De fontibus christianis a s. Scriptura distinctis 310

Propositio 78. Religio christiana, sive doctrinae spectentur sive facta, quae ejus originem divinam demonstrant, magnam partem praedicatione seu vivae vocis ministerio ab Apostolis eorumque discipulis divulgata et transmissa est, et quidem ita, ut ex illa praedicatione vel sola revelationis christianae existentia certo cognosci potuerit et etiamnum possit . . . 310

Articulus III. De fontibus judaicis 319

Propositio 79. Facta quibus religionis christianae divina origo demonstratur, fontibus etiam judaicis quum indirecte tum directe confirmantur 319

Articulus IV. De fontibus gentilium 328

Propositio 80. Scriptores etiam gentiles confirmant facta illa, quae ab Evangelistis inter religionis christianae origines referuntur 328

Caput II.

De indole factorum divinam Christi missionem testantium.

Articulus I. De Jesu Nazareni miraculis 334

Propositio 81. Jesus Nazarenus vera patravit miracula 334

Articulus II. De vaticiniis a Jesu Nazareno editis 347

Propositio 82. Jesus Nazarenus vera edidit vaticinia: cognoscendo et aperiendo res absentes, cogitationes absconditas, eventus futuros pendentes e libera voluntate hominum aut Dei 347

Articulus III. De Jesu resurrectione praedicta et consecuta 357

Propositio 83. Jesus multis modis indubieque praedixit, se tertia die a mortuis surrecturum esse 357
Propositio 84. Jesus vere mortuus est 363
Propositio 85. Jesus, ut praedixerat, redivivus e sepulchro prodiit . . . 371

Pag.

Caput III.

De triplice Jesu Nazareni religionem instituentis titulo.

Articulus I. De Jesu Nazareno Dei legato 381

Propositio 86. Jesus Nazarenus in rebus ad Dei cultum hominumque salutem spectantibus se Dei legatum professus, et ut talis a Deo exhibitus est Joannis B. testimonio, voce coelesti, signis per Jesum editis, atque imprimis ejus a mortuis resurrectione 382

Articulus II. De Jesu novo legislatore sive Messia promisso 390

Propositio 87. Jesus Nazarenus tum Joannis B. tum suo testimonio, utroque divinitus verace, legislator in lege mosaica promissus sive Messias declaratus est 391

Propositio 88. Jesus Nazarenus, isque solus, miracula plurima et insignia patrando, legem novam instituendo, populum e servitute liberando sese exhibuit Prophetam Moysi similem in lege promissum i. e. Messiam . . 397

Propositio 89. Jesus Nazarenus Messias declaratus est impletis in ipso vaticiniis, quibus prophetae Messiam venturum designaverant 400

Articulus III. De Jesu Nazareno vero Deo proprioque Dei Filio 408

Propositio 90. Jesus Nazarenus se Deum propriumque Dei Filium esse multis modis professus est 410

Propositio 91. Jesu Nazareni Deum propriumque Dei Filium se declarantis doctrina divinitus confirmata est tum Joannis B. testimonio, tum voce coelesti, tum signis ad hunc finem a Jesu editis ac potissimum ipsius a mortuis resurrectione 425

Corollarium. Nonnullorum fabulae de religionis christianae ortu rejiciuntur 428

Liber IV.

De religionis christianae veritate demonstrata ex ejusdem in orbem progressu.

Disputationis scopus 433

Caput I.

De divina Apostolorum legatione per eventus demonstrata.

Articulus I. De Apostolorum legatione in se spectata 434

Propositio 92. Eventibus supernaturalibus festum Pentecostes comitantibus, imprimis linguarum dono, tum religionis christianae veritas denuo confirmata, tum singillatim Apostolorum missio divina demonstrata est . . . 434

Propositio 93. Apostolorum legatio, hinc et religionis christianae origo divina demonstratur miraculis per ipsos Apostolos et per discipulos patratis 438

Propositio 94. Paulus Christi redivivi conspectu, immediata per eundem vocatione, mirabili conversione et immutatione, miraculorum dono participato Christi legatus caeteris Apostolis par constitutus est 442

Pag.

Propositio 95. Donis etiam supernaturalibus, quae fidelibus crebro conferebantur, religio christiana, hinc et Apostolorum legatio demonstratur divina 449

Articulus II. De duplice Evangelii disseminandi via 453

Propositio 96. Quae Apostoli ut Dei legati Evangelium disseminantes viva voce docuerunt, divinitus vera sunt 453

Propositio 97. Quae Apostoli in rebus ad religionem spectantibus scripto docuerunt, pariter divinitus vera sunt 454

Propositio 98. Quae Apostolorum discipuli aut ipsi miraculorum dono Dei legati exhibiti, aut ab Apostolis approbata praedicarunt, pariter divinitus vera cognoscuntur 456

Scholion. Alii modi de doctrinae per alios praedicatae veritate judicandi 457

Propositio 99. Divinitus vera sunt, quae a discipulis in rebus ad religionem spectantibus conscripta, per Apostolos comprobata populisque tradita sunt; unde hoc etiam titulo divinitus vera sunt, quae a Marco et Luca conscripta legimus 458

Articulus III. De doctrina per Apostolos tradita ut religionis christianae confirmatione novaque demonstratione 460

Propositio 100. Apostoli Jesum Nazarenum non tantum Dei legatum promissumque Messiam, sed etiam Dei Filium Deumque esse docuerunt; unde religionis christianae origo divina e triplice auctoris titulo denuo demonstrato denuo confirmatur 461

Scholion. Objicitur e Theosophia Alexandrina 467

Propositio 101. Ipsa doctrinarum, praeceptorum salutariumque institutorum complexus, quo religio christiana constat, non exiguum est divinae suae originis argumentum 470

Articulus IV. De legis mosaicae abrogatione 475

Propositio 102. Lex mosaica abrogata est; et quidem lex caeremonialis et judicialis quoad formam et materiam; lex moralis quoad solam formam; cum lege etiam abrogata est sanctio temporalis 476

Scholion. Utriusque legis et veteris et novae in sanctione paritas universalis male a quibusdam asseritur 481

Propositio 103. Lex vetus non cessavit ante Christi mortem; in suo fundamento spectata Christo moriente abrogata est 482

Propositio 104. Spectata obligatione lex vetus abrogata est lege nova die Pentecostes promulgata 484

Propositio 105. Etiam post diem Pentecostes et promulgatum inter Judaeos Evangelium ritus nonnulli per aliquod adhuc tempus licite exercebantur . 485

Propositio 106. Quo tempore ritus legales licite adhuc observabantur, eosdem tamen non ita observare licebat, ut ad salutem necessarii crederentur 487

Scholion. Statutum de sanguine et suffocato 489

Propositio 107. Post divulgatum plane Evangelium legis mosaicae observatio facta est illicita; et quidem ita, ut praeceptorum judicialium tunc tantum illicita sit, si cum respectu ad legem ea praescribentem vel ad significationem a lege iisdem additam servantur; caeremonialium etiam tunc, quando solius cultus intentione servantur 490

Scholion. De quibusdam lege mosaica primum statutis et postea inter Christianos receptis et e V. T. demonstrari solitis 493

Pag.

Caput II.

De religionis christianae post Apostolos perdurantis indole divina.

Articulus I. De miraculorum dono aliisque charismatibus post Apostolorum tempora perdurantibus 496

Propositio 108. Religionem christianam per totum saeculorum decursum donis supernaturalibus illustrandam esse, ex ejusdem institutione et indole constat; saeculis post aetatem apostolicam proxime succedentibus eandem miraculis aliisque charismatibus revera illustratam fuisse, monumentis historicis certum est; atque sic per totam illam epocham vera declarata est . 497

Propositio 109. Miraculis post aetatem apostolicam factis demonstratur, religionem christianam non tantum origine esse divinam, sed etiam toto illo tempore, quo miraculis illustrata est, divinam et incorruptam permansisse 503

Articulus II. De religionis christianae diffusione 506

Propositio 110. Amplissima et celerrima religionis diffusio locum non obtinuit nisi quam plurimis et gravissimis superatis obstaculis 506

Propositio 111. Praesidia et rationes mere naturales, quae finguntur, non sufficiebant ad tot et tanta obstacula superanda 514

Propositio 112. Obstacula illa superata sunt et religio christiana diffusa est singulari Dei interventu et auxilio; singillatim quidem ipsius Dei in hominum animos influxu, quo ad religionis veritatem percipiendam eamque amplectendam moverentur et juvarentur 532

Scholion. Aliae religiones late diffusae 535

Articulus III. De martyrum testimonio 536

Praenotanda. I. Argumenti a praecedente discrimen. II. Martyrii conditio triplex. III. Martyrum multitudo. IV. Religionis in Romano imperio conditio 536

Propositio 113. Odium religionis christianae causa fuit illarum in Romano imperio persecutionum sive popularium sive publicarum, quibus interfecti sunt, quos christiana antiquitas martyres commemorat 540

Propositio 114. Martyrum ad mortem usque constantia, quatenus spectatur ut eventuum mirabilium, quibus revelatio primum confirmata est, attestatio eximia et singularis, religionem christianam demonstrat esse divinam . . 547

Scholion I. Fanatismi exempla 551

Scholion II. Lapsi quomodo testes 551

Propositio 115. Martyrum mira inter tormenta ad mortem usque constantia, quatenus spectatur ut effectus speciali Dei auxilio debitus, religionem christianam demonstrat esse divinam 552

Articulus IV. De religionis christianae fructibus 559

Propositio 116. Religio christiana ex effectibus, quos in ordine tum intellectuali tum morali produxit, divina demonstratur 559

Articulus V. De praetensa islamismi destinatione barbaros emendandi et ad religionem christianam suscipiendam praeparandi 567

Propositio 117. Pauca quae islamismus gentibus barbaris attulit bona, malis gravissimis adnexis vitiantur, et bonis plurimis, quae inter populos cultos vi exstinxit et impedivit, longe vincuntur 571

Pag.

Propositio 118. Islamismus non est religionis christianae praeparatio, sed potius ejus suscipiendae obstaculum singulare 575

Liber V.

De religionis christianae, quatenus in catholica Ecclesia exercetur, integritate motivis credibilitatis demonstrata.

Disputationis scopus 580

Caput I.

De religionis christianae duraturae proprietatibus.

Articulus I. De religionis christianae in fidei imprimis doctrina unitate . . 583

Propositio 119. Christus religionem quam instituit, ab omnibus, quibus eam destinavit, unam eandemque teneri et exerceri voluit 584

Propositio 120. Fidei unitas, quae religioni christianae propria est, non ad quosdam tantum articulos, videlicet fundamentales, sed ad omnia, quae Christus per Apostolos praedicari voluit, sese extendit 588

Articulus II. De religione christiana ut universali 592

Propositio 121. Christiana religio universalis est tum e natura sua tum ex efficace Christi voluntate 592

Articulus III. De religione christiana ut perpetua 596

§. I. De religionis christianae supposita abolitione revelatione nova succedente 596

Propositio 122. Religio christiana nunquam abolebitur revelatione nova successura 598

§. II. De religionis christianae supposita abolitione religione mere naturali successura 601

Propositio 123. Christiana religio nunquam desinet succedente religione naturali sive cultu mere rationali 601

Articulus IV. De religione christiana ut invariabili 603

Propositio 124. Religio christiana per se sive e sui auctoris voluntate invariabilis est 603

Scholion. Quis profectus admittendus? 608

Articulus V. De Christi religione ut exercenda in una eademque societate . 609

Propositio 125. Christi religio in societate aliqua exercenda est et exercebitur 609

Propositio 126. In una eademque societate, quae unius fidei et eorundem rituum a Christo institutorum vinculo connexa est, perpetuo exercenda est et exercebitur christiana religio 611

Propositio 127. In illa unius imprimis fidei vinculo connexa societate religio Christi semper exercebitur sincera et integra 612

Propositio 128. Christi promissiones, quae religionis christianae integrae in una societate perpetuitatem spectant, absolutae sunt, non conditionatae . 614

Pag.

Caput II.

De religione christiana, prout in Ecclesia catholica continuatur et exercetur, divinitus comprobata.

Articulus I. De religione sive Ecclesia catholica divinitus comprobata per primorum saeculorum credibilitatis motiva 619

Propositio 129. Primorum trium saeculorum signis et eventibus supernaturalibus divinitus comprobata est illa sola Christianorum societas, quae inchoata ab Apostolorum praedicatione, fide et communione juncta perseverabat; haec societas Ecclesia catholica cognominata est 619

Propositio 130. Societas, quae hodie catholica Ecclesia nominatur, historia teste est eadem cum primorum saeculorum Ecclesia catholica 624

Propositio 131. Argumenta, quibus primorum saeculorum religio sive Ecclesia catholica divinitus comprobata est, ad illorum saeculorum doctrinam restringenda non sunt, sed ad nostri temporis doctrinam sive Ecclesiam catholicam natura sua porriguntur 629

Articulus II. De Ecclesia catholica divinitus comprobata per miracula eandem continuo comitantia 631

Propositio 132. Ecclesia vera e Christi voluntate per integrum saeculorum decursum miraculorum et charismatum supernaturalium dono decoranda est 631

Propositio 133. Ecclesia catholica revera miraculis et charismatibus per saeculorum decursum conspicua fuit 633

Articulus III. De motivis credibilitatis Ecclesiae catholicae continuo inhaerentibus 641

§. I. Admirabilis propagatio 642

Propositio 134. Ut primis saeculis, ita et temporis successu religionis sive Ecclesiae catholicae veritas ejusdem propagatione demonstratur 642

Propositio 135. Modus quo haereticorum et schismaticorum societates conflatae sunt, alienus est ab illo, quo Christi mandato et promissione religio christiana propaganda erat 646

§. II. Eximia sanctitas 647

Propositio 136. Ut saeculis primis, ita et tempore subsequente Ecclesiae catholicae origo sanctitatis fructibus demonstratur divina 647

§. III. Catholica unitas 650

Propositio 137. Arctissima fidei et communionis unitate Ecclesiae catholicae veritas demonstratur 650

§. IV. Invicta stabilitas 653

Propositio 138. Invicta Ecclesiae catholicae stabilitas ejusdem originem divinam demonstrat 653

Articulus IV. De divinae legationis, quae Ecclesiae quoad doctrinam competit, vi et ratione 657

Propositio 139. Legatio divina, quam motiva credibilitatis Ecclesiae commissam esse probant, 1. non spectat ad revelationes sive veritates novas generi humano communicandas, 2. sed ad revelationes acceptas fideliter servandas 658

Propositio 140. Unde doctrina de fide et moribus omnis, quam Ecclesia catholica prō suprema auctoritate ab omnibus tenendam esse docet, pro veritate divinitus comprobata habenda est 659

Index rerum alphabeticus.

Abercius de Ecclesia Romana p. 620.
Abrahamus ad Isaacum immolandum paratus 198, 199, 230.
Accommodatio 248.
Aegyptiorum ritus quidam et praecepta moralia an inserta in Pentateuchum 303, 304.
Alexander Halensis de miraculorum fine 152.
Ambrosius de Dei providentia circa imperium romanum 295; contra Symachum tuentem ritus et privilegia gentilium 514; de coeco sanato Mediolani 633.
Ammianus Marcellinus de templo Hieros. per Julianum iterum aedificari coepto 353.
Anabaptistae 597.
Anchieta, gentium in Brasilia conversio 645.
Angelus comparens in V. T. 188, 189.
Anglosaxones miraculis conversi 614.
Animae immortalitas qua certitudine cognita a philosophis 88.
Animae humanae immortalitas, et remuneratio futura in Pentateucho innuitur et supponitur 200 seq. Cur minus clare in V. T. tradatur quam in N. 202, 203.
Apollonii Tyanaei quae feruntur miracula 157; oppositus Christo 346.
Apostoli divinitus veraces voce viva docentes 453; item scripto docentes 454. Quid de eorum imperitia naturali Patres 515; confirmantes Jesu legationem divinam et dignitatem messianam 461; divinitatem 462—466.
Apostolorum discipuli divinitus veraces miraculorum dono suffulti 456, item quatenus eorum doctrina confirmabatur ab Apostolis 456, 457, item quatenus eorum scripta ab Apostolis comprobabantur 458; alii modi judicandi de veritate doctrinae voce traditae 457, vel scripto 459, 460.
Apostolorum missio divina festo Pentecostes declarata 437; etiam miraculis per ipsos editis 438—441.
Arabes ante Mahomedem plurimi Christiani 573.
Arca foederis an ex Aegyptiis accita 303.
Argumenta probabilia cur in revelatione demonstranda addi possint certis 103—105; quid cavendum 105.
Aristeas Proconnesius 343.
Aristides, Symbolum apostolicum 313.
Aristoteles de religionis cura habenda a legislatoribus 29.
Arnobius de religionis significatione 2; e miraculis argumentans 165; de evangelistarum veracitate 309; de miraculorum dono continuato 503.
Articuli fundamentales sensu Acatholicorum 588.
Athenagoras de interna doctrinae veritate suadente 115.

Attestatio divina facta alicui libro 172, libris Moysis 184.
Attestatio divina in revelatione mediata non praevia attestatione in revelatione immediata 68.
Auctoritas libri divina et humana 172.
Augustinus de religionis derivatione 1, 2; de significatione 2, 7, 9; de vera religione 12; de ratione colendi 18; de Dei cognitione ultro se offerente 28; de gentilibus idololatriam explicantibus 29; de legis natur. immutabilitate 42; peccata remitti posse vox est naturae 87; fides ante scientiam 112; quomodo veritates quaedam sublimes cognitae fuerint a philosophis 115; quo sensu gubernatio mundi sit majus miraculum saturatione quinque millium hominum 125; ejus de miraculo doctrina male intellecta 126, 127; de miraculi possibilitate 130; de praevisione libere futurorum 137; de daemonum praedictione imitante prophetias 145; de miraculis ut signis naturalibus 150; de Donatistarum miraculis 159; de modo libri originem cognoscendi 173; de propheta simili Moysi 240; de ethnicis sapientioribus conantibus explicare polytheismum 275, 276; de daemonibus operantibus per simulacra 278; de Dei unitate invite agnita ab ethnicis 282; de salutis subsidiis collatis gentilibus 289; de Platone 293; de carmine Cumaeo 331; de Messiae adventu praenunciato gentilibus 331; de credibilitate resurrectionis Christi 374; de voce „unum sumus“ 422; quid de virginibus quibusdam christianis 551; de rituum eorundem necessitate 611; de coeco sanato Mediolani 638.
Auxilia alia ordinis naturalis, alia ordinis supernaturalis 37.

Balaam pseudopropheta 148; a Deo compulsus praedixit Messiam 225.
Benedictiones Abrahamo et patriarchis factae vaticinia messiana 217.
Bernardi miracula fidem catholicam attestantia 635 seq.
Bonaventura de distinctione mirabilis et miraculi 125.
Brahma 259.
Buddha, Buddhismus negat Deum rerum auctorem 20; quid miraculorum loco statuerit 155; post Buddhae atheismum inductus est polytheismus 281; ejus doctrina 260, 261; religionis vestigium imperfectum 261, 262; latissimae propagationis causae 262; inducit morum perversitatem 274; intellectus obscurationem 275; quid de Deo 281; de animae immortalitate 283; praecepta 284; inter Buddhae fata et doctrinam quis respectus ad Christum ejusque doctrinam 431; nulla unitas 650.

Cataphryges 596.
Celsus impugnans V. T. 169.
Cephas quare reprehensus a Paulo 486.
Certitudo quid 99; evidentia, certitudo communis, moralis, dubitatio, opinio; certitudo metaphysica, physica, moralis; gradus 99—101.
Certitudo moralis ante fidem requisita 101; sufficiens 103; cur non requiratur ad virtutum moralium actus 102.
Charismata v. Miraculorum donum.
Chiliasmus 597, 598.
Christi divinitas a Patribus antiquissimis celebrata 317. V. Jesus.
Christi religio exercenda in societate 609; una eademque soc. 611; sincera permanens 612; e promissionibus absolutis 614.
Christianorum probitas, puritas, caritas nota gentilibus 562, 563.
Chrysostomus de Propheta simili Moysi 244; quo sensu Jesus e coelo 411; quo sensu dicat: ĕgo sum 412; quomodo aequalis Patri 414, 415, 416; de Petri confessione 417; de „manu“ Patris eadem cum manu Filii 421; de Pythagora 345; de Apollonio 346; de templo Hieros. a Juliano iterum aedificari coepto 354; de Magdalenae celebratione praedicta 356; de modo quo Christus praedixerit suam resurrectionem 360, 362; de discipulis Christi resurrectionem testantibus 372; de

Mariae ortu e domo David asserto in Evangelio 404; de „forma Dei“ 462; de voce „primogenitus“ 463; de mirabili religionis christianae diffusione 533.
Cicero de revelationis possibilitate 59; de philosophis magistris 85; de animae immortalitate 88; de religionis derivatione 1; de excellentia ut ratione colendi 17; de religionis necessitate in repub. 29; de jurejurando 30; de Sibyllae carminibus 332.
Circumcisio pacti signaculum 191, 301, 303, 478, 483, 487, 492.
Clemens Alex. de cupiditatibus ut causis polytheismi 272; quid de ethnicismo 294; de philosophorum studiis 297; de Buddha 421; de Marci Evangelii per Petrum approbatione 459.
Clemens Rom. testans praecipua religionis christianae facta 314; pro potestate praecipiens Corinthiis 621.
Coemeteria legibus tuta 545.
Cognitio Dei et religionis alia evoluta, alia confusa et innata 28.
Conceptus analogici 70, 73.
Confucius 267.
Congruitas doctrinarum cum natura humana quo sensu revelationis argumentum 117.
Conscientia 21.
Consensus populorum de cultus necessitate 28; veritatis argumentum 30.
Consilia evangelica quem locum teneant in religione christiana 472.
Constantini M. partes respectu ethnicismi et religionis christianae 529, 530.
Conventus lege prohibiti 543 seq.
Conversio, ad eam requiritur praeter auxilium externum etiam internum 446; Pauli conversio cur miraculum in ordine supernaturali 447, 448.
Cosmas Indicopleustes de religione christiana propagata in extremo oriente 432.
Criteria revelationis, interna, externa, positiva, negativa, sensibilia, insensibilia 106. Criteriis factum revelationis demonstrandum 107; potiora 108.
Crucifigendi modus 366.
Crucifixi effigies derisoria 509.
Crux, crucifixus religionis christ. diffundendae impedimentum 509.
Cultus naturae 259.
Cultus necessarius externus 24; publicus 26.
Cultus publicus publicae institutionis partes agens 315.
Cyprianus de protoevangelio 213; de miraculorum dono continuato 502; de Ecclesiae unitate 623; de martyribus apud solos Catholicos 624.
Cyrillus Alex. de Propheta simili Moysi 244.
Cyrillus Hieros. de praedicta templi eversione 353.

Daemon, vocis significatio 278.
Daemones quo loco apud ethnicos habiti propagato Christianismo 561; daemonum potentia 135.
Daemoniaci an tantum aegroti 337.
Danielis hebdomadae 252; impletae in Jesu Nazareno 406.
Decimae an vetere lege nitantur 493.
Demonstratio, aliquid non esse impossibile, diversa a demonstratione esse possibile 57.
Dei veri existentia in revelatione tum primitiva tum patriarchali tum mosaica sincere tradita 195 seq.
Deus cognoscibilis per lumen rationis 281, 282, 287.
Dies dominica resurrectionis dominicae professio 315.
Discipulorum missio diversa ab Apostolorum missione 460.
Docere quid 48.
Doctrinae falsitas aut inhonestas revelationis spuriae argumentum 109, 110; non requiritur omnium doctrinarum examen praevium 111. Doctrinae veritas interna quatenus possit esse argumentum revelationis genuinae 113.
Doctrinarum cum hominis natura congruitas quatenus confirmare possit revelationem 117; non est inter criteria praecipua 121.
Doctrinarum fructus aut pravi aut boni cujusmodi sint argumentum 120.

Doctrina Apostolorum etiam scripto tradita divinitus vera 454; etiam discipulorum si signis ipsi ut legati exhibiti 456; aut doctrina ab Apostolis approbata 456, 457. Quomodo aliās de eorum doctrina judicandum 457. Quid de discipulorum scriptis 458—460.
Doctrinarum et institutorum christianorum complexus argumentum originis divinae 470—475.
„Doctrina duodecim Apostolorum“ attestans Matth. Evang. 308.
Dogmatum sensus invariabilis 607, 608.
Dona supernaturalia primis fidelibus collata certum religionis christianae argumentum 449—452.
Donatistarum quae jactabantur miracula 159.
Dualismus 263.

Ebionitae de necessitate servandi legem mosaicam 487.
„Ecclesia magna“ (= catholica) cognita Celso 511.
Ecclesia; eam demonstrandi via duplex 581, 582.
Ecclesiae particulares non idem quod variae „confessiones“ 610.
Ecclesia duplice modo probanda vera 612.
Ecclesia catholica primorum saeculorum 613; eadem cum hodierna 624; perdurante appellatione et appellationis causa 625; probata primorum saeculorum argumentis 629; miraculis et charismatibus succedentibus 633 seq.; motivis ei inhaerentibus 641.
Ecclesiae catholicae legatio non spectans ad revelationes novas communicandas, sed ad revelationes acceptas conservandas 658; in his summa ejus auctoritas 659.
Ecclesia catholica demonstrata vera per ejusdem propagationem 642 seq.; eximia sanctitate 647 seq.; arctissima unitate 650; invicta stabilitate 653 seq.
Ecstasis quid 56.
Elohim 199.
Epiphanius de protoevangelio 213.
Episcopatus an religionis christ. diffundendae causa naturalis 527.
Epochae tres revelationis christianam praecedentis 186, 187.
Ethnici praeter providentiae naturalis etiam aliqua supernaturalis subsidia acceperunt 285.
Ethnicismus, 258; ejus formae sive species 259; est religio non imperfecta, sed falsa et perversa 265.
Ethnicismo non omnis cognitio veritatis religiosae exstincta: de Deo vero 281; de animae immortalitate 283; de lege morali 284.
Ethnicismus non est religio primitiva 267. Ejus causa interna potissimum perversa hominis voluntas 270 seq.: voluntatis perversionem et intellectus obscurationem auxit 273.
Ethnicismus non est per se praeparatio religionis christ., potest esse per accidens 290. Ethnicorum studia circa veritatem naturalem christianae religioni proficua 295.
Eucharistia mortis et resurrectionis Christi professio 315.
Eusebius de philosophis generis humani magistris 85; de Porphyrio impugnante vetus testamentum 169; de Propheta simili Moysi 244; de veterum in describendo cura 309; de vivae vocis ministerio 310, 311; de Christi divinitate carminibus antiquis celebrata 316; de Hierocle 346; de Christianorum beneficentia tempore pestis 649; de haereseon ortu 614; de trium Evangeliorum per Joannem Ap. approbatione 459.
Examen praevium omnium veritatum per revelationem exhibitarum non est necessarium 111.
Exinanitio Filii quid 462.

Fanatismus quomodo se exhibeat 551.
Fides debita revelationi 49, 50; distincta a scientia 49.
Fides divina quid 50; revelationis fides humana 102.
Fidei divinae actus cur necessario firmus 101.
Fides humana circa res divinas quae 101, 102.

Firmicus Maternus de Mithrae cultu 429.
Flavius Josephus de Judaeorum libris 173; de Judaeorum fide vitae futurae 205; de theocratia apud Hebraeos 206; de pseudomessiis prophetam promissum fingentibus 241.
Flavii Josephi testimonium de Joanne B. 323; de Jacobi martyrio 324; de Jesu 324—328.
Fontes judaici religionis christianae originem referentes 319 seq.
Fontes gentiles religionis christianae originem referentes 328 seq.
Fragmentum Muratorianum 307; de Ecclesia catholica 621.
Franciscus Xaver. de Buddhismo 274, 275, 283, 284.
Franciscus Xaver., ejus miracula fidem catholicam attestantia 639 seq.
„Fraternitas" idem quod Ecclesia 620.
Fructus boni doctrinarum quo sensu revelationis argumentum 120, 121; fructus mali quid demonstrent 120.

Genealogiae, aliae ad solam originem demonstrandam, aliae simul ad chronologiam exhibendam ideoque membra non omittentes 216, 217.
Gentiles 258; gentilium theologia triplex 264. V. Ethnici, ethnicismus.
Gratia actualis et habitualis conferebatur in lege mosaica, sed non per legem mosaicam 210, 229, 234.
Gratianus imperator quid de cultu ethnico 530.
Gregorius M. de prophetae errore 149.

Haeretici attestantes evangelia 308.
Haeretici religionis christ. diffundendae impedimentum 511.
Hermes diaconus de religionis christianae notitia perduratura Scripturis sacris licet destructis 318.
Hierocles Christo opponens Apollonium 346.
Hieronymus de Montano 56; de discipulorum scriptis 459; de vaticinio Jacob patriarchae 222; de hodierno Judaeorum statu praedicto 408; de Mithrae cultu 430. Hieroymi et Augustini disceptatio de ritibus mosaicis 485; de Lucae et Marci Evangeliorum per Paulum et Petrum approbatione 459.
Hilarius de trinitate ut argumento pro religionis credibilitate 472.

Idololatria 258; consummata, vera ficta 264.
Idololatria quomodo componi possit cum unius Dei cognitione saltem sopita 282.
Ignatius M. attestans scripta N. T. 308; praecipua religionis christianae facta 315; de Eucharistia ut mortis et resurrectionis Christi professione 315; de Ecclesia catholica 620, Romana 620.
Immortalitatis fides an religionis christ. diffundendae causa naturalis 520 seq.
Imperium Romanum cur hostile Christianis 538, 540 seq.
Impossibilitas physica, moralis 83.
Impulsus Dei internus factis manifestatus revelationis argumentum 161.
Inspiratio, liber inspiratus 171.
Instinctus divinus 66.
Integritas librorum sacrorum 309.
Invariabilitas religionis christianae 603.
Ioannes Apost. de Cerintho 614.
Irenaeus e miraculis et vaticiniis argumentans 164; de protoevangelio 213; attestans quatuor evangelia 307; de evangeliorum veracitate 309; de Symbolo apostolico 312, 313; de traditione quae sufficiat ad fidem disseminandam 316; de linguarum dono ipsius tempore 452; de miraculorum dono continuato 501; de haereticis vitandis 614; de Ecclesiae per episcoporum successionem descendente ab Apostolis 622; de charismatibus perdurantibus apud solos Catholicos 623; de martyribus apud solos Catholicos 623, 624.
Irving 597.
Islamismus, unde hausit quae continet vera 560; ejus origo 567; falsitas 570; pauca continet bona vitiata plurimis falsis et noxiis 571 seq.; religioni christianae maxime adversatur 564; non est reli-

gionis christianae praeparatio, sed obstaculum 575 seq.; ejusdem laudatorum rationes 578.

Japones, miracula in eorum conversione 645.
Jehova (Jave), Elohim 191.
Jesu miracula vera demonstrata ex operum indole 334; testimonio credentium 344; adversariorum 345; philosophorum gentilium 345.
Jesus certo cognovit et aperuit res absentes 347; hominum cogitationes 349; res a libera hominum voluntate pendentes 350; pendentes a libera Dei voluntate 355.
Jesus suam resurrectionem praedixit coram suis discipulis 358; inimicis 360; idque testati sunt Judaei 362.
Jesu mortem demonstrat testimonium multiplex 364; mortis signa et causae 365; latus perfossum 367; impossibilitas restaurationis in sepulchro 368.
Jesu mors qualis 370.
Jesu resurrectio confirmatur testimonio discipulorum 371; inimicorum 373; fidem suscipientium 374; conatibus irritis substituendi alium eventum 375; eventuum pugna alias oritura 378; modo quo mortuus est 379.
Jesus se Dei legatum profitetur 382; verbis, factis, provocando ad Joannis B. testimonium 383; talis a Deo exhibitus Joannis B. testimonio 384; voce coelesti 385; signis per Jesum editis 389; resurrectione 390.
Jesus Messias declaratus Joannis B. testimonio 391—394; suo ipsius ut legati divini testimonio 395—396.
Jesus Messiam sive Prophetam Moysi similem se exhibuit miracula insignia patrando 397; legem novam instituendo 397; populum e servitute liberando 398.
Jesus Messias demonstratus est impletis in ipso vaticiniis; quod constat tum indirecte 400; tum directe 403.
Jesu ortus e stirpe davidica 403.
Jesus se Deum propriumque Dei Filium professus est sibi tribuendo existentiam ab aeterno 411; aequalem cum Patre potestatem 413; aequalem scientiam 416, vocando se Dei Filium sensu proprio 417; ortum divinum 419; natura unum cum Patre 420; idque etiam coram synedrio 423.
Jesus cur vocandus non sit filius Dei etiam sensu latiore propter rationes easdem, ob quas alii vocantur filii Dei sensu latiore 418, 419.
Jesu Deum se declarantis doctrina confirmatur testimonio divinitus verace Joannis B. 425; voce coelesti 425; Jesu signis 426.
Jesu divinitas an satis demonstretur ejusdem miraculis non addita declaratione 427; male impugnata e quibusdam locis 424.
Jesu Deum se declarantis doctrina divinitus confirmata testimonio Joannis B. 425; voce coelesti 425; signis a Jesu editis 426—428.
Jesus ab Apostolis divinitus veracibus exhibitus ut Dei legatus et Messias 461; verus Dei Filius et Deus 462.
Jesus cur daemones ipsum Messiam esse vulgantes compescuerit 596.
Joannes B. mirabiliter propheta declaratus 384; quomodo Jesum cognoverit et non cognoverit 384; non dubitavit ipse de Jesu dignitate messiana 393, 394.
Judaei religionis christ. diffundendae impedimentum calumniando 320; ob affinitatem 507, 508.
Judicandi potestas in Christi duplex 424.
Julianus apostata impugnans V. T. 169; de Christianorum caritate 563; de martyrii desiderio 563.
Jusjurandum quo principio nitatur 30.
Justinus provocans ad factum revelationis 108; e vaticiniis et miraculis revelationem demonstrans 164; de protoevangelio 213; quid de ethnicismo 294; de philosophorum studiis 297; de evangeliis 307; de institutione praemissa baptismo 311; de die dominica ut resurrectionis dominicae professione 315; de miraculorum dono continuato 500; de Judaeis calumniantibus Christianos

321; de morum mutatione subeunda ethnicis 510; de Christianorum castimonia 562.

Lactantius de religionis derivatione 1; significatione 9; de falsa religione 13; de Ciceronis doctrina morali 88; de Platonis 88; de Propheta simili Moysi 244; de cupiditatibus ut causa polytheismi 272; de daemonibus deos se fingentibus 278; de philosophorum studiis 298.
Legalia, vide Ritus mosaici.
Legatus divinus per alium legatum comprobatus 160.
Leo M. de Dei providentia circa imperium romanum 295.
Lex, aeterna, naturalis 21; hujus existentia 21—23.
Lex naturalis an mutari possit Deo dispensante 43, 44, 111; cur immutabilis, licet leges physicae mutabiles 131.
Lex mosaica obligans solos Israelitas 191; alienigenas tantum suscepta circumcisione 192; lex moralis materialiter spectata obligans omnes 193; l. caeremonialis, judicialis 193; finis proximus recta populi institutio triplex 228; congruit cum Dei sanctitate 229; finis ultimus Messiae honor 231; respectu subditorum finis ultimus erat facilior Messiae agnitio 233.
Legis mosaicae sanctio per praemia et mala temporalia erat congrua 205; non excludebat sanctionem per praemia et mala futura omnibus communem 208; praecipiebat etiam actus internos 209; imperfectior lege nova, ib.
Lex mosaica aliquando abroganda 234; succedente lege nova 235; a lege mosaica diversa 236; perpetua 237. Abroganda est per legislatorem in lege mosaica promissum 238 seq.
Lex mosaica abrogata: caeremonialis quoad formam et materiam 476; item judicialis 477; lex moralis non abrogata quoad materiam 479; attamen quoad formam 479.
Lex vetus cessavit non ante Christi mortem 482; spectato fundamento cessavit in Christi morte 483; spectata obligatione in festo Pentecostes 484.
Libellus repudii 230, 231.
Liber authenticus 171; libri historici auctoritas triplex 171. Librorum V. T. imprimis Pentateuchi auctoritas historica 173 seq.
Librorum N. T. veracitas historica demonstrata testimonio populi christiani 306; scriptorum nobis cognita scientia et probitate 307, 108; librorum integritate 509.
Libertini 194.
Linguarum donum 436; sensu ampliore, restrictiore, habituale, actuale 437, 452; Irenaei aetate 452.
Locutio quid 47, 95, 110; locutio docens et attestans 48.
Lucianus Christianos irridens 511.
Ludovicus Bertrandus, gentium in America conversio 644.

Mahomedes quid miraculorum loco statuerit 155. V. Islamismus.
Mandato quarto an juncta sanctio temporalis 481.
Manna in deserto 178.
Manichaei 596.
Marci et Lucae scripta approbata ab Apostolis 458, 459.
Martyres. Martyrii conditio triplex 536; praestantia 537; testimonium cur tam eximium 538; attestatio factorum 547 seq.; constantia supernaturalis 552 seq.
Matrimonii impedimenta an e lege vetere transierint in novam 494.
Matrimonium inter consanguineos 231.
Mendacii malitia 110.
Melchior Canus de argumentis probabilibus 105.
„Messianismus“ ex hypothesi Rationalistarum 255, 256.
Metempsychosis 259, 261.
Minucius Felix de spiritibus malis operantibus per simulacra 277; de Dei unitate agnita a gentilibus invitis 281.
Miraculi notio 123; notiones perversae 126; divisiones variae 129; possibilitas 130 seq.; cognoscibilitas 137; qua

certitudine 138; qua ratione distingui possint ab artificiis secretis 140; an sine Ecclesiae judicio 141, 142; miraculum testimonio transmissum 142.
Miraculum quo sensu signum naturale 150.
Miracula et vaticinia cur a quibusdam non admittantur inter revelationis argumenta 149; edi posse ad alios fines praeter veritatis aut sanctitatis attestationem 150; argumentum revelationis immediatae 152; mediatae 154 seq. Quid apologetae? 164; ad revelationis immediatae auctorem demonstrandum imprimis idonea 152. Miraculis et vaticiniis quando et quomodo demonstretur revelatio mediata sive legatus divinus 154; quae feruntur inter gentiles 157 seq.
Miracula moralia 160; eorum vis 161; minus accomodata quam miracula proprie dicta 162.
Miraculorum donum post Apostolos perdurans cur a nonnullis negetur 496, 497; perdurasse ostenditur 497—503; dono hoc continuato religio christiana continuo divina ostenditur 503—505.
Miracula post prima tria saecula Ecclesiam attestantia, directe 633 seq.; indirecte 641.
Mithrae cultus, quis respectus ad cultum christianum 429; obstaculum religionis christ. propagandae 518.
Monotheismi apud Polytheistas vestigia 269.
Montanus de prophetia 56, 136.
Mormones 597.
Morum praecepta pura an religionis christianae diffundendae causa naturalis 525 seq.
Motiones divinae reflexe perceptae revelationis argumentum 165 seq. Non inter praecipua 167.
Moysis veracitas historica 175. Patrator miraculorum 178; auctor vaticiniorum 180; declaratus Dei legatus 181; Dei legatus tum loquendo tum scribendo 183.
Mysterium quid? 68; mysteriorum existentia 71; non cessant esse mysteria per soluta argumenta 73; mysteriorum revelatio possibilis 74.

Naturalismus 259.
Nazaraei de necessitate servandi legem mosaicam 487.
Nirvana 650; v. Buddha.
Noachidarum praecepta 194.
Noë prophetans de Messia 214.
Novatianorum quae feruntur miracula 158.

Origenes de revelationis necessitate 85; e miraculis et vaticiniis revelationem demonstrans 165; de motibus internis 166; de Celso impugnante V. T. 169; de Moyse comparato cum magis 181; de immortalitatis fide apud Israelitas 202; e Seth est hodiernum genus humanum; Caini posteri diluvio perierunt 227; de doctrinarum examine ante fidem 112; de Christianorum moribus comparatis cum moribus meliorum gentilium 121; e daemonum praestigiis probans Dei miracula faciendi potentiam 135; de dignoscendis veris miraculis 139; de prophetiae cognoscibilitate 147; de theoria „visionum“ ad explicandam Christi resurrectionem 376; de Is. 7, 11—16; de philosophis cum vulgo adorantibus simulacra 276; de philosophorum studiis 298; de discipulorum in narrando sinceritate 308; de praecipuis doctrinae christianae capitibus in mundo notissimis 317; scriptores licet suae gentis res narrantes posse esse veraces 319; de Aristea Proconnesio 343; de Apostolorum testimonio 344; de miraculorum dono continuato 502; de religionis christ. doctrinis passim cognitis 510; de Apostolorum veracitate 344.

Pagani, appellationis causa 520.
Pantheismus 259.
Patres apostolici testantes praecipua religionis christianae facta 314.
Patriarchae qua ratione a Deo docti 189.
Paulus reliquis Apostolis par constitutus visione Christi redivivi 442; immediata vocatione 425; mutatus subito 446; conversio mirabilis 447; ex ejus con-

versione demonstratur religionis veritas 449; ejus miracula 449; miraculorum donum 448.
Pauperes sublevandi studio an tribuenda sit religionis christ. diffusio 528.
Pentecostes festum eventibus supernaturalibus illustratum 434—437; horum finis 437, 438.
Permissio alia positiva, alia negativa 230.
Persecutionum causa odium religionis 540 seq.
„Personarum acceptor" quis? 232.
Petrus Claver, Nigritarum conversio 645.
Philonis logos 468—470.
Philostratus de Apollonio Tyanaeo 157.
Pietismus 11.
Plagae aegyptiacae eventus supernaturales 178; cur eventibus alias naturalibus similes 179.
Platonici docentes, daemonibus esse sacrificandum 278 seq.
Plato de revelationis possibilitate 59; de animae immortalitate 88.
Plinius major de animarum interitu 88.
Plinius minor de Christi divinitate carminibus celebrata 316; de moribus Christianorum 543, 563.
Plutarchus de cultus universalitate 29.
Polycarpus attestans scripta N. T. 307; de Marcione 614.
Polygamia 231.
Polytheismus 263.
Polytheismum quomodo ethnici sapientiores explicare tentaverint 275.
Polytheismus inter ethnicos destructus per Christianismum 560.
Populi judaici fata hodierna demonstrant, Messiam pridem venisse 401—403.
Porphyrius impugnans V. T. 169; Christo opponens Pythagoram 345; impugnans religionem christ. 345.
Praeparatio ad redemptorem suscipiendum alia positiva, alia negativa 234.
Preces conceptae in lingua peregrina 452.
Profectus in religione christiana quis 608.
Prophetiae definitio 136; possibilitas 136; cognoscibilitas 145 seq.
Prophetae veri demonstrandi miraculis vel vaticiniis impletis 154; aliorum prophetarum declaratione 160; divinitus veraces tum loquendo tum scribendo 185, 186.
Propheta promissus in Horeb, quis? 238 seq. Judaeorum de eo sensus 241; Christi et Apostolorum de eo doctrina 241 seq.; Samaritanorum explicatio 243; Patrum 244.
Prophetae legati sive ministri extraordinarii 185, 245; quomodo falli possint 149; praedixerunt et denotarunt Messiam 245.
Prophetia an cum intellectus alienatione 55, 56.
Proselyti 194.
Prosper, salutis subsidia exhibita gentilibus 287, 289.
Pseudoprophetis quomodo Deus uti possit 148.

Quakeri 597.

Religio generatim hominis ordo ad Deum 1; derivatio 1; ut virtus sive voluntatis 2; Dei cultu constituitur 2; excellentia ut cultus ratio 3; reverentia et submissio 3. Religionis actus eliciti, imperati 4. Rel. virtus moralis, non theologica 5; sensu latiore 6; prout est intellectus 7. Cognitio speculativa, practica 8; objective spectata 9; nomen status et societatis 10; falso reponitur in sola cognitione 10; aut sola moralitate 10, 11; in solo pietatis sensu 11; in cogitatione vel sensu infiniti 11; in dependentiae sensu 11; in studio avertendi mala vel obtinendi bona 11; in via ad beatitudinem 12; divisio in veram et falsam 12; naturalem et positivam 13; substantia vel solo modo supernaturalem 13; supernaturalem sensu lato aut stricto 14.
Religio supernaturalis naturalem includens, complens, evehens 39.
Religionis necessitas absoluta 16; ob Dei excellentiam 17; ultimum hominis finem 18; obedientiam 20, 23; non

inter res privatas 26; e populorum consensu 28.
Religio mere naturalis possibilis 32.
Religio supernaturalis possibilis 37—39.
Religionis naturalis aut positiva determinatio aut positiva evolutio, discrimen 24. Religio naturalis positiva possibilis 35—37. Rel. naturalis una 41: immutabilis 42; universalis 44.
Religio probabilius vera amplectenda prae alia 98.
Religio christiana immediate et formaliter, non tantum mediate et virtualiter revelata 305; transmissa libris sacris veracibus 306—309; magnam partem vivae vocis ministerio 310—318; confirmata fontibus judaicis 319—327; etiam gentilibus 328—332; certa demonstratur etiam e sola Apostolorum missione divina 423; singillatim e Pauli conversione 449; die Pentecostes vera declarata 437; miraculorum dono collato Apostolis 438; discipulis 440, fidelibus 449.
Religionis christianae diffusio amplissima et celerrima 506; ejus impedimenta 507; non superata praesidiis et rationibus naturalibus 514 seq. Diffusionis causa ejusdemque conditio confunduntur ab adversariis 515; non tantum inter homines vulgares 516, 517. Adversariorum figmenta 517 seq. Diffusio effecta singulari Dei auxilio 532 seq; fructus 559; in ordine intellectuali: inter Christianos 559; inter haereticos 560; inter ethnicos 560, 561; in ordine morali 562 seq.; mores publici mutati 564; servorum conditio 565.
Religio christiana: ejus in fide unitas 583, 584 seq.; fabula de Pauli Evangelio diverso a Petri 585; una non tantum in articulis fundamentalibus 588; universalis 592; etiam gentibus barbaris destinata 593 seq.; perpetua 596 seq.; non abolenda per revelationem novam 598; non per religionem naturalem 601; invarabilis 603.
Remedium contra peccatum ante institutam circumcisionem 288.
Remuneratio futura insinuata in V. T. 203 sq.; supernaturalis 203.
Reparator promissus in paradiso 211 seq.
Resurrectio Christi effecta virtute ejus propria 428.
Revelatio naturalis, supernaturalis 46; revelatio supern. per facta, per cognitionem infusam, per locutionem 47; immediata, mediata 49; privata, publica 49.
Revelatio (immediata) physice possibilis 57. Triplex requisita cognitio in manifestante factam sibi revelationem 54—56.
Revelationis conceptus 50, 51; cur prius paucioribus facta 52—54. Conditiones revelationis destinatione publicae 54.
Revelatio immediata per claram intelligentiam 60—62, per attestationem aut evidenter aut non evidenter, tamen certo perceptam 63—65; per instinctum 66—67.
Revelatio per claram intelligentiam rei revelatae et Dei revelantis et mandantis 60—63.
Revelatio congruens naturae divinae 75; humanae 76; utilis revelatio veritatum ordinis naturalis 78; pariter mysteriorum rev. 79; necessaria moraliter 82; absolute 89; inquirenda 97.
Revelatio qua certitudine ante fidem divinam cognoscenda 101—103.
Revelatio primitiva 186; exhibita ut divina 189; pariter patriarchalis 189; et mosaica 187.
Ritus quidam a gentilibus usurpati utrum in Dei cultum converti vel lege caeremoniali praescribi potuerint 299 seq.
Ritus aegyptiaci 303, 304.
Ritus mosaici aliqui liciti post diem Pentecostes 485; quo sensu liciti 487; quando facti illiciti 490; an nonnulli serventur in nova lege 493.

Sabbatum non obligans alias gentes neque nunc Christianos 193.
Sabbati praeceptum qua ratione servetur in lege nova 493.
Sacramentum naturae 288, 483.

Sacrificia humana oblata ab ethnicis 279, 280.
Sacrificiorum praecepta an data tantum ad populum avertendum ab idololatria 302, 303.
Saeculum X. an ferreum 649.
Salvianus de religione ut scientia 8; quid de Christianorum moribus 566 seq.
Sanctio temporalis legis mosaicae fini accommodata 205; non excludens sanctionem per praemia et poenas vitae futurae 208; abrogata 480.
Sanguinis et aquae e Christi latere effluvium 367.
Sceptrum de Juda non auferendum 222 seq.
Scripta apocrypha attestantia Ecclesiae diligentem curam 306.
Servorum conditio mutata 565.
Seth per Noë pater humani generis, Caini posteris diluvio exstinctis 227.
Sibylla Cumaea 330 seq. Sibyllinorum carminum origo 331, 332.
Signum naturale et ex instituto 48.
Simulacris cultus divinus exhibitus ab ethnicis 276; iisdem praesedisse spiritus malos 277.
Sinenses, nomen quo Deus designetur 269.
Socrates de revelationis possibilitate 59.
Spiritibus malis cultus exhibitus ab ethnicis 277 seq.
Spiritismus distinguitur a prophetia 148.
Statutum de sanguine et suffocato 489.
Suarez, quid virtus theologica 5; auxilia ordinis naturalis 37; certitudo fidei non pendet e primis principiis ut lumine naturali notis 101; de doctrinae veritate comparata cum miraculis 116; de miraculi notione 124; de motionibus internis, quatenus possint esse argumenta 167; de distinctione statuum generis humani per leges 187; Jesu divinitas miraculis solis non addita declaratione non satis demonstratur 427.
Submissio distincta ab obedientia 4.
Suetonius de Christo 329; de religione christiana praenunciata 320.
Supernaturale quid? 46.
Superstitiones variae obstaculum religionis christ. propagandae 517 seq.
Symbolum apostolicum 311 seq.
Symmachus praefectus ethnicismi causam tuens Romae 513.
Synedrium 224.
Swedenborg 597.

Tacitus de animae immortalitate 88; de Christo 328; de religione christiana vaticiniis praedicta 330; de Sibyllinis carminibus 332.
Tatianus haereticus attestans quatuor evangelia 308.
Templum Hieros. a Juliano Apostata iterum aedificari coeptum 353.
Templum secundum 405.
Tempus legis naturalis quo sensu 186.
Tempus adventus Messiae notum Judaeis pristinis 400; effugia Judaeorum hodiernorum 401.
Tertullianus de religionis significatione 9; de doctrinae christianae cum hominis natura congruitate 118; de Christianis comparatis cum gentilibus 121; de Platone 293; de Symbolo apostolico 312; de spiritibus malis operantibus per simulacra 277; de Dei unitate ab ethnicis invitis agnita 281; de Ecclesiae testimonio reddito libris sacris 307; de duplice via cognoscendi doctrinae alicujus veritatem 457; de Pauli et Marci Evangelistae per Apostolos approbatione 459; de scriptis discipulorum 459; de miraculorum dono continuato 502; de Christianorum castimonia 562; de eorumdem caritate 562; de Ecclesiae unitate 614.
Theodosius imperator quid de cultu ethnico 531.
Theophilus e miraculis et vaticiniis argumentans 164.
Theosophia Alexandrina 467.
Thomas Aq. de religionis appellatione 2; duplex religionis acceptio 10; de cultus fundamento 18; de legis natura 21; de legis naturalis determinatione 34; discrimen inter scientiam et fidem 49; varius motus prophetae 62; auditio exterior et interior 66; revelatio per

instinctum 66; instinctus naturalis 67; certitudo per instinctum supernaturalem 68; mysteria 71; conclusiones e principiis creditis 81; de argumentis probabilibus 105; de insolito in notione miraculi 125; de operatione mirabili, non miraculosa daemonum 125; de praedictione daemonum 145; quomodo Deus eisdem utatur 148; miracula fieri possunt absque fine testandi 150, 151, 152; de motibus internis 167; de Abrahamo parato ad Isaacum immolandum 199; de revelationibus novis 658.
Transfiguratio Jesu 387, 388.
Typasense miraculum 634.
Typus 253; differt a symbolo 254; V. T. typus N. T. 254.

Vaticanum concilium de revelationis necessitate 82; de criteriis externis et de interna experientia 117; de miraculorum possibilitate et cognoscibilitate 130; de miraculorum et vaticiniorum ad revelationem demonstrandam efficacia 154.
Vedas 259.
Veritas interna doctrinarum quo sensu argumentum revelationis 113.
Vespasiani quae feruntur miracula 157.
Vestigia revelationis primitivae apud gentiles 331.
Vetus Testamentum impugnantes 169.
Vincentius Ferrier, ejus miracula fidem catholicam attestantia 637 seq.
Vincentius Ler. de profectu 608.
Virgilius de carmine Cumaeo 330.
Virtus theologica quid 5.
Vita socialis Christianorum an religionis diffundendae causa naturalis 527.
Vocis derivatio non confundenda cum vocis significatione 269, 270.
Voluntas antecedens et voluntas consequens 234.

Menda ita corrigenda:

Pagina 3 *linea* 6 *ascendendo* complectimur; *ibid. l. ultima* quia; *p.* 7 *l.* 15 virtutum; *p.* 8 *l.* 11 singulari; *ib. l.* 18 *asc.* intellectu; *p.* 13 *l.* 5 et; *ib. l.* 16 *asc.* est; *p.* 17 *l.* 5 *asc.* respiciente; *p.* 24 *l.* 13 necessaria; *p.* 26 *l.* 6 quaedam; *p.* 29 *l.* 13 earum; *p.* 32 *l.* 6 reperissent; *ib. l.* 7 tantum, *p.* 34 l. 7 *asc.* summopere; *p.* 56 *l.* 4 rebus; *p.* 59 *l.* 24 persuasione; *p.* 60 *l.* 8 esse; *p.* 62 *l.* 15 *asc.* Christi; *p.* 64 *l.* 8 proponuntur; *p.* 72 *l.* 6 intelligit; *p.* 74 *l.* 6 *asc.* aequalis; *p.* 76 *l.* 4 *asc.* communicatas; *p.* 77 *l.* 15 debetur; *p.* 80 *l. ult.* errorum; *p.* 97 *l.* 8 se; *p.* 120 *l. 12 asc. pro* majores *lege* mores; *p. 125 l. 15 asc. pro* administrationis *lege* admirationis; *p.* 141 *l.* 9 *asc.* suspectae; *p.* 169 *l.* 13 Testamento; *p.* 170 *l. ult.* originalité; *p.* 172 *l.* 8 *asc.* tantam; p. 174 *l.* 5 *asc.* quam; *p.* 192 *l.* 15 data; *l.* 23 persuasum; *p.* 229 *l.* 6 singularum; *p.* 353, *nota,* l. 2 relinquendum.

211
W688

1954

Wilmers, Wm.
AUTHOR

De Religione Revelata
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONOVAN	
	JAN 16	
	APR 21	

1954